MITHOLOGIA
SACRO-PROFANA,
SEV
FLORILEGIVM
FABVLARVM
IN CLASSES, ET LOCOS MORALES
DIGESTVM:

LOCIS, SENTENTIIS, HISTORIIS, TVM PROFANIS, CVM SACRIS, EX PVRIS FONTIBVS SCRIPTVRÆ,

ILLVSTRATVM.

TRIBVS CENTVRIIS COMPREHENSVM.

Centuria I. Liber I.

Opus omnibus qui publicè orant vtilissimum.

Authore P. IRENÆO à S. CATHARINA, BLÆSENSI, Ordinis Carmelitarum, Prouinciæ Turoniæ.

Θεῦ διδόντος ὀυδὲν ἰσχύει φθόνος
Καὶ μὴ διδόντος ὀυδὲν ἰσχύει κόπος.

Deo dante, nil potest invidia,
Deo non dante, nil potest labor.

Carm Gandensis

FLEXIÆ,
Apud GERVASIVM LABOE Typographum.
M. DC. LXVI.
Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

Digitized by Google

LICENTIA
REVERENDISSIMI P. GENERALIS
IMPRIMENDI.

NOS FR. HIERONIMVS ARI ASTENSIS MAGISTER, ac humilis Prior Generalis, Commissarius, & Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum B. V. Mariæ de monte Carmelo.

VT Liber, cui titulus est, MYTHOLOGIA SACRO-PROFANA, seu FLORILEGIVM FABVLARVM IN CLASSES ET LOCOS MORALES DIGESTVM, Locis, Sententiis, Historiis, tum Profanis, cum Sacris, ex puris fontibus Scripturæ, illustratum, à R. P. *IRENÆO, à Sancta Catharina nostræ Prouinciæ Turoniæ Professo Sacerdote conscriptus* Prælo subjiciatur licentiam præsentium tenore concedimus, dummodo à duobus Theologis nostri Ordinis probatus fuerit, & aliorum ad quos spectat, consensus accedat. Horum fide, &c. Datum Rhedonis, 26. Octobris 1663.

Fr. HIERONIMVS ARI Generalis Carmel.

Locus Sigilli.

Fr. SEBASTIANVS FANTONVS Castruccius Prouincialis Hyberniæ. Secretarius Ordinis.

LICENTIA ADM. R. PATRIS PROVINCIALIS
PROVINCIÆ TVRONIÆ:

FRATER PHILIPPVS A TRINITATE HVMILIS PRIOR Prouincialis Fratrum Dei Genitricis & Virginis Mariæ de Monte Carmelo

VISA Licentia Reuerendissimi Patris Generalis subdatâ 26. Octobris 1663. R. P. IRENÆO à Sancta Catharina nostræ Prouinciæ Turoniæ Professo, Sacerdoti concessa, de imprimendo Libro cui Titulus est, MYTHOLOGIA SACRO-PROFANA, &c. Visis etiam duorum aut trium è nostris Theologiæ Professorum approbationibus, harum serie tibi R. Patri facultatem impertimur eumdem librum in lucem edendi, cæteris de jure seruatis. In quorum fidem, &c. Datum in Carmelo nostro Flexiensi, die 30. Ianuarij 1664.

F. PHILIPPVS à Trinitate Prouincialis

Locus Sigilli.

Fr. PHILIPPVS à Trinitate Prouincialis

Fr. CONSTANTINVS à S. Cruce R. P. Prouincialis socius.

Digitized by Google

APPROBATIO THEOLOGORVM Prouinciæ Turoniæ.

EGO infra scriptus Theologiæ Professor in Prouincia Turonensi, Ordinis Carmelitarum, eo libentius & attentius à summo vertice vsque ad imos vngues, vt aiunt, vidi, & perlegi *Mythologiam Sacro-Profanam*, seu *Florilegium Fabularum*, &c. Quo totum hoc opus dictione non solùm elegans, sed omni Doctrina Profana & Sacra, quæ ad morum institutionem pertinet, sit R. P. Irenæi à S. Catharina, ejusdem Prouinciæ alumni, viri sanè Theologi, & Oratoris, pleni & perfecti; in eo siquidem, de documentis ad virtutis studium, & peccati fugam non minùs accuratè scribit, quam per bene & Latine Orator loquitur. Hoc in Florilegio quod fidem offendat Catholicam, bonosque mores impugnet, nil quippiam legitur, quare luce publica dignum probo & judico. Datum in Carmelo Turonensi, die 22. Iunij 1663.

Fr. PAVLINVS *ab Epiphania*

HVnc Librum, qui inscribitur, *Mythologia Sacro-profana*, seu *Florilegium Fabularum in Classes, & locos Morales digestum, locis Sententiis, Historiis, tum Profanis, cum Sacris ex puris fontibus Scripturæ illustratum*, &c. Cujus auctor est R. P. IRENÆVS, à S. Catharina non modò, qui tipis mandetur, sed & vt legatur ab omnibus propter vtilitatem maximam, quam ex ejus lectione quisque referet, dignum censuimus. In quorum fidem, &. Datum Diuioni 23. Iulij 1663.

Fr. PROSPER A *S. Margareta Religiosus Carmelita Prouinciæ Turoniæ Sacræ Theologiæ Professor, Primus Definitor Prouintiæ Narbonæ.*

EGO infrascriptus S. Theologiæ Professor, fidem facio à me visum, perlectumque librum, qui inscribitur, *Mythologia Sacro-profana*, seu *Florilegium Fabularum in Classes, & locos Morales digestum*, &c. Quo in Florilegio nil contra sanam Doctrinam offendi, sed tot lectos puros flores eruditionis, tam Sacræ, quam Profanæ, pari dictionis elegantia intextos, vt ab omnibus legi, & typis mandari dignum censeam. Ita testor, & subscribo in nostro Carmelo Diuionensi, die 27. Iunij 1663.

Fr. SATVRNINVS *à Visitatione Carmelita Prouinciæ Turoniæ. Prior Diuionensis, & Socius R. Adm. Prouincialis.*

Approbatio Theologorum externorum.

NOS infrascripti Doctores Theologi testamur legisse Librum titulo *Mytologiæ sacro-profanæ*, insignitum, à R. Patre Irenæo à S. Catharina E... Ord. Carmelitarum reformatorum Prouinciæ Turonensis compositum. In quo nihil deprehendimus fidei ortodoxæ contrarium, sed maximam eruditionem, cum summa scribendi eleganria, & perspicuitate conjunctam, ad probos mores informandos, & illustrandos aptissimam. Ideoque censuimus ipsum studiosis omnibus multiplicem allaturum vtilitatem, si prælo mandetur. Datum Turonibus die 12. Martij anno Domini 1666.

Fr. LVDOVICVS LE SERGENT *Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini Conuentus Turonensis perhumilis Prior, Doctor Theologus.*

Fr. SEBASTIANVS PELLVYS *Doctor Theologus, & Prouinciæ Franciæ Ordinis S. Augustini Definitor.*

Digitized by Google

NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO

LVDOVICO AVBERIO

D. DOMINO

DV MAVRIER, &c.

AVLÆ REGIÆ MAGISTRO ORDINARIO,

ET CASTRORVM SVÆ MAIESTATIS ADIVTORI.

M*VSAS Iouis & Mnemosinæ filias ferunt, cum in lucem editæ fuissent, indiguisse nutrice, cujus lacte alerentur, fouerentur sinu, cura adolescerent, quasi cælestis illa fætura non nisi alieno fota beneficio, posset vires capere; aut incrementum.*

Ita enim usu, vel Natura comparatum est, ut quidquid Musarum opificio in lucem exiret, periclitari videretur, nisi illustrium virorum præsidio, aut patrocinio fulciretur. Elanguisset Diuinum opus Maronis, sine Augusto, Horatij, sine Mecænate; Martialis, sine Domitiano. Quod si tanti viri ingeniorum culmina & lumina sibi ascisçunt Protectores, quanto magis nullius, aut perexigui nominis, & virtutis tyrones?

Patere ergo Vir clarissime, nostras hasce qualescum-

que vigilias sub tui nominis vmbra, vel potius luce prodire, ac euulgari. Neque vero quisquam mirabitur, quî nostræ te Musæ adire, aut te ausæ sint ambire Patronum, nisi forte is qui te, vel tuos, non bene nouerit.

Tuos, inquam, quo nomine venit imprimis illustrissimus D. Benjaminus Auberius Pater tuus, vir Eloquentia, Fidelitate, & Solertia Regibus nostris, multis in Legationibus, præsertim apud amplissimos Confoederati Belgij ordines, magna cum laude obitis, longe commendabilis, quem doctissimus vir Hugo Grotius, & ipse Regis Sueci ad Christianissimum Regem Legatus, tanti fecit, vt eum Mecoenatis sui loco, & nomine coluerit.

Venit & Daniel Auberius frater tuus, rerum Mathematicarum, & bellicarum fortificationum scientia paucis secundus, Principi Condæo impensè notus, & charus, sub quo in Germania meruit, & militans Marte absumptus ingens desiderium sui tam laudato Principi, quam nostris, reliquit.

Næ, eius memoriæ ingratus fuero, si dissimulem aut minimè gratuler animæ eius iam in cælum receptæ, Charitatis officia, quæ vni è nostris, mihi dum in viuis ageret, coniunctissimo, impendit, suauissimi ingenii viro, quocum viuus amicitiam quam contraxerat, tam generose coluit, tam religiosè seruauit, vt etiam valetudinario ad extremum vsque spiritum, quibus posset, modis non deesset.

Venit inquam, & vel maxime illustrissimus ille

Digitized by Google

Iacobus Auberius, magnus patruus tuus, non minus Familiæ tuæ & Nominis, quam Supremi Parisiensis Senatus Clarissimum decus, quem causas diuinè perorantem audierunt, deinde Aduocati Regij pro miseris Prouincialibus partes exequentem, causa maximi post hominum memoriam momenti, per quinquaginta continuos dies, acta agitataque, cum tanta admiratione audientium, vt sibi, & suis immortalitatem iure reportarit. Nec miserabilium tantum personarum patrocinio suscepto inclaruit, sed etiam Ciuili vrbis Parisiensis Prætura, qua dignissime functus, inde ab Henrico secundo, hoc inter alia virtutis suæ pretium tulit, quod ob raram ejus Prudentiam, & Nestoream facundiam Legatus in Angliam missus est, qua in Dignitate Regis, Gallorumque summam de se expectationem vicit.

Vir à summis viris summis laudibus celebratus, quem Michaël Hospitallius sui sæculi ornamentum, Regni Galliæ Cancellarius, primis Romanorum & Græcorum Oratoribus æquat; quem Daniel Heinsius dicit hoc fuisse Galliæ, quod terrarum orbi est Gallia. Cujus & orationem latinam pro Merindoliis in lucem edidit, & Maximiliano fratri tuo, & tibi, adolescentulis dedicauit. Quem Ioachimus Bellayus versibus exornauit, quem denique Ianus Casperius Geuartius in notis in Statium quem Patri tuo nuncupauit, Herculem Gallicum, ob viuidum eloquentiæ flumen, apellauit.

Quæ tuorum me tibi merita gratulari nemo sanus inuideat, ni magis deceat, tua commemorare, qui tuos

Digitized by Google

magnitudine animi, vel virtute ſuperaſti, aut certe æquaſti. Acceptam quidem à majoribus fortunam non auxiſti, ſed nec minuiſti, & eo temperamento ſeruaſti, vt nec faſtui ſubjaceat, nec alienæ inuidiæ aut malignitati ſuccumbat.

Vna in re parentibus foelicior, quod auitam eorum religionem, quod temporis vitium erat, meliore permutaſti; quod paterna gloria non contentus, propria inclaruiſti; multis Legationibus Polonicis, Germanicis, ac Lotharingicis, & ipſe functus; quod iis artibus animum excoluiſti, non quæ te ditiorem facerent, ſed quæ meliorem; dignum qui Amicitiam tam ſancte coleres, vt amicos tibi ex bonis comparares; viciſsim & faceres.

Quod ſi Philoſopho Amicitia ex bonis externis eſt maximum; ſi Platoni Diuinum munus, juſtitiam ipſam tranſcendens ac ſuperans; ſi Plinio ad Veſpaſianum, Deus eſt mortali corpore juuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via; Denique ſi hæc virtus ſolum bonorum eſt, & inter bonos, inde quis ſis, & quanti æſtimandus ex iis nemo non videt, quæ erga Nobiles reos nuper geſseris, quos dudum Flexia noſtra in cuſtodia, & vinculis tenet; nam veluti hæreditarium munus foret Anberianæ familiæ miſerabilibus, deploratisque perſonis opitulari, vbi plus in eos obiecti inuidiam ſceleris, valere crediſti, quam detentorum innocentiam; præſumptionem facti, quam probationem Iuris; leuia & commenta indicia, quam legitima teſti-

monia

monia; quod raræ ſpecimen Amicitiæ, dixerunt, non inuitatos infortunatis occurrere; in aduerſis, laborantibus ſubuenire, id vnus vbertim impleſti.

Hos quippe reos toto pene Regno ipſa opinione proſcriptos: jamque ex præjudicato damnatos, miſerabiles deploratos, homines nuſquam antea tibi viſos, nec olim forte viſendos; ne de nomine quidem notos; cum potentium minæ vndique fremerent, & jam Quæſitor ferox clamaret ad poenam, tortores turmatim accerceret, enſes acueret, ſanguinem funderet, cum Leges & Iura obmuteſcerent, Tu eos ſuſcepiſti defendendos, complexus es, vt Fratres; fouiſti vt Filios; adjuuiſti vt Coniunctos, ac Neceſſarios tuos; Amicis, conſilio, opera, facultatibus ſubleuaſti, & etiamnum ſubleuare ac recreare non deſinis. O rarum, hoc ſæculo, Amicitiæ exemplum! O præclarum generoſi animi, & virtutis argumentum.

Neque vero hæc pietas ſingularis effectu caruit; quæ tibi viſa eſt, Accuſatorum innocentia, omnibus perſuaſa eſt, & ita inſedit hæc opinio, vt eruditum vulgus pariter & rude in eam curſu iret. Omnis conditio, ætas, & ſexus coeperunt abſoluere, quos abſoluiſti; & damnare, Ciues, Iudices ſuos; Cognati, Conſanguineos; Vxores, Maritos; & mirabili verſura reputare innocentes, quos nuper computabant inter reos, & inter reos computare, criminis ipſius Actores. Vnde factum eſt, vt illi tot habuerint defenſores, quot vrbs, incolas & ciues; iſti, tot accuſatores, quot fuere

Digitized by Google

calamitatis suæ deprecatores & testes.

Quid plura? tibi non satis fuit, quotidiano afflictos subsidio, relevare, nisi insuper relicta domo, coniuge, liberis, ad Potestates, & Regem ipsum contenderes, contestaturus eorum innocentiam, deprecaturus inuidiam, suspicionemque criminis, iniecturus Regi aliam mentem, quod hactenus foeliciter promouisti.

Et hæc sunt, Illustrissime Maureri, quæ in te nullus non bonus laudat, miratur, extollit. Hæc, inquam, sunt, quæ me prius versantem animo, cui has meas lucubrationes nuncuparem, vt eas tuo Nomini addicerem, induxerunt. Accessit, & facilitas tua, ac singularis humanitas, mihi nuper, in nobili tuo, ac peramoeno prædio, quo salutandi te causa concesseramus, probata, in quo cum Nemus, stagna, fontes, prata, viuaria, ambulationes, horti; arbores frugi, omnis generis, iucundissimum oculis spectaculum exhibeant, nihil tamen animis domino suauius, nil ornatius, nil iucundius existat.

Quæ cum ita sint, cui iustius Mythologiam hanc nostram Sacro-profanam dedicarem? hinc ex Profanis multiplicis doctrinæ & eruditionis ad mores rite informandos effata delibantem, inde ex Sacro sancto Scripturarum fonte arcana non pauca eruentem, quam tibi? qui & politioris, & seuerioris literaturæ riuis non modo tinctus, sed & imbutus & imbibitus, eximium virtutis Ciuilis & Christianæ exemplum præbes? Cui melius, quam tibi afferrem, offerremque pudi-

cas has Virgines, tam forma decoras, quam More & Amore faciles, sodales olim, & contubernales tuas? omnigenas intelligo, Sapientiæ Humanæ, ac Diuinæ Veritates, & Notiones, toto hoc opere resspersas; Quæ audito tuo Nomine, & repetita oris specie, exultabundæ in amplexum prosiliunt, hominem prouectum, perfectumque demirantur, quem adolescentem effinxerunt, & efformarunt. Vident in moribus tuis expressum, quod præceptis suis ingesserunt, æquasti factis, quod illæ votis optarunt. Excipe ergo illas, & suscipe, tuæ traditas tutelæ; tui juris esse sine; quod si me voles exoratum, habebis tuæ Dominationis Clarissimæ.

Devinctissimum Seruum, ac perpetuum Oratorem, Fratrem IRENÆVM à SANCTA CATHARINA Carmelitam Provinciæ Turoniæ, Reformatæ.

E Musæo nostro Flexiensi,
Die 1. Martii 1665.

Digitized by Google

Digitized by Google

AVCTORIS & OPERIS
CONSILIVM.

E LONGINQVIS Galliæ plagis in Italiam non ſemel miſſus, & ultimò triennium Romæ commoratus, legitimæ meæ, & popularium meorum curandæ, & vindicandæ ergo, utramque hoc in negotio expertus fortunam, cum laſſo viarum, & præcipuè Romani fori, & ſoli, fixum in animo ſederet, abſolutis Comitiis generalibus Ordinis, urbe & negotiis excedere; nec tamen tum montes, aut mare trajicere per valetudinem, & imminentis Caniculæ æſtus, ſeni eſſet ſecurum; Canepinam libens conceſſi, vicum Roma itinere unius diei diſtantem, *montibus, & ſylvis, ac nativa ſolitudine ubivis* horrentem, cæterum votis meis tunc temporis peroportunum.

In his ſaltibus, ubi me Superiorum providentia, aliorum curæ, mea mihi curando, deſtinaverat, in quibus Caſtaneas & Nuces, non libros reperias, niſi quos forte loci conditio tulerit, caſu incidi in libellum fabularum, lacerum illum, capite & cauda mutilatum ex quo ne ocium meum omnino ocioſum eſſet, ſelectiores compilaui, reciſis ex illa farragine, tum repetitis quibuſdam ad nauſeam fabellis, cum iis quæ minus ſalis haberent, tùm etiam aliis, quà laſciviis, quà jocis, quæ præter fabulare genus irrepſerant, & ſic ſelectas, ut una eloquij facies per totum corpus excurreret, meo modo & ſtylo loqui feci: deinde in claſſes, & locos morales diſtribui, ſuis quamque locis ac titulis, vitiis vel virtutibus diſterminans; denique unius cujuſque mentem, quam communiter ad fabulationem vocant, pro modulo meo, locis, ſententiis, hiſtoriis primò ex auctoribus profanis, ſecundò ex libris ſacris, probare & illuſtrare conatus ſum.

Vniverſum igitur fabularum corpus in quatuor Centurias, ſeu Libros digeſſi, in quibus fermè totius Moralis ſapientiæ ſuccum expreſſi, quot titulis, tot effata, & ſententias præfigens, ſub una vel pluribus fabulis, in eumdem ſenſum, & ſcopum, ſponte coeuntibus, eo ordine quo S. Thomas in ſumma, quantum rei exiguitas aſſequi potuit, à generalibus cauſis ad ſingularia procedens, hominemque conſiderans in Deo, Angelis, Natura,

Digitized by Google

Mundo, Fato, Fortuna; deinde generatim in ſe; & hîc primus liber, ſeu prima Centuria terminatur. Deinde in diverſis ſtatibus eum attendo, in ſuis Qualitatibus, Habitibus, Officiis, in quibus, ſecundus & tertius liber excurrunt. Poſtremo in virtutibus, & vitiis, Ex quibus liber quartus componitur, & clauditur.

Opus quod ſciam à nemine tentatum, & quo à me modo ſuſceptum, difficile; arduum, improbi laboris plenum; dignum, cui amplioris Bibliothecæ, & temporis copia ſuppeteret, addo humeris aliis & lacertis committendum. Cæterùm, qualecumque id fuerit, forte literatis non omni ex parte ingratum, iis ſaltem qui fabularum guſtum habent; aut qui publicè orant, ſeu pro Roſtris; ſeu in ſacris exedris, quibus ſi non prodeſſe, quod tenuitatis meæ ambitioſius fuerit, at de lucernula noſtra tantillum olei omni amurca defæcatum, ſuppeditare poſſe, ſum arbitratus.

Quanquam & hoc in limine, videre jam & audire mihi videor, moroſulos aliquos, retrò capérata fronte muſſitantes, Quid Sacerdoti, cum Poetis? Quid Religioſo, cum Profanis? Quid ſeni, cum fabulamentis? Aut ſtylum, & ocium non niſi in ludicris ponere licuit? Ita illi hujuſmodi enim, ut & ſuperior ætas, noſtra abundat, quibus promptius ſit μωμεῖσθαι, quam μιμεῖσθαι.

Nuſquam majores ronchi, juveneſque ſeneſque,
Et pueri, Naſum Rhinocerotis habent.

A quibꝰ ego tam facilè provocavero, quàm illi temerè, pronuntiarint. Provocavero inquã ad SS. Patres, quibꝰ nil gràviꝰ, nil eruditius; nihil de profana literatura ornatiꝰ. Provocavero ad SS. Libros, quibus nil ſanctiꝰ, & in his, nil fabulis cõmunius; ut utramq; maximè apud Prophetas, paginã faciant. Provocavero denique, ad æquiſſimũ Iudicis noſtri Tribunal, ad fidei noſtræ auctorem, & conſummatorẽ IESVM, qui perpetuis in Parabolis, & Similitudinibus, hoc eſt, fictitiis, eructabat abſcondita; ita ſe ſimplex veritas ad captũ accommodavit humanũ, & captivã hanc eraſa vanitatis Cæſarie, & circuncifis profani cultus vnguibꝰ, in noſtræ Mortalitatis uſum transferre permiſit. Porrò liber publica luce donatus, convivium publicum eſt, Convivatoris leges ſunt, quæ & Auctoris; de ſuo penu menſam inſtruere, eſcas promere, & comere, liberali oculo, vultu, ſermone, ad parata invitare Convivas; horum eſt, quod ſapit, ex appoſitis edere, quod non ſapit, aliis permittere: & gratiam Amici invitantis æqui bonique facere. Qui, ſi quid alicui ad guſtum, fœlix; ſi alteri minime, venia dignus; ſi omnibus

quod potuit, laude. Quisquis venis, esuriò veni, saturiò redi.

Pauca hæc generaliter præfatus, Lectorem speciatim monitum velim, quædam à me in hac opella, observata.

Primò, studuisse brevitati, pauca sed bona; selecta non trita, & paucis multa complexum: præcipue in Annotatis ex sacra Scriptura, in quibus paulo diffusius, sobriè tamen excurri.

Secundò, singulariter curasse, ut præfixæ in capite sententiæ Morales, seu Adfabulationes, quam aptissimè, naturaliterque coirent, ut ex visceribus vltro nascentes.

Tertiò, in utralibet Commentatione, ex Profanis, aut ex Scriptura, nihil à me citatum, non lectum in propriis auctoribus, & fontibus, collectumque ut plurimum, in ipso stylo & textu auctorum, nominibus & locis ad marginem, accuratè notatis.

Quartò, sobriè citasse sententias & conceptus Patrum, nisi ut interpretes *in difficilibus Scripturæ locis* sua sensa explicaturi accedant, & salis instar apposita conditurì; tùm brevitatis causa, tùm ne viderer farcire Centones, & nauseâ legentibus parerem.

Quintò, denique, in Annotationibus profanis, licet sententias sententiis, ut occurrere potuerunt, accumularim, id tamen feci cum aliqua sermonis textura, ne viderer arena sine calce inædificare, aut loquendo more scripturæ, linire parietem absque paleis & temperamento; quod tamen longe accuratius prosecutus sum, in annotationibus sacræ Scripturæ, ut continenti serie, & Oratorio more fluerent; adeo ut, quot tituli, seu Morales discursus, exhibentur, tot fermè sermones dici possint, jam facti, aut facili negotio conficiendi, si annotata ex Profanis cum annotatis Scripturæ conjungas, simulque mixturam facias; Cujus rei, & si quid in hoc opere præstiterimus, ex his quas præmittimus, Centuriis, Lectoris esto judicium, quod si deinceps favebit, stimulos dabit, aliis concinnandis, brevi secuturis.

Digitized by Google

DE ANTIQVITATE, VSV, Auctoritate Fabularum.

APVD PROFANOS.

ANTIQVITATEM, vſum, auctoritatemque Fabularum vetuſtiſſimi quique iidemque celeberrimi Philoſophi, Oratores, Poëtæ, commendant: quorum alij Apologis vſi ſunt, alij ſuis ſcriptis & laudibus celebrarunt, alij denique de ſuo concinnarunt & cuderunt.

Apologis vſi ſunt, Eloquentiæ Romanæ parens Cicero, alter Quintilianus, Seneca, Apuleius, & alij. Græcæ Demoſthenes, Plutarchus, Iſocrates, Themiſtius, Orpheus, Pytagoras, Menander, Lucianus, cæterique paſſim.

Commendant ſuis ſcriptis & laudibus Apollonius Tyanæus, *Æſopum à Mercurio docens accepiſſe, eaſque ad Sapientiam omnibus edocendam accommodatiſſimas.* Ariſtophanes Grammaticus, cujus fertur illud Adagium in ignarum, *ne Æſopum quidem triviſti.* Suidas, Macrobius, Aphtonius. Philoſophorum Princeps Ariſtoteles, cujus illud tritum eſt, *Philoſophum Fabularum amatorem eſſe, quod ex rebus mirandis illæ conſtent*, præceptor ejus Plato cognomento Divinus, qui pueriles animos his imbui & informari jubet, his junguntur Heſiodus, Ælianus, Stheſichorus, & ſexcenti alij, qui paſſim legentibus occurrunt.

Scripſerunt Fabulas Poëtæ omnes, quo in genere Homerus antiquiſſimus, & Ovidius in ſuis Metamorphoſeon libris, infinitam fabulandi ſegetem ſubminiſtrarunt, à quibus hic ex profeſſo abſtineo, Poëticas intelligo, ſolas Æſopicas, ſive ipſius, ſive aliorum ſint auctorum, quæ communiter ejus nomine circumferuntur, proſecutus & amplexatus, vt pote magis ad mores accommodatas.

Quarum Scriptores inter præcipuos extant, in primis quidam Gabrias Platone antiquior, cujus Apologi ſæpe apud auctores citantur. Iulius Hyginus Auguſti Imperatoris libertus, Phædrus Tiberij, Porphyrius, ſub Iuliano Apoſtata, Feſtus, Avienus Maximus, Planudes, & alij ſine numero recentiores.

Quos omnes inter, Æſopus, natione Phrix, conditione ſervus, corpore gibboſus, facie ſupra modum deformis, lingua blæſus

Digitized by Google

blæsus, palmam facile prætulit, clarissimos inter Philosophos nomen meritus, & in hoc genere principatum, *mentem in vili corpore* (vt ipse Croeso Lydorum Regi dixisse fertur) *generosam portans*, dignus cui Dea Hospitalitatis, quam colebat officio erga hospites, sibi in somnis visa credatur, & largita loquelam, cùm ante linguæ impeditioris esset, sapientiamque, Apologorum inventricem: qua ille quæ ad mores hominum rite formandos, vitia eliminanda, amplexandas virtutes conducere videbantur, non severè & imperiosè, qui mos erat Philosophis, sed per festivos, & delectabiles Apologos, instillavit, sermone brutis & inanimis impertito, tanta cum audientium voluptate, vt ea fingens agere, & dicere quæ Hominis sunt, Hominem quid fugere, quid agere debeat, informet, tam suavi temperamento, & lenocinio veri ac ficti, vt Homines, & sponte falli, & simul vtiliter edoceri summopere delectentur.

Enim verò si apposite quis dixit:

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Hoc tam fabulæ convenit, & speciale est, quam quod propriũ.

Sic à Viris maximis in rebus, temporibusque difficillimis olim adhibitas legimus, successu non minori, quam delectatione.

Atheniensibus mutuis se dissidiis conficientibus, Bisantini, vt eos ad concordiam revocarent, Leonem, cognomento Bisantinum, Oratorem mittunt, qui vt palam de suggestu oraturus apparuit, omnium in se cachinnum movit, eo quod statura perpusillus esset. Quid ille? causam ridendi vertens in argumentum dicendi, vbi copiam loquendi habuit, *Ridetis me*, inquit, *quia pusillum videtis*, *quid si vxorem meam vix ad genua mea pertingentem vidissetis*? Ecce tibi tota concio iterum in risum effusa; ille patienter ferens, vbi ridendi saturos vidit, *Sed tales*, inquit, *ô Cives Athenienses, ac tam pusillos, concordes, lectulus vnus capit*; *discordes, tumultuantesque, non lectulus, non domus, non civitas, vix Græcia ipsa capit.* Et hoc artificioso commento ad frugem, concordiamque, reduxit.

Cum Populus Romanus abs Senatu secessionem fecisset, & in armis plebs contra nobilitatem staret, adeo infensis, exulceratisque animis, vt nulla ratione revocari posse viderentur, Menenius Agrippa, vir clarissimus, præclaro Apologo de Ventre & Membris inter se dissidentibus, qui infra videbitur, ad mentem, pacemque redire persuasit.

Digitized by Google

Commendantur auctoritate Sanctorum Patrum.

TANTUM vero abest, vt Sancti Patres Græci, Latinique, Ecclesiæ Doctores, ac Proceres, Fidei lumina, & columina, Fabulis abstinuerint, aut indignas judicarint, quas sive in concionibus suis ad populum, sive in suis lucubrationibus, & scriptis adhiberent, quod iis tùm enarrandis, cùm citandis, imo etiam fabricandis summopere delectati sunt.

Græcorum agmen ducat gloriosus Martir & Præsul Irenæus, Hæreseon malleus, Apostolicorum temporum vicinus: is multarum frequens meminit fabularum, vt Homericæ, de Orci Galea, Hydræ Lernææ, Pandoræ Hesiodi, Canis Æsopi, &c.

Clemens Alexandrinus, vt Gentiles propriis ipsorum armis confodiat, Symbola & Apologos ex Orphæo, Lino, Homero, Platone, Pythagora passim mutuatur.

Idem faciunt S. Basilius in Hexamero, S. Epiphanius in Phisiologo, & Theodoretus de Providentia.

Gregorius Nazianzenus creberrime Apologos vsurpat, vt Epistola ad Seleusium, Cignorum & Hirundinum, alibi Gruum & Anserum, in sua sacra poësi Pavonis caudam pomposè explicantis. Item Pandoræ Promethei, & similium. Sinesius de Providentia asserit pueros & rudes docendos esse, & erudiendos per fabulas.

S. Cirillus Alexandrinus præ omnibus hoc in genere versatus excelluit, maxime si ejus est liber Apologorum Moralium, suo nomine evulgatus, sub hoc titulo, Apologi Morales. S. Cyrilli 4. libris, in 4. virtutes Cardinales, quos sæpe citat Dionisius Carthusianus in Proverbia, &c. Et Cornelius à lapide, Societatis Iesu Scripturæ Commentator illustris; à quo hanc lucem accepimus, operis hucusque nobis incogniti, quanquam non Cyrilli Alexandrini, aut auctoris Græci, sed potius Latini, & forte Siculi recentioris opus existimet, aliàs cujuscumque sit, multa eruditione refertum, sibique multum laudatum.

Commendantur auctoritate Scripturæ.

SEd quid fabularum, vel mixta jucunditate vtilitatem, vel vtilitate honestatem, aut vsum antiquitatemque profanis Auctoribus, & exemplis probaturi insistimus, & laboramus, cum testimonio omni exceptione majori commendentur, Auctoritate scilicet Scripturarum.

Cum enim vniversa hæc mundi visibilis machina, homini sit quasi quædam Sapientiæ schola, Divinis plena rationibus, & ex rebus naturalibus; ideam vitæ humanæ petere liceat, quasi in speculo relucentem, Majestate Scripturæ Spiritui sancto, haud indignum visum est, per Apologos multa homini Sapientiæ documenta proponere; quæ libentius arriperet, imbiberet facilius, tenacius memoriæ commendaret.

Igitur *Fabulæ inventio,usus, antiquitas,* ut *nobilius, ita* neque altius repetenda sunt, quam ex *Sacra Scriptura*, in qua, libro Iudicum præclarus Apologus omnium antiquissimus, proponitur à Ioatham filio Gedeonis, qui Homerum (quo fabulatore profani nihil habent antiquius) multis sæculis antecessit. Is est Spinæ, seu Dumi regnum arborum frugiferarum ambientis, quem infra suo loco reperies. Ioatham, post 78. annos, secutus Samson, Myticum ænigma proposuit Philistæis, in Nuptiali Convivio, *de comedente exivit cibus, & de forti dulcedo.* Ducentis & viginti post Ioatham annis, Salomon multiplicis sapientiæ Apologos exhibuit. Sapientiæ Divinæ domum ædificantis, & instruentis in ea convivium, omnes ad illud invitantis, Dein Mulieris stultæ, & sapientis, sangui-sugæ, Aquilæ, Colubri, Formicæ, Lepusculi, Locustæ, Stellionis, Leonis, Galli, Arietis, & Regis. Sequitur Canticum Canticorum, perpetuus Sponsi, & Sponsæ Apologus.

Iudic. 9

Proverb.

Salomonem imitatus filius Sirac, alter sapiens, Apologos multos proposuit in Cedro, Oliva, Palma, Viti, & aliis.

Quarto regum, celebris est Apologus Cedri & Cardui, suo ordine referendus. Habes apud Isaiam plurimos, Lupi & Agni, Pardi & Hœdi, Leonis & Ovis, Vituli & Vrsi, &c. Apud Ieremiam Virgæ vigilantis, & Ollæ succensæ, & alios. Apud Ezechielem, Leænæ & Leunculorum. Oollæ & Oolibæ mulierum, Aquilarum ingentium, &c. Apud Danielem 4. bestiarum & 4.

4 Reg. 17

Can. 7

Digitized by Google

ventorum. Arietis & Vrsi, &c. Et sic apud alios, adeo ut Scriptura hujusmodi ænigmatibus & apologis abundet; Quid quod Dominus noster in diebus carnis suæ, non nisi per Parabolas & Apologos loquebatur. Quem secutus S. Ioannes pulcherrimis maxime in Apocalipsi abundat.

Quæres fortè quo fructu, successuque ab uno exemplo, intellige, peccaverat David, & duplicis noxæ reus, homicidij & adulterij, volutabatur in cœno scandalosissimæ voluptatis, nec erat ex Populo, aut ex Clero, qui super hoc Regis aurem vellicare, aut coram mussitare auderet: vnus Nathan assumpto Apòlogo de divite multos greges, & paupere, unicam ovem habente Regem adit, & tanta fœlicitate & constantia insequitur, premit, percellit, quod primò, in aliena persona, postmodum in sua, mortis sententiam ipse pronuntiat, eodemque momento, ore, lachrimis, culpam suam, deflet, ac delet.

Quæ cum ita sint cum Doctissimorum sæcularis literaturæ virorum, cum Sanctorum Patrum, cum S. Scripturæ vestigiis insistimus, non arbitramur viles offas nauseantibus, aut anilia deliramenta oscitantibus apponere, sed in his ludicris seria; in fictis, vera; in fabellis sapientiæ humanæ & Divinæ, uno verbo Theosophiæ Oracula, medullamque studiosis, stilo, ordine, explicatione & applicatione alteram; de profana, sacram; de impura, castam; de mixta, defæcatam; de rudi, comptam,; denique de Gentili, Christianam.

Accipe ergo, amice Lector, hoc aurum seu argentum, è fodinis purum, ac putum, scoria omni expurgatum; lapides è lapidicina non solum erutos, sed jam ad amussim limatos. Ligna è sylvis, excisa non modo, sed & dolata in structuram. Materiam denique omnis generis è ruderibus excerptam, ad opus habe, fruere, utere.

Porro hoc ordine procedendum judicavimus, ut primo loco Fabulam, modo unicam, modo plures, ejusdem mentis & sensus, ut occurrunt, proponamus. 2. Affabulationem, seu Mèntem Fabulæ, quæ Moralis nucleus est, in capite præfigamus. Quam 3. illustrent & probent annotata ex Profanis. 4. ex Sacra Scriptura.

Digitized by Google

INDEX

Titulorum, Fabularum. Moralium, Centuriæ 1. seu Libri I.

Digitized by Google

Titulus 9. de Deo.

FABULA. { De Viatore, & Mercurio. / De Inopi ægro vovente. } 64

MORALE. *Mortalium vota ad Deum, ut plurimum impia & turpia.*

Titulus 10. de Deo.

FABULA. { Piscatores. / De Vulpe Deos precante. } 73

MORALE. *Vulgus Divinitatem utilitate probat, & colit.*

Titulus 11. de Adversario, seu communi Hoste.

FABULA. { De Lupo, & Histrice. / Lupus, & Ovis. } 81 { De Leone Rustici filiam amante. / De Equo, & Cervo. / De Simiis, & Pardale. } 82

MORALE. *Adversario tuo ne te inermem committas.*

Titulus 12. de Adversario, seu communi Hoste.

FABULA. { De Sylva, & Rustico. / De Salice, & Securi. / De Vulpe & Trago, seu Hirco. } 91 { Aquila. / De Turdo. } 92

MORALE. *Adversario ne ministres arma contra te.*

Titulus 13. de Adversario, seu communi Hoste.

FABULA. { De pace Lupos inter & Agnos. / De Serpente, & Agricola. / Vulpes, & Anguis. } 100 { De Vulpe, & Gallo. / De Hericio, & Vipera. / De Aquila, & Cornicula. } 101

MORALE. *Non pacisci cum eo, aut ei aditum concedere.*

Titulus 14. de communi Hoste.

FABULA. { De Lupo, & Sucula. / De Vulpe, & Gallina. / De Asino, & Lupis. / De Hœdo, & Lupo. } 109

MORALE. *Nullus hostis homini, homine tetrior.*

Titulus 15. de communi Hoste.

FABULA. { De Mure, & Fele. / Catus, & Mures. } 118 { De Leone, & Capra. / De Vulture, & Avibus. } 119

MORALE. *Cum Hæreticis aut Scelerato commercium nullum.*

Titulus 16. de Natura.

Digitized by Google

Digitized by Google

MITHO

Digitized by Google

MITHOLOGIA SACRO-PROPHANA.

TITVLVS PRIMVS

DE DEO

FABVLA

de Homine & Apolline.

QVEM *vides pallio accuratè obvolutum pro foribus Templi Apollinis, nebulo insignis est; non consultor Oraculi, sed Numinis tentator, & illusor, qui Oraculum Delphicum adit, sciscitaturus viveretne an esset mortuus Passerculus quem manu tenebat sub chlamide; si diceret vivere, ipsum pugno suffocaturus; sin mortuum, repræsentaturus vivum, apud se reputans, Apollinem, quodcumque diceret, probari mendacem. Sed Deus intellecta hominis nequitia ad eum; heus tu Adolescens, quodvis facere, facito; penes namque te est, seu vivum, seu mortuum proferre quod præ manibus tenes; ostendens Divinam mentem nil latere, nec falli posse.*

de duobus Adolescentibus & coquo.

DVO *Iuvenes coqui officinam intraverant specie emendi aliquid carnium; re vera autem furandi, quod ederent: Ergo cum de pretio eduliorum agunt, & Coquus aliis supervenientibus intenderet, alter eorum cautè surripit carnes, & dat socio occultandas. Redit coquus*

Digitized by Google

ad eos; & advertens furtum, juvenes incusat, arguit, urget restitui; sed qui abstulerat, jurat se non habere; qui habebat, non abstulisse: ille nihil proficiens in malam sortem abire jussis, ait, etsi quis vestrum sit fur, & perjurus me latet; Deum, tamen, cui omnia patent, non latet.

De Cervo & Bobus.

PVLSVS à *canibus venaticis Cervus, conjecit se in stabulum apertum, oportunam suæ saluti latebram invenisse ratus; intrat, orat boves ne se prodant, sed sinant latêre; annuunt libenter, sed non spondent securum; imo vereri se, ne deprehendatur. Occultat se interim in fœno & stramine, ut potest; paulo post servus stabularius ingreditur, & nil suspicans, aut investigans, abit. Cervus gestire, & exilire præ gaudio, omnem periculi aleam evasisse putans: Monent boves ne abs re gestiat, aut gaudeat ante tempus; seruum stabuli incurium fefellisse haud difficile fuisse, at herum Aquilis & Lyncibus & vel ipso Argo oculatiorem, hoc tandem difficillimum. Non diu post, ingreditur herus, & conjectis huc illuc oculis videt cornua eminere in stramine, miratur, investigat, deprehendit Ceruum latitantem; vocat famulos, armati occurrunt, feram capiunt, quo innuitur sceleribus ac sceleratis latebras & effugia apud homines perstrui posse, apud Deum vero, minime: cujus oculis nuda & aperta sunt omnia,*

MENS FABVLÆ, SEV MORALE.

DEVS NIL NON NOVIT, TAM FALLI, QVAM FALLERE, EXPERS,

Probatur 1. & illustratur EX PROFANIS.

MENTEM Apologi, seu sententiam in capite præfixam, probat & illustrat celebris illa numinis descriptio, Trismegisti, qui roganti, Quid esset Deus? respondit, *Est Sphæra intelligibilis, cujus centrum ubique est, circumferentia verò, nullibi.* Quibus verbis cum Deum Sphæram facit principio & fine carentem, ejus significare voluit Æternitatem. Cum prædicat intelligibilem, naturæ ipsius summam simplicitatem. Cum centrum ejus ubique assignat, immensitatem Divinam, omnia pervadentem, cujus circumferentia nullibi existat, ut qui omnia contineat ac comprehendat, ipse à nullo contentus aut comprehensus.

In Pym.

Ex qua descriptione necessariò inferas Deum nil latere, ut qui omnibus rebus, locis, temporibus sit sua æternitate, existentia, immensitate præsentissimus.

Ab hoc sensu non distat Plinius, *Quisquis*, inquit, *est Deus quacumque in parte totus est sensus, totus est visus, totus est auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.*

Plin. l. 2. cap. 7.

Ita magnus ille Naturæ speculator, quanquam de Deo minus justè, constanterque sentiret, ipsum, ut tota ferme Gentilitas, cum Natura confundens, aut partem ejus præcipuam, mentem, scilicet Mundi, faciens. *Deus etsi definiri nequit*, ait Cicero, *tamen ita describi potest, Deus est mens universi; vel Deus est animus per immensas Mundi partes omnemque Naturam commeans atque diffusus.*

Cicer. de Arusp.

Eodem modo Seneca, *Quid est aliud Natura*, inquit, *quam Deus, & Divina ratio toti mundo partibusque ejus inserta? quia nihil Natura sine Deo est, nec Deus sine Natura, sed idem est uterque, nec distant officio*, & alibi, *Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? quod vides totum, & quod non vides totum.*

Senec. l. 4 de ben. c. 7. & 8. & in pref. l. 1. qq. nat.

Quo in errore Plinius est totus, alium à Mundo Deum non agnoscens. *Mundum*, inquit, *Numen esse credi par est æternum, immensum, neque geni-*

l. 2. c. 1.

Digitized by Google

tum, neque interiturum unquam, &c. Paulo post, *Sacer est, æternus, immensus, totus in toto, immo verò ipse totum, finitus & infinito similis, omnium rerum certus, & similis incerto: extra, intra, cuncta complexus in se, idemque rerum naturæ opus, & rerum ipsa natura.*

Quali Deo providentiam, eorumque quæ suos intra limites geruntur curam, scientiamque adimit, *irridendum verò,* ait, *agere curam rerum humanarum illud quidquid est summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemus ve?*

Cui sententiæ Poëta videtur accinere, sic Anchisen introducens filium Æneam apud inferos alloquentem.

Virgil. Ænei. 6.

Principio cœlum & terram, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet
Inde hominum, pecudumque genus.

Ita communiter illi, Deum non pro mundi opifice, seu Natura naturante, ut Theologi loquuntur, sed pro ipso mundi opificio, seu Natura sumentes: quanquam aliquando melius de Deo sentire videantur, & ad nos accedere, speciatim jam laudati supra.

lib. 2. de leg.

Sit hoc, inquit Cicero, *à principio persuasum hominibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque quæ geruntur, eorum ditione geri atque numine, eosque optime de genere hominum mereri; & qualis quisque nostrum sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat Religionem, intueri; piorumque & impiorum habere rationem,* quibus verbis quid Christianius dici possit, non video.

Seneca. Epist. 41.

Alter sapientiæ moralis antistes Seneca, sæpe à nobis in hoc opere consulendus, *quid prodest,* ait *ab homine esse secretum? Nil Deo clusum est, interest animis nostris & cogitationibus medijs intervenit.*

Item, *prope Deus est, tecum est, bonorum malorumque nostrorum observator & custos.*

Ita oculatiores Gentilium, numen credunt & sentiunt adesse ac præsidere rebus mortalium.

Vnde apud Poëtam Troës negati hospitij conquerentes.

Ænei. 1.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma;
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.

Et Poëta Lyricus.

Horat. l. 3. Car. Od. 4.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalésque turbas,
Imperio regit unus æquo.

Plut. lib. de placit. c. 7.

Nec errore, ut ipse allucinatur & seducitur Plutarchus, dixit aliquis.

Quod sit perenni vita aliquis vigens Deus,
Qui cernat ista, & audiat, atque intelligat.

Plut. in Pelop. & Pausan. l. 4.

Vnde de quodam Antalcida narrant, quod cum in Samothracia initiaretur, & rogaretur à Sacerdote, quid egregium in vita patrasset, respondit, *sciunt Dei.* Ineptum putans Diis se suorum commemoratione gestorum commendare cum sive diceret, sive taceret, id scirent.

Plut. in lacon.

Alius Lacon itidem sacris initiandus, rogatus quid impiè factum per omnem vitam sibi consciret, *Dij sciunt,* inquit; cum ille urgeret, ut dice-

Digitized by Google

ret, *Dijs, an tibi*, inquit: & ille, *Dis*: *secede igitur paulisper*, ait Lacon, *& Dis narrabo.*

Thales Milesius septem sapientium Græciæ; sapientissimus, dicebat homines existimare oportere, Deos omnia cernere, Deorumque omnia esse plena. Inde homines fore castiores ac religiosiores. Vnde percunctanti cuidam, an facta hominum Deos fallerent? *nequidem*, ait, *cogitata. Vt non solum manus, sed etiam mentes puras habere velimus, cum secretis cogitationibus cœleste numen adesse credimus.*

Apud Cicer. 2. de leg.

Laert. l. 1 & Valer. Max. l. 7. cap. 2.

Hinc est quod Ægiptij Deum appellabant, mundi oculum: scilicet qui universas mundi partes perlustret, & hyerogliphicè Deum significabant per oculum sceptro insistentem. Per oculum, intelligentes Dei Omniscientiam, Præsentiam, Providentiam; intuitum denique omnia pervadentem. Per sceptrum, ejusdem potentiam, regnum, dominationem. Sic Osyrim regem Ægipti inter Deos habitum, omnia prospectantem, iidem Ægyptij pingebant per sceptrum, cui oculus insculptus videretur, ait Macrobius & Plutarchus.

Pierius l. 33. ca. 5.

Addunt etiam, Phryges Deum qui omnia moderatur, pinxisse erecta virga Sole circumvestita.

Inde etiam est *quod Græci* θεὸν ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, *Deum à videndo nominant. Est* enim Deus, inquit Orpheus ἥλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἀκούει. Sol qui omnia videt, & omnia audit.

Macrob. l. 1. ca. 21. Plut. l. de Iside. & Osyr.

Alio argumento colligit Seneca, non solùm quod Deus videat, sed & quod undequaque audiat supplicationes mortalium, Numinis præsentiam ubique intentam; errorem Epicuri confutans, cui sic dicenti; *Non dat Deus beneficia, sed securus & negligens nostri, aversus à mundo aliud agit, aut, (quæ maxima Epicuro fœlicitas videtur) nil agit, nec magis beneficia illum, quam injuriæ tangunt,* respondet; *Hoc qui dicit, non exaudit precantium voces, & undique sublatis in cælum manibus vota facientium privata ac publica; quod profectò non fieret, nec in hunc furorem omnes mortales consentirent, alloquendi surda numina, & inefficaces Deos, nisi nossent illorum beneficia, nunc ultro oblata, nunc orantibus data, magna, tempestiva, ingentes minas interventu suo solventia.* Ita ille, sapienter quidem.

Sen. l. 4. de benef. cap. 4.

Eadem ratione Demonax Philosophus rogatus ab amico, ut secum in templum Æsculapij se reciperet, pro salute filij sui Deum oraturus, *adeone*, respondit, *surdastrum numen existimas, ut non nisi in templo non sit, auditurus?*

Eras. l. 8. Apoph.

Igitur attentam & pervigilem ubique locorum & temporum numinis Providentiam, insinuat fabula in capite præfixa de homine & Apolline; in qua dum impius ille putat oraculum fallere, & omnem divinitatis fidem expungere, videt cordis sui penitiora secreta reserata & occupata. Idem illa duorum adolescentum, & coqui, & tertia cervi, in stabulo boum, latebras quærentis, in quibus intellige homines criminosos, & multi sceleris reos, qui si quando humanos oculos & judicia effugiunt, divina tamen nec fallere nec effugere possunt. Quod etiam probat Herodotus historia cujusdam Archetimi Erythræi, qui cum Tenedum venisset, & apud quemdam Cydiam, hospitem suum auri magnam vim deposuisset, fidissimum ratus, expertus est proditorem & perjurum, is enim suggerente avaritia depositum apud se aurum reposcenti negavit, & cum inter se contenderent, visum est ut rei fides jusjurando probare-

Digitized by Google

Apud Stob. serm. 26.

tur. Cydias igitur cum tertio post die fidem suam Diis commissam juramento confirmaturus esset, dolo conscientiam furti & jusjurandi sic palliandam fallendamque constituit, omne aurum in excavatam ferulam inclusit, fascia qua parte manus amplectitur circumvolutam, quam sustentandi infirmi corporis colore tenens, stetit ante templum, quod juramenti sui conscium elegerat, ferulamque Archetimo dum juraret tenendam porrexit, manibusque elevatis dixit, accepisse quidem se depositum ab Archetimo, sed Diis & templo testibus reddidisse. His dictis graviter indignatus Archetimus ferulam in terram projecit, qua dirupta quidquid auri occultabatur, retectum est, ex quo manifesto inclaruit, numen non negligenter inspicere humana negotia. Cydias enim malum vitæ deinde exitum habuit. Claudat probationem hanc ex profanis poeta ad rem concinens.

Ovidius 1. de arte.

Expedit esse Deos, & ut expedit, esse putemus,
Dentur in antiquos thura merumque focos.
Nec secura quies illos, similisque sopori
Detinet, innocui vivite, numen adest.
Reddito depositum, pietas sua fœdera servet,
Fraus absit, vacuas cædis habeto manus.

Maneat ergo ubique gentium agnosci in hac mortalitate Numen præsens ac præsidens, quod res, facta, dicta, etiam cogitata mortalium pervigil intueatur, & preces secretissimas cordis ex omnibus terræ partibus audiat. Quod sequens pagina, & argumenta de scripturis efficacius demonstrabunt.

Digitized by Google

MENS FABVLÆ,

SEV MORALE.

DEVS NIL NON NOVIT,

TAM FALLI, QVAM FALLERE, EXPERS,

Probatur 2. & illuſtratur

EX SACRA SCRIPTVRA.

HVIC Picturæ ac Proſpectivæ divinæ mentis, ſub ſpecie Oculi, retro ſignatæ, oppido quam conſentit ſacra pagina; habes enim ſub ea Deum non ſemel viſum ſanctis Patribus. Ieremiæ, *Quid tu vides Ieremia, virgam vigilantem* inquit *ego video.* Et Deus, *bene vidiſti*; quo loco, pro vigilantem, legunt alij, oculatam, vel oculos apertos & vigiles habentem ego video. Quid enim eſt hæc virga vigilans niſi Divinæ mentis oculus pervigil omnia penetrans & colluſtrans? Cum igitur volueris æterni Numinis ſuper rebus humanis adumbrare vigilantiam, Providentiamque, pinge oculum vigilem, ſummitati virgæ inſidentem, & pro mente hæc ſacri vatis verba appinge. *Non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël.*

Ierem. 1.

Viegas in Apoc. c. 15. com. 1. ſect. 1.

Sic ante Ieremiam, Abrahamo, & Agar, ancillæ uxoris ſuæ, viſus; quorum prior, filium ſuum unicum Iſaac Deo jubente immolaturus, eodem gladium & manum retinente, locum tam præclari facinoris, Dei, & ſui, hac Epigraphe inſignivit *Dominus videt.* Quod lemma honoris cauſa loco manſit, & palam obtinuit, *in monte Dominus videt.* idcirco dictus, *mons Moria, ſeu mons viſionis.*

Gen. 22.

Et merito quidem, quippe concurrentibus veteris & novi Teſtamenti Oraculis, ut teſtantur ſancti Patres, & terræ ſanctæ indagatores in ea ipſa parte montis Moria, primus Homo fuerat ſepultus, & Iſaac incruenta victima oblatus, in qua ſecundus Adam Chriſtus cruci affixus, ſpectaculum exhibuit, Cœlo terræque mirandum; unde æquis oculis vidit cœleſtis pater, æternumque videbit, filium ſuum immolatum, Cœli hoſtimentum, & terræ piamentum; mutato nomine montis Moria, in montem Calvariæ, & remanente ſignificato ut ſit mons Calvariæ, mons viſionis, in quo non ſolum Dominus videt æternumque videbit; ſed & oculi Angelorum hominumque ſemper defixi intentique manebunt. Quod ſupra, referente Auguſtino, ſanctus Hieronimus Presbiter ſcripſit, ſe certiſſimè à ſenioribus Iudæorum cognoviſſe, quod ibi immolatus ſit

D. Hie. & Aug. l. 16 de c. d. c. 32. Burch. in deſcr. ter. ſ. & Gene. in ſua Chronol.

Digitized by Google

Isaac, & Adam sepultus, ubi postea Christus est crucifixus.

Lyran. Pererius. in Gen. to. 1.

Posterior vero, Agar scilicet, cum à facie Dominæ suæ per invia fugeret, ab Angelo revocata, Deo se videnti, beneficium revivificationis fœtus, ut volunt Hebræi, & reditus sui ac reductionis in domum Abrahæ ascripsit, dicens, *Tu Deus qui vidisti me,* « consolando & vivificando fœtum, exponit Lyranus. Et locum ubi salientis aquæ fonte recreata est, appellavit *puteum viventis & videntis.* Quo nomine ac Encomio, gratitudinis suæ sensum, & magnificentiā sui liberatoris altius efferre non potuit. Quid enim de eo nobilius dici possit quam si nuncupetur *Vivens & videns?* Ipse enim solus vivit ex se, & verè vivit, vita æterna, beataque, & est causa cur vivant, quæcumque vivunt: unde illæ voces. *Vivo ego, dicit Dominus, & vivit Dominus,* & apud Psalmistam, *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Insuper ut vivere sic & videre, est proprium Dei, seu hoc verbo intelligas Divinæ mentis scientiam omnia amplexantem, præsentia, futura, præterita, & fieri ac non fieri possibilia; seu effectum divinæ Clementiæ, humanis implorationibus occurrentis, & studia nostra occupantis; ipse est solus videns, nec solum videns, sed etiam in oportunitatibus adjuvans, unde dicat regius Psaltes, *Vides quoniam tu laborem & dolorem consideras.* q. d. duos oculos habes, alterum unde videas & consideres laborem mœrentis animæ, alterum quo ejus dolorem lenias. Hoc inquam sensit Agar, & Gratitudinis sensu pie tacta, puteum illum, ut monumentum divinæ in se beneficentiæ hoc præconio commendat. *Puteus viventis & videntis.*

Gen. 16.

Psal. 35.

Psal. 9.

Psal. 93.

Hinc appositè canit regius vates, *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* Eorum qui hæc dicunt stultitiam ac vecordiam perstringens, *intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite,* vel qui ibidem dicunt, *Non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob.* q. d. Psalmator hominis Deus qui tibi in capite aures inseruit, & aperuit oculos, certas animæ speculas, & fideles excubias, putas ignorabit quid intus fiat? intret? exeat? Ergo stulti aliquando sapite, dicente Siracida, *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita, sic & post perfectum, respicit omnia.*

Ecclesi. 23.

Hom. 17. in Ezec. & lib. 2. Mor.

Intimam hanc Dei in omnibus rebus præsentiam ipse in scripturis suis insinuat, cum dicit *Cœlum mihi sedes est,* ut bene expendit D. Gregorius, & cum dicit, *Qui Cœlum metitur palmo, & terram pugillo concludit.* « Vt indicaret, inquit, omnipotens Deus interiorem se esse, & superiorem omnibus, Cœlum ipse sibi sedem esse perhibuit; ut vero ostenderet se omnia circumdare, Cœlum metiri palmo & terram se asserit pugillo concludere:. ipse est interior & exterior, ipse inferior & superior; tegendo superior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior, sic est intus, ut portet, sic circumdat ut penetret, sic præsidet ut portet, sic portat ut præsideat. Manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam; inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. » Ita subtiliter Sanctus Pontifex.

Quod ex sacro Rhytmo sancti præsulis lectori suavius personabit.

Hildeb. Epis. Ce.

Alpha & Omega Deus
Cujus virtus totum posse,

Digitized by Google

Cujus sensus totum nosse,
Cujus esse summum bonum,
Cujus opus quidquid bonum,
Super cuncta, subter cuncta;
Extra cuncta, intra cuncta;
Super cuncta, nec subtratus;
Super cuncta, nec elatus;
Intra cuncta, nec inclusus;
Extra cuncta, nec exclusus;
Super totus, præsidendo;
Subter totus, sustinendo;
Extra totus, complectendo;
Intra totus in complendo.

Hinc patet quam sapienter Anna Samuelis mater in suo Cantico exultans dicat, *Deus scientiarum Dominus.* quod Theodoretus vertit, Deus cognitionum, quia nulla rerum cognitio Deum lateat. Propterea non dixit Deus scientiæ, ut notant Rabbini, sed scientiarum, in plurali, ut omnium rerum particularium etiam minutissimarum cognitionem illi affingant, quod vox Hebræa confirmat, quam Græca sequitur γνώσεων quod Ethymon Dei demonstrat; ut supra notavimus, & etiamnum latinum, quidam enim latinum nomen Deus à verbo Græco δαίω, quod aliquando significat scio, nosco, derivant. Deum enim omnis pagina sacra repræsentat ut oculum Mundi omnia collustrantem; unde D. Augustinus ait " Deus totus oculus est, quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia ubique est. ,,

l. 1. Reg. c. 2.

R. David

In ps. 120 & ep. 111 ad Fortun.

Ex his inferas quam bene Davidi insipientiæ arguitur, qui dicebat *In corde suo non est Deus, aut non videbit Dominus.* Aut Siracidæ, ille alius insipiente insipientior, cubilis sui transgressor, & temerator alieni, dicens, *Quis me videt? tenebræ circumdant me, parietes cooperiunt me, nemo circumspicit. Quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus*, talia effutientem corripit his verbis; *Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, & non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum, &c.*

Eccl. 23.

" Velis nolis, ait Augustinus, videt te, & ab ejus oculis non est ubi abscondas te; si enim in cœlum eas, ibi est; si in infernum descenderis, adest; laboras nolens decedere à factis malis, & volens non videri à Deo inveni quo fugias, ad Deum. ,,

Serm. 10. de verb. Dom.

Huic loco historiam quandam insero, & exscribo, tum quia ad rem quam tractamus quam aptissimè congruat, cum etiam quia magni nominis Auctoris sit, scilicet B. Petri Damiani S.R.E. Cardinalis doctissimi. "Quidam, inquit, alienam suem furtivè surripuit, & caveæ clandestinus inclusit, vir tamen ille pietatis operibus intentus. Interea adest dives Iesus in effigie pauperis, & tam prolixo jam crine deformis egebat arte tonsoris; ille protinus reverenter assurgens inter cætera humanitatis impendia, cæpit ipsum forcipibus attondere, sed dum tornat ac satagit, ecce reperit duos oculos in occipitio sub crinibus latitantes; expavit homo stupensque contremuit, & quid vellet esse quod cerneret pavidus inquisivit: cui mox ille. Ego, inquit, Iesus vocor, undique cuncta complector, & isti sunt oculi quibus etiam suem vidi, quam nuper in

l. 5. ep. 16 ad Landulphum.

Digitized by Google

cavea conclusisti, moxque disparuit. Ille protinus ad cor rediens divinam circa se clementiam recognovit, & quod inique præsumpserat, satisfactione purgavit.,,

In Apo. PP. Hebræor.

Huc etiam pertinet Apophtegma prisci Rabini. "Tria tibi, inquit, servanda sunt, ut nunquam in peccatum labaris. 1. Vt attendas oculum omnia videntem. 2. Vt aurem cui nec ipsum tacet silentium, in omni loco reverearis. 3. Vt cogites omnia & singula opera tua in libro scientiæ illius esse exarata.

Experti sunt Iudæi, majore sua dicam invidia, an verecundia, perspicaciam Divini intuitus in homine Deo, Christo, quandiu cum illis egit; retegente eorum cogitata, occupante responsa, cordis secreta propalante. Experti sunt ejusdem efficaciam, quotquot in suos ascripsit. Vt nescias utrum fuerint oculi Domini magis perspicaces, ac propitij, aut efficaces. *Vidit*, inquit Mathæus, *duos fratres Petrum & Andræam mittentes retia in mare*, & subinde alios duos *Iacobum & Ioannem reficientes retia, & vocavit*, fecitque de prensoribus piscium, piscatores hominum. *Vidit* similiter *Mathæum in Telonio*, & Apostolum fecit. Petrum negantem in atrio peccatorum, & fecit pœnitentem. Quid plura? Vidit Nathanael, & novit antequam illi visus aut notus, & stupenti rogantique, *Vnde me nosti*, respondit, *cum esses*, inquit, *sub ficu vidi te*. Quasi diceret, ait Augustinus nascentem te in peccato vidi, & elegi.

Ser. 10. de ver.

Denique quid est occultum oculis ejus? *Qui vocat ea quæ non sunt*, inquit Apostolus, *tanquam ea quæ sunt*. Si vocat, utique videt, quid enim quis nisi visa vocet? ut volunt Theologi, per vocationem intelligentes, cum S. Thoma hîc, simplicem Dei notitiam seu cognitionem, qua cognoscit futura. Ex quibus patet sufficienter propositæ sententiæ veritas, DEVS NIL NON NOVIT, FALLI, VT FALLERE, EXPERS, tam per se nota apud omnes, ut quisque eam in se sentiat experiaturque. Quod eleganter suo more Tertullianus. "Vultis, inquit, ex animæ ipsius testimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo, quia propriè verus hic unus Deus, bonus & magnus; &, quod Deus dederit, omnium vox est; Iudicem quoque illum contestatur, Deus videt, & Deo commendo, &, Deus mihi reddet. O testimonium (exclamat) animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, sed Cœlum respicit; novit enim sedem Dei vivi ab illo, & inde descendit.,, Hæc ille magnificé. Idem argumentum urget Arnobius,, Idem Minutius fœlix, idem S. Cyprianus, quasi à Magistro Discipuli repetunt iisdem ferè verbis, ut ab eo èxscribere videantur. "Nam vulgus, ait iste, in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui authoris, & principis admonetur; dici frequenter audimus, O Deus! & Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet, &, quod Deus vult, &, si Deus dederit,, sed de hoc satis.

Rom. 4.

S. Thom. in c. 4. ad Rom.

In Apol. cap. 17.

Lib. 2. côt. gen.

1. de Ido. van.

Digitized by Google

Titulus 2. DE DEO.

FABVLA De Arione & Delphino.

ARionem Chorinthium, Cytharœdum in primis nobilem, ferunt, cum ex Italia in patriam remigraret, à nautis in mare projectum (pecuniæ, quam artis suæ beneficio copiosè conflarat, potiundæ ergo) à Delphino dorso exceptum, gestatumque ipsis obstupescentibus undis, ad portum usque Tænarinum, cythara, ut casus invenerat, modulantem; seu quod fera illa hominem naturaliter amore prosequatur; seu cantus, & fidium dulcedine capiatur; eumque, eodem, quo appulerat apparatu, rectà ad Evandrum Regem Chorinthi sibi bene notum, amicumque, perrexisse; casus, sceleris, miraculi, seriem, auctores, ordinem, retulisse: qui rei novitate stupefactus, nautas, omne aliud suspicantes accersierit, & tùm præsentia Arionis, quem dudum fluctibus confectum crediderant, tùm criminis conscientia, perculsos, convictosque, extremo supplicio vindicarit. Ex quo patet, sub Deo Iudice omnia cernente, nullas sceleribus latebras perstrui posse, quas in lucem aliquando non eruat, revelet, & vindicet.

Mens Fabulæ seu Morale,

DEVS OCCVLTISSIMA QVÆQVE SCELERA PRODIT AC DETEGIT.

Probatur I. & illustratur ex Profanis.

QVOD de Brasida quodam refert Plutarchus, scilicet, quod cum in prælio fuisset vulneratus, hasta seu telo illicò extracto è vulnere ipsum percussisset, necassetque, à quo fuerat telum immissum, id de Divina Iustitia non ineptè dici potest, ita enim nobiscum agere videtur Deus, ut quoties scelere nostro stultitiaque ipsum petimus, retorto in nos spiculo feriamur; seu clam, vindice intus conscientia, secundum Satyricum. *I. Deferanum.vin.*

Ex templo quodcumque mali committitur, ipsi
Displicet auctori. Prima est hæc ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absolvitur: improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urna.

Iuuen. Sat. 13.

Seu, quod aiebat Euripides, laneo pede & lento reis ipsa tandem occurrat Divina Iustitia. *Euripid.*

Tacita lento tardoque adrepens pede
Suo malos aliquando tempore obruet.

Digitized by Google

Præsertim verò ita nobiscum agit, ut magnorum quorumcumque criminum veritas, quæ mersa jacebat in puteo, tandem aliquando emergat, & in lucem prodeat.

Ovid. 11. Metamo.

Id in fabula Midæ, Poetæ insinuatum voluere, quem Asininis auribus in pœnam iniquæ sententiæ mulctatum ferunt ab Apolline, quæ licet occultissimæ essent, nec ulli mortalium nisi tonsori notæ, is tamen cum rem tam inauditam, nec prodere auderet, nec omnino silentio comprimere posset, fossam ingressus intus proclamavit, *auriculas Asini Midas habet*; sed terræ creditum licet elingui secretum, diu latere non potuit, Arundines enim quæ propè nidificabant ferunt, vocem percepisse, & per inane declamitasse ac promulgasse, *auriculas Asini Mydas habet*; unde, reges vitia sua & probra quantalibet secreti munitione imperati obtecta, sciant in publicum propalari; quanto magis cæterorum hominum?

Quod eleganter describit Poeta Satyricus.

Iuuen. Sat. 9.

secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant? jumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora: claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen
E medio, clament omnes, propè nemo recumbat,
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet, audiet & quæ
Finxerunt pariter Librarius, Archimagiri, &c.

Eapropter optimè concludit:

Vivendum rectè, cum propter plurima, tum his
Præcipuè causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars pessima servi est.

Epi. 105.

Idem eleganter Seneca Philosophus. *Nemo quod audierit tacebit: nemo quantum audierit loquetur; qui rem non tacuerit, non tacebit authorem; habet unusquisque aliquem, cui tantum credit, quantum ipsi creditum est; ut garrulitatem suam custodiat, & contentus sit unius auribus, populum faciet: si quod modo secretum erat, rumor est. Securitatis magna portio est, nihil iniqui facere.* Sic apud

Senec. in Hippoc. actu 1.

Tragicum nutrix Phœdræ conjugis Thesei depereuntis Hyppolitum privignum suum, ut à nefario eam amore dehortaretur, proponit divulgati certissimam infamiam criminis.

Si quod maritus supera non cernit loca,
Tectum esse facinus credis, & vacuum metu?
Erras. teneri crede Lethæo abditum
Thesea profundo; ferre perpetuam Stygem,
Quid ille lato maria qui regno premit,
Populisque reddit jura centenis pater?
Latere tantum facinus occultum sinet?
Sagax parentum est cura, credamus tamen
Astu doloque tegere nos tantum nefas;
Quid ille rebus lumen infundens suum
Matris parens? Quid ille qui Mundum quatit
Vibrans corusca fulmen Æthnæum manu
Sator Deorum? Credis hoc posse effici
Inter videntes omnia, ut lateat avos?

Digitized by Google

Negata magnis sceleribus semper fides.

Tandem concludit

Quid poena præsens, consciæ mentis pavor;
Animusque culpa plenus, & semet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.

Quam ultimam sententiam Seneca, non raro repetit in Epistolis suis ad Lucilium, quo magis assentirer doctissimis Delrio, Scaligero, Lipsio, & aliis, qui existimant Tragœdum Senecam non esse alium à Philosopho. Sic enim ille Lucilio suo, *Eleganter ab Epicuro dictum puto, Potest nocenti contingere ut lateat, latendi fides non potest. Ideo non prodest latere peccantibus, quia latendi etiamsi facultatem habent; fiduciam non habent. Ita est, tuta scelera esse possunt, secura esse non possunt.*

Epist. 97.

Quibus addendum puto, ut proposito Morali ac Fabulæ satisfaciamus, non eam esse solam peccatoris pœnam, ut perpetuo conscientiæ flagello vapulet, sed etiam quod criminis latebræ ipso superstite discutiantur, ac pervincantur: id uno aut altero exemplo juvabit ostendere.

Bessus quidam Plutarcho referente patrem proprium necaverat, quod scelus diu latuit, quoad usque aliquando ad hospites quosdam foras cœnatum ivit, quo loci forte nidificaverant hirundines, solita garrulitate strepituque importunæ. Ille avium garritu offensus, quasi furens surgit à mensa, & incussa hasta nidum evertit, decidentesque pullos interficit; querentibus qui aderant convivis, quanam re impulsus id ageret, & tam crudeliter in aves innocuas sæviret, respondit, *& nunquid audistis*, inquit, *quomodo ex quo huc accessi non cessarunt me accusare, garrire, obijcere, patris mei me interfectorem esse?* Quo responso illi magis in stuporem acti, rem ad Regem deferunt, qui his & aliis indiciis re comperta, parricidam meritis pœnis affecit.

Plut. lib. de sera num. vin.

Idem auctor aliud memorat, non minus admiratione dignum de Ibico Poeta Lyrico ex urbe Rhegio, qui cum in sicarios ac latrones incidisset, & ab eis ruri remotis arbitris jam occidendus foret, Grues forte supervolitantes conspiciens, dicitur eas obtestatus, ut suæ necis testes essent ac vindices. Occiditur, cadaver confossum exponitur, auctor nescitur. Mira res! aliquanto post, cum homicidæ in foro assiderent, & supervolantes forte supra se Grues viderent, cœpit alter alteri dicere, *Ecce testes & ultores Ibici*: quæ vox à circunstantibus excepta refertur ad Iudices, quorum jussu illico rapti, & de indicio interrogati, primo titubantes, & sibi male conscij, dein tormentis subacti scelus confessi sunt, & morte affecti: dantes locum proverbio *Ibici Grues*, quod dici consuevit, quoties scelerati ex improviso, & quasi Divino indicio proditi, de occultis sceleribus pœnas luunt. Meminit hujus Adagij Ausonius.

Plut. lib. de garru.

Ibicus ut perijt, vindex fuit altivolans Grus.

Confirmat hanc veritatem D. Ambrosius quadam historia quam hic attexo, ut rem non sacram, licet ex auctore sacro. Quidam Antiochiæ comitante cane sub crepusculum vespertinum via publica incedens à nefario milite prædam inhiante obtruncatus est. Miles antequam dilucularet in abstrusum urbis locum secessit. Iacuit cadaver, publicum spectaculum, assedit canis fidus comes, questu lachrimabili deplangens herum, circum turba populi ingens: cædis auctor, ut omnem à se criminis suspicionem amoliretur, turbæ se fervidus immiscet, spectaturus, quem

D. Amb. l. 6 Hexam. c. 4.

Digitized by Google

canis defuncti ubi in turba confertissima conspicatus est homicidam, *sequestrato* (verba sunt S. Ambrosij) *paulisper questu doloris, arma ultionis sumpsit, atque apprehensum tenuit, & velut Epilogo quodam miserabile carmen immurmurans, universos convertit in lachrymas; fidem probationi detulit, quod solum tenuit ex plurimis, nec dimisit. Denique perturbatus ille quod tam manifestum rei indicem neque odij, neque inimicitiarum, neque invidiæ aut injuriæ alicujus poterat objectione evacuare, crimen diutius nequivit refellere.* Quo exemplo, & aliis præallatis, liquidò apparet, quam execranda sit innoxij sanguinis effusio, quam tacentibus ignorantibusque hominibus muta animantia produnt, ac persequuntur; aut ipsa ne effundatur impediunt, induuntque erga hominem misericordiæ viscera, quam sui similes exuerunt.

Quod Fabula præsens Arionis & Delphini manifestat, si fabula est, aut historia, in qua quid potius mirere, aut quod tanto miraculo Deus hominis saluti voluerit providere; aut quod nocentum crimen mediis è fluctibus maris & vorticibus prodere; astruendæ hujus veritatis causa, Deum occultissima quæque scelera quibusvis è tenebris liberare ac detegere.

Concludamus rem nostram, recludi abstrusissima quæque scelera, non solum prodente Deo, sed vel ipso homine peccatore, aurea Senecæ sententia. *Securitatis*, inquit, *magna portio est nihil iniqui facere; confusam vitam, & perturbatam impotentes agunt, tantum metuunt, quantum nocent. Nec ullo tempore vacant, trepidant enim cum fecerunt, hærent, conscientia aliud agere non patitur ac subinde respicere ad se cogit, dat pœnas quisquis expectat, quisquis autem metuit, etsi non deprehenditur, posse deprehendi, & inter somnos movetur, & quoties alicujus scelus loquitur, de suo cogitat, non satis illi obliteratur, videtur non satis tectum. Nocens aliquando habuit latendi fortunam, nunquam fiduciam.* Tale est tormentum animæ sceleratæ, quod in se sensit & descripsit Ovidius.

Senec. Epi. 105.

Ovid. 1. de Pont. ad Brut.

Pœnitet ô si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cumque sit exilium, magis est mea culpa dolori,
Estque pati pœnam quàm meruisse minus.
Vt mihi Dij faveant quibus est manifestior ipse:
Pœna potest demi, culpa perennis erit
Mors faciet certè ne sim, cum venerit, exul,
Ne non peccatum mors quoque non faciet.
Mors igitur mirum est, si mens mea tabida facta
De nive manantis more liquescit aquæ.

Digitized by Google

DEVS OCCVLTISSIMA QVÆQVE SCELERA REVELAT.

Illustratur 2. ex sacra Scriptura.

SVFFRAGATVR abundè huic veritati scriptura, Deum occulta quæque scelera resignare. *Non dicas*, inquit sapiens Siracides, *adeo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur, in populo magno non agnoscar. Quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?* Et Propheta Isaias, *Væ qui profundi estis corde, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt. Quis nos videt, & quis novit nos? perversa est hæc vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, &c. Non intelligis. Ipse revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta*, inquit Daniel.

Eccles. 16

Isaiæ. c. 29.

Iob de impio loquens, *Revelabunt*, inquit, *Cœli iniquitates ejus, & terra consurget adversus eum.* Et Propheta Nahum Ninivæ comminans, & exprobrans iniquitates suas ex parte Dei, sic habet. *Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, revelabo pudenda tua in facie tua, & extendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & projiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam & ponam in exemplum.* Pluribus abstineo quæ passim in sacra pagina ubique occurrunt in hunc sensum.

Iob. 20. Nah. 3.

Exemplis jam & conceptis Scripturæ agendum. Absconderat se Adam & peccatum suum, uxore sua, sola criminis conscia, quæ & socia; uterque delibati ligni foliis, nuditatis suæ ac sceleris verecundiam operuisse putabat. *Cum cognovissent*, inquit sacer textus, *se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Sed quid oculis Dei hominum offuciæ & latebræ, nam perspicacissimus Iudex illico de reatu inquirit, & de reis supplicium sumit.

Gen. 3.

Cain totius humanæ massæ prima delibatio, patre facinorosior, in fratrem insurgit, eductumque foras, ut scelus vacaret indiciis, crudeliter interimit, & ut corpus humi alte defossum erat, sic opus sine arbitris tectum securumque credebat, sed vocem sanguinis nequivit compescere, quo de terra clamante, fratricidij sententia damnatur, & nota inustus à facie Domini vagus ac tremens aufugit.

Gen. 4.

Quas latebras, quæ effugia & diverticula David intentata reliquerat, ut secreti adulterij, & homicidij vestigia expungeret; quod tamen utrumque confestim in oculis solis propalatum grandi pœnitentia vindicatum est.

2. Reg. 12

Lascivi senes qui castæ Susannæ pudorem frustra tentaverant, & amore in furorem verso ut adulterij ream morti adjudicaverant, arcanum communis sui flagitij in tuto conclusisse videbantur, nisi oculus desuper advigilasset, qui *numquam dormitabit aut dormiet custodiens Israël*, qui illorum scelus, & hujus innocentiam, retexit.

Dan. 13.

Quod magis stupeas & mirere, scelus Adam folia quibus se contexit, detexerunt. Cainum terra, in cujus sinum corpus demortui fratris conscientiamque deposuerat, os suum ad Deum aperuit. David à proprio

Digitized by Google

filio actus in culpam, suo se ore condemnavit. Pro Susanna suscitatur Daniel; qui puer judicavit senes; plebeius Iudices, innocens reos, verus mendaces, mortique addixit, ut manifestè appareat cunctis mortalibus, occultissima quæque scelera Deo prodente revelari, ac vindicari.

Primus Rex Israël, Saül, multis Amalecitarum Primatibus, & ipsi Regi pepercerat, quos ad unum Dominus jusserat cum omnibus animantibus, & tota supellectile, ferro aut igne consumi. Et victoria elatus Carmelum montem ascenderat, ac erecto in eo triumphali arcu, insolescens putabat hoc apparatu gloriæ sibi nomen facere, & inobedientiæ apud Samuelem culpam obscurare, aut Divini prætextu obsequij facti invidiam depurgare, unde accedenti ad se Prophetæ obvius, factum & vultum mentitus, ait, *benedictus tu Domino. Implevi verbum Domini.* Ad quem statim Samuel, *Et quæ est hæc vox gregum quæ resonat in auribus meis, & armentorum quam ego audio?* Miror hic incautam peccatoris audaciam! Ecce dum Saül suo se ore jactat de Divini executione mandati, mendacij arguitur, & per tot ora, & voces convincitur, quot in armentis servatis mugiebant boves, equi hinniebant, aut in gregibus oves balabant, quot denique diversorum animalium cõfusi clamores audiebantur.

I. Reg. 15

Propterea monebat sapienter Ecclesiastes, *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, quia & aves portabunt vocem tuam.* Vbi adverte sapientem hic loqui de verbo sola mente concepto, adeò secreto, ut nemo audierit, & cogitationis instar sit, quæ detractio esse nequit, dicit tamen aves id revelaturas, ac prodituras, ut confirmet quod Dominus ait in Evangelio, *Nihil est opertum, quod non revelabitur, neque absconditum, quod non scietur.* Cujus rei ratio Iob non fuit ignota, *Omne pretiosum,* inquit, *vidit oculus ejus, profunda quoque fluviorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem.* Sic enim nihil est oculis Dei impervium, ut laudes justi si homines taceant, bruta ipsa loquantur, & inanima, vocalia fiant: dicente de seipso Domino, *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Eadem ratione de impio, *Iniquitates ejus etiam irrationabilia, & inanima prædicabunt.*

Eccl. 10.

Iob. 28.

Luc. 19.

Hoc confirmari non operosè poterit duobus scripturæ locis. Primò quidem ex Ieremia, capite secundo; ubi populum Israël de falsa fucataque justitia præsumentem sic coarguit. *Quid niteris,* inquit, *bonam ostendere viam tuam, &c. Ecce in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum,* vbi posuit, alis pro vestibus, ut communiter interpretes, quod enim alæ avibus, hoc vestes homini quibus operitur, & circundatur: metaphora sumpta ab avibus rapacibus, uti sunt Milvi, aut Accipitres, & alia id genus, quarum alis & pennis sanguis avium quas devorant, adhæręscit. Dicit ergo Propheta: falsò te ac perperam pallio sanctitatis operire putas, ut legalium pompa & observatione sacrificiorum, & operum, Deus enim qui *scrutatur Ierusalem in lucernis,* cum ad te applicabit lucernam, cum interiora tua scrutabitur consilia, cogitationes, verba, opera, cum vestes succutiet, earumque flexus ac sinus explicabit, *Tunc in alis tuis invenietur sanguis animarum pauperum,* piorum scilicet hominum, quos exsuxisti; Prophetarum, quos trucidasti; inopum quos spoliasti sine numero, sicut re vera, temporibus Manasses contigit, de quo dicitur 4. Regum, *Sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os, &c.*

Iere. c. 2.

V. Corn. al ex.

4. Reg. c. 21.

Nec minori cum fundamento poterit hoc referri ad rapinas secretas, quibus

quibus potentiores, lucris servientes, & suis desideriis, opprimunt pauperes, ut divites fiant & abundent; qui quanto plus de fortunæ donis in auro luxuriant, eo amplius occulta scelera & ulcera, quibus sibiipsis intus scatent & fœtent, putant quasi vero nitore oblita. Fingamus igitur hæc verba seu sententiam objici, exprobrarique diversis hominum statibus: V. c. Magnatibus nobilium qui in avibus, equis, canibus, curribus, in multitudine servorum multas opes profundunt & luxuriant, *In aliis tuis inventus est sanguis pauperum.* Nunquid vero similius erit has aves, equos, canes, comparatos esse, aut ali censu, fœno, pane, sudore pauperum? pusillorum? subditorum? Interrogemus Iudices, Caussidicos, aliosque fori ac justitiæ ministros, de quorum nutu, & arbitrio vita hominum, & fortuna pendet; qui in amplis vestibus sericis, aut purpura gloriantur, & splendent, quid si accuratius inspiciantur? Si vestes illæ cominus premantur, nunquid non ex illis sanguis excutietur, & fluet, pupillorum, & viduarum? & pauperum? iniquis ac fraudulentis Iudiciis expilatorum? quibus illud Isaiæ conveniat, *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos.* Isai. 1.

Descendamus ad Mercatores sæculi potentes, qui terra marique negotiantes, *ac lucris inhiantes, undique divitias colligunt*, quos solos videas Nobilium ac Principum prædia, domos, palatia, antiqua, comparare, aut nova eaque splendida inædificare, uxores eorum, filias, nurus, auro, argento, gemmis, collucere, quarum sic supellectilem copiosam, familiam, luxumque grafice describebat Psalmista. *Filij*, inquit, *sicut novellæ plantationes in juventute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis; boves eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, &c.* Iam quæso te, si quando pretiosissimas illas vestes, tam longo tractu, quàm fastu terram verrentes; si supellectilem, mensas, fercula, omnemque domus luxum premat Deus, nunquid non sanguinem exprimet pauperum de rapinis, usura, fraudibus, conflatum? ut dicat meritò in indignatione sua, *In aliis tuis inventus est sanguis pauperum.* In eumdem ferè sensum incidit alius locus apud Habacuc, ubi postquam multis culpavit avaritiam & rapinas multiplices primatum & populi Israël, hujusmodi & aliis verbis, *Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes: Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, &c.* sic tandem comminatur: *Quia lapis*, inquit, *de pariete clamabit, & lignum quod inter juncturas est ædificiorum respondebit*: quasi diceret, rapinas quas exercuisti, divitias malas quas parasti, domos & palatia, quæ ex alieno, & furtis ac latrociniis ædificasti, etiamsi nemo sciret, nemo adverteret, lapides ipsi medio de pariete clamabunt, vociferabuntur, exprobrabunt; & ligna ipsa, & trabes firmandis parietibus commissæ, publicabunt iniquitates tuas, furta, rapinas; ut de facto comprobes, Deum occultissima quæque revelare. Psal. 143. Habac. c. 2.

Digitized by Google

Titulus 3. DE DEO.

FABVLA
de Mure, & Rana.

MVS contracta amicitia cum Rana, eam invitavit ad cœnam, in ædibus hominis prædivitis, ubi cum non solum ciborum copia, sed & delectus suppeteret, dixit Rana, Epulare, bibe, comede amica mea. Post aliquot dies Rana, ut vicem gratitudinis redderet, Murem invitavit apud se; morabatur autem in arboris trunco, media in palude: quò cùm Mus non nisi natando accedere posset, Sine, inquit Rana, ut filo pedem tuum meo alligem: quo facto saltant ambo in aquam. Rana amicitiæ & hospitalitatis oblita in profundum prosiluit, pereunte in aquis Mure; qui moriens dixisse fertur: O perfida & ingrata bestia! quando tu mihi causa mortis es, scito me non inultum fore, sed à potentiori brevi vindicatum iri. Quod citò probavit eventus: nam prætervolans Aquila, Murem conspicatus super aquas fluitantem, ungue prehendit, simulque Ranam filo adhærentem asportavit, & utrumque devoravit, Diis sanguinem innoxium noxio vindicantibus.

De Ape & Iove.

APes, Ceræ artifex, Diis sacra faciens favum mellis Iovi obtulit; quod in tantum ei placuit, ut Api concederet, quod quidquid peteret, obtineret. Illa igitur petiit, ut quisquis hominum ad alveare pro melle furando accederet, stimulo punctus interiret. Displicuit Iovi tam inhumana postulatio, ut cui homo sit propriæ impressione imaginis illustrior longè, & charior; cùm etiam quia ipse cædis humanæ vindex est; imò aculeum Api ea lege permisit, ut si quem pungens, aculeum in vulnere linqueret, illico ipsa periret. Ex quo patet quantum à sanguine humano abhorreat Deus, ut illico vindicatum velit.

Digitized by Google

Mens Fabulæ seu Morale,

SANGVINIS INNOXII VLTOR EST DEVS.

Probatur I. & illustratur ex Profanis.

HÆc Æsopi fabula, una ex illis est quas ille Delphicis, qui eum lethaliter oderant, & falso crimine carceri prius mancipatum, deinde eductum, ad præcipitium rapiebant, nequicquam miserentes dixit, prædicens Regem Babilonis, & Græciam omnem ab eis de sua morte pœnas, ut de facto contigit, imo Deos ipsos reposcituros: nam ipso defuncto, gravi pestilentia castigati, Oraculo moniti sunt, ut si salvi esse vellent, Æsopi mortem expiarent; cui propterea Cyppum publicis expensis erexerunt, Manibus ejus pro neco, ei injuste illata, litantes. *Addunt, Primates Græciæ, in auctores ipsius gravissimis pœnis* animadvertisse, unde probatum evidensque fuerit, Deum esse sanguinis innoxij vltorem.

In vita Æsopi.

Hoc ut significarent antiqui Nemesim Deam finxerunt scelerum ultricem, & meritorum præmiatricem, Iovis filiam & Necessitatis, cujus sedem Ægiptij supra Lunam constituerant, unde velut ex edito, & specula, res & facta mortalium prospectaret; eam Aristoteles admittit, libro qui de Mundo inscribitur.

Aristot. l. de mũdo.

"Hujus Deæ Phidiaca statua fuit apud Athenienses, cujus in capite erat corona, in Cervos incisa, cum victoriæ sigillis quæ læva fraxinum gestabat, ac dextra Phialam cum Æthiopibus cælatis, ut scribit Pausanias. Coronam dederunt, quod omnibus præsit Nemesis. Cervos, quia timidos reddit, quos semel percussit. Fraxinum tenet, quia bella ob temeritatem excitet; habet victoriæ sigilla, quia semper vincere soleat. Phialam cum Æthiopibus inclusis, quia neque ad ultimas quidem Æthiopiæ partes, & ad Oceanum profugisse confert, ubi Dei ira accensa fuerit, cum Nemesis in mari, & ubique imperium habeat, & vindicet.

Natal. Comes in f. Myt. l. 9. c. 19.

Plures Nemeses colebant Smyrnæi, quo plures plectendorum impiorum hominum rationes divinitus mitti significarent, pro varietate criminum." Hæc Natalis Comes.

Alij eandem pingunt frænum manu tenentem, & altera Cubitum, seu mensuram quandam, ut indicarent Divinam justitiam magnum esse frænum mortalibus, cæterum omnia cum pondere & mensura facere, ut bene Tragicus.

Sequitur nocentes ultor à tergo Deus.

Senec. in Agam.

De eadem Horatius,

O diva gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus; vel superbos
Vertere funeribus triumphos, &c.

Hora. l. 1. Od. 35.

Te semper anteit sæva necessitas
Clavos trabales, & cuneos manu
Gestans ahena: nec severus
Vncus abest, liquidumque plumbum.

Idem l.3. Od.2.

Et libro 3. *Sæpe diespiter*
Neglectus incesto addidit integrum,
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Propterea idem, causam belli civilis, & tanti effusi sanguinis Romani sceleri fraternæ necis attribuit.

Epod. 7.

Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date,
Tacent: & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent,
Sic est: acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis;
Vt immerentis fluxit in terram Remi,
Sacer nepotibus cruor.

Plu. l. de sera.nu. Vind.

Inde illud Biantis, cuidam scelerato, dicentis, *Non metuo ne tu non sis daturus pœnas, sed ne ego id non sim visurus.* Nam bene Euripides, in sceleris dissuasionem à Plutarcho refertur his usus verbis,

Euripidis

Injuria nos afficere nunc hi adveniunt,
Ne metue, bile ferveant licet atra
Mortalium nec cæterarum acta improba
Tacita siquidem tardante quoque pede
Fortuna corripiet malos in tempore.

Quid autem refert facinoroso, si tardo, aut cito pede veniat vindicta, si tandē venit, & tarditatem pœnæ, supplicij gravitate compensat?

Plutar.

Illi enim insulsè omninò, ex mora & cunctatione vindictæ in Divinam Providentiam insurgunt, aut ejus fidem minuunt. "Quid enim (inquiunt apud Plutarchum, libro supra citato) Messeniis antea interfectis, Aristocratis profuit supplicium? Qui cum illos Cypriaco bello prodidisset, & supra viginti inde annos delituisset, tandem deprehensus delicti pœnas dedit. Neque Orchomenij illi qui ab Lycisco proditi, patria liberis & amicis spoliati sunt, ullum tulere solamen. Non enim amplius supererant, cum proditoris corpus succedente tempore multis frangeretur ægritudinibus, adeoque succederetur, ut identidem pedes abluere, ac fluvio immergere cogeretur, juraretque atque fateretur, hæc illi ob proditionem, & injurias accidere. Hæc inquam illi male, quasi divina Nemesis seu Vltrix ira (ut, humana) non nisi in voluptate læsi sit, & non potius ut cuique crimini sua pœna sit? sceleratos autem tandem aliquando in molares Deorum incidere, indubitatum, ut omnis ævi monumenta testantur, quamvis plerumque à patrato scelere è vestigio puniantur. Vnde Satyricus

Iuvenal. sat. 13.

Cur tamen hos tu
Evasisse putes quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit?
Pœna atem vehemens, ac multo sævior illis
Occultum quatiente animo tortore flagellum

Digitized by Google

Quas & Caditius gravis invenit, & Rhadamanthus
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Idem noster Seneca, non uno in loco eleganter dicit, *Nullum scelus licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est; sed nihilominus, & haec & illa, secundae poenae premunt, ac sequuntur, timere semper, & expavescere, & securitati diffidere. Consentiamus mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentum esse, eo quod perpetua illam sollicitudo urget, ac verberat, quod sponsoribus securitatis suae non potest credere.*

Senec. Epist. 97.

Haec igitur prima peccantium poena est, & ineluctabilis quam propria conscientia irrogat, quocumque se loco, aut negotio divertant, quod sic Poeta Lucanus describit.

Lucanus.

Nocte dieque suum gestare in pectore testem
Hunc omnes gladij quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies stringente Senatu
Illa nocte premunt; hunc infera monstra flagellant
Heu quantum misero, poenae mens conscia donat!

Quanquam Divina ultio lento illo, occultoque supplicio ac tortore non contenta, sanguinis conscios saepius violenta morte occupet, cujus rei exempla abundant.

Mitius Argiuus cum in seditione fuisset interemptus, & à nullo occisor quaereretur ad poenam, ab aenea ipsius statua, quae in foro Deae erat, cadente interemptus est.

Plut.

De Theodoto Ptolemaei Ægipti Regis praeceptore ferunt, quod cum Pompeium interfici suasisset, quia mortuos dicebat non mordere, imo se Iulio Caesare in Asia fortiorem jactaret; invenit tamen qui eum pro mortuo remorderet, nam à Bruto qui Pompeij & Reip. causam tutabatur, deprehensus, meritas alieni sanguinis poenas, suo luit.

Plut. in vita pom.

Fuere, ait Suetonius, *qui semet eodem pugione, quo Caesarem violaverant, interemerunt.* Quod de Gordiano Imperatore Codrus observavit, quod quicumque illum gladio appetiverant, qui novem fuisse dicuntur, iidem se sua manu, & iisdem gladiis, quibus eum percusserant, interemisse dicuntur.

Seneca de Alexandro, Pompeio, Mario, viris ambitiosissimis verba faciens, ait, *cum multis fuerint mali, pestiferam illam vim, qua plerique nocuere, ipsi quoque sentiunt.* quia paucos invenies sanguinarios qui multum sanguinem alienum suo non luant.

Epist. 94.

Huic proposito confirmando occurrit historia, quam refert Cicero his verbis, *Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent; & Megaram venissent, contigit alterum ad Cauponem divertere, ad amicum, alterum Qui ut coenati quiescerent concubia nocte, visum est in somnis, ei qui erat in hospitio, illum alterum orare ut subveniret, quod sibi à Caupone interitus pararetur; eum primo perterritum somnio surrexisse, deinde cum se collegisset idque visum pro nihilo habendum esse dixisset, recubuisse. Tum ei dormienti eumdem visum esse rogare, ut quoniam sibi vivo non supervenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur. Se interfectum in plaustrum à Caupone esse conjectum, & supra stercus iniectum, petere ut mane ad portam adesset priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio commotum, mane Bubulco praesto ad portam fuisse, quaesisse ex eo quid esset in plaustro, illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse; Cauponem re patefacta*

Lib. 1 de Divin. & val. max. de somn.

Digitized by Google

pœnas dedisse. Claudit narrationem suam his verbis Cicero *Quid hoc somnio Divinius dici potest?*

Sed enim si ad recentiora venire liceat, & Annales nostros consulere, exempla non deficient, quibus probetur sanguinis innoxij Deum esse ultorem districtissimum. Vno aut altero impræsentiarum id ostendamus.

Dupl. in vita Phil. pulchri.

Regnante in Gallia Philippo IV. cognomento pulchro, seu bello, anno Christi 1313. cum gravissimæ persecutionis procella in ordinem Militum Templariorum, qua penitus extinctus est, exorta esset, seu jure, Decreto Concilij Viennensis, & Clementis V. Pontificis, (Regiis cupiditatibus, ut dicunt plus æquo tunc servientis,) seu injuria, movente totam hanc tragœdiam Regia Majestate, cum ubique terrarum, & maxime in Gallia Templariorum bona proscriberentur, & personæ conquirerentur ad necem, & cuncta Tribunalia eorum sanguine imbuerentur, pars igne absumeretur, aliisque alia atrocissimis supliciis, pauci evaderent, quos horror suppliciorum, & impunitatis promissio, si faterentur objecta crimina, in suummet caput, innocentiamque loqui cogebat, restarent duo Ordinis proceres, scilicet du Molay supremus Magister Ordinis, & frater Delphini Viennensis, in negatione impositorum scelerum constantes, illi cum mallent quibusvis tormentis vitam finire, quam illicita confessione se, & suos maculare, lento igni subjecti sunt, & coram infinita multitudine, suam Ordinisque innocentiam contestati, dictus du Molay Ordinis, caput, Pontifici, & Regi diem indixit, intra anni curriculum, ante Tribunal Christi, comparituris.

Nec vana aut irrita provocatio, nam is undecimo die Martis consumptus est, quem Papa vigesimo Aprilis sequentis, Rex vigesimo nono Novembris, eodem anno 1314. ad judicium secuti sunt.

Argent. hist. Brit. lib. 12.

Non absimile huic tremendi judicij casum refert, rerum Armoricarum non ignobilis scriptor Bertrandus Argentræus, ad annum 1450. quo tempore cum Franciscum I. Ducem Britanniæ inter, & Ægidium Principem fratrem suum, gravissimæ simultates præcessissent, & hic à fratre falsis criminationibus oppressus, longo carceris squallore, & inedia in Castello de la Hardoüinaye strictissime inclusus, fame maceratus in extremis devenisset, & cujusdam vetulæ opera, quæ eum clam aliquo tempore sustentaverat, cuidam Confessario Ordinis S. Francisci sacram Exomologesim fecisset, ipsum data fide obstrinxit, ut statim post obitum suum ducem adiret, & nomine suo diceret; quod quia nulla sanguinis proximitatis, & suæ innocentiæ habita ratione, eum crudeli & acerba morte interemisset, sciret à se citatum intra 40. dies coram supremo omnium Iudice comparendum. Adivit Ducem Franciscanus, citavit, ut dictum est, & intra præfixum terminum subita tabe Dux confectus, obijt. Hæc ille, ex quo Deum innoxij sanguinis severissimum Iudicem & Vindicem agnoscas.

Anno Do. 1535. 6. no. Iul.

Quod & ultimo vox sanguinis Illustrissimi totoque orbe Christiano celebris Martiris Thomæ Mori contestatur, cujus rei tumulus ipsius fidem facit.

Quis jacet hic truncus? cujus caput ense recisum est?
Quæ natat in tetro sanguine canities?
Hic est ille Thomas Morus, sic fata rependunt
Tristia multa bonis? & bona multa malis?

Digitized by Google

Quæ circumsistunt Divæ lugubre cadaver?
Diva tenax veri, sancta Fides, Nemesis.
Quarum prima fuit causa, & fuit altera mortis:
Vltrix injustæ tertia cædis erit.

Vltimi versus elucidationem ne quæras lector, illa enim Nemesis, lento tandem pede adveniens, pœnæ tarditatem supplicij gravitate compensavit, & Regius sanguis sanguinis innoxij versuram solvit.

SANGVINIS INNOXII VLTOR EST DEVS.

Illustratur 2. ex sacra Scriptura.

MAGNITVDINI amoris quo Divinus Plastes hominem ad imaginem suam formatum prosequitur, referendum est, quod ut eum singulari cura, arte, applicatione, amore, condidit, ita injustam ejus cædem summa districtione prohibuit.

Vnde enim est illud quod cum Deus post diluvium in escam hominis omnem animantis carnem concederet, *Omne*, inquit, *quod movetur & vivit erit vobis in cibum*, " sanguinē tamen animalium non concessit, imò severè interdixit. " *Excepto*, inquit, *quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinē enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis.* Vnde hæc prohibitio, & tanta præcautio? nisi quia ne sanguineum homo indueret animum, quod summopere horreret Deus, abstinentia sanguinis cujuscumque animalis, & horrore, avertendus erat, ne esu aut usu sanguinis, humano assuesceret, & tandem fundendo duraretur. — Gen. 9.

Contra quod, sunt tot districtissimæ leges. *Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius.* Et, *qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Item, *Si quis odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, non misereberis ejus, & auferes innoxium sanguinem de Israël, ut bene sit tibi.* Quod etiam extendit in animalia, ut si sanguis humanus, quocumque modo ab animali fusus esset, execrabile esset. Iubebat enim ibidem, ut si bos aliquem cornu percussisset occidissetque, lapidibus obrueretur, nec comedi carnes ejus liceret, adeo oderat Deus humani sanguinis effusionem. Cujus præcepti Theodoretus hanc assignat causam, ut ex animalibus, inquit, irrationabilibus doceat homines rationales, quam grave scelus habeatur, homicidium. — Gen. 9. Exod. 21. Levit. 24. Exod. 21. q. 49. in Gen.

Hic non fuerit extra rem, de primo homicida Cain inquirere, quid Scriptura dicat, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Chaldæa habet vox sanguinum q. d. vox generationum, quæ futuræ erant, si Abel vixisset, ut sensus sit, tot voces clamant vindictam, quot futuri erant Abelis filij, & Nepotes. Sane cujus salus non conclamata & deplorata esset, cujus tot voces, tot capita, vindictam reposcerent ac prosequerentur? Caietanus apud Fernandium vult pluralitatem illam vocum, vindictam clamantium, posse referri ad guttulas sanguinis Abelis, ut quot in — Sic Lyra. Perer. Carthus. Fernand. in 4. Gen.

Digitized by Google

terram cecidissent, tot voces clamarent, quas omnes tam in numerato habebat Deus, ut tot Abeli præmia redderet, quam lachrimas, quas fuderat David persecutionem Saül fugiendo, de quibus ipse dicebat, *Deus vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lachrimas meas in conspectu tuo.* Vbi Septuaginta vertunt, labores, varietates, & ubi communis legit *annuntiavi tibi* Hebraica vertit, *numerasti tu*: " quo significatur (inquit Caietanus) cura Dei circa fugam David, numerando singula quæque minutatim. „ Addunt lachrimas Davidis ad Deum, ne perirent fuisse in utre repositas, aut in libro receptas ad memoriam sempiternam. „ Nec inaudita, ait Fernandius, sollicitudo Dei, cui & capilli capitis nostri omnes numerati sunt, ut apud Matheum perhibetur, imo immensam ejus erga homines providentiam affectumque demonstrat. „

Psal. 55. Math. 10

Quod si Abelis posteri & nepotes qui futuri essent, nec tamen unquam fuerunt, dicuntur numinis implorare vindictam Caini homicidæ, quam quæso vim Cœlo inferunt voces pupillorum, orphanorumque, forte in cunis vagientium, in homicidas parentum suorum?

Auget adhuc supra modum hujus criminis gravitatem dilectionis Apostolus S. Ioannes, dicens, *scimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* " Ex quibus verbis colligitur (ait Fernandius) si non infallibile signum damnationis æternæ, at certe summa in salute consequenda difficultas, „ cui annuit Glossa, subjiciens, " Quia in perpetuum cum Cain damnabitur, qui homicidium committit. „

1. Ioan. 3 In cap. 4. Gen. Gloss. in Ioan.

Hinc est, quod Rex David non tam avide cucurrit ad colligendum Regis Saül, & Regni insignia, Diadema & Armillam, sibi à juvene allata, quam ad ulciscendum ejus licet capitalissimi sui hostis sanguinem, quem Amalecites ille imprudens dicebat occidisse, putans se prospera nunciare, licet re vera, necis Regiæ expers omnino esset, (alias ex tanto mendacio satis reus) ut postea David ipse non obscure videtur agnoscere, cum interfectoribus veris Isboseth, filij Saül Regis Israël, dixit, *Vivit Dominus, quoniam eum qui annuntiaverat mihi & dixerat, mortuus est Saül, qui putabat se prospera nuntiare, tenui & occidi, cui opportebat mercedem dare pro nuntio.*

2. Reg. 1. 2. Reg. 4

Idem moriens sanguinis obligationem fundendi, filio suo regni successori ex testamento reliquit, in vindictam sanguinis innocentis Abner, & Amasæ Principum, quos Ioab Princeps militiæ suæ, in pace occiderat; timens, scilicet, religiosissimus Princeps, ne innoxij sanguinis effusi, ipse non vindex, reus evaderet, & reatum alienæ culpæ sibi consciscеret, cum etiam propriæ injuriæ causa vindicandæ, ne vivus voluptate pollueretur, propterea hanc vicem filio commisit.

3. Reg. 2.

Scilicet non latebat eum Divina censura, ac detestatio in homicidas, quod Salomon filius suus postmodum scripto reliquit, in proverbiis, dicens, *sex sunt quæ odit Deus*, quorum in numero ponit, *manus quæ effundunt sanguinem innoxium*: idem dicit Psalmista. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Præcedenti versu dixerat, *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Sed abominatur homicidium, quod est multo plus, quam odisse. Abominationis tantæ signum sit, quod non finit vivere nec prosperare homicidas. Huic veritati suffragatur illud è Psalmis, *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*, & Ezechielis, *Hæc dicit Dominus qui in sanguine comeditis, qui sanguinem funditis, nunquid terram hæreditate possidebitis?*

Prov. 6. Psal. 5. Psal. 54. Ezech. c. 33.

ste tistis

Digitized by Google

Stetistis in gladiis vestris, hæc dicit Dominus: quia qui in ruinosis habitant gladio cadent, & qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum; qui in præsidiis & speluncis sunt, peste morientur: & dabo terram in solitudinem & in desertum, & deficiet superba fortitudo ejus. Sic vindicat, sævit, persequitur Deus humani sanguinis fusores.

Exemplum insigne accipe historiam Pharaonis crudelis Infanticidæ, in pœnam fusi sanguinis innoxij cum populo suo in mare mersi.

Aliud in Abimelech, execrabili fratricida, qui dominandi furiosa libidine actus, uno die 70 fratres suos uno minus occidit. Sed non diu crudeli ac sanguineo dominatu potitus est: immisso namque à Domino *spiritu pessimo*, ut Scriptura ait, inter eum & Sichimitas, quos sui sceleris fecerat conscios, eo agitante popularibus suis tanto horrori esse cœpit, ut tandem Divina de eo Nemesis supplicium sumpserit, manu fœminæ percusso, & sibiipsi ultimam manum, reprobi instar, inferente. Iudic. 9.

Non mitiori fato impius rex Achab occubuit cum uxore sua, pessimo marito, facinorosiore conjuge: priori namque, vineam Naboth, quem summo scelere ac injuria mori fecerant, ineunti, mittitur Elias obviam, durus nuncius, qui diceret: *Occidisti insuper & possedisti. Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque tuum*; & huic: *Insuper canes comedent Iezabel in agro Iesrahel.* Dictum, factum. Vides ut sanguis sanguinem requirat, unius, plurium; subditi, principum ac regum; quorum capita, domos, familias, cæde, excidio, vastitate Deus solet vindicare. 3. Reg. 21

Venio ad aliud retaliationis justissimæ exemplum, omni alio acerbius, in persona Ioas regis Israël; qui summa beneficia, quæ à Ioiada summo Pontifice acceperat, summa ingratitudine in filium ejus Zachariam, sanctissimum Pontificem & Prophetam, rependit, quem contra Idola prædicantem in loco sacro interfici & lapidari fecit. De quo est illa percelebris in Evangelio interpellatio Christi ad Principes Sacerdotum, & Scribas, & Pharisæos: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas,* &c. & *ex illis occidetis, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filij Ioiadæ, quem occidistis inter templum & altare.* 2. Paralip 24. Math. 23

Vbi venit observandum, quod Scriptura notavit expresse, quod is, cùm moreretur, ait: *Videat Dominus, & requirat.* Et tam præsens extitit voci morientis auris Domini justissimi vindicis, quod vix evoluto anno à Syris Ioas percussus fuit, & turpissimis affectus plagis, occisis in oculis suis cunctis principibus populi sui, direpta urbe & domo propria, prædâ divitiarum inde omnis generis asportata, dicente sacro Textu: *In Ioas quoque ignominiosa exercuere judicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis.* Quæ ignominiosa judicia licet Scriptura non explicet, Hebræi dicunt fuisse vulnera ab Ammonitis & Moabitis toto corpore ei illata, cum exprobratione sui sceleris, & ingratitudinis in Zachariam. Sic ab alienigenis & Incircumcisis vindicari oportuit summum Pontificem, quem proprij Israëlitæ non modò non ulti erant, sed ipsi se parricidæ conjunxerant. Ex quo intelligitur, quòd ab eis vivus relictus est, ut quò esset vita longior, etiam foret pœna productior, acerbiori fato reservatus, ut per manus servorum suorum proprio in lectulo discerperetur, addita mortuo ignominia, ut etiam regium cadaver sepultura regum Israël privaretur. Dicit enim Scriptura: *Surrexerunt autem contra eum servi sui in*

Digitized by Google

ultionem sanguinis filij Ioiadæ Sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est, sepelieruntque eum in civitate David, sed non in sepulchris Regum. Huc usque Scriptura. Quæso quanta pro uno scelere supplicia!

In Prolegom.

Addit S. Hieronymus, inter rudera & ruinas templi & altaris monstrari olim lapides sanguine sancti Pontificis rubricatos, per quos Divina Iustitia detestationem tam injustæ necis posteris perennaret.

Attexam hîc unum aut alterum non vulgare Divinæ Iustitiæ exemplum pro Corollario, ex Historia Ecclesiastica.

In Prat. spirit. cap 1.6.

Primum ex Prato spirituali depromptum, libro probatissimæ auctoritatis & antiquitatis, de quodam latrone & homicida, qui à vita mala conversus, & Monachus effectus, cùm laudabiliter in pœnitentia multos annos transegisset, videre sibi continuò videbatur umbram pueri, olim à se occisi, se ubique persequentem, & obversantem, in hæc verba exprobrantem: Cur me occidisti? tam incessanti expostulatione & querimonia, ut neque in Ecclesia, neque in Choro, neque in Cella, nec in vigilia, aut somno, requiem daret, aut vacationem. Vnde ille vitæ & tormenti hujus tædio, extortis potiùs quam obtentis vestibus sæcularibus ab Abbate, ad sæculum & locum rediit, ubi delictum commiserat, ut ultrò se justitiæ sæculari plectendum offerret, & conscientiæ perpetuò remordentis flagellum evaderet mortuus, quem vivus nequiverat; ut bene S. Basilius apud Antonium in Melissa: « Sicut umbræ corpora, sic peccata sequuntur animas, & manifestas facinorum repræsentant imagines.

Ruderus in suo Viridar. 9.

Alterum eruo ex gestis & scriptis S. Ephrem, magnæ sanctitatis viri, quod apud Ruderum collectum videre poteris, & sic cõpendiosè attingo. Is ergo in primo flore juventæ cùm missus fuisset à parentibus in villam, & offendisset in sylva vaccam prægnantem, & lapidibus impetitam egisset in fossam, unde illa suo onere & utero fatiscens, nequibat se eruere, quæ à lupis brevi devorata fuerit, & rusticum, cujus erat vacca, eam quæritantem eadem juvenili petulantia repulisset, nil curans de damno ei illato, qui de ejus lacte & proventu victitabat; contigit aliquantò post, Deo sic disponente, ut pro fure gregis captus, conjiceretur in carcerem; ubi cùm per quadraginta dies jacuisset mœrens, & suam sortẽ ad Deum, nullius, ut putabat, sibi criminis aut furti conscius, multis deplangeret, in consortio duorum hominum, falsò ut putabat accusatorum; nocte concubia visus est sibi videre & audire vocem juvenis, sub austero vultu sibi apparentis, & colloquentis: « Quid hîc tantum quereris in hoc carcere? Tunc Ephrem: Iustè, inquit, doleo, facti de quo accusor innocens, & tanto tempore in hoc tenebricoso carcere omni ope divina & humana privatus. Innocens tu, inquit? Et Ephrem: Penitus innocens. Tum Iuvenis: Et nunquid vaccæ prægnantis meministi, quam nuper, nulla re offensus occidisti? Disce igitur, inquit, justitiam Dei, & scito neminem impunè reum evadere. Et qui sunt, addidit, hi socij tui? Innocentes, inquit, ut perhibent, falsò alter de adulterio, alter de homicidio insimulatus. Itane putas innocentes Deo? Interroga eos seriò, & sciscitare nunquid divino sint judicio cujuscunque alterius criminis sibi conscij. Quo dicto loquentis imago ex oculis Ephrem evanuit. Tunc ad se conversus, & divinam in se manum compunctus admirans, cœpit sedulò percontari à sodalibus, Num si, ut protestabantur, objecti criminis expertes erant, alterius conscientia tenerentur, quod propter puniri mererentur? Tunc

Digitized by Google

alter eorum ingenuè fateri. Adulterij, inquit, accusor; sed ego nunquam fœminam tetigi alienam; crimine tamen non me libero: nam duo anni sunt, quòd duo fratres cujusdam villæ possessionem inituri, à parentibus ipsis relictæ, ut sororem suam sua parte frustrarent, me convenerunt & coëgerunt testimonium falsum in eam dicere, quòd scilicet meretriciam vitam ageret, quadraginta scutorum data mercede; unde illa, me pejerante, Iudicis sententia à jure suo excidit. Vnde jam agnosco quam meritò plector. Alter verò de homicidio delatus, Sanguinem, inquit, humanum nunquam effudi, sed à sanguine alieno immunem propterea me non sentio. Aliquandò enim cùm pontem civitatis subterlabente flumine pertransirem, audivi retro duos homines invicem rixantes, quorum alter alterum è ponte in fluvium præcipitem egit, & abiit. Is undis raptus, cùm ripam enatare non posset, & opem ac manum meam, quòd facillimè poteram, frustra imploraret, absorptus periit. Hujus fortè me sanguis reum agit, persequiturque. Quibus auditis Ephrem mirum in modum stupefactus, & admirabundus, in sua & sociorum persona cœpit divinam laudare, & contritus demirari, justitiam. „ Sequenti die illi sistuntur ante Judicem, gehennæ applicantur, negant, dimittuntur. Ephrem reservatur in alium diem. Post aliquot dies *tres alij conjiciuntur* in carcerem, & idem *vultus qui primò ipsi visus* erat, *secundò* apparuit, proprio nomine compellans. " Ephrem, petiisti abs sociis tuis, qua de causa detinerentur? Quod cùm fecisse se respondisset; Iam credo, inquit, intelligis, quàm justa sunt Dei judicia. Isti de novo detenti, sunt duo illi fratres, qui sororem suam falso testimonio exhæredarunt; & tertius ille alius, hic est, qui de ponte in flumen proximum suum dejecit, qui brevi condigno supplicio afficiendi sunt. Tu hucusque reservatus es, ut eorum exemplo Deum vereri, & ejus justitiam deprædicare mortalibus addiscas. „

D 2

Digitized by Google

Titulus 4. DE DEO.

FABVLA de Homine, & Deo ligneo.

QVOD vides hominem Aræ insidentem, & Deum ligneum voce, manibus, fuste impetentem, pictura est furentis Gentilis, Deo suo vim inferentis: sed majoris rei expressio. Iste colebat domi Idolum ligneum, postulans ab eo, & precibus fatigans ut daret quantum familiæ sustentandæ, vel augendæ, æris satis esset. Et quò plus rogabat, eò videbatur res domi angustior, foris parcior. Quid ille? Cùm aliquando preces incassùm fundere sibi visus esset, in rabiem actus, Deum non jam votis & precibus, sed ferro petit; arrepta securi secat, discerpit, comminuit. Mira res! Cùm cadunt frusta & membra huc & illuc percussi Numinis, caput etiam ferro transverberatum concidit, & unà cum eo magna vis auri & argenti, quam homo attonitus, furore in gaudium verso, avidè rapit, congerit, accumulat; & tum demùm ad simulachrum: Qualis, inquit, Deus es, qui blandè rogatus nihil dedisti, coactus profusè donasti? Iam incipio genium Deorum agnoscere: volunt opportunè importunè rogari, urgeri, cogi.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

DEVS GAVDET AB HOMINE ROGARI, VRGERI, COGI.

Probatur I. *& illustratur ex Profanis.*

Ex Volaterr. l. 29.

CONFIRMATVR id è schola Socratis, ante omnia Deum adorãdum & orandum religiosè, præcipientis: quod & Plato in Timæo commendat. Super quo audiendus Porphirius: *Cùm Deus*, inquit, *nobis provideat, ac res nostræ se possint aliter atque aliter habere, certè pro rerum nostrarum usu & utilitate adoramus; videlicet, ut boni simus: sic enim similes Deo effecti ad eum propiùs accedemus. In qua conjunctione adorationis vis tota consistit: nempe cùm nos Dei filij sumus, ab eo quasi in exilio & carcere segregati, simpliciter adorare decet, quò hinc liberati revertamur ad patrem: alioquin similes eorum erimus, qui parentum patrocinio sunt orbati. Profectò cùm universi partes simus, universo indigemus.* Hæc ille piè admodum, etsi impiissimus.

Digitized by Google

Iamblicus verò, ejus discipulus, post Magistrum audiendus. *Sola adoratio*, inquit, *animos beatæ patriæ reddit, sola sanctimonia est plena virtus; solus vir bonus, ut Plato scribit in Legibus, Deum fœliciter precatur; sola cum Superis consuetudo beatos facit: ab hac enim flagitiosi sunt omninò alieni, & tanquam profani à votis & sacrificiis arcendi. Pariter verò decenter ad supplicandum accedunt, habentes videlicet tres secum præcipuas comites, fidem, veritatem & charitatem, quibus stipati spem bonorum accipiant firmam.* Quo quid Christianius? Quod ipse & alij à magistro suo Platone didicerant, qui in Entiphrone ait, *Mercaturam esse quandam inter Deos & homines, ut illi nobis bona honestaque dent, nos eis sacrificium & preces: his enim officiis & domos privatas & civitates conservamus.* Sic Plato.

Ibidem.

Plato.

Hunc autem esse omnium Gentium sensum, opinionemque ab ipsa Natura nobis inditam, scilicet in prece, cultu & oratione ad Deum magnam inesse vim ad res prosperè agendas, ipse generalis usus satis docet.

Vnde Plinius 2. in Panegyrico Trajani sic incipit: *Bene & sapienter, P.C. majores nostri instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium precationibus caperetur; nihil rectè, nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore, auspicarentur.* Et paulò post: *Animadverto enim etiam Deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia & sanctitate lætari; gratioremque existimari qui Delubro eorum puram castamque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit.*

Plin. in Paneg. initio.

Ex quo satis patet Deo placere & cordi esse preces hominum, per quas ipse cultum suum ac reverentiam ab hominibus, & homines Dei dona ac bona percipiunt; interceditque illud commercium, quo indigens nostra mortalitas de Dei participatione & communicatione ditescit.

Insuper velle etiam supremum Numen mortalium votis ac supplicationibus fatigari ac urgeri, subjecta probant. Quid enim sunt vota, & donaria quæ Deo dicamus, nisi pia quædam vis, qua ab ipso quæ optamus extorquemus? *Tu qui putas Deos humana negligere*, inquit Cicero, *non advertis ex tot tabulis pictis quàm multi vim tempestatis effugerint, in portumque salvi advenerint?* Alioquin non diceret Catullus:

Lib. 2. de Nat. Deorum.

> *Nunc Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi*
> *Multa docet templis picta tabella tuis.*

Eleg. ad Isid.

Nec Poëtarum princeps Homerus:

Odyss. [illegible]

> *Namque preces summi famulæ Iovis esse feruntur,*
> *Sponte suis adeunt mites, orantque Tonantem:*
> *At spretæ, innumeri luctus & damna sequuntur.*

Nec Ovidius:

Lib. 1. de arte.

> *Flectitur iratus voce rogante Deus.*

Et illud: *Placatur donis Iupiter ipse datis.*

Quàm bene Seneca vanum ac superstitiosum cultum Dei à vero distinguens: *Quomodo sint Dij colendi*, inquit, *solet præcipi. Accendere aliquem lucernam sabathis prohibeamus, quoniam nec lumine Dij egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum: humana ambitio istis officiis capitur. Deum colit, qui novit. Vetemus lintea & strigiles Iovi ferre, & speculum tenere Iunoni. Non quærit ministros Deus: Quidni? ipse humano generi ministrat: ubique & omnibus præsto est. Audiat licet quemadmodum se gerere debeat in sacrificiis, quàm procul resilire à molestis superstitionibus: nunquam satis perfectum erit, nisi qualem debet Deum mente conceperit;*

Epist. [illegible]

Digitized by Google

omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Item. *Primus est Deorum cultus, Deos credere, deinde reddere illis Majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla Majestas. Scire illos esse qui præsident mundo, qui universa ut sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt*, &c. Sic ille magnificè quidem; sed expende verba illa, Reddere Deo Majestatem suam, reddere bonitatem: quod Christianus diceret, Confiteri Domino, & invocare nomen ejus. Sic enim ab homine Deus videtur accipere Divinitatem, Majestatem, bonitatem, cùm ea prædicamus, veneramur, supplicamus. Quod argutè Martialis in Epigrammate adulatorio ad Cæsarem.

Lib. 8. Epigr. 24

> *Si quid fortè petam timido gracilique libello,*
> *Improba non fuerit si mea charta dato.*
> *Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari;*
> *Offendunt nunquam thura precesque Iovem.*
> *Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,*
> *Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.*

Lib. 5. de benef. c. 25.

Redit Seneca. *Deos*, inquit, *quorum notitiam nulla res effugit, rogamus, & illos vota non exorant, sed admonent: Diis quoque, inquam, Homericus ille Sacerdos allegat officia, & aras religiosè cultas, quò obsequentes faciat, & pareant.*

Plutar. in Laco. & Erasm l. 1 Apopht.

Apud Lacedæmonios Dij colebantur armati. Vnde quidam Charilaüs percunctanti quam ob rem Deorum omnium statuæ Spartæ viserentur armatæ: *Ne*, inquit, probra, *quæ jaciuntur in homines, ad Deos referantur; néve juvenes nisi armati Deos comprecentur, aut ignavi, inertesque*; eo commento significans Diis gratam esse diligentiam constantiamque. Sed ad rem aptius quis dicet, Deos pingi armatos, ut precibus, votis, supplicationibus, exarmandos esse sciremus, arma de manibus excutienda assiduo labore, instantia, cultu, pietate. Quod eleganter canit Horatius.

Lib. 3. Od. 23.

> *Cælo supinas si tuleris manus*
> *Nascente Luna, rustica Phidile;*
> *Si thure placaris & horna*
> *Fruge, Lares, avidaque porca:*
> *Nec pestilentem sentiet Africum*
> *Fœcunda vitis, nec sterilem seges*
> *Rubiginem, aut dulces alumni*
> *Pomifero grave tempus anno.*

Lib. 1. Ode 2.

Idem Augusto adulans post necem Iulij Cæsaris res Romanas reparaturo,

> *Quem vocet Divum populus ruentis*
> *Imperij rebus, prece qua fatigent*
> *Virgines sanctæ, minus audientem*
> *Carmina Vestam?*

Ausonius in Ephemeride.

Sed melioris precis formam à Poëta Christiano accipe.

> *Da, Pater, hæc nostro fieri rata vota precatu;*
> *Nil metuam, cupiamque nihil; satis hoc rear esse,*
> *Quod satis est. Nil turpe velim. Nec causa pudoris*
> *Sim mihi. Nec faciam cuiquam quod tempore eodem*
> *Nolim facta mihi. Nec vero crimine lædar.*
> *Nec maculer dubio: paulùm distare videtur*
> *Suspectus, veréque reus. Malè posse facultas*
> *Nulla sit, & benè posse adsit tranquilla potestas.*
> *Sim tenui victu atque habitu, sim charus amicis,*

Digitized by Google

Nec timeat mortem benè conscia vita, nec optet.

Hujusmodi, inquam, precibus delectari Deum omnibus palam est non solùm, sed etiam exarmari, & de irato propitium reddi, placarique, non obscurè docent. Vnde illud est insignis Poetæ.

Sæpe Iovem vidi, cùm jam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato, sustinuisse manum.

Imò etiam cogi, in Mithologia Prothei, Dei Marini, Poëtarum princeps ingeniosè expressit ac finxit: de quo sic in Georgicis Cyrene filium Aristæum informat, & mores Dei instruit, ut ab eo nil nisi vincto, & per vim ligato, expiscari possit. Sic enim ait:

Virg. 4. Georg.

Hic tibi, nate, priùs vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi causam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illum
Orando flectes: vim duram & vincula capto
Tende, &c.

Hanc vim Deo faciunt, his vinculis ligant casti mores imprimis, deinde preces assiduæ, humiles, ignitæ. Quod sequens commentatio de Scripturis meliùs docebit.

DEVS GAVDET AB HOMINE ROGARI, VRGERI, COGI.

Probatur 2. & illustratur, ex sacra Scriptura.

HÆc tria, quòd Deus gaudeat à nobis supplicari, urgeri, imò etiam cogi, eodem ordine quo præmissa sunt, juvat, & non erit operosum, ex Scriptura probare.

Et primùm quidem, si non sibi in nostris precibus complaceret, si non se sineret exorari, si non gauderet orari, non invitaret dono, non alliceret præmio, non fidem promisso oppigneraret; denique non diceret: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Et ne cuiquàm verbo tenus, aut plus dixisse videatur quàm par sit, sic claudit & concludit quod promisit: *Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.* Hîc quidem satis petitur, propterea non datur; quia quibus rogatur, deest voluntas, aut potestas. Quæritur, sed raro invenitur: pulsatur, sed à paucis aperitur. Cujus enim divitis aures non fatigarentur, manus non quærerentur, fores non pulsarentur, si petenti cuilibet, quærenti, pulsanti, daretur? Sed fermè omnes nolunt rogari, aut quærentibus occurrere, aut videri: quia & ipsi indigentes sunt; quia quod quisque dat, minus habet. Deus autem, *qui dives est in misericordia, dives in omnes qui invocant illum*, gaudet rogari, & sua bona largiri, semper dives.

Math. 7.

Apud Lucam, voluptatem quam percipit gratificando hominibus, naturali affectui parentis erga filium comparat, cui nihil dulcius, nihil jucundius esse potest, quàm panem filio petenti subministrare. *Si ergo vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se?*

Lucæ 11.

Digitized by Google

Præceperat olim Deus sibi certa animalia & hostias immolari de quadrupedibus, & de avibus, certo ritu, sicut & de terræ frugibus, & muneribus, quæ quàm sibi accepta forent, hæc verba ostendunt, *In odorem suavissimum Domino.* Successu temporis videtur Deus mutasse sententiam: dicit enim apud Psalmistam: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*; quasi hæc non amplius sapiant palato suo. *Quoniam meæ sunt*, inquit, *omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves. Cognovi omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est.* Quasi dicat, Quæcunque animalia quæ in terra habitant, aut in avibus cœli ludunt; quidquid vernat in plantis, micat in floribus, luxuriat in hortis, gemmascit in pratis; ista omnia mea sunt, & mei juris; & cùm ea mihi offerunt homines in sacrificiis, nihil de suo, sed de meo, offerunt. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum*, dicit apud Isayam; *plenus sum, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Quid ergo offeremus tibi, Domine Deus, quando hæc jam non tibi sapiunt? quid à nobis expostulas? *Immola Deo*, inquit, *sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua; & invoca me in die tribulationis.* Hæc mihi hostia sapit, hæc victima mihi placet super omnes alias, sive animalium terræ, seu altilium cœli, seu florum, & thimiamatum exquisitissimorum. Sequitur enim, *Eruam te, & honorificabis me.* Ecce quantum Deus noster gaudeat in humanis precibus, ut per eas ipsum nos glorificare affirmet, & honorificare.

Psal. 49.

Isaiæ 1.

Psal. 49.

Tantam jucunditatem Deus ex precibus & orationibus nostris percipit, ut si eum desinamus orare, contristetur, & ægrè ferat.

Premebatur ab inimicis suis rex Achaz ipsi negotia & bella suscitantibus, adeò ut desponderet animum, & corde concideret. Mittitur à Deo Isaias ad eum, ut bono animo sit, sibi opem divinam non defuturam promittens, modò oret Deum, & petat. *Pete tibi*, inquit, *signum à Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum suprà.* Quid fecisse putatis Achaz? quid respondisse Prophetæ? *Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum.* O ignavum & socordem virum! suppetiæ præsto sunt, offertur gratia, promittitur victoria, modò petat. *Non petam*, ait, *& non tentabo Dominum.* Quid ad hæc Deus? quid Propheta? *Audite ergo domus David*, inquit: *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Vide quàm graviter ferat Deus, ut molestiam ab eo & offensam accepisse dicat, quòd ab eo noluerit accipere signum; quia tam jucundum Deo est, preces nostras audire, ut si non oremus, molestè ferat.

Isaiæ 7.

Inde est quod dicit Iacobus Apostolus: *Tristatur aliquis vestrûm, oret. æquo animo est? psallat. Infirmatur? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &c. Orate pro invicem, ut salvemini.* Vides ut hæc Divina Panacæa ad omnia utilis sit. Denique concludit Apostolus: *Multum enim valet deprecatio justi.* Non claudit hîc sententiam, sed addit, *assidua.*

Iac. in sua Canon. cap. 5.

Gaudet igitur Deus rogari à nobis opportunè, imò & importunè, urgeri, ac fatigari: *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Hujus formæ est oratio Moisis in monte, qui dum Iosue in campo pugnat contra Amalec, Moises extensis in cœlum manibus orat. Elevatio manuum istius, firmat manus præliantium. Mirabile est, quòd ubi Moises cessabat orare, & manus in cœlum levare, Iosue cessabat vincere; & ideò ut Iosue perseveraret

Exod 17.

Digitized by Google

severaret vincere, adjutus est Moises, ut semper perseveraret manus extendere; ut scias orationem, non nisi assiduam ac perseverantem, vincere, & quidquam efficere.

Vxor Isaac Rebecca erat sterilis, non sine utriusque gravi mœstitia. Oravit ergo Dominum Isaac pro uxore sua sterili; sed non subitò obtinuit ut pareret. Nunquid initio, haud exauditus, destitit orare? Minimè verò, sed per viginti annos continuos, ut notant sacri Interpretes, ambo cœlum votis fatigarunt, & tandem obtinuerunt. Nam Isaac quadragenarius nupsit, sexagenarius prolem meruit, ut scribit S. Ioannes Chrisostomus. Ergo per viginti annos orare perseveravit. Nec Propheta Eliseus viso sanctissimo suo patre Elia cùm raperetur in cœlum, & ex condicto spiritum ejus duplicem assecutus esset, Prophetiæ scilicet & Miraculorum, prima vice quòd pallio Eliæ percussit aquas, Iordanem divisit; sed postquam Deum Eliæ iterum invocavit, *Vbi est Deus Eliæ etiamnunc?* & iterum percussit; ut ubique videas Deo in primis cordi esse, si dona sua ipsi de manibus extorqueamus.

Cornel. à lapid. in Gen. c. 25. Mendoc. in Reg. l. 1. c. 1.

Hom. 41 in Gen.

4. Reg. 2.

Vt verè in Evangelio panum dixerit, post excusationes illatæ molestiæ, clausi ostij, intempestæ noctis, quid dico? post ultimam non dandi repulsam, etsi nomine amicitiæ non faciet, faciet tamen ratione improbitatis. *Propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotcunque habet necessarios.*

Luc. 11.

Paucis idem complexus & expertus erat Psaltes Regius, cui non sufficiebat semel aut iterum orare, sed septies, ut posset impetrare, dicens: *Septies in die laudem dixi tibi.* Nec solùm de die, sed etiam nocte. *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo, Domine.* Nec contentus simpliciter orare, sed etiam cum contentione cordis & vocis: *Clamabo*, inquit, *per diem, & non exaudies.* Quid si diem integrum orando transegerit, & nihil egerit? Si vespere & mane & meridie narraverit, & nihil fecerit, nunquid confusus abibit? Minimè verò: dicit enim: *Clamabo per diem, & non exaudies. Et nocte, & non ad insipientiam mihi.* Perseveravit clamare in nocte; & quod de die non potuit, in nocte impetravit: *& non ad insipientiam mihi.* Sic quod meritò negatur, pertinaciæ & constantiæ erogatur. Ex quo evidens est, Deum gaudere precibus rogari, & urgeri.

Psal. 118.

Psal. 21.

Restat quòd etiam placeat cogi, ac vim sibi inferri.

Quòd ex parte orantis vis Deo inferatur, sacra Pagina tota quanta consentit.

Habes luculentum hujus rei testimonium in Iacob, cum Angelo, qui Deum repræsentabat, tota nocte luctante; ita ut summo diluculo lassus & victus Angelus, quasi ligatus, peteret dimitti. *Dimitte me*, inquit, *quia Aurora est.* Cui Iacob, luctator invictus: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Ex quo videas spiritualem fuisse luctam, quæ non viribus corporis fieret, sed orationis vigore ac spiritûs: in qua Iacob victor in Angelum evasit, homo in Deum. Quod & nomen, quo donari meruit, non ampliùs Iacob, id est, luctator, sed Israël, scilicet videns Deum, aut princeps cum Deo; & ab colluctatore Angelo postulata, acceptataque pacis conditio, & reportata benedictio, & campus certaminis, qui victori cessit, abundè indicant, addito nobili Epinicio in laudem victoris: *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?*

Gen. 32.

Porrò licet Scriptura ibi genus luctæ non indicet, alibi dilucidè expli-

Digitized by Google

Osee 12. cat in Osee, his verbis: *Iacob invaluit ad Angelum, & confortatus est; flevit enim, & rogavit eum.* Hæc sunt arma Victoris, preces & lachrimæ, ex sententia D. Hieronimi. "Cum Angelo, inquit hic, Iacob oratione, non manibus luctabatur.,,

Probatur ampliùs virtus orationis vim Deo inferentis, ejusque manus ligantis, insuper quòd impendio delectetur Deus rogari, iratus flecti, nolens & invitus cogi.

Loquente Moise cum Deo in vertice montis Sinai, & diutiùs commorante, peccat populus peccatum grande, vitulum conflat, & adorat. Irascitur Deus supra quàm dici potest, vult delere gentem istam, & dicit Moisi: *Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit; dimitte me, ut irascatur furor meus, & deleam eos.* Vides Deum ligatum, ut quod velit, non possit. Sed unde ligatum, nisi oratione Moisis servi sui? Subdit enim Scriptura: *Moyses autem orabat Dominum,* &c. dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo.* Vnde dicit Glossa: "Loquitur modo humano, cùm filius offendit patrem, & pater tenens gladium, quasi ad jugulandum filium, dicens alicui propè se existenti, Ne retineas me à percussione; per hoc magis insinuans velle retineri. Et ex hoc accepit Moises audaciam orandi pro populo, ad retinendum Dei vindictam, &c.,, Hæc Glossa. Ita sentit Gregorius Papa. "Quid est, *inquit*, dicere, Dimitte, nisi deprecandi ansam præbere?,, Aut ut Theodoretus "Prohibe me.,,

in 32.Ex.

Huic fortè nec orandi merito inferior, nec potentia impetrandi, Ieremias audit à Domino: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi.* Inde videas quantam voluptatem Deus percipiat in orationibus servorum suorum, quantumque iis deferat, ut earum obtentu excurrentis in ultionem peccatorum iræ suæ impetus contineat. Quæ si quando exundat, nullo se opponente, licet justè ultus, ipse indoleat, & conqueratur; sic enim benignissimus Dominus apud Ezechielem. *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum, pro domo Israël.*

Ierem. 7.

Ezech.13

Et 22. Item, *quæsivi de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni.* Ecce quo altius assurgat oratio, & deprecantis auctoritas, non habet, ut Deo irato obstet, sævire volenti occurrat, & arma jam districta, & intentata, extorqueat. *Sepem*, inquit, *interponat, stet oppositus contra me pro terra, ne eam dissipem. Ascendat ex adverso*, & ut murus obsistat. Hinc discas Deum, quem omnia timent, orantem timere, & qui omnia potest in cœlo & in terra, non omnia posse contra orantem.

Potentia illa orantis in Deum mirificè in Propheta Elia reluxit, sicut anteà in Moise, cùm dixit: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba. Cui enim non mirum videatur, quòd homo mortalis & passibilis cœlum clauserit, ne imbres plueret aut roraret, nisi juxta oris sui verba? quæ potestas ei ab oratione contigit, dicente Iacobo: *Elias oratione oravit ut non plueret annos tres & menses sex.* Propterea D. Chrisostomus vocat sermonem ejus clavem cœli. "Iubet enim, & clauditur cœlum; orat postmodum, & aperitur; ut inde justum monstraretur non solùm posse quod vult in terris, sed etiam in cœlestibus posse impetrare quod petit.,,

3.Reg.17

Iacob. can. 5. D.Chris. serm. de Elia.

Sed quod magis mirere, non solius Eliæ hæc potestas est, sed etiam

Digitized by Google

Ecclesiæ. Vnde graviter Tertullianus. " Coimus in cœlum & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.,, Vult quippe Deus sibi vim inferri, Regnum cœlorum à violentis rapi. Deum enim non solum exorant justi, sed & quasi invitum expugnant; adeo ut sit " non audientia tantum Dei (ut ait Salvianus lib. 2. de Providentia) sed quædam quasi obedientia. Obsidetur enim justorum precibus, & quasi ad eorum voluntatem adducitur. Hæc vis grata Deo est. Ipsi sic placet fieri, sic faciendum monet; ut quod ratio meritorum non impetrat, extorqueat importunitas postulantium suo nomine coëuntium.

In Apol. contra Gen. ca. 39.

Exemplum hujus vis habes in eo quod Petro contigit, qui dum strictè custodiebatur in carcere ab Herode trucidandus, *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo.* Ita preces sacri cœtús ejus salutem obtinuere, cathenas, quibus erat vinctus, dirupere. " Deus enim, inquit Sanctus Chrisostomus, frequenter reveretur multitudinem, unanimem & consentientem in precando, ut veluti pudore victus, non audeat illis denegare.,, Idem Tertullianus insinuat cap. 40. sequenti. " Nos verò, ait, jejuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, Deum tangimus, & cùm misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur, &c.,, Ex dictis satis liquet, quòd humilis oratio Deo placet, assidua obtinet, fervens extorquet; & verum manet, quòd Deus gaudet rogari, urgeri, cogi.

Actor. 12

Hom 2. in Epist. ad Chorint.

Titulus 5. DE DEO.

FABVLA

De Hercule & Auriga.

VIDEN' *hunc currum hærentem luto, rotis penè in limo absorptis, equos anhelantes, & quasi exhaustis viribus immobiles? Aurigam positis loris, curru, habenis, humi pronum, tendentem utrasque in Cœlum manus? Deos omnes in opem, & maximè Herculem implorat: sed frustrà Cœlum & Deos votis fatigat. Non sic vocati veniunt Tandem enim vox de Cœlo tonat: Insipiens euge, age, urge, flagella, equos tuos, & ipse ambabus manibus rotis connitere; & tunc aderit Hercules vocatus. Taxat pigros ac desides, manus sub ascella condentes, dum seriò ac strenuè operandum.*

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

DEVS FRVSTRA AB EO IMPLORATVR, QVI NON FACIT QVOD IN SE EST.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

Apud Stobæum

CONVENIENTER huic proposito retulerim illud Biantis, unius è septem Græciæ sapientibus: Eos qui sibi mentem à Deo bonam tribui precarentur, nec tamen disciplinam capesserent, parum cordatos esse, dicentis: *Quando neque ut pictor quisque bonus evadat, dari sibi à Deo colores, & lineam exoptat, quin magis artem perdiscit; sicut nec vetus proficit, qui Musicus esse cupit, nisi artem consectetur: adeò nihil prodest circa preces occupari, nisi rectè vivendi studio tenearis.* Quasi dicat, ut Deos ad quod vis faventes ac propitios habeas, strenuam operi manum scito admovendam.

Lib. de beata vita cap. 15.

Habebis in animo, inquit Seneca, *illud vetus præceptum; Sequere Deum. Quisquis autem queritur, & plorat, & gemit, imperata facere, vi cogitur, & invitus rapitur. Quidquid ex universi constitutione patiendum est, magno excipiatur animo; ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia. In regno nati sumus, Deo parere, libertas. Ergo in virtute posita est vera fœlicitas.*

Idem Epistola 95. in quo consistat verus Dei cultus, scilicet in virtuti-

Digitized by Google

bus, quæ omnes operosæ sunt, ostendens: *Primus*, inquit, *est Deorum cultus, Deos credere, deinde reddere illis Majestatem suam*, &c. *scire illos esse qui præsident Mundo, castigant quosdam, & irrogant pœnas.* Deinde concludit: *Vis Deos propitiare, bonus esto: satis illos coluit, qui imitatus est.*

Cæterùm sperare Deum habere propitium, & non colere, non famulari, & obsequi, insanum est. Inde illa usitatissima vox; Dij laboribus omnia vendunt. Bonorum nostrorum non indiget Deus, gaudet tamen ipsi erogari de suo. *Omnia Deorum sunt*, inquit Seneca: *tamen Diis posuimus donum, & stipem jecimus.*

Lib. 7. de benef. c. 5

Nemo ignavia Immortalis factus est, inquit Sallustius, *neque quisquam parens liberis, uti æterni forent optavit, magis uti boni honestique vitam exigerent.* Scilicet ut id esse suis operibus, & mereri satagerent.

De bello Iugurth.

Stultorum arbitror esse hominum, à Deo petere ut det evenire meliora, ipsis adversùs ire timentibus, ac in causa existentibus, ut contrà eveniat, ait Procopius de bello Vvandal.

Demosthenes à quodam interrogatus quemadmodum esset dicendi facultatem adeptus? *Plus olei, quàm vini*, inquit, *consumendo.* Et Democritus conspicatus juvenem industrium & strenuum, ac laboris patientem; *Iucundissimum*, inquit, *ô juvenis, senectuti tuæ condis obsonium.*

Convenit & illud Hesiodi apud Stobæum,

Serm. 27.

Operando viri pecuniosi fiunt & dites,
Atque laborans multò magis amatur à Diis:
Non est autem dedecori laborare, sed otiari.

Item Eurip. in Iphig.

Nemo sibi laudem comparavit ex voluptatibus;
Nullus enim socors celebris vir est:
Sed labores generositatem pariunt.
Laborantem pariter Deus adjuvat.

Sed ad rem pressiùs. In Senatusconsulto, quod Romæ habitum est super conjuratione Catilinæ, Cato rogatus sententiam, inter alia dixit perquàm sapienter: *Non votis neque supplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo benè, consulendo, omnia prosperè cedunt. Vbi te socordiæ atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores, irati infestique sunt.*

Saluft. in Catil.

Facit apprimè huic proposito quod refert Ælius Spartianus in Iuliano Imperatore; qui videns Severum contra se venientem infestis armis, & omnia contra se, rogavit Senatum ut Virgines Vestales, & cæteri Sacerdotes cum Senatu obviam irent exercitui Severi, & prætentis infulis rogarent, inane contra barbaros milites præsidium parans. Hæc tamen agenti Iuliano, faustus Augur vir Consularis contradixit, asserens non debere imperáre eum, qui armis adversario non posset resistere: cui multi consenserunt, & ita occiditur à Severo.

In hist. Aug.

Apud Lacones proverbio celebratum erat, *Fortunam Deam admota manu invocandam esse: quo significabant Deos ita esse invocandos*, ut refert Plutarchus, *ut simul manum apponamus, & nostram addamus operam*: alioquin frustrà invocari, non favere Numen otiosis ac pigris. Deus enim vult sua munera ad nos per nostram venire industriam, ne stultum videatur, si faveant ipsius dona contemnentibus.

In Laco.

Inde est quòd Divinus Plato indignum existimat civem tota nocte dormire, maximè patrem familias; vultque eum primum suorum excitari

Lib. 3. de leg. apud Stobæum ser. 30.

Digitized by Google

& surgere, sicut & heram excitare ancillas, non ab eis excitari: & concludit his verbis notatu dignis: *Magistratus noctu in urbibus vigilantes malis hominibus, tùm hostibus, tùm civibus, terrori sunt, amandi honorandique justis & temperatis, sibi, & civitati utiles universæ.*

L. de virt & vit. c. 50.

In hanc sententiam eleganter Carolus Paschalius. Nulla virtus incedit per delitias, inquit; omnes nulla excepta pergunt per iter laboris quamvis angustum, spinosum, arduum. Lege summi Numinis labor est maximum homini & uberrimum copiæ cornu. Sapienter adnotatum est noluisse Iovem Herculem illud germen suum, genitum ad res maximas & incredibiles, esse molli cultu, occuli umbris, includi fornicibus, vivere in otio, in deliciis, quibus tamen immersit Euristhæum. Ergo voluptati ereptum voluit depugnare cum Ariete, Leone, cæterisque, quæ tunc genus hominum infestabant, portentis. Scitè & verè dictum est, Deum hinc commoda, hinc posuisse incommoda, hæc propè, illa procul, in medio laborem posuisse.

Ap. Stob. serm. 30.

Optimè in rem præsentem Hesiodus:

Illi pariter indignantur & Dij & homines, quisquis otiosus
Vixerit, fucis absque aculeis similes studio
Qui apum opus, sine labore, comedunt.

In Iphig. ap. Stob. serm. 30

Vel illud Sophoclis:

Τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαία σχολή
Θεὸς καὶ τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται

Id est, *Nihil boni parit otium inane;*
Deus enim otiantibus haud assistit.

Xenophō l. 2. de pedia Cyri, ap. Stob. ser. 46. & Bruson. l. 5. c. 24.

Non aberat à scopo quod Xenophon refert in Dialogo Cyri ad patrem suum Cambysen. *Novi te, ô pater! inquit Cyrus, dicere semper solitum, haud fas esse à Diis petere, neque victoriam eos equestri pugna, qui equitare non didicissent; neque sagittæ ignaros, superare illos sagittando, qui hujusmodi peritiam callent; neque gubernandi imperitos, optare navium salutem gubernando; neque eos qui frumentum non severint, sibi precari triticum pulcherrimum nasci; neque salutem petere, qui sibi in bello non cavent: hujusmodi enim omnia esse præter divina instituta.* Ita ille quàm optimè: quia scilicet, qui optant illicita, redit Cyrus, dicebas consentaneum esse hos æquè à Diis optata non consequi, atque ab hominibus non adipisci, quæ illegitima rogant.

Quidam Palæstrita luctaturus, Minervam consuluit, *Num futurus esset victor?* Responsum est, *fore, si cum Minerva quoque manum moveret.*

L. 5. Mor Eud.

Huc facit illud Aristotelis: *Fortunam ut ars, ita fortuna artem amat invicem.* Et illud Suidæ: *Fac interim aliquid, & tu dein voca Deos.*

Lib. Serm Sat. 9.

Ita Lyricus: *Nil sine magno*
Vita labore dedit mortalibus.

In nuptiis Honor.

Et Poëta Claudianus:

Non quisquam fruitur veris honoribus
Hyblæos latebris nec spoliat favos
Si fronti caveat, si timeat rubos,
Armat spina rosas, mella legunt apes.

In eamdem rem facit sapientissimum Dei responsum apud Ausonium, Epigrammate 91. quod tale est:

Doctus Hylas cæstu, Phlegeus catus arte palestræ
Clarus Olympiacis, & Lycus in stadiis,

Digitized by Google

An possent omnes venturo vincere agone,
Hammoneum Libyæ consuluere Deum.
Sed Deus, ut sapiens: Dabitur victoria vobis
Indubitata quidem, si caveatis, ait.
Ne quis Hylam cæstu, ne quis certamine luctæ
Phlegea; ne cursu, te Lyce, prætereat.

Id est, quisque vestrûm vincet, si, ne vincatur, strenuè navabit operam.

Seneca Epist. 31. *Generosos animos labor nutrit. Non est ergo quòd ex illo veteri voto parentum tuorum eligas quid contingere tibi velis, quid optes. Et in totum jam transacto viro turpe est etiamnum Deos fatigare. Quid votis opus est? Fac te ipse fœlicem.* q. d. operare instanter, contende, enitere.

DEVS FRVSTRA AB EO IMPLORATVR, QVI NON FACIT QVOD IN SE EST.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

IN tribus maximè populus Iudaicus inaniter visus est gloriari de alieno, & plus æquo sibi arrogare, propriæ virtutis ac perfectionis de suo minùs curiosus aut studiosus: In templo, in sacrificiis & victimis suis, & in patre suo Abraham, à quo originem ducebant; quasi hæc illis sufficerent, inertibus & otiosis.

Propterea de primo nimiùm sibi abblandientibus, & in templi sanctitate confidentibus, Ieremias à Domino mittitur, jussus stare in porta templi, & alta voce intonare cunctis ingredientibus: *Hæc dicit Dominus. Bonas facite vias vestras, & judicia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto, & nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est. Ecce vos confiditis vobis in verbis mendacij, quæ non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter,* &c. &, *Venistis & stetistis coram me in domo hac, & dixistis, Liberati sumus. Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista?* Viden' quàm falsa & malè fundata præsumptio, gloriari in templo materiali, & mortuo; & in templo vivo, quod unusquisque est, perditis moribus ac vitiis fœdari ac pollui? Porrò trina illa repetitione, Templum Domini, aliqui putant tres templi partes Prophetam designare voluisse; Atrium, Sanctum, & Sancta Sanctorum. Vel tria templi præcipua festa; magis crediderim his verbis repetitis, vanam eorum jactantiam exprobrari, confidentiamque malè locatam. Quasi diceret: Quid vobis prodesse putatis habere apud vos templum Domini, & alienos esse à Deo templi, & ab ejus gratia & amore aversos? Non enim Deus propter locum gentem, sed propter gentem, locum elegit; neque gentem ob cultum templi, sed hunc ob suum honorem & gloriam elegit: Et vos non Deum templi, sed templum Dei, colitis. Propterea subdit: *Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Silo:* quam repulit, ut habetur in Psalmo: *Et repulit*

Ierem. 7.

Psal. 77.

Digitized by Google

tabernaculum Silo (quia Arca capta locus fuit destructus, ut dicit Glossa in Ieremiam, & cultus Domini inde sublatus) *& projiciam vos à facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros.* " Abjecit Silo, inquit Glossa, abjecturus & templum : abjecit decem tribus, abjecturus & duas. " Terribilis comminatio, sed vera effectio.

Non dissimili zelo provocatus Dominus noster Iesus Christus multiplici profanatione templi, sed magis avaritia, rapinis, hipocrisi Ministrorum templi, palam ipsis minatus est & templi & populi ruinam : *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, inquit. Ecce relinquetur domus vestra deserta*, &c. quia enim vos domum Domini magni facitis, Domino derelicto, relinquetur & domus.

Math. 23

Quod spectat sacrificia & victimas, & legalium cultum hostiarum, in quibus populus ille pervicax impendio gloriabatur, & plus æquo confidebat, Propheta Isaias ad eos mittitur, durus nuncius, profligatos eorum mores gravi stilo & stomacho perstringens. *Væ genti peccatrici*, inquit, *populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.* Et ne frustra in suis victimis ac cultu exteriori templi præsumerent ; *Quo mihi*, ait, *multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus ? Plenus sum. Holocausta arietum & adipem pinguium nolui ; Neomeniam & Sabbatha vestra & festivitates vestras non feram. Iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta ; laboravi sustinens.* " Loquitur Scriptura de Deo (hic, inquit Glossa) ad modum hominis gravati onere. Et per hæc ostenditur, quòd talia non erant Deo placita, sed displicentia : " quæ tædium ipsi nauseamque præstarent. Ratio est, quòd alia animalia sibi volebat immolari ab homine, scilicet propriam voluntatem, carnem, sensum. Alias victimas sibi mactari cupiebat, cordis nempe contriti & humiliati, fidei & sanctimoniæ, quæ carnalis ille populus nil curans, satis se placare Deum putabat externis illis hostiis, de cætero in omnia omnium libidinum vitiorumque genera diffluens.

Tertium denique præsumptæ justitiæ, quo sibi plus æquo abblandiebantur, argumentum, successio erat generis Abrahæ. Fœlices quidem! si ut à tanto Patriarcha originem carnis & sanguinis trahebant ; ita & sanctitatis ac fidei successione spiritali gauderent : si quàm erant filij Abrahæ secundùm carnem, tam fuissent secundùm spiritum : tam cupidi virtutes ejus & mores in se exprimere, quàm paternæ traditionis & nominum memores, quibus ab eo successivis generationibus descenderent. Sed contra factum est; ut hanc retinentes, ab illa penitus deciderent, & in tot vitia diffluerent, ut pro filiis Abrahæ non agnoscerentur ampliùs.

Quanti autem facerent externam illam cognationem successionemque carnalem, patet ex more Scripturæ ; quæ dum illustrium virorum mentionem factura est, eorum diligentissimè Genealogiam prætexit: patet in sacratissimis Evangelistis, Mathæo & Luca, Christi generationem longissima avorum serie describentibus; illo Regiam per Salomonem, ab Abraham descendendo usque ad Ioseph : isto Sacerdotalem per Nathan gradu retrogrado, à Ioseph ascendendo usque ad Abraham, imò usque ad Adam, & ad Deum.

Glossa & PP. communiter.

Patet ex Apostolo, communem illam fratrum suorum Iudæorum avitam nobilitatem magnificè extollente ad Romanos. *Qui sunt cognati mei,* inquit

Ad Rom. 9.

inquit, *secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem.*

Patet ex ipsorum verbis grandi typho & tumido supercilio apud Ioannem Christo sese de genere Abrahæ, & de libertate jactantibus. *Semen Abrahæ sumus. Pater noster Abraham est, & nemini servivimus unquam. Quomodo tu dicis, Liberi eritis, Veritas liberabit vos?* Sed miseri & cæci, & duces cæcorum, peccati fœda mancipia, progenies & genimina viperarum. Vt eos hinc Ioannes, inde Dominus noster vocitabat. Ignorabant successionem spiritus & fidei, secundùm quam à vera propagine Abrahæ exciderant, sicut à vera libertate, per vitia & peccata quibus serviebant.

Ioan. 8.

Grande mysterium, quod revolvit Apostolus & reserat, vicem eorum lugens, & pro eis anathema esse cupiens, ut eos Christo lucrifaceret. *Non enim omnes qui ex Israël sunt*, inquit, *ij sunt Israëlitæ; neque qui semen Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen*: id est, *Non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.*

Ad hos reservabatur Christus Filius Abrahæ, cognatus eorum secundùm carnem; sed verus Abrahæ filius secundùm spiritum, & repromissionem; idē & secundùm naturam Divinam Abrahæ pater: is enim est, qui dicit: *Antequam Abraham fieret, Ego sum; & Abraham exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Missus inquam est ad eos, ut typhum vanæ elationis vacuaret, ostendens eos non esse veros Abrahæ filios, quos sola carnis propagatio probaret affines, sed quos fidei & sanctimoniæ spiritalis successio firmaret hæredes. Ideò dicit illis: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Factis probate, non verbis, ut ait hîc Glossa. Sed contrà: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere* (volendo me occidere) *qui fuit homicida ab initio.*

Ioan. 8.

Iam expuncta Iudaica illa præsumptione, ac inani fiducia, in sanctitate templi, in sacrificiis, in carnali origine Abrahæ, non concomitantibus operibus; ad nos reflectendus est sermo, qui Christianos nos esse gloriamur & confidimus; & diligentiùs investigandum, ne fortè nos Authoris fidei nostræ non sectantes vestigia, & verba, non facta captantes, feriat Dominica illa sententia: *Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei?* Aut illa fatuarum virginum repulsa; ideò fatuarum, licet virginum, quæ gloriantes de lampade virginitatis, lucente ad oculos hominum, non de oleo æterno, de conscientiæ securitate, de interiore gloria, nec de intima charitate, dixerunt & ipsæ: *Domine, Domine, aperi nobis?* Etenim idemtidem frustrà conclamantes, occlusa in faciem porta, æternùm exclusæ, terribilem hanc vocem audiegunt, *Nescio vos*, non habituræ mercedem: « quia (ut dicit Glossa) humanam receperant laudem. » Aut denique illa, quæ quondam perculuit hypocritas, quibus apud Lucam dicebat: *Quid me vocatis, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Aut etiam illa sors quæ infortunatos exterminat & exterret apud Mathæum: *Multi dicent mihi in die illa; Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? & in nomine tuo dæmonia ejecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.* Pro Confitebor, Græcè ὁμολογήσω. Author Imperfecti in Mathæum legit ὀμόσω, Iurabo, verbum majoris energiæ, quod meliùs congruit Maldonato, qualis est Domini usitatus mos affirmandi: *Amen, amen dico vobis; quia*

Digitized by Google

nunquam novi vos. " Nunquam vos pro meis habui, nunquam in prædeſtinatorum numero poſui, nunquam pro veris Prophetis habui, quales vos eſſe ſimulabatis. „ Sic ille.

Denique timendum valdè, ne nobis, fructibus operum vacuis, & foliis verborum abundantiùs luxuriantibus, contingat quod infructuoſæ ficulneæ, cui maledixit Dominus; & non inveniens in ea niſi folia tantùm, ait illi: *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum; & areſacta eſt continuò ficulnea.* Eſurierat quippe Dominus fructum de ficulnea, ſicut toties retrò de vinea Sinagogæ racemos quæſierat, nec invenerat. *Expectavi*, inquit apud Iſaiam, *ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Quis non iraſcatur arbori, aut viti tam ſollicitè ſatæ, cultæ, altæ, fotæ, nil fructuum producenti? quis non dicat: *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?*

Concludendum ergo, quòd quia omnes iſti fructum foliis; apparentiis, veritatem; verbis, facta; operibus, ſpiritum; oleum, lampadibus; generis ſplendori, morum ſanctitatem; ſacrificiis externis, cultum; templo, fidem, ſuperaddere & conformare neglexerunt, ſatis habentes, ſi Religionem impij, irreligioſi fidem, Deum hypocritæ, ore tenus profiterentur; meritò expulſi, abdicati, & bonis omnibus ſpoliati perierunt. Quod præſenti propoſito ſuffecerit.

Digitized by Google

TITVLVS VI.
DE DEO.

FABVLA.

De Milvo ægrotante.

ÆGROTAVIT aliquando Milvus periculosè, remedia nil efficerant; accersiti frustrà Medici monent, disponat rebus suis. Is tandem moriturus Matrem vocat; rogat, quando in humanis spes nulla salutis esset, eat precatum Deos pro sua valetudine. Respondet illa incunctanter: Nil tibi, fili, ex illa parte sperandum puta; nec quicquam tuo nomine, aut causâ, Diis supplicandum, quorum sacra & aras tuis toties rapinis violasti. Deus enim sceleratorum vota, nec munera, accepta habet.

De Iove & Serpente.

IOvi nuptias celebranti cuncta Animalia munera offerebant, singula pro viribus. Accessit etiam & Serpens, rosam vernantem, recèns decerptam suaveolentemque ore tenens, sedentique ad pulvinar Deorum Iovi obtulit. Quem ut vidit Iupiter, aversatus donum, & donatorem, dixit: Bonorum ego libens vota & munera accepta habeo, serpentis verò odi. Quo innuitur, de quavis manu hostias, & donaria Deo haud placere.

De Lupo & Vulpe.

COnvenerant Lupus & Vulpes adire Iovem, ut ab eo peterent ambo quod sibi quisque deesse existimabat: Lupus rapax, calliditatem vulpis; Vulpes callida, lupi vires & impetum. Sic fore, ut singuli abundantiùs prædas facerent. Respuit crudelium animalium vota Iupiter, utpotè injusta, & injuria proximis suis. Ab origine mundi singulis animantibus largissimè data munera, non uni omnia, respondit.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

DEVS SCELERATORVM VOTA, NEC MVNERA ACCEPTA HABET.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

Sen. c. 6.

APpositè huic argumento Seneca libro primo de beneficiis. *Animus est*, inquit, *qui parva extollit, sordida illustrat, magna, & in pretio habita, dehonestat*, &c. *Non est beneficium ipsum quod numeratur aut traditur: sicut nec in victimis quidem, licet opimæ sint, auroque præfulgeant; Deorum est honos, sed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac ficilla religiosi sunt; mali rursùs non effugiunt impietatem, quamvis aras multo sanguine cruentaverint.* Ita ille perquàm sapienter, non à pretio victimæ, sed ab innocentia & sanctitate offerentis, docens sacrificium commendari.

Epist. x.

Quid autem Deo acceptum sit, & quid non acceptum, ut postules, docet Lucilium suum his verbis: *Votorum tuorum licet Diis gratiam facias, alia de integro suscipe. Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu ista vota sæpè facias? Audacter dicam, Roga, nihil illũ de alieno rogaturus. Verum est quod apud Athenodorum inveni. Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cùm eò perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum, turpissima vota Diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent; & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc præcipi salubriter possit: sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.* Sententia ore Christiano, imò Apostolico, haud indigna.

Plin. in Paneg.

Pressiùs ad rem nostram Plinius junior in Panegyrico. *Animadverto*, inquit, *etiam Deos non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia & sanctitate, lætari; gratioremque æstimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quàm qui meditatum carmen attulerit.*

In Apol.

Meliùs Tertullianus in Apologetico ad Paganos. Irridens Ethnicorum sacrificia superstitiosa sacrificulorum sceleratorum, sic ait: *Non grana thuris unius assis, non Arabicæ arboris lachrimas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi hominis mori optantis; & post omnia inquinamenta etiam conscientiam spurcam, ut mirer cùm hostiæ probentur penes vos, à vitiosissimis Sacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum, quàm ipsorum sacrificantium, examinentur?*

Lib. 1. de leg.

Breviùs Cicero: *Ad Divos*, inquit, *adeunto castè: pietatem tenento: opes amovento. Si quis secùs faxit, Deus ipse vindex esto.*

2. de legib

Item: *Donis impij ne placare audeant Deos. Platonem audiant, qui vetat dubitare qua sit mente futurus Deus, cùm vir nemo bonus ab improbo se donari velit.*

Stob. ser. 42. circa finem.

Hîc prætermittere Zeleuci Legislatoris Locrensis præclarum consilium, quod in Prooemio Legum suarum refert Stobæus, probro duxe-

Digitized by Google

rim: *Omnes qui urbem ac regionem inhabitant, persuasos esse oportet, existimareque Deos esse, quod manifestum fit ex cœli & totius mundi inspectione, rerumque in ipsis dispositione pulcherrima; haud enim fortuita aut humana hujusmodi opera putare convenit. Deinde colendi honorandique Dij sunt, ut bonorum omnium nobis auctores, quæ aliqua ratione fiunt.* (Poterat hoc quod rem præsentem spectat omitti, si tam præclaram sententiam decurtare licuisset. Facit autem maximè, quod sequitur) *Singulos igitur habere & comparare animam quemque suam oportet, ut ab omnibus malis pura sit. Nam ab improbo homine non honoratur Deus, neque sumptibus colitur, neque tragœdiis capitur, instar hominis mali, sed virtute ac instituto bonorum operum & justorum.* Quocirca *opus est unumquemque pro virili bonum esse tùm factis, tùm voluntate, qui modò futurus sit Deo charus;* & non metuere pecuniarum jacturam, magis quàm honestatis & justitiæ.

Et paulò post: *Si quis verò à malo genio quopiam assistente sibi ad injustitiam instigetur, is ad templa, aras & delubra versetur, fugiens injustitiam, ceu dominam impiissimam molestissimamque, & Deos oret, ut opem ad propellendam ipsam sibi ferant.*

Quàm pulchrè his concinit Iuvenalis: Sat. 13.

Prætereà lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt à Numine: saxa Deorum
Hæc & tela putant. Pecudem spondere sacello
Balantem, & Laribus cristam promittere Galli
Non audent. Quid enim sperare nocentibus ægris
Concessum? Vel quæ non dignior hostia vita?

Congruit & illud Biantis, qui cùm aliquando navigaret; & orta gravissima tempestate, Nautis quidquid esset artis expertis, nave exonerata sarcinis ac mercibus, ruptis velis, arbore, gubernaculo; cùm nihil spei nisi in prece ad Deos reliqui videretur, & omnes orarent, conspicatus nebulones quosdam, cum aliis Deos implorantes, dicitur ipsis imperitasse ut silerent, nec quicquam Deos precarentur. *O scelerati,* ait, *quid facitis? Tacete, ne vos hìc Dij nobiscum esse sentiant, & omnes pereamus.* Plutar. in Apoph. & Laërt. l. 1. c. 6.

Xenophon Cambysis monita ad filium suum Cyrum referens; *Memini,* inquit hic ad patrem, *ex te olim audiisse, itidem à Diis illum magis exorare quod velit, quemadmodum etiam ab hominibus, qui non cùm in difficultatibus fuerit, tùm assentetur; sed cùm rebus secundis utitur, tùm reminiscatur Deorum: & amicorum dicebas eandem adhibendam esse diligentiam. Propterea,* inquit, *ô fili, ob illos cultus libentiùs venis Deos rogaturus ita affectus, sperasque futurum, ut magis quæcunque rogaveris consequare, quòd tibi conscius sis nunquam eorum cultui defuisse. Quid enim, ô fili? Meministine illa quæ nobis olim videbantur, fœliciores esse homines, si didicere quæ Dij dederint, quàm si eorum fuerint inscij; & si operantur, efficere magis quàm si otiosi sint; & si diligentiam adhibuerint, quàm si horum fuerint negligentes, degere posse securiùs. Qui ergo tales se præstiterunt, quales par est, ita nobis videbatur, bona ijs petenda esse à Diis Immortalibus. Ita,* inquit, *Cyrus.* Ex Xenophont. l. 1 de Cyr. Ap. Stob. serm. 46.

Quo ex Dialogo summatim collige Deos non largiri sua dona impiis, aut otiosis, aut negligentibus, aut eorum cultum ablegantibus; ut benè Lyricus: Horat. l. 3 Car. Ode 23.

Te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilique Myrto.

Digitized by Google

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit aversos Penates
Farre pio, & saliente mica.

Iunge Plautum Rud. in Prol.

Atque hoc scelesti in animum inducunt suum,
Iovem se placare donis, hostiis;
Et operam & sumptum perdunt: Ideò fit, quia
Nihil ei acceptum à perjuris supplicij.

Epist. 19. Idem dicit Ovidius:

Non bove mactato cœlestia Numina gaudent;
Sed quæ præstanda est, est sine teste fides.

Plin. l. 8. c. 46. Narrat Plinius de Api Deo Ægyptiorum, à quo populi auguria capiebant, tunc fœliciter præsagisse, cùm è manu consulentium cibum capiebat; infœliciter, si aversaretur. Cujus rei experimentum faciens Germanicus Princeps, ægritudine, qua brevi post obiit, laborans, Apis, cui cibum obtulisset, ejus manum aversatus est, haud multò post extinctus; quia ejus viscera jam veneno infecta erant: quod alia conjectura evidenter patuit post mortem, cùm *cremati cor inter ossa incorruptum repertum est*, inquit Suetonius; *cujus ea natura existimatur, ut tinctum veneno, igne confici nequeat.* Quod ad præsens negotium transferens, dicimus eorum preces & munera Deum aversari, quorum præcordia peccati veneno imbuta fuerint.

Sueto. in V. C. Cæs Caligulæ c. 1.

Proptereà Charondas Catanæus in Prooemio Legum quas condidit, præmittit, *à malis facinoribus abstinendum, maximè*, inquit, *propter concordiam cum Deo: cum nullo enim injusto Deus commercium habet. Idcircò*, addit, *impudens nullus esto; sed sibi quisque temperantiam conciliet, tanquam hac ratione Deum habiturus propitium, & salute fruiturus. Nullus enim improbus Deo charus est.* Ita ille apud Stobæum.

Stobæus ser. 42.

Hor. l. 3. Od. 6.

Delicta majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedesque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulachra fumo.
Dis te minorem quòd geris, imperas;
Huc omne principium, huc refer exitum:
Dij multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.

Digitized by Google

DEVS SCELERATORVM VOTA, NEC MVNERA, ACCEPTA HABET.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

CONFIRMANDÆ propositæ veritati è Scriptura, fatigamur magis excessu, quàm defectu. Sanctissimus Iob in primis occurrit, sceleratorum vota exosa Deo esse, asseverans. *Quæ est enim spes hypocritæ,* inquit, *si avarè rapiat, & non liberet Deus animam ejus? Nunquid Deus audiet clamorem ejus, cùm venerit super eum angustia? aut poterit in Omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore?*

Non dissentit ab eo Regius Psaltes, cùm orationi se accingens, disquirit priùs, & scrutatur cor suum. *Iniquitatem si aspexi in corde meo,* ait, *non exaudiet Deus. Propterea exaudivit Deus, & attendit voci orationis meæ*: scilicet quia oraturus Deum, priùs animam à culpa vacuã in examine invenerat.

Inculcat hoc non semel Propheta Isaias: *Cùm extenderitis manus vestras,* inquit, *avertam oculos meos à vobis; & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Non tantùm preces, sed etiam victimas & holocausta, & incensa peccatorum, Deo invisa esse ibidem affirmat. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium,* &c. *nolui. Incensum abominatio est mihi: Neomeniam, & Sabbathum, & festivitates vestras non feram,* &c. Quorum rationem subjungit: *Manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.*

Isai.c.1.

Alius: *Ad vos, ô Sacerdotes qui despicitis nomen meum,* &c. *Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra.* Hæc Malachias. Eodem tenore omnes Prophetæ.

Malach.1

Concludit idem uno verbo Sapiens in Proverbiis: *Victimæ impiorum,* ait, *abominabiles, vota justorum placabilia.* Cui Ecclesiasticus consonat: *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Quibus ex verbis non inferas omnia Infidelium, multò minùs fidelium peccatorum, dona, vota, opera, esse peccata, ideoque Deo exosa; uti novi hoc sæculo Theologi de Janseniana schola prodeuntes dogmatisant. Infideles enim & Impij, etiam in impietate persistentes, nonnulla faciunt opera virtutum moralium, sicque moraliter bona, ut victimas Deo, pauperi eleemosynas dare, parentes honorare; quæ ut sic Deo placent, probanturque, quamvis ea operantes ipsi displiceant, nec eis prosint ad gratiam & gloriam consequendam. Sic Cornelius à lap. in hunc locum.

Prove.15
Eccli. 34.

Notabis secundò ex hoc loco Doctores, per Iniquos, hîc intelligere non solùm Impios qui in peccato vivunt, sed etiam quosvis ex fidelibus in peccato mortali lapsos, eorum satisfactionem, quandiu in eo sunt, non valere ad remissionem pœnæ, nec pro ea satisfacere; sed ut satis-

Digitized by Google

factio valeat; debere eos esse in gratia & charitate. Ita S. Thomas. (In 4. dist. 15.)

Vt ut sit, tremenda nimis videtur illa sententia, vota quæcunque, dona, victimas, opera peccatoris & iniqui Deum placare minime posse, sed ipsi exosa esse, ingrata, abominabilia, dicente Apostolo: *Etiam si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (1. Cor. 13)

Hujus veritatis exemplum habes in Cain, cujus ad munera, impij, avari, invidi, *non respexit Deus; respexit autem ad Abel, & ad munera ejus.* "Neque enim in omnipotentis Dei judicio, inquit S. Gregorius, quid, sed à quo datur, inspicitur. Hinc est enim quod scriptum est: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Caïn autem, & ad munera ejus, non respexit.* Dicturus quippè quia Dominus respexit ad munera, præmisit sollicitè, quia *respexit ad Abel.* Ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. *Dona quippe iniquorum non probat Altissimus*, &c.". (L. 7. regist. Epist. 127 ad Recaredū regē)

Iuvat hîc occasione hujus sententiæ ex Annalibus Regum nostrorum, & gestis Sancti Columbani Abbatis Luxoviensis retexere, quod contigit Sancto cum Theodorico Rege Galliæ, primæ stirpis, Principe depravatissimo. Hic enim cùm rescivisset S. Columbanum ad se venire; veniebat autem ut ejus mores vitamque profligatissimam argueret, & increparet; Rex regio cultu mensam instrui, hospitiumque multo famulorum ordine apparari curat, itque obviam, ut reciperet. Quem ut vidit Sanctus, vultu & voce Regem aversatus, regiumque apparatum, usurpavit hæc verba Ecclesiastici: *Munera impiorum reprobat Altissimus*, indignum reputans cibos, aut quidquam impij Principis manu contingere. Vix verò verba finierat, cùm vasa omnia, dapes, fercula, vina, totusque cœnæ apparatus regius susdeque versus ruit, & totus confractus est. Quare Ministri & Aulici omnes, Rexque ipse attonitus, pronus se Sancto submisit, promisitque se vitam mutaturum in melius: sed statim ad prioris vitæ scandala reversus est.

Probat hanc nostram sententiam ex abundanti, Cœcus ille à nativitate ex Evangelio, à Christo illuminatus; jam non cœcus, sed perspicax, qui Iudæis de suo Medico & Sanatore dicentibus, quòd homo peccator esset, blasphemis restitit, respondítque: *Vos dicitis quia peccator est: scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* (Ioan. 9.)

Cui veritati cùm omnis Scripturæ pagina assentetur, trium insignium virorum exempla subjicimus, quorum preces, supplicationes & vota Deo facta legimus, gravia, accurata, ardentia; rerum, quod magis mirere, bonarum, omni homini summè expetendarum, fuisse tamen à Deo repulsa, inaudita, denique infœlicissimum finem sortita.

Primus sit, ut, à recentioribus ad vetustiora ascendendo, sermo sit, Antiochus ille, apud Machabæos cædibus, sacrilegiis, furtis, & odio maximè in Deum, cultoresque ejus; & super hæc omnia, plaga cœlesti, & fine deploratissimo, famosus. Qui cùm repentino Dei judicio percussus, diro viscerum dolore premeretur, & sibi suisque fœtore intolerabilis ad extrema devenisset, cœpit agnoscere Dei manum, fateri & publicare, *justum esse, subditum esse Deo, mortalem non paria Deo sentire*; templo, aris, Iudæis, Deo, velle reconciliari; honores pristinos, vasa sacra, thesauros, (2. Machab cap. 9.)

resarcire

Digitized by Google

resarcire, imò & ampliare, protestari se deinceps Iudæum, toto orbe publicaturum Dei potentiam. Sed quid dicit Scriptura? *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consequuturus.* Nempe quia dum potuit, noluit: cùm ætas, potentia, libertas, vita sufficerent, ea in Dei, populique sui injuriam, ruinam, perniciem convertit. Restat ut cùm velit, nolit Deus; post expilatum templum, destructas aras, sacra profanata, coactos ad ritus Gentilium Iudæos: uno verbo, *Quia victimæ impiorum abominabiles*, vota *impiorum non probat Altissimus.*

Secundo ordine veniat Balaam Propheta, tam munere & prophetia illustris, quàm vita & moribus infamis. Hic unam rem à Domino postulasse legitur, utique bonam, bonam scilicet mortem: precem Propheta dignissimam, si postulatis acta, desideriis vita respondisset. *Moriatur*, inquit, *anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Quid sanctius aut desiderabilius his votis? Sed quid ei profuit talis oratio, viventi vita Gentili, & inimici Dei? Nunquid exauditus est? Minimè verò, dicente hîc Glossa: "Mali homines, licet nolint vivere vita justorum, appetunt tamen mori morte justorum." Et talis erat Balaam. Tandem qualis vita, talis ei mors obtigit, longè contraria votis suis, sed digna meritis: nam in scelere suo periit, gladiis Israëlitarum cum Madianitis, quos colebat, exhaustus. Vt & hîc advertas sceleratorum preces & vota, ut vitam, Deo exosa.

Numeri c. 23.

Tertius est Esaü, major natu Iacob, primogenitus sine primogenitura; cujus idem ac præcedentis judicium, si ad literam provoces, dicente Apostolo: *Ne quis fornicarius aut profanus ut Esaü, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim quoniam posteà cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lachrimis inquisisset eam.* Quo ex contextu verborum, duo video Esaü desiderasse bona, bono perdigna; Benedictionem paternam, & Pœnitentiam. Sed utramque perdidit: Iusta desideria, per injusta opera; privatus benedictione patris, qui per inobedientiam ejus maledictionem incurrit, profanis fœdatus conjugiis. Aut qui pœnitentiæ locum invenisset, qui non ex charitate ingemuit, sed pro temporali bono irrugiit, tam fictis lachrimis, quàm pro fluxis bonis?

Ad Hebr. 12.

Enimverò non quæcunque holocausta & munera Deus accepta habet. Audi. Capta & asportata Arca Dei à Philistæis, summo in honore ab eis habita, reposita est in templo Dei sui. Quid ampliùs facerent Gentiles, nisi Deum advenam æquare Deo suo? Sed nunquid placuit Deo profana simplicitas? Pro impenso honore rependit supplicia, pestes & plagas. *Aggravata est*, inquit, *manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* Quid quod reducta in fines Israël in Bethsames, Bethsamitæ obtulerunt ei holocausta, & immolaverunt victimas? Sed qua mercede? Ipsi dum victimas cædunt, quasi victimæ iræ Dei sui, eo cædente percutiuntur, ex optimatibus septuaginta, è populo septuaginta millia: quia Arcam fortassè curiosiùs conspexerant. Adeò è cujuscunque manu Deus non accepta habet dona & victimas.

1. Reg. 5.

1. Reg. 6.

Reposuerat Noë in Arca diluvij animalia munda & immunda, ut species omnium à diluvio servarentur, & in novam sobolem germinarent. Extersis ergo aquis, pro tanto beneficio *Noë ædificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare*, odo-

Gen. 8.

Digitized by Google

ratusque est Dominus odorem suavitatis.

Hîc quærat non sine causa aliquis: Nonne animalia immunda creavit Deus? nonne utraque jusserat in arca servari? ex arca in seminarium dimitti? Cur ergo de solis mundis holocaustum oblatum est? non verò de immundis, pari cura servatis? In promptu responsio est: Deo non placent immunda; non vult victimas de immundis.

Nadab & Abiu, filij Aaron, quia ignem profanum Domino accenderant, altero igne ipsi absumpti sunt. Non placet Deo quivis ignis. Vide ampliùs. Consternatus Aaron funere,& amissione charorum, cùm eodem die de parte victimæ non ausus esset comedere, ut moris erat, & ob id argueretur à Moise, excusavit se his verbis: *Mihi accidit quod vides. Quomodo potui comedere, aut placere Domino in Ceremoniis, in mente lugubri? Quo placatus est Moises*, excusatius habens ritum sacrum deficere, quam à Pontifice in lachrimis & lugubri mente exhiberi. Non omnis cultus placet Deo, nec omne obsequium.

Levit. 10

Cogitaverat David, statueratque ædificare domum Domini, & jam præparaverat impensas, cùm hoc consilium mente tractanti apparuit Deus, dicens: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo.*

1. Paralip 22.

Ex his omnibus summariè deducitur, quòd si incensum profano igne accensum, quod sacro ardere debebat, morte expiatum est: si Aaron nefas putavit comparere altari cum luctu & lachrimis: si prohibitus est David opus religioso Principe dignum construere, ob multum à se fusum, justissimo licet in bello, sanguinem; cum qua putas severitate exarsurum Deum in Sacerdotes & populos, si ad tremenda accedentes Mysteria, corda ingerunt de impuro igne adhuc tepentia, aut odiis ac rixis ardentia, aut denique de curis humanarum rerum implexa? Adeò verum est Deum sceleratorum vota, nec munera, accepta habere.

Digitized by Google

TITVLVS VII.
DE DEO.

FABVLA.
De Cornice & Cane.

CORNIX Deæ Minervæ sacra faciens, Canem ad epulas sacrificij invitavit. Cui Canis: Vt quid tu, ait, Minervæ sacrificas, cùm ipsa te oderit, & in tantum aversetur, ut auguriis etiam tuis fidem abrogarit? At illa: Et ob id, inquit, eò magis ei sacrificia & honorem impendo, ut cum ea in gratiam redeam. In hoc vel maximè veri cultoris Dei formam præscribens, si creatura, Deo quibuscunque auspiciis, etiam irato aversoque, cultum sacrificiumque cordis contriti, & humiliati, studet impendere, ut quocunque tandem modo, cum eo in gratiam redeat.

Mens Fabulæ, seu Morale.

DEVS, ETIAM IRATVS, TVNC VEL MAXIME EST COLENDVS.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

HVIVS effati ac veritatis exempla, eaque insignia, apud ipsos Gentiles suppetunt non pauca; Deos scilicet offensos, placabiles reddi votis, muneribus, sacrificiis. Hoc Poeta Ovidius frequenter insinuat;

Scilicet ipse sacram quamvis invisus ad aram
Confugiam: nullas summovet ara manus. (3. Trist. Eleg. 2.)

Idem alibi: *Confugit interdum templi violator ad aram,*
Nec petere offensi Numinis horret opem. (2. de Pon.)

Eapropter Vates Helenus à Poëta describitur pio Æneæ occurrens, illud ante omnia consulens, ut cùm primùm fines Italos accessisset, Iunonis, sibi, & suis infensæ, Numen, sacrificiis expugnatum, conciliaret. Sic autem ille: (3. Æneid)

Præterea si qua est Heleno prudentia, Vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo;
Vnum illud, nate Dea, præque omnibus unum
Prædicam, & repetens iterumque iterumque monebo:
Iunoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.

Denique nusquam invenies iis retrò temporibus quibus inanium Deorum superstitio mortales tenuit, celebriora vota, sacra religiosiora, & facta magis stupenda, quàm cum contrariis adversisque rebus Deos propitiare, & placare nitebantur. Quibus enim tunc hostiis parcerent? quæ pericula non obirent? quibus se malis non objicerent, ut iram Deorum averterent, & saluti patriæ laborantis, etiam propriæ vitæ dispendio, si necesse erat, occurrerent?

Plutar. in vita Rom. Val. Max

Inde est illa Iovi Statori ara in Capitolio, ab ipso Romulo voto nuncupata; qui cùm in bello Sabino, quod circa Capitolium gestum est, turpem suorum fugam videret, & nulla ratione territos sistere posset, Religione effecit, quod vi neque arte potuerat: Iovi Statori ædem dedicaturum se voto obligavit, si suis metum ademisset. Nec vana confidentia: nam de repente frontem vertentes, victoriam hosti averterunt, & ad se transire fecerunt.

Non minor audacia Tullum Hostilium, tertium Romanorum regem, victorem effecit; qui cùm adversùs Fidenates & Veyenses aciem direxisset ad Tyberis & Anienis confluentem, cognita Albanorum defectione & secessione ad hostes, inevitabilem suorum ruinam conspiciens, ad Divinam nil desperans opem confugit, solenni voto Marti duodecim Salios vovit; & confestim victor evasit, qui pro victo habebatur.

At nulla in re unquam hoc evidentiùs patuit, quàm in Deciorum devotione; qui ut Numina suis aversa, aut infensa, placarent, civibus salutem voluntaria ac propria morte pepererunt. Pater in altam voraginem se bello Latino præcipitem agens, quæ Ara Decij posteà appellata est; filius bello Hetrusco; nepos verò eo bello, quod pro Tarentinis Pyrrhus gessit.

L.1. Exép c. 3.

Nec mulieres ipsæ Romanæ hac laude & Religione caruerunt. *Accidit sæpiùs*, inquit Sabellicus, *ut Romanis rebus bello accisis, cùm novus terror ab hostibus impenderet, Romanæ mulieres pacem malorum petituræ, solutis crinibus templorum pavimenta verrerent.*

In universum is mos erat tam frequens apud Gentiles, sicut & apud Hebræos veri Dei cultores, ut quoties Numen aliquo piaculo læsissent, infensumque reddidissent, sacrificiis sibi propitium, si possent, redderent, votis, obsecrationibus, hostiis; & aliquando proprio filiorum sanguine, errore id quidem, Paganam superstitionem redolente, ut contigit in Iephté.

2. Æneid.

Sic apud Virgilium famosus ille Synon.

dolis instructus Vlyssis,
Fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.

Dementans miro artificio Trojanos, narrabat Græcos longissimæ obsidionis tædio tandem victos, Oraculum consuluisse, quonam modo re-

Digitized by Google

licta Troja possent secundo mari reverti in patriam? Respondisse Oraculum:

Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica.

Quo dabat credere, mendacia mendaciis intexens, quòd cùm Græci Aulidem venissent, & rex Agamemnon, pater Iphigeniæ virginis, venationi insistens, Cervum Dianæ sacrum ignarus occidisset, unde infensum Numen ventorum flatus classi abstulisset, ut navigare, aut è loco egredi non possent; insuper pestilentia macerarentur; Oraculum Deam Agamemnonio sanguine placandam dixisset, &c. Et pro obtinendis secundis ventis, & fœlici reditu, & propitiandis Diis Græciæ offensis, immolandum ipsum Synonem destinatum esse, & insuper pro placanda Pallade, immanem illam fatalis equi machinam fabricatam pro voto.

Hanc pro Palladio, moniti pro Numine læso
Effigiem statuere, nefas quæ triste piarent.

Idem Poëta introducit Annam sororem Didonis, jam jam in connubium cum Ænea inclinantem, ac pronam inducentem, pudoremque his dictis solventem:

Tu modò posce Deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, causasque innecte morandi.

Ex quibus morem hunc antiquis fuisse deprehenditur, ut irata Numina tunc magis colerent, sibique sacrificiis & hostiis impensiùs propitiarent.

Hîc non extra argumentum adjungam, quod in Historia Augusta Flavius Vopiscus in Aureliano memorat, his verbis:

Hist. Aug. Flavij Vopisci Syracusij D. Aurelian.

« Referimus ad vos, P. C. Pontificum suggestionem, & Aureliani Principis literas, quibus jubetur, ut inspiciantur fatales libri, quibus spes belli terminandi sacrato Deorum imperio continetur. Scitis enim ipsi, quotiescunque gravior aliquis extitit motus, eos semper inspectos; neque priùs mala publica esse finita, quàm ex iis sacrificiorum processit auctoritas. » Tunc surrexit primæ sententiæ Vlpius Syllanus, atque ita locutus est:

« Serò nimis, P. C. de Reipub. salute consulimus; serò ad fatalia jussa respicimus, more languentium qui ad summos Medicos nisi in summa desperatione non mittunt, quasi peritioribus viris major facienda sit cura, quam omnibus morbis occurri melius sit.

Meministis enim, P. C. me in hoc Ordine semper dixisse, jam tùm cùm primùm nunciatum est Marcomannos erupisse, consulenda Sybillæ Decreta, utendum Apollinis beneficiis, inserviendum Deorum Immortalium præceptis; recusasse verò quosdam, & cum ingenti calumnia recusasse, cùm adulando dicerent tantam esse Principis virtutem, ut opus non sit Deos consuli, proinde quia & ipse vir magnus non Deos colat? non de Diis Immortalibus speret? &c. Agite igitur Pontifices, quà puri, quà mundi, quà sancti, quà vestitu annuisque sacris commodi templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus evolvite fata Reip. quæ sunt æterna perquirite. » Hæc ibi, quæ referre volui, tùm quia valde ad propositum veniunt, ostenduntque difficilioribus rebus ac temporibus divina subsidia perquirenda; tùm quia curiositate quadam ac majestate tument.

Digitized by Google

Non abhorret à sententia quod de Philone Iudæo ferunt, qui cùm ab Appione accusatus, quòd Cæsari divinos honores non tribueret, & ab aula excusationem rei deprecaturus ejectus esset, fertur sociis Iudæis dixisse: *Bono animo esse nos oportet, quibus iratus est Caius. Quia nempe necesse est invocatum Divinum Numen adesse, ubi humanum cessat auxilium*; sentiens eò magis hominem conniti debere, & quærere cœlestem opem, quò humana minùs affulget.

5. Fast.

Sæpè Deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hostia blanda fuit.
Sæpè Iovem vidi, cùm jam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato, sustinuisse manum.
At si negligitur, magnis injuria pœnis
Solvitur, & justum præterit ira modum.

DEVS, VEL MAXIME IRATVS, TVNC VEL MAXIME EST COLENDVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVOD Deus, etiam iratus & aversus à nobis, tunc vel maximè sit colendus, non à profanis exempla petenda, sed in maximis viris è sacra Scriptura. Nam licet homo impar sit placandæ iræ Numinis, ut & ferendæ; utrumque tamen cum ejus adjutorio potest; & ipsi cedere aut flecti, nisi volens, adigi non potest; & virtus magnorum est, Deum in se iratum æquanimiter excipere, & colere, tonantem pœnis ac suppliciis, sicut & donis beantem. Hoc in genere mirabiles extiterunt tres præcipuè aut quatuor viri.

1. Reg. 3.

Primus sit Heli summus Sacerdos, & Iudex Israël; cui cùm renunciaretur ex parte Domini in se graviter offensi, servulum Samuëlem, quem puerulum domi aluerat, in suum locum assumi, sui filiorumque promptum interitum, ruinam domûs suæ, nominis & officij perpetuam extinctionem. His ictibus tam magnis perculsus, non more Esaü irrugiit, aut feraliter indoluit; sed totam iram Dei grandi ac forti pectore, tranquillus ac submissus excepit, respondens ex tempore: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.* Vnde Glossa de Heli: « Licet in persona propria, & filiis punitus fuerit ad pœnam temporalem, ipse tamen in persona propria evasit æternam; quia in acceptione divinæ justitiæ videtur veraciter pœnituisse. » Ita Liranus, & communiter Sancti Patres; & meritò quidem: quis enim illius hominis æneum non miretur animi robur, Deo talia super Heli & domum ejus tonante, ipsum non illicò concidisse animo? nec desperasse præ plaga? nec insanisse præ dolore? sed immotum, sed tranquillum, sub manu Dei consensisse percutienti se Domino; & quasi gratias ageret, nil aliud eructasse, nisi, *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.*

Gloss. h. c

Iam quis non miretur Davidicæ mentis fortitudinem, qua piissimus

Digitized by Google

Rex, rebellante in se proprio filio, à sede, urbe, regia excedens, insurgentem in se ad portam civitatis Semei subditum suum impunè sustinuit, maledicta, injurias, lapides ejaculantem? Nec tantum tulit aut dissimulavit, sed etiam regios milites sacri corporis regij custodes fideles, strenuos, armatos, regiam contumeliam ulturos aversatus, ait: *Dimittite eum ut maledicat: Dominus enim præcepit ut malediceret David. Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* O mirabilem magnæ mentis exaggerationem! Mirentur alij Davidis patientiam, sui in hoc facto victoriam; ego verò illam vocem, illud motivum quod sibi finxit, quod assumpsit, ut non excandesceret, ut opus malitia, iniquitate, invidia plenum Deo attribueret, non præcipienti, sed justè permittenti, supra omnia demiror. Sentiebat quippe religiosissimus Princeps præcedentis suæ offensæ gravitatem, Deum in se justissimè offensum, sævientem; & quantò plus flagellantem sentit, sibi tantò magis colendum proponit; & iniquissimi convitiatoris injurias, quasi ex parte Dei, scit sibi sustinendas. *Si fortè*, inquit, *respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione ista.*

1.Reg.16

3.Reg.16

Est & aliud in eodem Principe perpendendum, quod valdè huic argumento congruit, nec minùs admiratione plenum, quod contigit in filio, quem ex adulterio Bersabee pepererat; quem licet ei Nathan prædixisset moriturum, in pœnam peccati, & statim à Dño percussus esset, & a Medicis desperatus, putavit tamen David suis lachrimis, jejuniis, precibus, Divinam posse flecti districtionem. Ergo Rex pro filij valetudine vigilias, jejunia, preces & lachrimas humi prostratus frequentavit; & seniores domûs suæ, fideles servos suos, deprecantes ut è sacco & cinere surgeret, & ederet, nequicquam audire voluit, aut consolari. *Accidit autem, ut septima die moreretur infans*, inquit Scriptura, *timueruntque servi David nunciare ei quòd mortuus esset parvulus: dixerunt enim: Ecce cùm parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram; quantò magis, si dixerimus, Mortuus est puer, se affliget?* Ita illi inter se, regio dolori parcentes. Mirabile tamen est, quòd statim atque novit quod obiisset, surrexit illicò de terra, vestes luctûs mutavit, induit cultiores, lotus est, unctus est; absterſit lachrimas, templum Domini ingressus est, adoravit, panem comedit. Vnde tam subita & insperata mutatio? Cùm parvuli vita, quasi navis in salo fluctuans, anchoræ spei licet tenuissimo filo adhæreſcit, mœret inconsolabilis. Cùm moritur puer, & rupta anchora, navicula mergitur, consolatur & gaudet. Cùm nil sperandum, luget: cùm desperandum, lætatur. Sed vide regiæ mentis magnitudinem ac perfectionem. Quandiu vixit & elanguit puer, putavit his armis, quibus Divina Iustitia emolliri solet & flecti, jejunio, precibus, lachrimis, eum à morte redimendum, ignarus Divinæ voluntatis. Vbi eam cognovit, & è vivis sublatum infantulum, tam libens divinæ se conformavit voluntati, quòd mœstitiam cordis exuit, induit alacritatem, probans sævientem in se, licet supernæ manûs dispositionem, & dissuavians.

2.Reg.12

Quid quod Sadoc Sacerdotem, cum Arca Regi occurrentem, jussit regredi, voluntati divinæ ad omnia paratū pectus ostendens. *Reporta*, inquit, *Arcam Dei in Vrbem. Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam*, &c. *Si autem dixerit mihi: Non places, præsto sum: faciat quod bonum est coram se.* Mirabilis planè regiæ sub Dei nutu dispositio voluntatis!

2.Reg.15

Tertius in hoc lycæo veniat Ezechias, qui Prophetæ Isaiæ, iram Dei & domûs suæ ruinam, filiorumque captivitatem denuncianti, his verbis:

Digitized by Google

Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem. Non remanebit quidquam, dicit Dominus; sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis. Quid ad hæc Rex tam dira & dura nuncia? Nunquid superbè intumuit, aut abjectè concidit ac expavit? Imò nihilo mutatus, aut motus, tranquillè respondit: *Bonus sermo Domini, quem locutus es.*

Iob.13. Cum eodem æquabili mentis situ patiens Iob dicebat, inconcussus inter multiplices flagellantis se Dei iras: *Etiam si occidat me, sperabo in eum*; spem suam ultra vitæ mortalis terminos extendens, ut benè de ipso pronunciaverit illustris Commentator: « Ille enim verè est patiens, qui & adversis atteritur, & tamen ab spei rectitudine non curvatur: de reprobis namque scriptum est: *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* » S.Greg. hic.

Psal. 118. Propterea jam laudatus Rex, veri Dei cultoris partes dictis ut factis implens, dicebat: *Defecit in salutare tuum anima mea; quia in verba tua supersperavi.* Scilicet divinæ bonitatis & sapientiæ altitudinem contemplanti, non satis fuit sperare in Salutare Dei, nisi etiam supersperaret. Quia enim *potens est Deus facere superabundanter plus, quàm petimus aut intelligimus*, parum videtur ea tantùm sperare quæ intelligimus & petimus, nisi ultra amplius & superabundantiùs speremus, » ait Michaël noster de Bononia. Ephes.3. Michaël de Bononia.

Rom.4. Quo in genere laudis supra omnes fideles Abraham extollitur, ab Apostolo idcirco vocatus *Pater fidei nostræ, & pater credentium*; quia *contra spem in spe credidit.* « Verè enim, ut Glossa expendit, fuit sancto viro magna tentatio, cùm filium jubetur occidere: magna fides, cùm etiam de mortuo credebat se posse semen accipere: magnum opus, cùm dilectissimum non dubitaret offerre. » Glossa in cap.2. ad Hebr.

Num.16. Sed enim exemplum prætereire non licet Aaronis, qui assumpto thuribulo pro officio summi Sacerdotis, sævienti iræ Dei in populum non cessit, sed fortiter restitit; & *stans mortuos inter ac viventes*, pius Mediator intercessit, iram avertit, incendium extinxit.

Sed omnium omni exceptione fortior, & omni comparatione patientior Christus, quantùm Deus excedit hominem; aut indignius est Deum pati à creaturis, quàm regem à subditis; innocentem à reis, quàm peccatores pro delictis; improperia immerita, quàm merita opprobria; tolli vitam, quàm coronam fluxam; sustinere clavos configentes, quàm vermes rodentes; denique mori in Cruce, quàm jacere in sterquilinio. Vt propterea Iacobus Apostolus ea perpendens diceret: *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis.* Invitat nos ad contemplandam, non Christi sufferentiam, sed Iobi; non Iobi finem, sed Domini. Sufferentiam Iob, & aliorum Sanctorum, ut brevem non tædeat sufferre laborem. Et quia illi ut plurimùm è malis ad meliorem fortunam, ut Iob & David, emerserunt: Christus autem à Patre in Cruce derelictus, in tormentis vitam finivit: Illi de calice tantisper degustarunt; Hic totum ebibit & exhausit usque ad finem. Ergo ille: *Sufferentiam Iob audistis*, quæ est valde laudabilis: sed *finem Domini vidistis*, qui super omnium Sanctorum laboribus videndus est, adorandus, imitandus. Audiendi Sanctorum fines, patientiæ, labores, cruces servorum Dei; qui ut plurimùm ad breve tempus tentati, probati, cruciati, in pace diem obierunt: sed videndus finis Domini, hîc sistendus intuitus, figendus oculus; hîc morandum, hîc commoriendum, qui sine remissione à suis cruciatus, sine consolatione à Patre derelictus, in tormentis, in cruce diem finivit. Iacob. can. 5.

Digitized by Google

TITVLVS VIII.
DE DEO.

FABVLA.

Bubulcus.

BVBVLCVS *domini sui armenta custodiens, fortè amiserat vitulum; & nullo non loco quæsitum, minimè inveniens, precatur Iovem, vovetque, si furem ostendat, hædum ipsi immolaturum. Non diu post offendit in saltu leonem trucem, vitulum suum devorantem: cujus aspectu & occursu perterritus, ociùs aufugit; iterumque Iovi supplicans vovet, si se à tanto periculo faciat immunem, non jam vitulum, sed bovem integrum dicaturum. Indicat cæcas hominum mentes, preces indiscretas, improvida consilia, nunc vota voventium, nunc retractantium, & ut plurimum sibi ipsis nociva precantium.*

De Rustico.

C*Ogitavit aliquando fanaticus quidam Agricola melius esse, si triticum absque aristis, aut aristæ sine barbulis nascerentur. Postulavit id à Cerere, & impetravit, existimans fore ut grana inde majora crescerent, nec metentium manus læderent. Sed illicò miserum pœnituit voti sui: nam ubi spicæ creverunt ad messem, ardore solis inaruerunt, & ab avibus impunè depastæ sunt, his involucris ac tegumentis anteà, quasi tot telis, armatæ. Quod videns Rusticus ingemuit, dicens: Heu me infortunatum & stolidum, qui opus Dei magna sapientia conditum emendare volui, & perdidi! Ex quo docemur nos committere debere arbitrio Dei, & nil ab eo petere, quàm quod ipse novit, & melius esse judicavit.*

Camelus.

C*Amelus non ursis, non leonibus, non equis mole corporis & viribus inferior, sed solo animo, ab aliis animalibus impetitus, à Iove petiit cornua, quibus contra hostes armaretur, præliareturque. Irrisit Cameli postulationem Iupiter, non ad arma natum, sed ad onera servitiaque, petere cornua; nec solùm negavit, sed etiam aures mutilavit laceravitque,*

Digitized by Google

prohibuitque ne deinceps supra se, conditionemque se erigeret, & indebita postularet.

De Bove cornua petente.

FErunt initio Bovem creatum sine cornibus, adeò ut sui juris, & jugi expers vagaretur per campos erecta cervice. Sed ubi vires suas sensit; nulli penè animalium mole corporis, aut viribus cedens, exarmatum se esse indoluit. Ergo supplex à Iove petiit sibi dari cornua. Annuit Iupiter votis ejus, cornuaque hinc & inde capiti inseruit. Sed novæ fœlicitatis gaudio & usu non diu potitus est. Nam cùm anteà non haberet unde capi & ligari posset, natis cornibus comprehensus & ligatus, jugo addictus est, & arandæ terræ mancipatus. Quo sub onere deinceps ingemiscit deperditam libertatem; optimum esse sentiens, si creatura se Dei arbitrio committat, & nil ab eo petat, quàm quod ejus beneplacitum est voluntati.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

MORTALIVM PRECES ET VOTA VT PLVRIMVM SIBI IPSIS NOCIVA.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

SApientissimvs mortalium Socrates, hominum ignorantiæ & indiscretis votis occurrens, docebat, Nil ultra à Diis petendum, quàm ut bona tribuerent, quæ ipsi vellent; quoniam ij demùm scirent quid cuique conduceret, atque utile esset. *Nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrare melius esset.* Dignum Socrate consilium. Quod referens Valerius Maximus, addit: *Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quam latè patentem errorem cœcas precationes tuas spargis? Divitias appetis? quæ multis exitio fuerunt. Honores concupiscis? qui plures pessundederunt. Regna tecum ipsa volvis? quorum exitus sæpenumerò miserabiles cernuntur. Splendidis conjugiis injicis manus? At hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquam funditùs domos evertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum quasi fœlicissimis rebus inhiare, teque totum Cœlestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.* Ita hic Auctor, ad propositi Apologi mentem, quàm aptissimè.

Val. Max l. 7. c. 2.

Ab eo consilio non multùm discrepat noster Seneca, cùm Epistola 31. seriò monet Lucilium suum, ut à votis suorum sibi caveat. *Prætervehere,* inquit, *non unum locum insidiosa voluptate suspectum, sed omnes urbes: surdum te*

Sen. epist 31.

Digitized by Google

amantissimis præsta, bono animo mala precantur; & si vis esse fœlix, Deos ora ne quid eorum quæ tibi optantur, eveniat. Non sunt ista bona, quæ in te isti volunt congeri. Vnum bonum est, quod beatæ vitæ causa, & firmamentum est, sibi fidere. Non est ergo quòd ex illo veteri voto parentum tuorum eligas quod contingere tibi velis, quid optes; & in totum jam per maxima acto viro turpe est etiamnum Deos fatigare.

Magis autem ad mentem Apologi, & ad rem præsentem idem de qualitatibus beneficij tractans, inter quas utilitas sit ex præcipuis, sic ait: *Sunt enim quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare, beneficium est. Aestimabimus itaque utilitatem potiùs quàm voluntatem petentium: sæpè enim noxia concupiscimus, nec dispicere quàm perniciosa sint licet, quia judicium interpellat affectus. Sed cùm subsedit cupiditas; cùm impetus flagrantis animi, qui consilia fugat, cecidit, detestamur perniciosos malorum munerum auctores. Vt frigidam ægris, & lugentibus ac sibi iratis, ferrum; aut amantibus quidquid contra se usurus ardor petit: sic ea quæ nocitura sunt impensè ac submissè; nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus perseverabimus non dare, &c. Exorari in perniciem rogantium, sæva bonitas est. Quemadmodum pulcherrimum opus est etiam invitos nolentesque servare; ita rogantibus pestifera largiri blandum & affabile odium est.* Qua sententia pulcherrima errorem mortalitatis nostræ resecat, quo nihil in vita frequentius, desiderantium sibi nociva, & ea improbissimo conatu à Deo efflagitantium, multis conceptis votis, muneribusque aris appensis, quæ, ne voti compotes essemus, præstaret, quàm dedisse.

Lib. 2. de benef. c. 14.

Hujusmodi votorum, contra honestatem & ipsam precantium utilitatem pugnantium, tabellam habes apud Tragicum in Hyppolito. Nutricis Phœdræ, socrus Hyppoliti, quem sollicitabat ad stuprum, lacessentis Deos, ut juvenis pectus marmoreum incesta flamma urerent, & Thesei fœmineis artibus nimis creduli, filio suo Hyppolito ultima mala imprecantis, & à Neptuno, ut monstra sua in eum immittat, quæ exauditus, perpetuis lamentis fleat.

Seneca in Hyppol.

En perage donum, triste regnator freti;
Non cernat ultra lucidum Hyppolitus diem,
Adeàtque Manes juvenis irato patre.
Fer abominandam nunc opem nato parens.

His ut votis potitus, dicat ejulans:

Actu 5.

Occidere volui noxium, amissum fleo.
Pallidi fauces Averni, vosque Tænarei specus;
Vnda miseris grata Lethes, vosque torpentes lacus,
Impium capite, atque mersum premite perpetuis malis, &c.
Meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.

Sed nullus meliùs Satyrico Poëta, in hoc argumento.

Iuvenal. Sat. 10.

Pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multùm diversa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipsis
Dij faciles! nocitura toga, nocitura petuntur
Militia. Torrens dicendi copia multis
Et sua mortifera est facundia. Viribus ille

Digitized by Google

Confisus perijt, admirandisque lacertis.

Vltimo hoc versu Poëta tangit Milonis Crotoniatis viri fortissimi fatum; qui qua in re maximè gloriabatur & confidebat, periit. Cùm enim jam natu grandis solus iter faceret locis in agrestibus, & hiantem quercum quasi brachiis hinc inde extentis conspicatus esset, in ea diducenda experiendi vires suas ergo, arborem fidit. Sed manibus in scissura captis & inclusis, mansit ferarum præda & volucrium. Adeò ipsi fatale fuit robur proprium, quo tantoperè confidebat.

Ergo ejusdem Satyrici ineundum sectandumque consilium.

Sat. 10.

Si consilium vis
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris:
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dij.
Charior est illis homo, quàm sibi: nos animarum
Impulsu, & cœca magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris; at illis
Notum qui pueri, qualisque futura sit uxor.
Vt tamen & poscas aliquid voveasqae sacellis,
Exta & candiduli divina tomacula Porci,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano;
Fortem posce animum, mortis terrore carentem.

Hujusmodi vota & postulata indiscreta mortalium, fabulæ suprapositæ clarissimè indicant. Multi enim, ut Bubulcus ille, Cœlum precibus fatigant, ut aliquid obtineant: quo obtento, irremediabiliter lugeant. Multi naturæ providentissimum ordinem ignari taxant; &, si per eos liceret, interturbarent, non secùs ac Rusticus ille, qui spicas sine barbulis volebat: quod si daretur, ipsi conquererentur. Alij, ut Camelus & Bos de fabula, in suammet perniciem vota faciunt, è vestigio pœnitenda.

MORTALIVM PRECES ET VOTA

VT PLVRIMVM SIBI IPSIS NOCIVA.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

CVR plerique mortalium pulsent Cœlum injustis, aut ociosis lamentis, votis, precibus, & sæpiùs à Deo postulent dona in suammet perniciem exorantibus pœnitenda, Apostolus rationem assignat, Conditionis humanæ ignorantiam, quid sibi sit utilius, non attingentem, ut propterea superni ductu consilij egeat dirigi. *Spiritus*, inquit, *adjuvat infirmitatem nostram: nam quòd oremus, sicut oportet, nescimus.* Duo nos dicit Apostolus nescire, inquit S. Thomas hîc, quid orando petamus, & modum quo petere oporteat. Scilicet is spiritus ut bene precemur, in consilium & opem nostri advocandus, humani Divinus, idem qui ejus plastes & auctor est, ut det sapere & orare, qui dedit esse. Hoc spiritu duce jam

Ad Rom. 8.

mens humana errare non poterit, cùm volet orare; neque hoc magistro ignorare quid & quomodo orandum; hoc comite non poterit oratio non exaudiri.

Apostolo Gentium consentit Iacobus. *Petitis*, inquit, *& non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentijs vestris insumatis.* Quibus verbis insinuat alteram malarum radicem precationum, quod plerumque sensum, non rationem, sequimur ducem; nec finem aut fructum virtutis attendimus, sed concupiscentiæ malæ consiliatricis suggestionem.

Epist. cath. Iacob. c. 4.

Didicerat hoc suo experimento Iacobus a Domino, à quo cùm in vivis ageret, ipse & S. Ioannes, matris interventu primas in regno suo sedes postulantes audierant, *Nescitis quid petatis.* Bona utique petebant, sed altiora quàm ordo temporis, & meritorum ratio caperet. Ideo repulsi.

Destinaverat Deus supra modum extollere & amplificare Abraham, Nomine, prole, merito, benedictione; tunc unici filij parentem, ex concubina nati; Sara uxore sterili, jam nonagenaria, *vulvæ emortuæ*, ut dicit Apostolus. Ex illa tamen pollicetur Deus Abrahamo filium, ex quo nationes benedictæ oriantur, & reges, & prædestinata sæculorum oracula evolvantur. Quid ad hæc Abraham? Cecidit in faciem suam, & licet divino eloquio credulus, ætatis effœtæ & humilitatis suæ conscius minorem se credit tantis muneribus, *sufficere sibi ait filium ancillæ*, satis sibi esse, si vivat. *Vtinam Ismaël*, ait, *vivat coram te.* Bona oratio, quia humilis, sed non audienda, quia nesciebat Abraham consilium Dei, & dispensationem *Sacramenti absconditi à sæculis in Deo.*

Math. 20

Gen. 17

Ephes. 3

Propheta Dei Elias, & justus Thobias in afflictione positi precibus à Deo postularunt mortem, & licet justi, non impetrarunt; non quia mors optata res mala esset, sed quia non congruebat consiliis Dei, secundùm quæ reservabantur ad vitam. Mira res! non exaudiuntur Sancti, rem bonam, aut certè non malam, à Deo rogantes; & malos legimus, res malas obsecrantes à Deo, votorum fieri compotes malorum. Quale enim est illud apud Mathæum, quod dæmonia illa, quæ in corporibus obsessis regionem Gerasenorum infestantia occurrunt Christo, petunt ab eo in greges porcorum mitti, & impetrant? *Dæmones*, ait, *rogabant eum; Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. Et ecce impetu abijt totus grex præceps in mare, & mortui sunt in aqua.* " Quo meriti, inquirit Tertullianus, quia meriti non sunt, nisi quod rogaverunt?" Cujus rei quæ nobis investigantibus ratio, nisi profunditas consiliorum Dei? *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

Math. 8

l. 4. cõtra Marcion.

Quod sequitur, omni admiratione maius est, consideranti, quatenus Paulus ille Apostolus ad tertium usque raptus Cœlum, raptus in Paradisum, arcanorum cœlestium revelatione dignatus, inde in terram rediens, in stimulos carnis incurrit, traditus Angelo Sathanæ tantus vir colaphisandus. Quid faciat? quibus armis tentationem propulset, nisi quæ ipse docuit, orationis? Orat igitur Deum instanter, fervidè, perseveranter. *Ter*, inquit, *Dominum rogavi, ut discederet à me.* Quo fructu? Nil proficit, nil obtinet.

2. Cor. 12

Digrediens à Paulo oculos conjicio in Iob, patientiæ exemplar ad informationem sæculorum, ad invidiam Diaboli & gloriationem Dei. Sathanas rogat à Deo licentiam in eum manus suas extendendi, dirè cru-

Iob. 1.

Digitized by Google

ciandi, in bonis, in filiis, in proprio corpore; & illicò obtinet. Quis ad hoc non obstupescat? Exauditur Sathanas in Iobum, ut sanctum virum affligat, torqueat, excruciet; quia semel oraverat. Non exauditur Paulus in Sathanam, licet ter oraverit. Deo volente Sathanas omnem artis suæ pharetram, omnes sagittas exerit, & exhaurit. Deo volente, Sathanas Paulum fœda tentatione carnis crudeli stimulo exagitat, pungit, colaphisat. An quia non iniquus est Diabolus, aut justè petit ulcisci in servos Dei? aut injusti sunt Iob & Paulus? aut iste peccat rogando à Dæmone liberari? Neutrum certè horum. Quid in hac abysso caligans oculus humanæ mentis?

Quanquam in Deo plurimæ, nec in homine, desint rationes, si fidei oculo propiùs inspiciamus divinæ dispensationis sacramentum, secundùm quam haud dubiè dicendum Apostolum non modò non repulsum, sed exauditum cumulatiùs, abundantiusque supra quàm potuisset optare. Quid enim? Optaverat Paulus à tentatione liberari; & liberalis Dominus concessit illi gratiam, ut eam vinceret: qua si caruisset, caruisset occasione merendi, & gratia vincendi, & materia triumphandi: latuisset nos virtus Apostoli decertantis, & Dei benignitas Apostolo vires largientis. Inde etiam in Ecclesiam non mediocris documenti derivat effectus; cùm mens Apostolica, fœda tentatione pulsa, & victrix, docet nos nostras non erubescere, & superare tentationes.

Quod sanctum Iob spectat, neminem moveat ad eum cruciandum tam facilè impensa, quàm postulata licentia, inimico, in amicum licet. Nam si rectæ rationis lance libretur quod Deus fecit, quidquid Diabolus attentavit, & quod sanctus Iob passus est, videbimus quod Deus Diabolo nil magni concessit, Diabolus Iob nihil abstulit: Iob ex suis nil perdidit; quia quidquid Deus Diabolo concessit, ei in malum, Iob in bonum, cessit. Quidquid Diabolus Iob abstulit, duplicatum hic retulit; ex pœnis clarior, è plagis vegetior evasit. Deus non favit Diabolo, sed elusit. In Iob apparenter sæviens, misericorditer auxit; quia licentia data versa est Diabolo in ruinam, & sævitia Diaboli Iob in coronam; dum quot plagas inflixit in carne Iob, tot ei coronas intexuit: discessit confusus, qui contumeliosus advenerat; & dum ulcera fodit in carne, multiplices virtutes prodidit, quæ latebant in mente.

Ex dictis patet veritas hujus sententiæ, quàm sæpenumerò nobis nociva aut minùs utilia optemus ac precemur. In cujus confirmationem expendens S. Augustinus quæ retulimus de Paulo & Iob, sic ait: « Exauditur Diabolus, & non exauditur Apostolus. Quid vobis videtur, quomodo exaudiantur Dæmones? Petierunt ire in porcos, & concessum est eis: petit Iob tentandum, & accipit. Quomodo non est exauditus Apostolus? *Ne magnitudo*, inquit, *revelationũ extollat me, datus mihi stimulus carnis meæ*, &c. Exaudivit eum quem disponebat damnare; non exaudivit eum quem volebat salvare. Nam æger petit multa à Medico, & non dat Medicus: non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. „ Hæc S. Doctor in hæc verba: *Quoniam tu, Domine, suavis & mitis, & multæ misericordiæ invocantibus te.* « Dices fortè, inquit, Deus bonus, si det quod vis. Quid si malè vis, non erit tibi, non dando, misericors? Quid enim petebas? fortè mortem inimici tui? Quid si & ille petebat tuam? Tristis es, quia non es exauditus contra illum: gaude quia non est exauditus ille contra te. „

Aug. in Psal. 85.

In Psal. 8

Digitized by Google

Et verò si Apostolus non erubuit de se dicere: *Quid oremus sicut oportet nescimus*, quis idem in se non agnoscat? Tales erant Israëlitæ in deserto, quibus Psalmista exprobrat, quòd *tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.* Et alibi: *Concupierunt concupiscentiam in deserto.* Sed quid addit Scriptura: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Ecce quid eis profuit, exaudiri ad voluntatem. Vbi advertas, locum illum, ubi ira Dei desævit in postulatores & manducatores carnium, vocatum fuisse, *Sepulchra concupiscentiæ*: ut celebri hoc Epitaphio facti memoriam quasi digito monstraret, hîc concupiscentiam acerbè vindicatam. Quod perpendens Apostolus, præclaro dicto illustrat: *Hæc*, inquit, *in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.* "Quia majoris iracundiæ est (inquit Gregorius in hunc locum) cùm tribuitur quod desideratur, atque inde repentina sequitur ultio." Et S. Bernardus: "Misericordiæ res est, hac in parte subtrahere misericordiam; sicut è converso iræ & indignationis est, misericordiam exhibere."

Psal. 77. Psal. 105.

15. Moral 12.

Bern. ser. cōtra ingrat.

Ex quibus, cum Scriptura ingenuè videtur concludendum: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Deum, ut quid orare, quid agere debeamus, ostendat.*

2. Paralip. 20.

Digitized by Google

TITVLVS IX.
DE DEO.

FABVLA.

De Viatore & Mercurio.

QVIDAM longam peregrinationem ingressus, ductus cupiditate, quæ unà utplurimùm homines ad Deorum fores pulsare compellit, voto se Mercurio Deo obstrinxit, quòd si quid inter eundum inveniret, mediam illi partem offerret. Contigit autem eum paulò post peram invenire. Ratus esse nummos, spe elusus, nil nisi Amygdala & Dactilos reperit. Quid ille? fructus comedit, ossula & testulas Deo reservavit, eaque ad aram Mercurij voti solvendi causà obtulit, dicens: Ego voti reus, hoc me munere libero. En dimidium ejus quod reperi, habeto tuum. Amygdala & Dactilos inveni, fructus mihi comedi, cortices & ossa tibi servavi. Ficta & deridicula religio hominis, qualis est ferè mortalium omnium. Deum ore colunt, opere subsannant.

De Inopi & Ægro vovente.

QVidam rei familiaris angustia, insuper ægritudine, laborans, in lectum decidit; qui desperata à Medicis salute Deos rogabat ut sanitatem restituerent: cujus impetrandæ ergo vovit centum boves se Diis immolaturum, si eam præstarent. Ad quem Vxor & amici, Si convalueris, inquiunt, quomodo te Deos apud liberaturus es, cùm sis pauper? Tunc, inquit ille, videbimus: Modò vita fruar, hoc solum interest. Recepit sanitatem. Quid ille? Ossa boum centum colligit, & Diis offert, dicens: Ecce quod vovi, exsolvo; & domum lætus redijt. Sequenti nocte Dij mendacem sacrilegum mendacio ulturi, ipsi in somnis apparent; monent ut ad littus maris pergat, talenta auri centum reperturus effossa. Quò cùm credulus pergit, in fures incidit; à quibus captus, spoliatus & malè tractatus, didicit Numen haud impunè irrideri.

MENS

Mens Fabulæ, ſeu *Morale*.

VOTA HOMINVM ERGA DEVM VT PLVRIMVM IMPIA ET TVRPIA.

Probatur primò, & *illuſtratur*, *EX PROFANIS.*

TAlis erat cultus Gentilium, ut cùm inania, & vacua ſimulachra colerent, ſenſu ac ratione carentia, aut in iis impuriſſima dæmonia; ita veræ pietatis ac Religionis expertes eſſent; & in mille errores, vitia, & impietates diffluerent, dum vitioſa Numina ſequerentur.

Quam enim pietatis ſpeciem vel umbram conſectarentur, qui tam male de Diis ſuis crederent? Propterea huic malo occurrens ſapientiſſimus Epictetus, falſis ſcilicet & impiis de Deo opinionibus, hoc imprimis conſilium dabit, *Religionis erga Deos immortales*, inquit, *præcipuũ illud eſſe ſcito, rectas de eis habere opiniones, ut ſentias, & eſſe eos, & bene juſteque adminiſtrare univerſa. Parendum eis, & omnibus iis quæ fiunt acquieſcendum, & ſequendum ultro, ut quæ à mente præſtantiſſima regantur; ſic enim nec incuſabis unquam, nec ab eis negligi te quereris; & paulo poſt. Illud enim à Natura eſt inſitum omni animantium generi, ut ea quæ nocitura videantur eorumque cauſis fugiant & averſentur, contra utilia, & cauſas eorum proſequantur & admirentur. Nulla igitur ratio eſt, ut is qui noceri ſibi putat, eo lætetur, &c. Hinc fit ut & patri filius conuitietur, cum ea quæ in bonis habentur, filio non impertierit; & illud eſt, quod inter Eteoclem & Polinicen bellum concitarit, quod bonum exiſtimabant imperium. Hac de cauſa Deos execratur agricola, ob hoc nauta, ob hoc mercator, ob hoc ij qui liberos & uxores amittunt, nam ubi utilitas, ibi etiam eſt pietas, &c.* Hæc ille, paulo longius, ſed tam præclaro documento lectorem fruſtrare nolui. Quod etſi veriſſimum fuerit, ante omnia de Deo bene ſentiendum, quonammodo bene opinarentur de ſuis Deis, quorum tanta dedecora & probra ab ipſorum poëtis decantabantur?

Epict. in Enchir. c. 38.

Quod proprius eorum Cenſor Tertullianus eis exprobrat, *quæ neque vera, prodi*, inquit, *neque falſa confingi, apud religioſiſſimos oportebat.* Et Socratem, illum de tripode ſapientiſſimum citat, *qui in contumeliam Deorum, quercum, & hircum & canem deierabat.*

In Apol. cap. 14.

Ab illo fluctuoſiſſimæ Divinitatis principio, quid mirum ſi talib⁹ Diis ſacrilego cultu abuterentur, & impuris, vota & ſacrificia impura deferrent? qualia deſcribit ille de eorum grege Poëta.

Perſius. Sat. 2.

Illa ſibi introrſum, & ſub lingua immurmurat, O ſi
Ebullit patrui præclarum funus, & O ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro.
Hercule! pupillumne utinam quem proximus hæres
Impello, expungam? namque eſt ſcabioſus, & acri

Digitized by Google

Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor.
Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Quæ impia vota & turpia haud dubie exosa esse, ipsi Gentiles & eorum Oracula prodiderunt, sic enim idem Persius addit,

Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona Diis ex hac scelerata ducere pulpa?

L. 3. gen. di. c. 22.

Iuvat hic locum excerpere ex Alexandro ab Alexandro. *Neque prætererim*, inquit, *responsum Hammonis* (scilicet Iovis) *Atheniensibus datum, Iovi magis cordi esse vota Lacædemoniorum tenuia & modicas oblationes pias & castas, quam immodica & opulenta Atheniensium, atque opimis hostiis & victimis illorum fœdari aras.*

Quod & Pythagoram censuisse ferunt, thure & libis magis gaudere, & placatiores esse Deos, quam Hecatombis, & multo sanguine assidue aras cumulare.

Ex Ant. & Max. ser. 16.

Eumdem malorum votorum errorem Epicurus carpebat, dicens, *Quod si hominum preces Deus sequeretur, cito homines perituros. Nam subinde multa & acerba alij in alios*, inquit, *precantur.*

Epist. 10.

Carpebat & Seneca. *Quanta dementia*, inquit, *hominum, turpissima vota Diis insusurrant, si quis admoverit aurem conticescent, &, quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc salubriter præcipi possit. Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

Plutar. in Lacon.

De quodam Demonide Plutarchus refert, quod amissis furto crepidis, Deos precabatur, ut ejus qui furatus erat, pedibus justissimè convenirent; videbatur bene precari, inscijs cur ita faceret; habebat enim pedes valde tortos, & sic optabat furem suum tali pœna mulctari. Et utinam hæc probra & vitia à Paganis ad Christianos non derivassent!

Quot enim mihi dabis viros & fœminas, qui aras Dei & templa frequentant, qui Cœlum & Sanctos precibus ac votis fatigant; denique qui devoti ac religiosi putantur, quorum si cordis secreta nossemus, videremus ea plena impietatis, & Deo ipsi injuriosa?

Qualia Horatius describit cujusdam, qui vir bonus magis vulgi opinione, quam re, stans in templo alta voce orabat Apollinem, quasi bona petiturus, & submissa Deam furum: sic enim ait.

Hor. l. 1. Epist. 16.

Vir bonus omne forum quem spectat & omne tribunal,
Quandocunque Deos vel porco vel bove placat,
Iane pater, clarè, clarè cùm dixit Apollo,
Labra movet metuens audiri, pulchra Laverna
Da mihi fallere: da sanctum justumque videri.
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Perpetuus ille litigator quietis impatiens, & civilis concordiæ juratus hostis, qui lites nulli non homini intentat, qui intentatas falsis artibus & actibus promovet, ut viduæ ac pupilli bona invadat; non cessat suis apud homines causam mendaciis, ac perjuriis, & apud Deum crebris precibus malam conscientiam suam commendare! Hæc mulier, quæ à pluribus annis, huic diviti corporis sui quæstum sordidum facit, non verebitur Deum & sanctos precari, & sacri etiamnum altaris hostiam Sacerdotum manibus offerre, ne se ille abjiciat, ne resipiscat, ne alieno amore ac pellicatu, aut denique maritali vinculo, alligetur. Denique quot videas de

Digitized by Google

usuris, & rapinis parta, precibus suis velle Deo probare, & augere? Quot instare conceptis votis, & piis etiam largitionibus apud Deum, ut de inimicis valeant reportare vindictam? In quos se merito Satyrici bilis exoneret.

Sat. 10.

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Divitiæ ut crescant, ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro, &c.
Ergo supervacua hæc, aut perniciosa petuntur,
Propter quæ fas est genua incerare Deorum, &c.
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris,
Sejanum. Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

Omninò ad propositum.

Non excusatius Poeta Tragicus nutricem Phœdræ, Hyppolitum ad stuprum sollicitantis introducit sic Deam precantem.

Seneca in Hyppol. Actu. 2.

Regina nemorum, sola quæ montes colis,
Et una solis montibus coleris Dea, &c.
Animum rigentem tristis Hyppoliti doma,
Amare discat, mutuos ignes ferat:
Det facilis aures, mitiga pectus ferum,
Innecte mentem, torvus, aversus, ferox;
In jura Veneris redeat.

Aliud Paganicæ impietatis genus jam citatus Tertullianus exequitur. Illi cùm lectissimas hostias Numini mactare deberent more Majorum, integras, perfectas, sanas, nulla parte mutilas, jam eò defluxerant, ut macie confectas & morbidas immolarent. *Non dico*, inquit, *quales sitis in sacrificando, cùm enecta, & tabidosa, & scabiosa quæque mactatis, cùm de opimis & integris supervacua quæque truncatis, capitula & ungulas, quæ domi quoque pueris, vel canibus destinassetis*, &c.

In Apol. c. 14.

Ex dictis, non tantùm impia & injusta à Diis petebant, sed etiam impiè & injustè exigebant. Huic vagæ studiorum votorumque cupiditati frænandæ non abs re fuerit meminisse præclari consilij Epicteti jam suprà laudati. *Ad convivium invitati*, inquit, *præsentibus utimur. Quòd si quis juberet hospitem apponere sibi pisces, aut placentas, absurdus videretur: at nos in mundo positi, petimus à Diis quæ non dant, cùm multa interim sint quæ nobis largiti sunt.*

Ap. Stob. Ser. 42.

Dictis adjicere non gravabor aliud impietatis argumentum, omnium quæ jam attigimus longè majus. Estque, quòd si prædictis Gentilibus, quorum errores expresse, & nostros in illis exequimur, quid contra vota, aut preces, aut mentem adversi succederet, Deos suos incusabant, Cœlum querelis tundebant, Divos maledictis proscindebant; imò verò conviciis manus, vim, contumelias addebant.

Quod ex Senecæ loco infero. *Nullam*, ait, *mihi injuriam facitis, sicut nec Dijs quidem hi, qui aras evertunt; sed malum propositum apparet, malumque consilium, etiam ubi nocere non potuit.*

1. de vita beat. c. 20

Suetonius in Caligula id apertè confirmat, ubi de Germanici Principis morte verba faciens, & de amore ac luctu populi Romani audita ejus morte, sic ait: *Tamen longè majora & firmiora de eo judicia in morte ac post mor-*

In Calig. c. 5.

Digitized by Google

tem extitere. Quo enim defunctus est die, lapidata sunt templa, subversæ Deorum aræ, Lares à quibusdam familiaribus in publicum abjecti, partus conjugum expositi.

Quæso te, quis furor hominum in Deos? quæ Religio? nisi excusatiùs peccent, quod incertos, aut nullos, credant.

Hujus rei exempla apud Poëtas frequenter invenies.

Statius luctum, quem de se ægrotante uxor habuerat, referens dicit, Superos, si diem obiisset, invidiam & querelas ejus timuisse.

L.3. Sylu

Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati,
Te tantùm miserata dedit, Superique potentes
Invidiam timuere tuam.

Idem, describens luctum cujusdam in funere suæ conjugis.

L.5. Sylu

Et injustos rabidis pulsare querelis
Cœlicolas, solamen erat.

Ita argutè Martialis, cujusdam Reguli periculum narrans.

Mart.

Heu quàm penè novum Porticus ausa nefas!
Nam subitò collapsa ruit, cùm mole sub illa
Gestatus bijugis Regulus esset equis.
Nimirùm timuit nostras fortuna querelas,
Quæ par tam magnæ non erat invidiæ.
Nunc & damna juvant, sunt ipsa pericula tanti
Stantia non poterant tecta probare Deos.

Eclog. 5.

Modestiùs Poëta Virgilius, ut in cæteris, luctum matris Cæsaris referens crudeliter interempti, in persona Daphnis, ait;

Cùm complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Qua impietate & contumelia quid frequentius inter homines?

In Apol. c.40.

Objiciebat olim Tertullianus Gentilibus, quòd *omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Christianos causam esse dicerent. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si Cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem.* Non minori jure mihi videor facturus, si quod illi publicas clades in nomen Christianorum refundebant, in Deum hodiè à Christianis dicamus objectari: adeò ut si fluvius exundat, si vis imbrium ingruit, si aër pestilens inficit, si pruina sata decoquit, si siccitas urit, si cui calamitas accidit, blasphematur Deus, maledicitur, obtrectatur: adeò contumeliosa est in Deum, & irreligiosa humana licentia ac temeritas! ut nisi Deus suis commodis serviat, & donis jugiter arrideat, illicò in vota impia & turpia efferatur.

Digitized by Google

VOTA HOMINVM ERGA DEVM VT PLVRIMVM IMPIA ET TVRPIA.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

HVIVSMODI vota hominum erga Deum impia & turpia, in Synagoga & persona Iudæorum, à Domino Ezechieli monstrata sunt; qui jussus subire ostia secretiora templi, & parietes fodere, ac introspicere, videt, inquit, hîc, *Idolum Zeli ad provocandum iram Dei positum.* Illic senes thure vaporato adorantes *pictas similitudines reptilium & animalium*, dicentes: *Non videt Dominus terram.* Ibi viros *dorsum templo vertentes, & versis ad Orientem vultibus adorantes ad ortum solis.* Alibi, *Mulieres plangentes Adonidem.* Quatuor species impiè adorantium. Quid per Idolum zeli, nisi (cum Glossâ & Hebræis) Idolum Baal, quod Devorator interpretatur, id est, Venter? qui tot habet adoratores, ut Paulus meritò dicat: *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est,* &c. Quid enim istis Gastrimargis, & ingluviei deditis, Deo & Spiritui ejus inimicitius? aut qui magis provocant iram Dei, quàm isti abdomini nati? *Non enim est regnum Dei esca & potus* (ait idem Apostolus) Illi autem helluones, " quæ ventris sunt, inquit D. Anselmus, Deum sibi faciunt, & salutem ponunt in escis. Deus illis venter est, quia quidquid faciunt, pro ventre faciunt.,, " Quibusdam (ait Bernardus) etiam venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse probatur;,, ut benè Tertullianus. " Deus tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos cocus.,,

Ezech. 8.

Ad Philipp. 3.

D. Ansel. in 3. c. Philipp.

D. Ber. in Decl sup. Ecce nos rel. quim.

Tertul. l. de Iejunio c. 16.

Quid verò per senes colentes imagines creaturarum, & Dei Providentiam negantes, ita ut dicant: *Non videt Dominus terram*? nisi sapientes sæculi hujus, de mundana Philosophia & Politica tumentes? *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt,* inquit Apostolus, *sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Sequitur, *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.* Ecce quò devenit inveterata hominum sapientũ desipientia, sæculi astutia.

Ad Rom. 1.

Quid per illos, Deo terga vertentes, & ad ortum Solis adorantes? nisi eos qui à Deo recedentes, avaritiæ serviunt, quam Idololatriam Paulus appellat, seu servitutem Idolorum. Nunquid non enim hujusmodi Deo terga vertunt, & ad solis ortum adorant? id est, fortunam affulgentem prosperitatis terrenæ, de quibus dicit Apostolus: *Radix malorum omnium cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt, & inseruerunt se doloribus multis.*

Ephes. 5.

1. Tim. 6.

Quid denique per Mulieres plangentes Adonidem, nisi lasciviæ & turpi amori deditos ac mancipatos? qui etiam in templo, & usque ad Sanctuarium Dei, suas eructant turpitudines & immunditias. Proh! quot & quantorum mentem hoc virus pervasit!

Digitized by Google

Hæc sunt, inquam, quatuor genera vitiosorum hominum, quorum vota erga Deum non possunt esse, nisi de ventris ingluvie, fœda; aut obscœni amoris lascivia, turpia; aut de sæculari sapientia, tumida; aut terrena cupiditate, impia. Omnes isti, ut Viator hic de fabula, Deo supplicant, offerunt, sacrificant; sed in specie, non in veritate.

Psal.65. Quam pauci cum Davide dicerent: *Holocausta medullata offeram tibi.* Illi non medullam holocausti, sed siliquas, ramenta, quisquilias offerunt.

Quæ enim causa fuit, cur *respexit Dominus ad Abelis sacrificium, ad Caïn verò & ad munera ejus non respexit?* nisi quia medullam ille cordis, fidei ac devotionis habuit, iste non habuit. Quod Apostolus satis notavit his verbis: *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Caïn, obtulit Deo; per quam testimonium consecutus est, esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo*; id est, flamma cœlitus descendente super hostiam Abelis; ex translatione Theodotionis. Vnde quod cõmunis dicit *respexit*, Theodotion dicit, Inflammavit; *ad Caïn verò, & ad munera ejus non inflammavit.* Symmachus legit, Oblectatus est. Aquila, Consolationem accepit. Quibus verbis divinam indicant pietati Abelis complacentiam.

Ad Hebr 11.

1.Ioan.3. Inde Ioannes Apostolus nos monet, ne faciamus *sicut Caïn, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum: Et propter quid occidit eum? Quoniam*, inquit, *opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa.* Sic Apostolus. Genus autem malitiæ ejus non aperuit, & causam non acceptati à Deo sacrificij. Iosephus verò cupiditati ejus, avaritiæque attribuit. Cujus judicium ac conjecturam nullus non probat. "Abel, inquit, justitiam colebat in omnibus suis actionibus, Deum præsentem ratus; Cain verò pessimus erat, lucroque inhians, terram arare primus excogitavit; cumque uterque Deo sacrificaret, sacrificium Abelis Deo fuit acceptius, quàm ea quæ homo avarus obtulerat." Ita Iosephus.

Iosephe.1. l. Antiq.

Quare verò Apostolus dicat Abelem plurimam hostiam obtulisse, quàm Cain, paulò diligentiùs inquirendum. quomodo enim plurimam, cùm ille de gregibus pastor obtulerit, hic de terræ muneribus seu frugibus, agricola; quisque de propriis, secundùm statum suum? Nunquid quia ille de ovibus, & vitulis, & hircis? quasi Deo minùs sapiant spicæ, quàm animalia? Minimè verò: dicit quidem Psalmista: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Et iterum: *Nunquid manducabo carnes taurorum, & sanguinem hircorum potabo?* Æquè etiam ait de frugibus: *Pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.* Vnde ergo, paris hostiæ, offerentium tam grande discrimen?

Psal.49. Psal.49.

"Cain benè obtulit (inquit D. Augustinus) quia Deo vero sacrificavit; malè tamen divisit, iniquè distribuit, sive cùm electiora sibi ejusdem generis rerum tenet homo, quàm sunt ea quæ offert Deo; sive quia dat Deo aliquid suum, sibi autem seipsum." Considerandа hîc venit Scripturæ proprietas. *Respexit*, ait, *ad Abel, & ad munera ejus.* Et, *Abel Domino plurimam hostiam obtulit quàm Caïn*: quia recto ordine primò seipsum Deo, deinde sua obtulit, bonus, de bonis optima, de communibus selectissima. Placuit hoc sacrificium Deo. Cain verò obtulit sua utcumque, non seipsum. Sensus est Augustini & Ruperti.

Lib.5. de C.D.c.7.

Ruper.l.4 in Gen.c. 4.

A quibus non dissentit Ambrosius. "Vides, inquit, quantùm sit vitij: ubi deest divisio, ibi totum sacrificium refutatur." Quod confirmatur ex loco Genesis: Nam ubi Communis legit, *Nonne si benè egeris, recipies; sin au-*

Lib.2. de Abel. & Cain.c.5.

rem;&c. Patres legunt secundùm 70. *Si rectè offeras,non autē rectè dividas*,&c. Ait itaque D.Ambrosius: " Rectè Cain obtulit, quia oblatio insigne devotionis, & indicium gratiarum est: sed non rectè divisit; quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, ut à gratia inchoaret Auctoris. Etenim divisionis hic ordo est,ut prima secundis,non primis secunda præcurrant, & cœlestia terrenis,non terrena cœlestibus præferantur. ,, Sic ille.

Quod vitij genus frequenter videas in oblationibus & sacrificiis mortalium, benè offerentium Deo sua, malè dividentium, quia à se non incipiunt: dant sua, & de suis, se verò sibi reservant. Benè inquam offerunt, quia Deo offerunt: pessimè tamen dividunt, dùm aut terrena cœlestibus præferunt, aut pejora ex pluribus offerunt.

Dabis Deo, consecrabisque puerum, puellam, de filiis; sed si temporalia spiritualibus præcurrant, si vota prosperè in familiæ commodum cedant: alias enim, si domesticam necessitatem prævideas retrahendi quod voveris, pœnitentia ductus referes argenteos, quibus donum Dei pactus es, dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum.* En ille exutus spoliis sacris, erit iterum] de sacro profanus.

Afferes, offeresque Deo puellam, sed quæ tibi onerosa sit,quæ mundo ingrata, quæ numero supervacua. Si tamen prolem amiseris, etiam hanc misellam de Dei manibus vindicabis, & Natalium infœlicitatem, opum copia reparabis. Tribues pauperi ad ostium petenti, sed Christi membris projicies, quod ne domesticis quidem canibus objiceres. Siccine Deum tuum colis?Immensum, optimum, maximum prædicas;& viliora,minora, pejora ei sacrificas? Satius abstinere, quàm sic colere. Ita fermè Commentator in Tertull. recens. Non malè idem colligas de Cain. Benè obtulit, malè divisit: de suis, non se, dedit.

Et facilè crediderim non modò non se, nec cor obtulisse cum munere, sed etiam fruges marcidas, & spicas inanes ac vacuas, non ex optimis obtulisse. Iam quot socios habet impius ille, quot similes adoratores! Percurre aulas Principum, plures videbis, qui sibi, & suis consiliis, Religionis pietatisque nomen accommodent, quàm se suaque consilia pietati ac Religioni. Vt in illa multitudine eorum qui aras nostras premunt, multi ossula, cortices & quisquilias offerant; paucissimi fructum, interiora, medullam.

Iusserat Dominus Regi Saül percutere Amalech, & demoliri universa ejus, nulli parcere, aut rei viventi, aut supellectili; sed nec concupiscere: quod gladius reliquisset intactum, flamma consumeret. Quæ obedientia divinis mandatis? *Pepercit Saül & populus regi Agag, & optimis gregibus ovium & armentorum, & vestibus, & universis quæ pulchra aut pretiosa erant. Quidquid verò vile fuit ac reprobum*, inquit sacer Textus, *hoc demoliti sunt.* Quo verò prætextu? Hoc placet considerare. Tanto scelere indignatus Samuël exprobrat Saüli ex parte Dei inobedientiam verbo Domini. Quam putatis prætexet de impietate excusationem? Religionis, ac pietatis. *Tulit, inquit, populus de præda oves & boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo.*

1.Reg.15.

Conspirabat Absalon in Regem, ingratissimus filius in optimum patrem. Quo prætextu absentiam suam ab urbe, & regia, ut in regem à conspiratoribus inaugurraretur in Hebron, occultabit? Quo colore adornabit momentum suæ perfidiæ? Pietatis, ac Religionis. *Vadam*, inquit

2.Reg.15.

Digitized by Google

patri suo, *in Hebron, & reddam vota mea: vovens enim vovit servus tuus*, &c. *si reduxerit me Dominus in Hierusalem, sacrificabo Domino.*

Herodes, Regum impurissimus juxta & crudelissimus, qui caput sanctissimum Baptistæ dedit pretium saltatricis; qui *sciebat eum virum justum, & sanctum, & metuebat eum, & libenter audiebat, & audito eo multa faciebat.* Quo prætextu ausus est tantum nefas? Tam sanctum virum ocidcit? Religione jusjurandi. *Contristatus est*, inquit, *propter jusjurandum, & propter discumbentes caput ejus amputavit.*

Marci 6

Conjuraverant quadraginta Iudæi, & ampliùs, in Paulum (ut habetur in Actibus) ut eum occiderent, Christum annunciantem: ad quod scelus sese viri homicidæ voti & jejunij mutua obligatione ac religione obstringunt. Sic enim illi ad Principes Sacerdotum: *Devotione devovimus, nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.* Quod si utrumque servarunt, impransi usque modò perstiterunt. Vides ut illi omnes, & plerique mortalium, Deum colendo, Deum ludunt, & lædunt; confitendo negant, jurando ejurant: dumque suorum donorum adipem medullamque depascunt, ipsi nuces exsuccas, & ossa, & cortices, exteriùs libant.

Actor. 23

Digitized by Google

TITVLVS X.
DE DEO.

FABVLA.

Piſcatores.

QVOS vides conviuantes è menſa aſſurgere ad adventum Dei, Piſcatores ſunt, qui haud ſecundo mari ac ſidere piſcatoriam experti, nil prendiderunt, niſi cochleas paucas, & macras, fami depellendæ impares. Vnde iſti malè pranſi, Mercurio Deo fortè illac tranſeunti obviam eunt, rogant, invitant ſecum accumbere. Non Religionis utique, aut hoſpitalitatis, eſt iſta invitatio, ſed propriæ indigentiæ, & ſordidæ emendicationis ergo. Non invitant Deum, ut de appoſitis gaudeat, ſed ut egentibus & famelicis eroget & apponat. Vnde eos, menſamque faſtidiens, juſſos ſuas eſcas eſſe, nil moratus, præteriјt. Tales Invitatores, & Menſæ, parum Deo ſapiunt, qui ſe ſuaque, non Deum, quærunt, aut curant.

De Vulpe Deos precante.

VVlpes Gallinis cujuſdam Coloni inſidians, foramen, per quod in Gallinarium via eſſe poterat, anguſtius, quàm ut intraret, offendens, precatur Deos, ut dilatarent. Obtinuit; intravit. Rursùs, cum inde vellet evadere, Gallinam ſecum aſportans, latratum canum audivit; & timens ne ſecum eodem, quo intraverat; canes foramine intrarent, intùs abdita, precabatur Deos ut contraherent. Sed fruſtrà: Nam Dij juſti & boni non audiunt aut probant vota perfidorum, ſolâ commodi ſui ratione, non æqui lance, ad ſe confugientium.

Mens Fabulæ, ſeu Morale.

VVLGVS DIVINITATEM VTILITATE PROBAT ET COLIT.

Probatur primò, & illuſtratur, EX PROFANIS.

Val. Max l. 1. c. 2.

VALERIVS Maximus in libro factorum, & dictorum memorabilium, Romanorum, volens aſtruere Divinitatis fidem, cultumque Romæ & Romani Imperij, duos titulos inſtituit pro Religione majorum aſſerenda, quibus hîc uti eſt animus pro ea deſtruenda, ut inani & plena fallaciæ,& pro illuſtranda mente hujus Apologi: Quòd vulgus, & magna pars hominum, Divinitatem ſola utilis ratione credit & colit.

Primus eſt de ſimulata Religione,ubi multis probat exemplis illuſtrium virorum, qui opinionem ſanctitatis affectarunt,ſimulando Deorum converſationem,commercium, familiaritatemque,ut hac ratione ſibi nomen auctoritatemque ad populum conciliarent. Sic Romulus Herſiliam Nympham, Numa Pompilius Deam Ægeriam, Minos & Scipio Iovem, Sertorius Cervam, Sylla Apollinem, Piſiſtratus Minervam, & alij alia Numina conſulere fingebant. Quæſo,quæ Religio, ſeu potiùs larva Religionis? in qua conſtat eos nullum Numen crediſiſſe aut coluiſſe, qui falſa fingebant; nec pietatis ſenſum, qui Religionis prætextum ad ſui commendationem traducebant, habuiſſe.

Val. Max l. 1. c. 3.

Secundus titulus eſt, de neglecta Religione, *quæ tam benè ceſſit ſuis auctoribus, quàm ſincerè ac religiosè culta, obſervataque*, ait. Quo ex loco colligo, quæ ibi de Dioniſio tyranno, & multi alij, conſcripſit. Quid enim Deorum iræ, aut adverſi, quos ille furax ſpoliavit aut luſit, unquam expertus eſt? cùm ipſa ſua ſacrilegia jocoſis dictis proſequi voluptatis loco duceret?

Idé c. 25 & Licoſthenes.

Ipſe, fano Proſerpinæ ſpoliato, Locris, inquit dictus auctor, *cùm per altum mare, ſecundo vento, claſſe veheretur, ridens amicis, Videtisne*, ait, *quàm bona navigatio ab ipſis Diis Immortalibus ſacrilegis tribuatur.*

Detracto etiam Iovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum tyrannus Hyero, è manubiis Carthaginienſium ornaverat; injectoque ei laneo pallio, dixit, æſtate grave eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum; laneum utrique tempori aptius & commodius.

Idem Epidauri Æſculapio barbam auream abſtulit, affirmans *nullatenus convenire patrem imberbem, Apollinem ſcilicet, eſſe; filium verò Aeſculapium, barbatulum conſpici.*

Præterea menſas argenteas & aureas è fanis ſuſtulit. Et quia in his, more Græcorum, ſcriptum erat literis majuſculis, *Bonorum Deorum* eas eſſe, uti ſe eorum bonitate prædicabat. Nam boni Dij dicuntur, quòd omnibus benefaciant.

Idem victorias aureas, pateras & coronas, quæ ſimulachra porrectis

manibus sustinebant, velut offerentia, tollebat, dicens *se oblata accipere, non eripere*, addens, *perabsurdum esse, à quibus quotidiè dona flagitamus, ab his ultrò porrigentibus nolle accipere*. Ita Impius ille, aut potiùs Atheus, sua sacrilegia & scommata aliquo Religionis velo palliabat, nisi excusatiùs peccaret, nullos Deos, quam multos, credere. Et fortasse haud culpandus, si Religionem, quæ inania simulachra vitæ & sensûs expertia colit, suggillaret. Quantò facinorosiores & culpabiliores Christiani, qui verum Deum credunt, & omnem ejus cultum in occasionem avaritiæ, in ambitionem, suique amorem sordidissimè traducunt. Horum omnis Religio & ratio est in commodo, quod ubi deest, nec credunt Deum, nec colunt; similes huic, quem sic describit Martialis:

Mart. l. 4 Epig. 21.

> *Nullos esse Deos, inane Cœlum*
> *Affirmat Selius, probatque, quòd se*
> *Factum, dum negat hæc, videt beatum.*

Vel Lysandro Duci Lacedæmoniorum, de quo Plutarchus ita scribit: *Cùm egregius simulandi artifex evasisset, ac pleraque, quæ crudeliter & avarè gerebat, callidis fucis ornaret, justum non alia re quàm utilitate, & honestum commodo, metiens, fatebatur quidem veritatem mendacio præstantiorem esse, sed utriusque dignitatem ac pretium utilitate æstimandum. Invertit vir improbus Philosophorum dogma; qui quod honestum est, idem volunt utile esse; hic quidquid esset utile, idem ducebat honestum.* Sic Plutarchus. Multos, inquam, habet iste hodiè socios, sola ratione utilis omnia jura divina & humana metientes, quos non malè pungit Ovidius:

Plutar. in Lysandr.

l. 2. Pôt. 3

> *Turpe quidem dictu: sed si modò vera fatemur,*
> *Vulgus amicitias utilitate probat.*
> *Cura, quod expediat, prior est, quàm quid sit honestum;*
> *Et cum fortuna statque, caditque, fides.*
> *Nec facilè invenies multis in millibus unum,*
> *Virtutis pretium qui putet esse sui.*
> *Ipse decor recti, facti si præmia desint,*
> *Non movet, & gratis pœnitet esse probum.*
> *Nil nisi quod prodest, charum est: En detrahe menti*
> *Spem fructûs avidæ, nemo petendus erit.*
> *At reditus jam quisque suos amat, & sibi quid sit*
> *Utile, sollicitis computat articulis.*
> *Illud amicitiæ quondam venerabile nomen*
> *Prostat; & in quæstu pro Meretrice sedet.*

Eleganter omninò & appositè ad rem nostram. Hujusmodi enim genus hominum sordidorum, non honestius aut civilius amicitiam, quàm Religionem, habent. Similes Dionisio Tyranno dixeris, de quo interrogatus Diogenes, quo pacto Dionisius amicos suos tractaret: *Ut utres*, respondit; *plenos suspendit ut regerant quod habent, inanes & vacuos abjicit*: falsissimè notans Tyranni crudelitatem, qui divites spoliabat, & interficiebat; pauperes relinquebat.

Lycosthenes.

Non longè meliùs Vespasianus, qui quoniam rapacissimum quemque promovere solebat, ut mox ditatos condemnaret, vulgò dictus est, Officiarios habere pro spongiis, quòd veluti spongias exsuccas madefaceret, plenas, & humentes, exprimeret.

Tritum est ejusdem illud mali Principis dictum; qui cùm instituisset

Digitized by Google

Sueto. in Vespas. c. 23.

vectigal è lotio, & super hoc à filio, id abhorrente, moneretur, dissimulavit, donec prima ejus pensio soluta esset: quam postea pecuniam filij naribus admovens, petiit, *num ejus odore offenderetur?* Negante illo: *Atqui hæc*, inquit, *è lotio est. Nam lucri ex qualibet re bonus odor.* Vox Tyranno dignior, quàm Imperatore.

Plin. l. 2. c. 7.

Sed ad rem nostram redeamus, si tantillùm deflexímus, & audiamus Plinium, pluralitatem Numinum usque ad confusionem, utilitatis humanæ causà, dicentem introductam esse. Sic enim libro 2. cap. 7. *Innumeros quidem credere* (Deos scilicet, inquit) *atque etiam ex virtutibus vitiisque hominum, ut pudicitiam, concordiam, mentem, spem, &c. majorem ad socordiam accedit. Fragilis & laboriosa mortalitas in partes ista digessit, fragilitatis suæ memor, ut portionibus quisque coleret, quò maximè indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus, & Numina in iisdem innumerabilia reperimus.* En quantum malum & errorem utilitatis ratio invexit.

Lib. 8. de controu. cōtrou. 1.

Eodem recidit illud apud Senecam. *Magis Deos miseri, quàm beati, colunt; & hoc conditio humana vel pessimum habet, quòd fortuna, quos miseros fecit, & superstitiosos facit. Diligentiùs Dij coluntur irati.* Quasi dicat, Nisi metuerentur, non colerentur, aut rogarentur.

Ita dicebat aliquis: *Primos in orbe Deos fecit timor.*

Est tamen non contemnendus timor, qui arcet & absterret ne in Deum peccemus. Sed in ea tempora incidimus, quando sine fræno, & sine conscientia peccatur. Quod Satyricus optimè invehitur.

Iuvenal. Sat. 13.

Sunt qui in fortunæ jam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt Mundum Rectore moveri;
Atque ideò intrepidi quæcunque altaria tangunt.
Est alius metuens ne crimen pœna sequatur.
Hic putat esse Deos, & pejerat, atque etiam, cùm
Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro.

Conqueritur alius Satyricus de auro templi, quod inde vellet ablegatum, ejusque loco introductas spiritales sanctimoniæ merces; non intelligens quòd nisi templa auro rutilarent, verterentur in stabula, & despicerentur: adde quòd nullus non de auro templi hodiè cupit inaurari.

Persius Sat. 2.

Dicite, Pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe, hoc quod Veneri donatæ à Virgine pupæ:
Quin damus id Superis de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago
Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto
Hoc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

Concludamus hunc tractatulum, inter tot millia hominum, qui Deum colunt, vix unum reperiri, qui ipsum gratis colat, & propter ipsum: omnes propter dona & munera. Quod Ovidius optimè insinuat.

2. de Pōt Eleg. 8.

Nam quid erit qua re solito dignemur honore
Numina, si demas velle juvare Deos?
Iupiter aranti si surdas præbeat aures,
Victima pro templo cur cadat icta Iovi?
Si pacem nullam pontus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego dona feram?

Digitized by Google

Vana laborantis si fallat vota coloni,
Accipiet gravidæ cur suis exta Ceres?
Nec dabit intonso jugulum caper hostia Baccho,
Musta sub inducto si pede nulla fluant.
Vtilitas igitur magnos hominesque Deosque
Efficit, auxiliis quoque favente suis.

Adeamus jam Scripturas.

VVLGVS DIVINITATEM VTILITATE PROBAT ET COLIT.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

VEROS cultores Deus paucos habet; amicos mensæ, seu gulæ, multos; fortunæ aulicos, & parasitos, sine numero; rei suæ & commodo deditos, ac servientes magis, quàm Deo, ejusque cultui, penè omnes.

Tales erant filij Heli Sacerdotis magni, & ipsi Sacerdotes, origine, consecratione, ministerio; sed non cultu, disciplina, vita: quos suis coloribus Scriptura graphicè repræsentat: *Filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum.* Paucis verbis multa. Sed audi amplius. *Dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi.* Insuper per fas & nefas oblatas immolantium carnes extorquebant, & prægustabant, antequam Deo adolerentur, suis sacrilegiis & rapinis retrahentes homines à sacrificiis Domini, & scandalum grande in domo Domini inducentes; non Deo servientes, sed ventri, & lasciviæ, & avaritiæ. Tria capitalissima personæ Deo & Ecclesiæ ministerio mancipatæ scelera, quæ utinam hodiè non haberent sequaces; qui nihil intendunt, aut student, nisi avaritiæ, aut libidini, aut gulæ. His ritibus colunt Deum. (1.Reg.2)

Tales etiam erant Prophetæ Baal temporibus Heliæ, numero *octingenti quinquaginta, comedentes de mensa Iezabel* reginæ, uxoris Achab, ut ei exprobrabat Helias. Qua loquendi formula liquidò apparet, eos de nidore & fumo culinæ regiæ, & mensæ, saginatos; & propterea his illiciis Idolo Baal, aut veriùs ventri suo, serviisse. (3.Reg.18)

Tales & sacrificuli Bel, apud Danielem, Idoli Regis Babiloniorum; cui implendo, ut fingebant, *quadraginta oves in dies, panis multus, vini amphoræ sex,* vix sufficerent. Quidni ergo Deum vivum appelles, dicebat Rex Danieli, tam splendidè epulantem? quidni colas, ô Daniel! tu qui Deum vivum colere te prædicas? At ille: *Ne erres, Rex; iste enim Bel non est Deus, quia non est vivus:* non est vivus, quia *intrinsecùs est luteus, forinsecùs æneus; neque comedit aliquando, aut bibit.* Re vera ita esse probavit dies sequens. Visa vestigia sine numero virorum, mulierum, infantium, in cinere scripta, per secreta ostiola templi noctu involantium, & apposita omnia Deo jejuno helluantium. Nunquid non illi erant de numero eorum, qui Divinitatem propriæ utilitatis & ventris ergo colebant? O utinam quid simile in (Dani. 14)

Digitized by Google

Ecclesia, & inter Christianos non contingat, qui de Dei bonis saginantur, & lasciviunt, & immensas Ecclesiæ opes, omnis sexus, ætas, conditio, profani, devorant ac deglutiunt.

Malach. 1

Tales, quibus per Malachiam dicitur: *Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & altare polluistis. Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus.* Tremenda comminatio in Ecclesiæ Ministros, qui se vocati non vocati, in Ecclesiæ bona, officia, dignitates intrudunt & ingerunt, sola spe utilitatis & commodi temporalis, nulla salutis suæ ratione ducti; qui pro Deo, ne digito quidem stipulam ab Ecclesia moverent, aut tollerent; quibus meritò dicat S. Bernardus: "Heu quanti Iudæ! qui panem Domini manducant, & contra Dominum calcaneum levant, & Dominum in operibus suis calce percutiunt! Quanti de altari vivunt, qui altari non serviunt, imò Dominum altaris pro nihilo ducunt. Heu quod magis dolendum est, quanti Sacerdotes, sed falsi Sacerdotes, qui Corpus Christi sumunt ore, & Christum conculcant pede, putres fœtore luxuriæ, infecti veneno nequitiæ." Ita S. Bernardus.

Bern. de ver. Dom. in cœna serm 2.

Sed ne solis Sacerdotibus id vitij exprobrare videamur, quod omnibus, & maximè sæcularibus, commune est; in Ieroboam, ex servo facto Rege, id enormiter visum est, quod communiter dicitur, Principes non se & suas res Religioni, sed Religionem sibi, & suis rebus accommodare, & facere servire. Is enim singulari Dei beneficio in solio domini sui, Regis Salomonis, sublimatus, super decem Tribus Israël, vix regni habenas cœperat, cùm timere cœpit, ne populus se relicto ad domum David reverteretur: & proptereà ne regnum perderet, fidem & Religionem perdidit. Excogitato enim consilio, *fecit duos vitulos aureos,* & populum idolatrare compulit, ac turpissimo cultu contaminavit. Talis est Religio malorum Principum, & fides: veram sequuntur, cùm putant sibi conducere: ablegant, & falsam profitentur, cùm profuturam existimant suis consiliis.

3. Reg. 12

Accedit, quòd eandem corruptelam, quam in Ieroboam regnandi libido inchoaverat, avaritia prorogavit, dicente Scriptura cap. sequenti: *Non est reversus de via sua pessima, sed è contrario fecit de novissimis populi Sacerdotes excelsorum. Quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorũ.* Hæc nempe est porta scelerum, cùm indignissimi quique implent manus avarorum Principum, & sic ad primarias Reipublicæ aut Ecclesiæ dignitates irrepunt.

cap. 13.

Sed vulgi & plebeiis hominibus id vitium longè communius est, quorum Religio utplurimùm à nutu Principum, vel à lucro undequaque veniat, pendet.

Marci 6

Christus Dominus paverat in deserto *quinque millia hominum de quinque panibus, & duobus piscibus*: quibus abundè refectis, *duodecim cophini de fragmentis impleti fuerant.* Hujus fama miraculi tam latè ad aures hominum pervaserat, ut fugere ex oculis eorum, & loco, sit coactus, ne à turba raperetur, & Rex crearetur: insuper mare sine navigio, solus noctu inambulando super aquas trajicere. Sed nil profuit hujusmodi effugium, ut lateret: nam sequenti die, novis semper hominibus, iis qui miraculum viderant, & ipsi saturati fuerant, se adjungentibus, confertissima turba, veniunt ad Dominum in Capharnaum; quos inter plures animadvertens, quos escæ & satu-

Digitized by Google

ritatis ratio potiùs, quàm veritatis fames percipiendæ, aut devotio, alliceret, nunquid laudavit diligentiam, probavit zelum, miratus est fidem? Minimè verò, sed respondit: *Amen amen dico vobis: Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Et à cibo corporali ad spiritualem eos avocans, adjunxit: *Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.*

Iam quæso occasione hujus Dominicæ exprobrationis, si in illa multitudine penè infinita hominum, quæ de altari pascitur, vestitur, luxuriat, lucerna adhibeatur illa, quæ ad judicium Ierusalem accenditur, & discretionis judicium fiat, quot & quanti erunt, quibus præcedens sententia applicari jure possit: *Amen dico vobis: Quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia manducastis, & saturati estis.* Sed ipsi, quorum maximè interest, viderint.

Vereor ne & illis conveniat, quod Pseudo-Christianis, quos Apostolus Iudas suis depingit coloribus in sua Epistola. *Subintroierunt enim*, inquit, *quidam homines impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Hi nempe in Ecclesiam convolant, non ut Deo, sed ut suæ ambitioni serviant: amant dominari in Clero, præesse ovili Dominico, non ut pascant gregem, sed ut lautè pascantur, ut de eo saginentur. Denique Apostolica hac sententia percelluntur: *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Qui enim Christo adhærent, ut quærant quæ sua sunt, convincuntur se amare, non Christum; dicente Augustino: „ Convincitur non te amare, qui aliquid amat præter te, quod propter te non amat. „

Iudas Apostol. in sua epist. Can.

„ Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur, inquit S. Bernardus; infirmus est, qui spe subtracta aut extinguitur, aut minuitur; impurus, qui & aliud cupit. Purus amor mercenarius non est. „ Et libro de diligendo Deo: „ Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque intuitu præmij diligendus sit. Charitas vacua esse non potest, mercenaria tamen non est: non quærit quæ sua sunt. „ Pulcherrima S. Doctoris effata contra eos qui sola ratione commodi sui, & propriæ utilitatis, Deo serviunt.

D. Ber. in Cant. ser. 83.

Huic proposito notat D. August. divitias Iob, & temporalis fortunæ prosperitatem dedisse ansam Diabolo tentandi eum, exprobrandique quòd non purè Deum coleret: Deo enim, servi sui Iob justitiam magni facienti, sic ille respondit: *Nunquid Iob frustrà timet Deum?* Vbi S. Augustinus legit, *Nunquid Iob gratis colit Deum?* Quasi diceret: Non est tanti facienda virtus Iob: si colit Deum, non gratis colit: colit non propter se, sed propter seipsum & utilitates suas. *Nonne tu vallasti eum, & domum ejus, universamque substantiam, per circuitum?* &c. „ Quærens Dæmon, ait S. Augustinus, quid objiceret, pro magno se putavit invenisse, quia dixit, *Nunquid Iob gratis colit Deum?* non quia viderat cor ejus, sed quia videbat divitias ejus. Et addit: Cavere ergo debemus, ne ad præmium diligamus Deum. Quid enim, propter præmium dilecturus es Deum? Quale præmium est, quod tibi daturus est Deus. Quidquid aliud tibi dederit, minus est quã ipse. Colis non gratis, ut aliquid ab eo accipias: gratis cole, & ipsum accipies. „

Lib. 50. Homil. Hom. 38 Iob. 1.

Hîc non absurdum fuerit illud Tertulliani, Gentilibus ex professo exprobrantis, quòd Deus apud ipsos, ut pro Deo haberetur coleretur que, ab humano favore, nutu, voluntate, penderet. „ Apud vos, inquit, de humano arbitratu Divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit,

In Apol. c. 5.

Digitized by Google

Deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debebit.,,

Vnde eodem ibi referente acciderit, de Christo, quod qui omnium gentium superstitionem & falsa Numina Romani recipiebant, nulla rejiciebant, verum Deum Christum, non falsis rumoribus, sed firmissimis argumentis, ac testimoniis, etiam à suis annunciatum, vel ipso Imperatore suffragante, respuerent. Scilicet major erat distantia, quam ut Evangelio, & Gentilitati, inter se conveniret.

Sed quid opus est in aliorum moribus incessere, quod in nostris quotidiè patiaris? Nostræ mortalitatis id vitium generale est, Deum in quantum, & quandiu sibi placuerit, admittentis, aut repudiantis.

Iamdudum totus Oriens, qui obviis ulnis Christum, ejusque fidem, primitiis spiritûs & sanctitatis gaudentem, susceperat, prior abjecit; & in altissimum impietatis baratrum devolutus, pro Christo Mahometem, pro Evangelio Alcoranum, est amplexatus. Ad Orientis exemplum Meridies citò refriguit, & ejus errores admisit.

Nec fœlicior aut constantior Aquilo extitit. Quæ enim ejus regio, in toto, aut in parte, infidelitatis frigore non obriguit? Germania, novitatum & libertatis amans, in superbiam erecta, *tanquam pullus Onagri, se liberum nactum putans*, ubi Lutheranum virus admisit, omne jugum, disciplinam, fidem evomuit; eaque, & Deum, pro arbitrio, & commodi sui ratione, professa est. Anglia, jugi Christi & Ecclesiæ olim impatiens, & pertæsa, tandem excussit; & ejurato Deo, humano capiti colla submisit; fœminam potiùs, proh pudorem! pro capite Ecclesiæ admissura, quàm Petrum, à Christo ei præpositum.

Percurre si potes omnia regna, provincias, urbes, familias: ingredere penetralia potentium, Magnatum, mediocrium, ferè omnium; & vota scrutare, quàm verum sit illud Tertulliani, " Apud vos de humano arbitratu Divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit.,, Dic idem de fide, de Religione cujusque.

TIT. XI

TITVLVS XI.
DE COMMVNI HOSTE.

FABVLA.

De Lupo & Hystrice.

L*VPVS famescens Hystrici, seu Hericio, insidiabatur, si quovis modo posset invadere, ac devorare. Aperta vi id non ausus, eò quòd cutis ejus quot pilis, tot aculeis, & quasi telis armata sit, ac contexta; convertit se ad insidias, & blandè suadere cœpit, ut se tam gravi aculeorum onere levaret, deponeretque aliquando armaturam; cùm nec ipsi milites, aiebat, aut sagittarij, arcum semper, pharetram & jacula, nisi prælij tempore, deportent; remitteretque de severitate naturæ, ut amicis accederet, fieretque consuetudo suavior. At Hystrix, quò tenderet sævus adulator advertens; Apage, inquit, istas artes, nihil in me profuturas. Qui à Lupo sibi ubique timet, ubique armatus incedere debet. Insinuans virum prudentem & Christianum, quem tot hostes infensi circumdant, quibuscum omni tempore præliandum, nusquam exarmatum, aut inermem, esse debere.*

Lupus & Ovis.

I*Acebat humi Lupus malè tractatus à canibus; & cibi indigus ac appetens, visam eminùs Ovem vocat; rogat, ut de vicino fonte sibi aquam afferat. Quid aqua esurienti, inquit illa? quære tibi priùs cibum. Sufficit, inquit Lupus, si potum præstes: de cibo mihi providebo. Illa, verba & finem Lupi subodorans; Capio te, amice Lupe, ait: si tibi aquam dedero, dedero etiam cibum; de me te cibaturus es. Vale, aliò vocor, longè à tuis dentibus & ventre. Indicat, non se hosti committendum.*

De Leone Rustici Filiam amante.

D*Eperibat filiam cujusdam Coloni Leo. Rogavit patrem puellæ, ut sibi eam in sponsam traderet. Negat initio posse adduci ut filia sua bestiæ nubat, & maximè Leoni. Infrendens ad hoc responsum Leo, & torvis ac minacibus oculis patrem intuitus, eum exterruit; qui etsi voluntatem non mutavit, finxit tamen mutasse consilium, dicens, non recusare se Leonis nuptias, sed timere filiæ suæ: rogare ut auferat causas timoris, posteà*

Digitized by Google

nubat. Delinitus Leo, petit quæ sint illa? At pater; Dentes, inquit, tui, & ungues; quos si dimittas, aut sinas evelli, non supererit conjugij recusandi locus. Leo amore insaniens, exarmari se, dentes & ungulas effodi consentit. Quo facto, dum putat nuptias celebrare, & frui cupitis amoribus, domi conclusus, inermis, capitur, ligatur, trucidatur. Vt discas exarmatum Leonem, ludibrium esse canum; sicut homo Christianis armis spoliatus, præda est vilissimorum Dæmoniorum.

De Equo & Cervo.

Equus cum Cervo & aliis bellum habebat pro possessione pascuorum; qui imparem se sentiens, imploravit opem hominis. Non abnuit homo ferre suppetias equo, imò pollicitus est de hoste victoriam, modò frænum, ephippia, calcaria admitteret. Quibus conditionibus admissis, ad certamen redit; & qui erat anteà victus, fit victor Cervi, & aliorum, sed hominis servus: jugum enim hominis receptum amovere non potuit. Adeò difficile est jugum, & servitutem, quam semel induisti, potentis excutere.

De Simiis & Pardale.

Pardalis, animal est Simiis infensissimum, sed viribus impar. Vnde cùm aperta vi Simias non possit invadere, arte expugnat, & vincit. Sternit se sub foliis & ramis supinum, & extensis in altum pedibus, fingit se mortuum. Hoc spectaculo gavisæ Simiæ una post alteram ex arboribus descendunt; illudunt ficto mortuo; & ejus arte elusæ, audaciores, ac deposito metu conscendunt, conculcant, tripudiant, donec Pardalis sentiens eas longo suo ludo defatigatas, aliam străgulat, aliam unguibus lacerat, aliam pedibus stringens dilaniat. Tam malè se habet, hosti se inermē committere.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

ADVERSARIO TVO NE TE INERMEM COMMITTAS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

IN hoc Tractatu, & sequentibus, ubi de communi hoste agimus, id est, de malis Angelis, seu Dæmonibus, quibuscum homini lucta perpetua, hîc à limine fuisti monendus, Lector, quòd quia Mentem Fabulæ, seu Morale, nostri moris est primò probare ex Profanis; & hi ignoraverunt hanc luctam, illorum casum, odium in Deum, in homines irreconciliabile

bellum, artes, insidias, & ferè naturam; quæ omnia sola fides docuit domesticos suos; proptereà ab hypothesi ad thesim mihi sermo traducendus fuit, & eminùs velitandum, ut quæ de spirituali militia, armis, colluctationibus, in spiritales nequitias differenda erant, ad temporalia, ab inimicis invisibilibus, ad visibiles, deducere videamur.

Non quòd Dæmones totaliter ignorarint Ethnici, quos Plato vocabat Minores Deos, Mortales inter, Divosque, medios; Mundi auctores, aut rectores: quos alij Genios vocabant, bonos & malos, eosdemque colebant. Vnde illud Orphei:

In Symposio.

Dæmonaque imploro sanctum, pariterque malignum.

Et Socrates: *Dæmones, aut Deos existimamus, aut Deorum filios.*

Sic & Thales, Physicorum princeps, ab Athenagora Legat. pro Christ. citatus. *Triplici divisione (ut referunt qui Philosophiam ejus altiùs sunt scrutati) Deum, Dæmones ac Heroës, seu Genios nuncupat. Deum autem definit esse mentem mundi; Dæmones, essentias animales seu spirituales; Heroës, separatas hominum animas.* Hos Dæmonas Lactantius vult à rerum scientia & peritia sic dictos, ab intelligentia, non à moribus; sed licet bonos aut malos, utrosque colebant, & pro Diis habebant.

Vnde Tertullianus in Apologetico. *Sciunt Dæmonas*, inquit, *Philosophi, sciunt Poëtæ, & jam vulgus indoctum in usum Maledicti frequentat. Angelos quoque etiam Plato non negavit.* Imò urbibus, provinciis, regnis, suos esse custodes Aristoteles novit, & scripsit, & rerum inanimatarum & animatarum speciebus suas intelligentias, quæ eas custodirent.

In Apol c.22.

Quod verò de Genio Socratis ferunt, notius est, quàm ut hîc silentio præterire liceat. De quo Tertullianus: *Ipsi Dæmonium adhæsisse à pueritia dicitur, dehortatorium planè à bono.* Et Apuleius, Deum Socratis vocitabat, & librum, quem de Deo Socratis inscripsit, composuit: à quo solitus erat admoneri ut ab agendo desisteret, quando id quod agere volebat prosperè non fuerat eventurum. Ex quo in Apuleium concludit S. Augustinus, non Deum, sed Dæmonem dicendum, imò Dæmonium; & de facto sic ab ipso Socrate vocitatum. Quo comite ille gloriabatur, qui se ipsi per vocem proferret, & quæ esset facturus dissuaderet, nunquam tamen ad faciendum provocaret: adeò ut cùm Socrates in carcere morti vicinus esset, ex consuetudine Dæmonis inferret bonum sibi esse mortem subire, quòd vox illa, quæ in rebus levissimis se minùs benefacturo opponebat, sermonem medium aliquando interrumpebat, quæ in Phœdro, flumen transiturum prohibuerat, nullo signo morti impendentem inhibuisset.

Quibus ex argumentis fuere, qui bonum ejus Angelum, seu Custodem, cum Xenophonte putarent: plures, qui malum; ad hoc inducti, quòd à malo tantùm averteret, ad bonum nusquam inclinaret; quod proprium bonorum est.

Quidquid sit, boni maliquе efficientiam satis internôrunt; quod ab ipsorum usu probat Tertullianus: *Et Dæmonia esse*, inquit, *& abominationem sustinere, execrationes tuæ respondent. Dæmonium vocas hominem, aut immunditia, aut malitia, aut insolentia, aut quacunque macula, quam nos Dæmoniis deputamus, aut ad necessitatem odij importunum. Sathanam denique in omni aversatione & aspernatione & detestatione pronuntias, quem nos dicimus Malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius sæculi interpolatorem, per quem homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus*

Lib. de testim. ani. c. 3.

Digitized by Google

de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit. Sentis igitur proditorem tuum; & licet soli illum noverunt Christiani, vel quacunque apud Dominum Secta, & tu tamen eum nosti, dum odisti.

L. 2. dd. Inst. c. 15

Hi spiritus contaminati, ait Lactantius, *ac perditi, per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent.*

In Octaviô.

Non desinunt perditi, perdere, inquit Minutius Fœlix, *& segregati à Deo, inductis pravis Religionibus, à Deo segregare.*

Quod etiam Ethnicos ipsos non latuit. Vnde aliquis apud Stobæum: *Invidus Dæmô*, inquit, *maximè videtur hoc studere, ut inopinatas calamitates inducat.*

Lib. 2. de abstin. & de sacrif.

Effuso sanguine gaudent, inquit Porphirius, turpibusque & obscœnis verbis. Pharmaca philtraque administrant; ad libidinem, vitium, flagitium hortantur: defunctorum animas simulant, & Deos ipsos mentiuntur.

Plutar. in vita Augusti.

Memorabile est quod Plutarchus de bono & malo Genio Augusti, & Bruti, in eorum vita refert, scilicet, quòd ea nocte, quæ Cassij sortem secuta est, & Bruti fatum præcessit; cùm iste in tentorio, suo more, accubiturus legeret, bellum crastina luce, & si posset res Reip. & suas, reparaturus, immane spectrum ipsi apparuit; a quo cùm, quis esset, interrogasset, Malus, inquit, Genius tuus sum, Brute; cras me videbis in campis Pharsalicis. Qua in re fœlicius quid Augusto, contrariæ partis duci, contigit: eadem enim nocte, in suo tentorio, ab irruentibus ex nocturnis insidiis Bruti copiis haud dubiè absumendus erat, nisi cujusdam monitu, quod boni sui Genij creditur, excitatus, aliò se recepisset: sic Cœlo disponente, ut causa Reip caderet, Augustus vinceret, sub quo Salvator mundi, Christus, regnante nasceretur. De quo quidam; licet alia occasione, dixit:

Lucanus.

Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.

Quæ obiter dicta volui, de communi hoste, qui præcipuè nobis Dæmon est, tractaturus, isque infensissimus, in quem quidquid de armis spiritualibus, de sollicitudine, & vigilantia, ut ab eo caveamus, adhibendis, adducturi sumus, in eum agere volumus. His igitur præmonitis,

Plin. in Procœm. l. 7.

Ignoscendum Plinio accusanti Naturam, quòd hominem, propter quem cuncta alia videtur genuisse, nudum infirmumque, & nullius, nisi lachrimandi, potentem effudit; dicentique: *Vnum animantium cunctorum alienis velat opibus. Cæteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera; truncos etiam, arboresque cortice interdum gemino à frigoribus & calore tutata est; Hominem tantùm nudum, & in nuda humo, natali die abjicit, ad vagitus statim, & ploratum; nullumque tot animalium aliud ad lachrimas, & has protinus vitæ principio. Itaque fœliciter natus jacet, manibus pedibusque devinctus, flens animal, cæteris imperaturum.* Ita ille. Ignoscendum, inquam, Gentili, ignoranti secretum malum hominis, communem reatum, vitiumque originis, jam ex utero contractum; cujus deinde nascendo, quivis Naturæ pœnas luit. Vidit Plinius conditionis humanæ miseriam, sed non vidit culpam. Itaque cùm addit *& à suppliciis vitam auspicatur*, in hoc non fallitur: fallitur verò, cùm subjungit, *unam tantùm ob causam, quia natum est*: altiùs enim, & ab ipso homine, repetenda est origo mali; unde vitam auspicatur à lachrimis. Vt verè Homerus apud Plutarchum.

l. de amore prolis.

Quando nil spirat, terra neque repit in alma,
Tam miserum quàm sunt homines.

Digitized by Google

Id quod de infante recens nato dictum minimè fallit, inquit Plutarchus: nihil enim est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, ut homo à partu statim conspectus.

Sed quæ deinde consequens ætas ab ærumnis & laboribus suis vacat? ut expendit Posidippus, vel Crates Cynicus.

Ap. Stob. serm. 96.

Quodvis insistat genus vivendi? Nam in foro
Sunt lites, & actiones molestæ: in ædibus autem
Curæ: ruri labores nimij: at in mari,
Timor est: in peregrinatione, si quid habes? metuendum.
Si nihil? molestum est. Nuptus es? non sine curis
Eris. Non ducis uxorem? eò magis solitariam vitam agis.
Liberi dolores pariunt: orbitas, vita est,
Sine liberis injucunda: juventus
Stolida est, senectus verò infirma.
Ex duobus igitur eligendum est alterutrum; aut nasci
Nunquam, aut statim natum vita defungi.

Ita quidam Silenus à Mida captus, rogatus quid esset homini optimum, diu silentium tenuit: tandem adactus ut diceret, respondit, *optimum esse nunquam nasci; proximum, quàm ocissimè aboleri.* Et hoc pretio dimissus est.

Propterea non absurdè Bœotij suorum pignorum natalitia prosequebantur lachrimis ac gemitibus, funera celebrabant tripudiis & jocis, ut qui miseriis humanæ vitæ excesserant.

Plutar.

Sed aliò mihi flectendus est sermo; & quanquam homo in natalibus suis nudus, & pauper, & inermis à Natura abjici videatur; progressu tamen temporis ita assurgit, & explicat vires suas, ut in bellatorem egregium evadat. Quo nomine, hîc mihi considerandus venit, dicendumque, quòd cùm in hac vita inter medios hostes, multiplicesque malorum lernas versetur, semper in armis stare debet.

In hunc sensum dicebat Cicero: *Nil tam necessarium est, quàm tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci, lacessitus.*

Lib. 1. de Orat. c. 17.

Etenim dicebat Livius: *Militi armato, nil secum præter arma portanti, nil invium, aut inexuperabile est; exarmato autem nil debilius.*

Dec. 3. l. 1.

Vnde Vegetius: *Fit,* inquit, *ut non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. Sed gravis pediti lorica videtur, & galea fortassè? Rarò militanti, rarò arma tractanti. Cæterùm quotidianus usus non laborat, etiamsi onerosa gestaverit: ast illi qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum ferre non possunt, detectis corporibus & vulnera sustinere coguntur, & mortes; & quod est gravius ac turpius, aut capi, aut certè fuga Rempublicam prodere: sic dum exercitium laboremque declinant, cum maximo dedecore trucidantur ut pecudes.* Addit paulò post, *instruendos omni arte pugnandi, ac protegendos quocunque genere armorum: necesse est enim ut dimicandi acriorem suscipiat audaciam, qui munito capite vel pectore non timet vulnus.*

L. 1. c. 20.

Vnde C. Crassus, militem videns sine gladio currentem ad pugnam; *Heus tu,* inquit, *commilito, pugno benè uteris?* festiviter taxans inermem.

Erasm. 6. Apoph.

Et alius Romanus Imperator, *Militi* dicebat *tria esse curanda: Corpus ut quàm validissimum & pernicissimum haberet, arma apta, animum ad subita imperia paratum. Cætera Diis Immortalibus, & Imperatoris curæ esse.*

Paulus Æmil.

Digitized by Google

Non dissimiliter Brasidas, referente Thucidide, in milite tria requirebat; *velle, vereri, & ducibus obedire.*

Lib. 5.

Philippo Macedonum regi Ateas Nomadum rex scripsit: *Tu qui lenis imperas Macedonibus bellandi peritis: at ego Scythis, qui cum fame & cum siti pugnare valeant*; suorum Scytharum fortitudinem extollens, qui etiam necessitates vitæ devincant.

Cæterùm ut parum prodesset militi armis corporeis extrinsecùs instrui, nisi etiam intùs suis animus polleret, & firmaretur, industria scilicet, & fortitudine animi ad pugnandum. Propterea præcipua militi cura esse debet, fortitudinis animi comparandæ, sine qua arma corporea militem nunquam fortem efficient. *Necesse est*, inquit Cicero, *qui sit fortis, eumdem esse magni animi; qui magni animi, invictum; qui invictus, eum humanas res despicere, atque infra se positas arbitrari.*

L. 3. qq. Tuscul.

Quod ita esse probatur inde, quòd semper arma corporea ad manum non sunt, aut ea vis aliqua potest extorquere, aut retundere: sed hæc quæ animi esse dicimus, nullus auferre, nulla vis à te extorquere potest, ut inermis, & dejectus, superatusque sis.

Propterea rogatus Aristoteles quid esset fortitudo, respondit: *Virtus animi, per quam non facilè mortis metus ingruit.*

Meliùs meo judicio Seneca. Quid est fortitudo? *Munimentum*, inquit, *humanæ imbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit sibi, securus in hac vita obsidione perdurat: utitur enim suis viribus, suis telis. Hoc loco Posidonij nostri sententiam referre volo. Non est quòd unquam fortunæ armis putes esse te tutũ: pugna tuis. Contra ipsam fortunam non armant illa quæ contra hostes. Instructi contra ipsam, inermes sunt. Alexander quidem Persas, & Hyrcanos, & Indos, & quidquid gentium usque in Oceanum extendit Oriens, vastabat fugabatque: sed ipse modò occiso amico, modò amisso, jacebat in tenebris, aliàs scelus, aliàs desiderium suum mœrens. Victor tot regum atque populorum, iræ tristitiæque succubuit.* Ita ille optimè nostro proposito.

Epist. 114

Hujusmodi fortitudinis exemplo fit Anaxarchus Abderites, qui Alexandro mortuo cùm tempestate esset delatus in Cyprum, atque à Nicocreonte Cypriorum tyranno sibi infensissimo torqueretur, nec ulla vi inhiberi posset, quominus amarissimorum eum maledictorum verberibus invicem ipse torqueret, ad ultimum amputationem linguæ minitanti; *Non erit*, inquit, *effœminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis*: protinusque dentibus abscissam & commanducatam linguam in os ejus expuit, & sic occidit gloriosiùs, quàm vixit. Ita Valer. Maxim.

L. 3. c. 292

Idem cùm in mortarium ab eodem Tyranno conjectus esset, ac ferreis pistillis contundi juberetur, celebratam illam vocem emisit: *Tunde, tunde Anaxarchi manticam, Anaxarchum verò non tundes*; sentiens corpus esse potiùs animi generosi domicilium, quàm partem hominis.

Quàm benè graviterque Lyricorum princeps:

Hor. l. 3. Car. od. 2

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori,
Cœlum negata tentat iter via,
Cœtusque vulgares, & udam

Digitized by Google

Spernit humum, fugiente penna.

Occurrit & hîc factum Mutij Scævolæ, dextram, quæ non trucidando, sed deligendo hosti, erraverat, intrepidè castigantis. Quod sic Martialis describit:

L. 1. Epig.

Dum peteret regem decepta satellite dextra,
Injecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis jussit abire virum.
Urere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non valuit.
Major deceptæ fama est, & gloria, dextræ:
Si non errasset, fecerat illa minus.

Hi igitur, nunquid nudi aut exarmati? nunquid victi aut prostrati? quia vincti, & tormentis substrati? Imò verò, in ipsa morte victores, exemplum fortitudinis circumferunt, ne quis nudum pectus hosti objiciat, aut se inermem committat: ut benè Lyricus:

Hor. l. 2. Od. 10.

Sperat infestis, metuit secundis,
Alteram sortem, benè præparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iupiter, idem
Summovet. Non si malè nunc, & olim
Sic erit.

ADVERSARIO TVO NE TE INERMEM COMMITTAS.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

QVEM nudum, inermem, miserumque, quoad corpus, hominem; Naturam effudisse, & ejecisse potiùs, quàm genuisse, ex Profanis causati sumus; hunc secundùm animam deteriùs tractatum Fides Catholica docet. Et verò ea nuditas corpori ab anima est, quam sentiebat ille qui dicebat: *Super hoc plangam & ululabo, vadam spoliatus & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quasi strutionum; quia desperata est plaga ejus.*

Micheæ 1.

Et dilectus Apostolus: *Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Sed quem in primo parente culpa nudaverat, & inermem imbellemque fecerat, gratia per Iesum Christum fœliciter reparavit, armavitque spiritualibus armis.

Apoc. 3.

Quæ nulla non pagina Scriptura inculcat. *Indutus est justitia ut lorica: ut galea salutis in capite ejus*, ait Isaias Propheta. Et ante eum Sapiens: *Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum, sumet scutum inexpugnabile, æquitatem*, &c. Ex hoc armamentario virtutum Paulus cœlestis temperaturæ arma depromit, quibus Christianum militem induit. *Acci-*

Isaiæ 59. Sapient. 5. Ephes. 6.

Digitized by Google

pite, inquit ad Ephesios, *armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli.* Quibus verbis, duplici armaturâ vult muniri sacrum athletam; "altera, dicit S. Thomas hîc, sicut de interiori: propterea ait, *Induite armaturam Dei*: altera, sicut de exteriori, *Accipite armaturam Dei.* Interior armatura fit fiducia divini auxilij. Vnde dicit, *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus*: quia ad Deum pertinet nostra defensio, *ipsi est cura de nobis, & potens est auxiliari*: nam etsi nostra est pugna, ipsius tamen est victoria. Interior armatura sunt dona & virtutes, quæ sigillatim enumerat, & à capite ad calcem membratim armat. Objicit verò sibi S. Doctor: "Si Deus potest & vult nos tutari ac defendere, debemus esse securi: ad quid igitur armatura? cui respondens dicit: Imò, debet quilibet facere quod in se est: quia si inermis iret ad bellum, quantumcunque Rex protegeret eum, esset in periculo.„ Sic S. Thomas; quod meo proposito perfectissimè quadrat: quo inermem se adversario suo committere non debere insisto, duas ob causas.

Prima, quia adversarius noster est potentissim⁹ natura, malitia, societate.

Natura, quia est Angelus, creatura spiritualis, invisibilis, cui corporea tota subjicitur. *Mundi hujus princeps ac rector, caput impiorum, Deus sæculi hujus*; pro *Deo* olim, & hodiè, & deinceps, cultus. *Balena*, seu *Ceto*, à Iob & Isaia comparatus; *Leoni rugienti*, à Petro; *fulguri è cœlo cadenti*, à Luca; *Draconi magno*, & *Serpenti antiquo*, à Ioanne.

Ioan. 12. 2. Cor. 4 Iob. 40. Isai. 27. 1. Pet. 5, Lucæ 10 Apoc. 12

Potens natura ad nocendum, malitia, qua fervet & ebullit in hominem, longè potentior est. Insidiator perpetuus, in tenebris, in luce, clàm, palàm, supernè, infernè, invadit, adoritur, occurrit. Ex victoria audacior, ex fuga efferatior, obstinatior è repulsa. Mendacio irrepit, specie veritatis illudit, prætextu sanctitatis imponit: denique *se transfigurat in Angelum lucis*, & omnes induit formas, ut seducat.

Apostata casu infamis, è cœlo dejectus, non unus hominem oppugnat; tot habet socios pugnæ, quot culpæ; una conspiratio omnium est, ex odio in Deum, ejus imaginem invadere, ac perdere. Quisque à seipso divisus, & alter ab altero proprio supplicio efferatus, in hoc invicem convenit, coit, conspirat, ut sub uno capite & principe regnum efficiant concordissimum, cœlo, terræ, marique diffusum, populo infinito, turmis innumerabilibus tumens, ut in homine Deo bellum indicat. De quo apud Lucam Dominus ipse dicit: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet: si autem Sathanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?*

Lucæ 11.

Accedit tantæ, tamque formidabili Diaboli potentiæ, alia à societate nocendi vis & potestas: quippe suæ naturæ & culpæ consortibus Angelis non contentus, trahit in partem societatemque quotquot sunt reprobi, & perversi homines, eorumque fit dux & caput adversùs electos; & in ipsis electis & justis facit rebellare carnem contra spiritum, sensum contra rationem, veterem hominem contra novum, ut sibi invicem semper adversentur.

Propterea monet seriò Apostolus: *Confortamini in Domino, & induite vos armaturam Dei*, &c. Et rationem præfatam affert: *Quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Heu qui & quanti adversarij! quàm formidanda certamina!

Ephes. 6

Secunda

Digitized by Google

Secunda causa, cur Christiano non liceat absque gravi discrimine armaturam hanc Apostolicam deponere, est, quia adversarius noster non solum est magnæ potentiæ, sed etiam æquali odio, ira, furore, nos prosequitur, sicut Ioanni monstratum est, Angelo voce magna clamante: *Væ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Magnum timorem periculumque indicit terræ & mari: quia descendit, inquit, ad vos Diabolus, hostis ille potens, princeps mundi, terra marique formidabilis, habens iram magnam. Notanda verò est causa tantæ ejus iræ; *Sciens*, inquit, *quia modicum tempus habet.* Vbi considerandum venit, quòd cùm opus ejus sit tentare hominem, unde Tentator nuncupatur, concitat, inflammat iram suam, ea maximè de causa, quòd *modicum tempus habet*, quòd tentandi finis properat, & expirat. Non secùs ac causarum inquirendarū Iudex aliquis, cùm instat finis suæ Commissionis, causas accelerat, expedit, judicat, diu noctuque operans; *sciens quia modicum tempus habet.* Aut si quando duo infensissimi hostes sibi occurrunt, & ad manus veniunt, tendente ad occasum sole, uterque majori impetu ac furore in hostem concitatur, ut eum atterat antequam nox pugnam dirimat, *sciens quia modicum tempus habet.* Eodem prorsus modo adversarius noster instantis Iudicij diem præsentiens, quo tempore æternæ noctis vinculis arctiùs constringendus est, & ultra pœnam damni, altera, sensus accedet acerbiùs cruciandus. Propterea fortiùs in rabiem agitur, furit, insanit, in electos Dei, si quo modo impedire valeat, ne eorum numerus compleatur, & decretorius ille ac fatalis supremus dies incurrat.

Apoc. 12

Falcones Norvegiæ ferunt Aucupes, pernicitate cæteros vincere. Cujus ratio fit, quòd cùm in his Septentrionalibus plagis noctes longissimæ sint, & dies brevissimi, duarum aliquando aut trium horarum, fit, ut aves istæ prædatitiæ, tam longæ noctis tractu exinanitæ, & famescentes, cùm prædandi brevissimum spatium persentiant, citissimè volant. Eodem prorsus modo magnus ille animarum prædo Diabolus, quem Iob avem nuncupat, geminam inter noctem, sæcularem istam, in qua à principio temporum tenebris oppressus gemit, & æternam, quam expectat, brevissimi diei ac lucis mundi hujus usura fruens, rapidissimè volat, prædatur, excurrit, *habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Vnde Isidorus: "Quantò propinquiùs finem mundi Diabolus videt, tantò crudeliùs persecutiones exercet, ut qui se continuò damnandum conspicit.

Iob. 40

De sum. bon. l. 1.

Propterea incessanter Apostolus clamat, hortatur, monet: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli. Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo*; scientes quia vobis cum hoste potentissimo & infensissimo, magnæ potentiæ, & æqualis iræ, depugnandum est.

Et quia nobis colluctandum contra principes & potestates tenebrarum, contra spiritualia nequitiæ, etiam arma ministrat exquisitæ & specialis temperaturæ, spiritualia scilicet. Vnde dicit: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt*, ut paribus armis depugnemus, *sed spiritualia, sed potentia ad destructionem munitionum*, &c. quæ alibi vocat *arma justitiæ*, omnium videlicet virtutū, quib⁹ satisfit Deo, & resistitur Diabolo; qualia sunt vigiliæ, jejunia, eleemosina, castitas, præcipuè verò fides & oratio; illa scuti loco, hæc gladij.

2. Cor. 10

His enim armis Christianum armat Apostolus, hac Panopolia communit, dicens: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelij pacis, in omnibus sumentes scutum*

Digitized by Google

fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium spiritus per omnem orationem orantes, &c. Habemus ergo ex Apostolo, præcipuè scutum fidei, & gladium spiritûs, seu orationem; quæ nunquam deponenda, nunquam abjicienda sunt. Hoc scuto fidei pectus semper tegendum: hic gladius semper in manu tenendus, semper distringendus: hoc enim ense feritur & confoditur Diabolus.

Psal. 65. Audi quid de eo, utriusque Militiæ, spiritualis, & temporalis, David Bellator insignis, dicat. *Benedictus*, inquit, *Deus, qui non amovit orationē meam, & misericordiam suam à me.* Exquisita sententia, qua Propheta gratias agit Deo, pro summo beneficio reputans, quòd Deus à se non amovit aut sustulit hunc gladium, orandi scilicet facultatem libertatemque, quacunque in necessitate posito. Hæc enim gratia inter primas numeranda. Quare? quia, sequitur, *Nec misericordiam suam à me*, q. d. Certus enim sum quòd ad orationem meam sequetur misericordia divina. Adeò inseparabili nexu conjunctæ sunt oratio peccatoris, & misericordia Conditoris, ut unum aliud trahat. Christiano, hoc ense armato utenti, scio misericordiam Dei non defuturam, sed comitem illicò adfuturam. Itaque *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.*

Eapropter vafer inimicus nihil magis curat ac enititur, nisi ut hominem his armis vacuum & nudum inveniat, aut exarmet armatum, non absimili consilio ab eo, quo Philistæi erga Israelitas, qui maximo artificio, diligentiaque, quo tempore ipsis tyrannicè dominabantur, caverant ne arma bellica haberent; & non solùm ne haberent, sed etiam ne essent apud eos ferri & armorum artifices, ac fabricatores; quos omnes è finibus Iudæorum amotos, in suos traduxerant. Vnde cùm aliquando eorum jugum isti

1. Reg. 13 cœpissent excutere, *non est inventus*, ait Scriptura, *ensis, & lancea in manu totius populi, excepto Rege Saül, & Ionatha filio ejus.* Quæ istorum incuria! quæ illorum astutia! Non aliter nobiscum incautis agit fraudulentus hostis, cui mille nocendi artes. Vsum tollit spiritalium armorum, aut utendi tædium ingerit, ut cùm conferendi hora advenerit, Christiani ad manus arma non habeant, & imbelles inermesque confodiantur. Insuper neque fabros armorum apud eos esse sinit, spirituales scilicet Magistros, & verbi divini sedulos operatores.

Inermis non erat David, cùm scuto nominis Dei contectus, & gladio

1. Reg. 17 orationis armatus, in gigantem procurrit. *Tu*, inquit, *venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem in nomine Domini.* Quo dicto, *misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem & funda jecit, & percussit in fronte, & interfecit, & præcidit caput ejus.*

Dani. 13 Non inermis casta Susanna, quæ licet nuda, tamen intùs armata castè vigore consilij ac propositi, lascivis restitit senibus, & licet accusata & condemnata, victrix evasit.

Non inermes Martyres, & tenerrimæ Virgines, quæ se ultrò leonibus, suppliciis, ignibus, offerebant: Aut quivis alij quomodocunque malis artibus hominum, aut Dæmonis, fatigati, de præsidio Crucis & patientiæ clypeo sese munientes ac defendentes, dicente Augustino: "Non calcatur ab hominibus, qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem metuendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior: sed inferior non est, qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in Cœlo est.

Digitized by Google

Denique non inermis ille, qui, referente S. Hieronymo, eo tempore quo callidus hostis tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora. Quorum ex numero unus inter flores molliter, vinctis post tergum manibus, cùm ad eum impudicissimum scortum venisset, & in libidinem concitaret, præcisam morsu linguam, in blandientis faciem expuit; & unà hostem & voluptatis sensum superavit. Ecce isti jam deerant manus, & pedes, & corpus, quæ voluptas inimica, sua fecerat; & tamen mens libera, & sui juris, arma invenit, quibus & faces voluptatis extingueret, & simul hostem vinceret. Quod hîc inserere placuit, ne apud Ethnicos plus elicuisse videatur impetus furoris, quam apud Christianos zelus sancti pudoris.

TITVLVS XII.

DE COMMVNI HOSTE.

FABVLA.

De Sylva & Rustico.

QVO tempore etiam arboribus, & inanimis suus sermo, venit ad Sylvuam Rusticus, petitum ab ea ut liceret de suis lignis aptare manubria securi & Asciæ. Annuit illa libens, minimè penetrans cuinam usui aut damno cederet. Sed ubi sensit aptata in suammet perniciem instrumenta, dejici quercus annosas, exscindi frondes, truncos secari, ligna comminui, tum demum cœpit serò pœnitere suæ facilitatis, & dicere, Quid feci insipiens? in propriam ruinam arma ministravi! Indicat vitium satis frequens & commune incautæ mortalitatis, in suam sæpe perniciem servientis.

De Salice & Securi.

SEcuris cædebat salicem, & ex truncis sectis cuneos faciebat, quò facilius salicem scinderet; intelligens salix & videns in quem usum ac finem sic in minuta cæderetur, ejulans dicebat, heu me infortunatam! non satis est me scindi, nisi etiam de corpore meo cunei fierent in meam ruinam?

De Vulpe & Trago, seu Hirco.

DEficientibus aquis præ siccitate, Hircus & Vulpes descendunt in puteum; largiter, poti difficultas erat in regressu sive ascensu non modica. Tandem cauta Vulpes socio, bono sis animo, ait; Quid enim sit

Digitized by Google

facto opus, ut hinc evadamus, probe novi, sta igitur rectus, pedibus anterioribus muro adhærens, ut in humeros tuos conscendens, tuis cornibus quasi scalæ gradibus adjuta emergam, deinde libera, ut evadas, juvabo ascensum tuum. Credidit Vulpi Hircus, evasit Vulpes extra puteum; sed fraudulenta bestia negavit vicem rependere: sed benefactori suo illudens, & subsannans, dicebat, Si tantum sapientiæ in animo fuisset, quantum barbæ in mento, non fidisses Vulpi, malignæ & crudeli, nec hostem tuum adjuvasses.

Aquila.

Leporem venatura rupi insidebat Aquila, quam Venator quidam incautam conspicatus, emissa in corpus sagitta trajecit. Hæc moriens, crenam cum pennis suis intuens, dicebat, etsi gravat me mori, magis me gravat & cruciat, quod propriis pennis, intereo.

De Turdo.

Turdus in retia Aucupis incurrens, nec se extricare valens supra modum suam sortem dolebat, non tam quod sibi moriendum esset, quantum quod suis ipse armis periret, visco enim captus erat, & viscum è turdorum stercore fieri aiunt; quem enim non tædeat mori, qui suæ mortis causa sit?

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

ADVERSARIO NE MINISTRES ARMA, CONTRA TE.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

Arma sua in bello, aut per ignaviam hostibus dedere, aut per vim sinere rapi, magno semper probro datum est. Vnde quædam mulier Lacæna filio suo clypeum ad bellum proficiscenti tribuens, dixit: *Aut hunc, aut super hunc*; Laconica brevitate indicans, ut aut vivus ac victor cum armis rediret, aut mortuus cum ipsis reportaretur. Quod de Thrasibulo quodam, eleganti Epigrammate, expressit Poëta Ausonius: (Epig. 23)

Excipis adverso quòd pectore vulnera septem,
Arma superveheris, quòd Thrasibule, tua.
Non dolor hic patris: Pytanæ sed gloria major,
Rarum tam pulchro funere posse frui.

Digitized by Google

Quem postquam mœsto socij posuere feretro,
Talia magnanimus reddidit ore pater.
Flete alios, natus lachrimis non indiget ullis,
Et meus, & talis, & Lacedæmonius.

Confirmat quod de Xerxe ferunt, qui cùm numerosissimo exercitu in eosdem Lacedæmonios movisset, & hi cum copiis suis longè imparibus resisterent, eorum duci Leonidæ scripsit: *Mitte arma*, quasi ad deditionem invitans. Ille non pluribus verbis respondit: *Veni, & cape*; satius ducens fortiter in armis mori, dimicando, quàm iis traditis, turpiter vivere.

Et quid non in hoc genere laudis Romana fortitudo ausa, tam militaris gloriæ avida, quàm severioris disciplinæ tenax?

Exemplo sit Lucius Calpurnius Piso, Consul, qui cùm in Sicilia bellum gereret, & Titius equitum Præfectus, multitudine hostium circumventus, arma eis tradidisset, his Præfectum ignominiæ generibus affecit: Iussit eum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus à mane in noctem usque ad principia, per omne tempus militiæ adesse: interdixit etiam ei convictum hominum, usumque balnearum; turmasque equitum, quibus præfuerat, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit; magnum dedecus patriæ magno Pisonis dedecore vindicans. Ita Valerius Maximus. lib. 2. c. 7.

In Hispania Q. Fabius Maximus, Romanorum militum qui ex præsidiis ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit, ut trunca præ se brachia portantes, defectionis metum cæteris injicerent. Rebelles itaque manus à corporibus suis distractæ, inque cruentato solo dispersæ, cæteris, ne idem committere auderent, documento fuerunt. Idem auctor. Ibidem.

Hoc est quod tantoperè movit fortissimum Attilium Regulum, ut Romanorum militum, qui se & arma in manus hostium dediderant, permutationem cum Pœnis in Senatu dissuaserit, & gentis suæ contumeliam maluerit propria morte vindicari. Quod sic describit Horatius: L. 3. Car. Ode 5.

signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cæde, dixit,
Direpta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, & arva
Marte coli populata nostro.

Militum, qui in prælijs signa destituissent, inquit Diodorus Siculus, *quive prorsus arma pro patria capessere recusassent, ignaviam cæteri legum conditores mortis supplicio coërcendam censuere.*

Charondæ verò placuit, hujusmodi viros, vestibus muliebribus indutos, medio in foro sisti, terque eodem singulis diebus ante omnium ora suggesto, eodemque ornatu consistere, &c. *Et hoc fieri conveniebat*, inquit, *ut eo morbo animi, seu Naturæ vitio, sive mollitiei consuetudine laborantes, in deteriorem mortis conditionem adducti, desperatione quadam, & doloris insania, efferatis animis pavorem abjicerent, ignaviam exuerent*, &c.

E quibus evidentissimè constat militi nec signa, nec clypeum, nec arma, absque ultima infamiæ & dedecoris nota, deponere usquam licuisse. Propterea Poëta, ultimum suæ Æneidos librum, & gloriæ militaris Æneæ facinus describens, narrat ipsum precibus Turni jam ad terram

Digitized by Google

prostrati, & vitam deposcentis, inclinantem, ubi armis ac spoliis unius ex suis indutum advertit, conversa in furorem misericordia, defuncti manes ac dedecus ferrò vindicare festinavit.

Æneid 12.

Stetit acer in armis,
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat, infœlix humero cum apparuit alto,
Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem vulnere, Turnus
Straverat atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquam sævi monumenta doloris,
Exuviasque hausit, furiis accensus, & ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas,
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub Umbras.

Iam præter arma illa externa, & militaria, sunt & alia, hominis magis propria, ut quæ ejus partes sunt, membra scilicet humana, quæ cùm in bono famulari nata sint, sæpiùs deserviunt in ruinam. Invertunt usus suos, & dum corpori blandis voluptatibus palpantur, simul in mentis & animi jura conspirant, dedunt se ultrò inimicis suis in prædam, & propria se eis ignavia submittunt; ut oculi, aures, manus, sensus, decipi faciles, obnoxij illudere & illudi.

Hoc antiqui insinuare voluerunt per Syrenes suas, pestes blandas, sæva monstra, virginea facie; qua prætereuntes, & obvios, per oculos caperent, voce & cantu per aures delinirent ac pellicerent, pellectosque sopirent, sopitos demergerent.

Ad hoc refertur illud Socratis apud Xenophontē: δεῖ ὥσπερ σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν τὸν σπεύδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ πατρίδα. voluptates oportet prçterire, tanquam Syrenes, eum qui ad virtutē ut patriam properat.

Vlyssem à Poëtis ut typum sapientiæ imitantes, qui ab eis iter longē deflexit, ne socij caperentur, aut ipse earum aspectu aut cantu raperetur.

Illevit cera sociorum callidus aures,
Atque suas vinclis præbuit ipse manus.
Sic blandas vocisque notas, & carmina vicit;
Sic tandem exitio monstra canora dedit.

Lib. 3. ad Cassian.

Idem Martialis lusit:

Syrenas hilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Vlysses dicitur reliquisse.

Emblem. 115.

Doctus Alciatus per eas intelligit scorta & libidinem, quæ magnam partem mortalium dementant, & infatuant. Sic enim in Emblemate, cui titulus *Syrenes*:

Illicium est mulier, quæ in piscem desinit atrum,
Plurima quòd secum monstra libido vehit.
Aspectu, verbis, animi candore trahuntur
Parthenope, Ligia, Leucosiaque, viri.

Digitized by Google

Addit: *Has Musæ explumant, has atque illudit Vlysses;*
Scilicet est doctis cum meretrice nihil.

Latiùs autem nos per Syrenes noxias, sensuum voluptates illecebrasque intelligentes, dicimus solos studiosos, sapientesque, de Musarum contubernio ad rationis amussim excultos, eas vincere & explumare, efficereque ut minùs vehementer irrumpant.

Qua verò vi voluptates per oculos, verbi gratia, penetrent, & in cor sua venena infundant, dicat Poeta:

Vt vidi, ut perij, ut me malus abstulit error.

Virgil. Eclog. 8.

Et Ovidius in Epistolis:

Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire quis esses:
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Et vidi, & perij, nec notis ignibus arsi.

Ad idem spectat illud Propertij:

Cynthia prima suis me incautum cœpit ocellis,
Contactum nullis antè cupidinibus.
Assiduè crescit spectando cura puellæ:
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Vnde Seneca noster, de remediis fortuitorum: *Non intelligis*, inquit, *partem innocentiæ esse cæcitatem. Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum; huic domum, quam concupiscat; huic urbem, & mala omnia. Certè oculi sunt irritamenta vitiorum, ducesque scelerum.*

Quod ut pauculis exemplis suffulciamus, nunquam usurpasset regnum Candaulis Gyges, aut amore uxoris ejus arsisset, nisi ipso rege auctore, nudam reginam vidisset. Nec nisi laudata pulchritudine & pudicitia à proprio marito, Lucretiæ Tarquinius stuprandæ cogitasset. Vnde Reges pulsi, & mutata Reipublicæ forma. Vides ut ille oculis, hic auribus, captus est. Fuit & qui magni consilij aggrediendi, gustûs voluptate consilium injecerit; Cato scilicet, occasione & ostentatione ficuum Punicarum in Senatu, quas Patres dulcissimas invenerunt, exscindendam inde Carthaginem, subjugandamque terram, quæ tam dulces fructus ferret, proposuit.

Hi, & quicunque alij, per oculos, aut aures, aut quoscunque alios sensus, rapti, subactique, nunquid non clypeum abjecerunt, & arma dediderunt, cùm membra voluptatis sensu victi ministrarunt? aut ambitioni se in prædam tradiderunt? in propositam tituli præsentis sententiam impingentes, qua dicimus, Adversario non ministrandas vires, aut arma, contra se. Quod si semel fecerunt, & hostem in suæ mentis arcem receperunt, aditumque in anima dederunt, unicum eis remedium restat aut effugium, quod à doctissimo sapientissimoque Philosopho Plutarcho non pigebit exscribere. Is ergo de amore tractans, ait: *Nonnulli Amorem prædicant esse Mentem; alij, Cupiditatem; alij, Insaniam; alij, divinum quemdam furorem; alij, ægritudinem.* Paulò post: *Proinde optimum*, inquit, *fuerit statim ab initio Amori locum non dare. Quòd si tamen innascatur, adito*, ait, *altaria Deorum Averruncorum, juxta Platonem; frequentato sapientium virorum conversationes; expelle feram abs te, priusquam ungues & dentes producat. Sin minùs jam adultum malum, impugnandum tibi erit, cùm ipsum adhuc parvulum & infantem amplexus fueris. Sed quinam Amoris ungues & dentes sunt? Suspicio, Zelotipia*, &c. Divina meo judicio sententia, Apostolico ore, quàm Philosopho Gentili, dignior. Huic non dissonat Ovidius:

Ap. Stob. serm. 62.

l. de remed.

Digitized by Google

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi;
Et tuus incipiens ire resistit equus.
Nam mora dat vires, &c.

Et paulò post:

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas convaluere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non est hodiè, cras minus aptus erit.
Vidi ego quod fuerat primò sanabile vulnus,
Dilatum, longæ damna tulisse moræ.

ADVERSARIO NE MINISTRES ARMA, CONTRA TE.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTURA.

CHRISTIANUM strenui militis partes debere exequi, utriusque paginæ nullus non locus affirmat. Iob vitam non aliter reputat quàm militiam. *Militia*, inquit, *est vita hominis super terram.* Si rogetur quid rerum in ea agat, respondebit: *Cunctis diebus milito.* Militaverat tota vita is, de quo Sapientia dicit: *Certamen fortè dedit illi ut vinceret. Pro justitia agonisare pro anima tua,* inquit Ecclesiasticus, *& usque ad mortem* certa pro justitia. Et ita hortatur Apostolus dilectum suum Timotheum: *Certa bonum certamen fidei.* Item: *Labora sicut bonus miles Christi.* Paulò post addit: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.*

Iob. 7. Iob. 14. Sap. 10. Eccl. 4. 1. Tim. 6. 2. Tim. 2.

Quo in negotio valdè importat ex Apostolo advertere quam profitemur, & commendat Apostolus Militiam non esse carnalem, aut temporalem. *In carne enim ambulantes,* inquit, *non tamen secundùm carnem militamus,* Id est, dicit hîc S. Thomas, Vitam nostram, quæ est quædam militia, non regulamus secundùm carnem, ponendo in bonis carnalibus finem seu intentionem nostram. Et quia unusquisque pugnator habet arma accommoda militiæ & pugnæ suæ, ideò subdit Apostolus: « *Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo,* &c. quia arma eorum qui pugnant secundùm carnem, seu militant, sunt divitiæ, voluptates, honores & potentiæ mundanæ ac temporales. Arma nostra non sunt hujusmodi. Ita S. Doctor. Quam Militiam nos ex Apostolo profiteri, & quibuscum armis certare debeamus, ostendens; ne fanaticum aut inane bellum pro vero, & alium inimicum pro nostro, capiamus.

2. Cor. 10. in 2. Cor. 10.

Attenta hujus sanctitate Militiæ, dicebat Apostolus charissimo suo Timotheo: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Quibus verbis, à quibus miles Christi se abstinere debeat, & quo fine, ostendit. Vult autem ut non se implicet negotiis sæcularibus, id est, abstineat

2. Tim. 2. D. Thom hîc.

abstineat ab omnibus quæ distrahunt à Deo, ut exponit S. Thomas. Hæc autem sunt negotia sæcularia, & ideò dicit, Implicat se. "Vbi notat Apostolum dixisse, Implicat se, non dixisse, Exercet se. Ille autem eis implicatur, cujus cura & sollicitudo jungitur circa ipsa (quod non fecit, quando vixit de labore manuum suarum.) Item non dixit simpliciter, Implicatur; sed dixit, Implicat se: quia quandoque implicatur, & non se implicat. Implicat enim se, quando sine pietate & necessitate assumit negotia: sed quando necessitas officij, pietatis & auctoritatis exercetur, tunc non implicat se; sed implicatur hujusmodi necessitate.,, Notabilis doctrina, quam omittere nolui; quia etiam militi, quem informamus, conducit; ne dum militare putat Christo, militet Diabolo & mundo, & sic adversario ministret arma contra se, implicando se negotiis sæculi.

His præmissis, Ecclesia suis cincta bellatorum copiis, dicitur non immeritò, *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cui enim non videatur terribilis, si spectes munitissimum Ecclesiæ militantis campum? si militantium ordines? si præfectorum excubias? si invisibiles Angelorum exercitus? si præsidia eam undequaque circumvallantia? Denique si totius aciei ducem fortissimum invictissimumque attendas, dicentem: *Confidite, ego vici mundum.* Quis enim non exclamet cum Iacob, visis in suo itinere Angelis: *Castra Dei sunt hæc.* Aut cum Balaam, licet impio: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël, ut valles nemorosæ, & horti juxta fluvios irrigui; ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi Cedri prope aquas.* Numer. c. 24.

. Aut quis frementes circa ipsam potestates tenebrarum, & invisibiles nequitias expavescat, si Dominus ejus oculos aperiat, & audiat ex verbo ipsius: *Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Quem exterreat rugitus feri Leonis adversarij nostri, cùm scriptum sit? *Qui natus est ex Deo, vincit Mundum?* 4. Reg. 6.

Hîc igitur, ad certissimum victoriæ præludium, importat audire & exequi tria consilia Apostoli, Militiæ spiritualis strenuissimi ducis.

Primum: *Nolite locum dare Diabolo.* Scitur enim quantum prærogativa loci & sitûs exercitui conferat ad victoriam. Statio autem Christiani militis Ecclesia est, seu status quem quisque in Ecclesia sortitus est. *Nolite* igitur, ait, *locum dare Diabolo*; teneat quisque locum suum, servet ordinem, à statu vocationis non decidat, aut absque Imperatoris sui nutu ab eo deflectat; ne fiat ei, sicut Angelis, *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, vinculis æternis sub caligine mundi reservatis*, ut ait Iudas Apostolus. Vel sicut Angelo, id est, Episcopo, Ecclesiæ Ephesi, cui dicitur: *Habeo adversùm te, quòd charitatem tuam primam reliquisti: memor esto unde excideris*, &c. *sin venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo.* Malè utrisque cessit reliquisse locum suum, illis immoderatè & præter modum ascendere volendo, istis, ad ea quæ non decebat, inordinatè se abjiciendo. Ephes. 4 Epist. can. Apoc. 2.

Alterum Apostoli consilium est, resistere Diabolo. *Induite vos*, inquit, *armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Clariùs Petrus Apostolus: *Sobrij estote, & vigilate; quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Et Iacobus in sua Canonica: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* " Quantò enim ei ceditur, inquit S. Thomas, tantò plus insequitur.,, Vbi Scripturæ studiosus & diligens Lector attendet, non ita loqui Apostolum de aliis vitiis. De ira, verbi gra- Ephes. 6 1. Pet. 5. Iacob. c. 4.

Digitized by Google

tia, loquens, non dicit: *Resistite*, sed *date locum iræ*. De luxuria similiter: *Fugite fornicationem*: de persecutione; *Cùm persequentur vos in una civitate, fugite in aliam*. Et ratio est: quia cæterorum impetus aut insultus vitiorum fugere, vincere est: de Diabolo verò, non dicitur fugere, aut dare ei locum; sed jubemur ei resistere, & stare fortiter adversùs eum: quia contra Inimicum Dei adversa semper fronte pugnandum est, semper armis conferendum. Nam, ut dicit S. Augustin. "Diabolus non invalesceret contra nos, nisi ei vires ex vitiis nostris præberemus, & locum ei introëundi, & dominandi nobis, peccando faceremus." Vnde *nolite locum dare Diabolo*.

Rom. 3. sup.

Tertium denique, quod præcipuè commendat Apostolus, istud est: *Non exhibeatis corpora vestra, arma iniquitatis, peccato; sed exhibete membra vestra, arma justitiæ, Deo*. Dignum tanto Magistro consilium. Immediatè præmiserat: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis*. "Circa quod considerandum (inquit S. Thomas) quòd dupliciter peccatum regnat in homine; uno modo per interiorem consensum mentis, & hoc removendo, dicit Apostolus, *ut obediatis concupiscentiis ejus*: obedire enim per consensum mentis concupiscentiis peccati, est peccatum regnare in nobis. Secundo modo regnat in nobis peccatum, per operis executionem; ad quod excludendum subdit, *Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis, peccato*."

Ad Rom. 6.

In c. 6. Ep ad Rom.

Quo consilio videtur dicere: Attende, homo, rem tuam, & eum cui servis. Adverte qui sis, & cui milites? Quis te auctoravit, quis cingulum Militiæ dedit? An nescis te militem Christi, ejus Militiæ sacramento ascriptum? Amplius est quod alibi dicit: *Quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti*? Item: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi*? Ex quo infert: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra Meretricis*? seu, quod idem est, Diaboli?

Hæc enim est lex belli, ut arma devicti cadant cum ipso in jus, proprietatemque victoris, dicente Domino: *Si fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet: si autem fortior superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, & spolia distribuet*.

Lucæ 11.

Tunc enim superbus gloriæ Dei Inimicus supra modum victoriæ suæ triumphum erigit, cùm dicata Deo membra ipsi eripit, arma Cruci consecrata polluit; fidei instrumenta pro fide nunc nunc bellantia, contra fidem pugnare facit; & vasa Ecclesiæ aptat in ejus ruinam ac contumeliam. Sicut fecerat initio in Adam & Eva, qui ubi serpenti consenserunt, & virus perfidiæ in cordis arcem exceperunt, uterque crudelem hostem oculis, auribus, ore, corde, manibus, totis denique membris ac sensibus totum hausit, totum excepit, Deo expulso lege victoris agentem.

Tunc enim ad cumulum impietatis & contumeliæ, quò potest animæ à Deo deficientis ascendere perversitas, accedit, fitque quod tantoperè detestatur Apostolus, ut regnet Diabolus ubi debebat regnare Christus. Propterea urget: *Non ergo regnet peccatum*, inquit, *in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*. "Nota quòd non dicit Apostolus (inquit hîc S. Thomas) Non sit peccatum in vestro mortali corpore: quia quandiu corpus nostrum est mortale, id est, necessitati mortis addictum, non potest esse quin in corpore nostro sit peccatum, id est, fomes peccati. Sed ex quo à Deo liberati sumus à regno peccati, debemus conari quòd peccatum in corpore nostro dominium jam amissum in nobis non recuperet.

Digitized by Google

Ita S. Doctor. Idcircò dicit, *Non regnet peccatum*, ait Apostolus. Illud enim infirmitatis est, hoc summæ perversitatis ac miseriæ, quo homo de libero cadit in servitutem omnium turpissimam. A qua servitute cùm Christus nos liberaverit, jugum à cervicibus nostris excusserit, *expolians principatus & potestates, palam triumphans illos in semetipso*, quæ injuria Redemptori, si membra eadem de suo corpore avulsa, si vasa Spiritûs sancti tanto pretio comparata, eidem hosti recidivus error acquirat?

Propterea monet, clamat, commendat Apostolus, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*; neque *exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis, peccato*; sed potiùs pro virili contendite exhibere *ea arma justitiæ Deo*, ne pereas armis tuis, & ensis proprius tuum guttur exhauriat, & cadas sicut Goliath, manu Davidis; Holophernes, Iudith fœminæ; Apollonius, Iudæ Machabæi.

Quis enim tibi, si propriis armis cadas, compatiatur? si ministres arma contra te, ut te tuus confodiat inimicus, quis miseret tui? Audi quid Sapiens: *Quis miserebitur Incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis*? Incantator tuus Diabolus est, Incantator tuus libido est, Incantator tuus concupiscentia est, & quodvis peccatum. Propterea enim serpenti comparatur, & dicitur: *Quasi à facie colubri, fuge peccata; dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.*

Eccl. 12.

Eccl. 21

Tu tamen spreto hujusmodi consilio vecors, tuis viribus fidens, non secùs atque imprudens Incantator, tractas serpentes & colubros; & quos fugere & detestari debebas, amplecteris; totis manibus, brachiis, sensibus excipis: quid expectandum, nisi ut te pungant? ut venenum & virus instillent? Et tunc, *quis miserebitur Incantatori à serpente percusso, & qui appropiant bestiis*, & qui adversario ministrant arma contra se?

TITVLVS XIII.
DE COMMVNI HOSTE.

FABVLA.

De pace Lupos inter & Agnos.

OVES conquerebantur de Luporum infestatione, sævitia, deprædatione, vetus querela, hi contrà, sese excusare, si quid à se in eas hostiliter gestum, id totum in pastorum petulantiam, aut canum perpetuos adlatratus referre. Vt ut sit, haud recusare, cum Ovibus honestis conditionibus pacisci, amicitiaque fæderari. Quid plura, missis utrinque legatis conveniunt, futuram imposterum inter utramque gentem perpetuam pacem, hac lege, ut Oves abigant à se pastores, & canes, omnium, ut causabantur Lupi, rixarũ causas. Pro fæderis securitate dantur obsides vicissim. Lupi dant catulos suos Ovibus. Oves agnos suos lupis. Sic pax, si pax dici possit, concluditur, sic simplex & imbelle pecus luditur. Quid inde, catuli Luporum intra caulas & ovilia grandescunt, & depascunt nutrices & custodes suas; Lupi, Agnos obsides, & facto impetu in greges impunè, nullo resistente irruunt, pessundant, diripiunt. Heu pacem omni bello deteriorem!

De Serpente & Agricola.

NOn longè à domo Agricolæ Serpens habebat foveam suam, accidit autem ut filium Agricolæ pungeret, & interficeret. Pater ira fremens securi armatus Serpenti insidiatur, & inventum, cum medium secare putat, aut caput transverberare, caudam amputat, qua relicta, in cavum saucius se recipit; successu temporis, medicatum est vulnus Serpentis, & dolor Agricolæ, seu sensus injuriæ remissus. Et ut homo facile obliviscitur injurias, rusticus voluit cum Serpente inire concordiam, acceptisque farina, sale, aqua, & melle, ut moris erat, cum eo reconciliari; sed frustra, is enim fugere, & sibilare; nequicquam expectare. Facto intervallo, occurrunt, rursus agricola Serpentem alloquitur, ad pacem invitat, ille ad eum, frustra, inquit, laboras: inter nos amicitia vera nusquam esse potest; nam tu, dum ademptum filium; ego meam caudam, meminerimus, injuriæ recrudescent. Ita enim est, ubi graves injuriæ & inimicitiæ intercesserunt, reconciliatio vera, nulla est. Et hosti reconciliato ne fidas.

Digitized by Google

Vulpes & Anguis.

VVlpes esuriens, & quærens cibum, forte proculcat serpentem, is calcantem se, pungit; Vulpes icta pungentem se momordit, atque ita ambo læsi, corpore & corde, offensi discedunt, medicinam suis vulneribus quæsituri. Post aliquot annos, obviam fiunt. Serpens malitia plusquam veneno tumens, fingit se in amicitiam cum vulpe redire velle, nil magis habere in votis, denique multa de pacis bono obgarrit, & in signum reconciliationis, quasi daturus osculum, caput erigit; at vulpes astuto astutior, avertit faciem, & sciens Serpentem esse perfidi ac implacabilis animi, dixit, vera pace ut nuper disseruisti, inquit, nil in terris optabilius, sed nec ficta quidquam perniciosius; amoto omni fuco nec tuis credo dictis, nec factis me fido, cum sciam te sub lingua occultare venenum. Quamobrem ratum sit, fixumque, vulpem inter & serpentem, neque amicitiam, neque fœdus unquam intercessurum.

De Vulpe & Gallo.

RVsticus Vulpi tetenderat laqueos, quæ ei plurimam Gallinam devoraverat, in quos illa incurrit; capta, rogavit Gallum à quo solo visa fuerat, ut opem ferret, ut posset exire, super omnia, ne quid de se hero aperiret. Pollicetur Gallus, quantum poscebat, & properato gressu domum reversus, infidæ nil fidei servaturus, hero nunctat cecidisse Vulpem in casses, vinctamque teneri. Is gestiens securi armatus currit ad locum, quo viso Vulpes, proditam se intelligens, ô me stolidam, dicebat, quæ Gallum cujus olim tot fœminas strangulavi, ac devoravi, putavi mihi fore amicum, fidumque.

De Hericio & Vipera.

HEricius frigus præsentiens rogavit Viperam, ut se in cavum suum reciperet, fore ut simul hyemis incommoda facilius tolerarent; excepit hospitio supplicantem Vipera, sed vix ille limen intraverat, quod se huc & illuc volutat, spinas explicat, cavum implet, & Viperam si intus stare velit, pungit. quod illa videns rogat hospitem, aut se aliò recipere, aut se contrahere, cui Hericius, durus hospes, exeat, inquit, qui hic stare non potest. Ego non moveor, bene mihi est. Sufficit.

De Aquila & Cornicula.

AQuila ungue captam stringebat Cochleam, cujus carnem cùm non posset eruere & edere, accedens Cornicula suadet, ut si esse vult, in altum subvolet, & eam è sublimi in saxa præcipitet, & frangat, fractaque potiatur. Paret dictis Corniculæ, Aquila, frangit Cochleam: sed Cornicula casum præstolans, surripit escam, & ludit Aquilam malè cautam. Vt inde discas, nunquam hosti, & malæ bestiæ fidere oportere.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, ſeu *Morale*.

NEC PACISCENDVM CVM ADVERSARIO, NEC EI ADITVS CONCEDENDVS.

Probatur primò, & *illuſtratur*,

EX PROFANIS.

Polit. c.7

INIMICIS *ne via quidem communis eſſe debet*, dicebat Ariſtoteles in ſuis Politicis: quibus verbis odium, quo quiſque flagrare debet erga inimicum ſuum, benè exprimitur, ſi modò rectè capiatur quis ſit ille inimicus, hoſtili more tractandus, quocum, ſi poſſit fieri, ne quidem via ſit communis: quia Chriſtiano nullus inimicus eſt, niſi qui ſit Dei. *Si inimicos jubemur diligere* (dicebat quidam in Defenſione Chriſtianorum apud Gentiles) *quem habemus odiſſe? ſi læſi vicem referre prohibemur, quem poſſumus lædere? Reſtat igitur ut hoſtes ſimus, non generis humani, ſed erroris*; culpæ, non Naturæ. Vtautem Deus nullum adverſarium habet, præter Diabolum, antiquum hoſtem gloriæ ſuæ; & Peccatum, oppoſitum ſuæ Naturæ: Ita homini hæc duo inimici ſunt: hos ſolos hoſtes novit, hos adverſarios patitur, Diabolum, & peccatum; ſeu hominem peccati, quem Mundi nomine Dominus noſter odiit & deteſtatus eſt, & odiſſe nos ac deteſtari docuit, & voluit, & teſtamento cavit; pro quo nec moriturus oravit; nec cùm perſecutoribus & inimicis ignovit, huic pepercit: & ut cum eo nos immortale odium & bellum gereremus, aſtrinxit eodem ſacramento, quo ſuos fecit & tinxit.

Tertul. In Apol. cap.30.

Vt Chriſtum ad ſuos non aliter egiſſe veraciter dicamus, quàm quomodo Poëtarum Princeps Didonem repræſentat, hæc extrema verba ad ſuos ſuo funeri proludentem.

4. Æneid

Vos ô Tyrij ſtirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis, &c.

Hi ſunt, inquam, veri inimici noſtri, quos & fugere, & odiſſe debemus, cane pejus & angue, illudque corde & ore uſurpare:

Ovid. in Ibin.

Pax erit hæc nobis donec hæc vita manebit
Cum pecore infirmo quæ ſolet eſſe lupis.

Cujuſmodi animi infenſiſſimi profana quædam exempla ſubjicimus. Ex Salluſtio imprimis, de Catilina & ſociis conjuratis, quamvis in cauſa injuſta; quem cùm libido maxima invaſiſſet Reip. capiendæ, & quibuſcunque poſſet modis regnum uſurpandi; & videret telam omnem ſuæ conjurationis retexi, præverti inſidias, conſilia detegi ac propalari, abs Senatu diſcedens ferox & minitans, dixit: *Quoniam ab inimicis circumventus præceps ageretur, incendium ſuum Reip. ruina ſe extincturum.* Fuere qui dicerent, ipſum habita oratione ad ſocios & ſceleris conjuratos, eos ad jusjurandum adegiſſe, & humanum ſanguinem vino permixtum in pateris propinaſſe, ac circumtuliſſe; ut eo quaſi ſacramento ſanguinis, ad lanienam

Digitized by Google

civium incenderet: quod certissimè facturus erat, nisi Ciceronis tunc Consulis summa cura ac vigilantia, sua suorumque mala consilia prævertisset, nubemque malorum densissimam in ipsorum conjurantium capita perniciemque convertisset; quorum pars alia hausta suppliciis, alia metu ac desperatione disjecta, alia denique armis compressa est, cum suo duce Catilina.

Quod eleganter describit Historicus. *Confecto prælio*, ait, *tum verò cerneres quanta audacia, quantaque vis animi fuisset in exercitu Catilinæ: nam ferè quem quisque pugnando locum vivus acceperat, eum amissa anima corpore tegebat: omnes adversis vulneribus conciderant; Catilina verò, longè à suis inter hostium cadavera repertus est, paululùm etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. Neque tamen lætam, incruentamque victoriam adeptus est victor: nam strenuissimus quisque aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat.* De quibus meritò & eleganter Horatius.

Saluft. in Catilina.

L. 1. Od. 2

> *Audiet* (supple posteritas) *cives acuisse ferrum,*
> *Quo graves Persæ meliùs perirent;*
> *Audiet pugnas vitio parentum*
> *Rara juventus.*

Aliud Romanæ fortitudinis & invicti animi exemplum, sed innocuum, subjicit Valerius Maximus. " Ejusdem temporis & notæ miles, qui Cannensi prælio, quo Hannibal magis vires Romanorum contudit, quàm animos fregit; cùm ad retinenda arma inutiles vulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidæ cervicem complexus, os naribus, & auribus corrosis deforme reddidit, inque plenæ ultionis morsibus expiravit. Quantò interfecto fortior interfectus? Pœnus enim in victoria obnoxius morienti solatio fuit. Romanus in ipso fine vitæ vindex sui extitit. Aliud Suetonius celebrat cujusdam Anilij, qui navali ad Massiliam prælio, injecta in puppem hostium dexterà, & abscisà, memorabile illud apud Græcos Cynægiri exemplum imitatus, transilivit in navem, umbone obvios agens. Hic Cynægirus, civis Atheniensis, tanta in prælio navali adversùs Persas fuit pertinacia, ut navem hostium dexterà injectà vi retinuerit, eàque amputata injecerit ei sinistram; quam & ipsam cùm amisisset, mordicùs navim arripuit.

L. 2. c. 2. de fortitud.

Val. Max lib. 3.

Hæc militaris fortitudinis in privatis hominibus exempla suam promereantur laudem, mihi factum Attilij Reguli tantò videtur laude dignius, quantò virtus Imperatoris & ducis privati militis virtute antistat. Is cùm primo bello Punico Carthaginenses sæpè vicisset, & aliquando, quæ vicissitudo rerum humanarum est, per insidias in manus hostium devenisset, Romam missus à Carthaginiensibus pro permutandis captivis, quorum è numero ipse in primis erat, juratus re infecta redire, eam ipse permutationem Populo Senatuique Romano dissuasit, Carthaginem excruciandus rediit, fidem hostibus servavit, patriæ servivit; & dum vitam propriam pro ea profudit, & perdidit, posteris exemplum reliquit, nunquam cum inimicis, etiam cum vitæ dispendio, fœdus ineundi. Quod eleganter canit Horatius.

L. 3. Car. Ode 5.

> *Hoc caverat mens provida Reguli*
> *Dissentientis conditionibus*
> *Fœdis, & exemplo trahentis*
> *Perniciem veniens in ævum.*

Digitized by Google

Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor
Abs se removisse, & virilem
Torvus humi posuisse vultum.
Donec labantes consilio patres
Firmaret, nunquam aliàs dato
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet, &c.

Quæ invicti animi & obstinatissimi adversùs hostem odij & fortitudinis exempla subjicimus, ut Christiano cum animæ suæ hostibus longè formidolosioribus imitanda suggeramus, qualis visa est in Martyribus in causa fidei, tantò Paganica illa sine comparatione fortior & præstantior, quò vita eorum laboriosis pœnitentiæ exercitiis prędurata & exercita, nihil pro Deo arduum reputabat.

Quanquam & in ipsis Gentilibus frugalis vitæ, singularisque abstinentiæ illustria exempla non desint. Et ne longiùs abeamus, in ipso, cujus modò mentionem fecimus, Attilio Regulo, de quo refert Valerius Maximus, quòd cùm à Senatu accerseretur ut cujusdam Provinciæ munus susciperet, ij qui ab Senatu missi fuerant, eum ruri agros suos laborantem repererunt. *Sed illæ*, inquit, *rustico opere attritæ manus salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessundederunt; quæque modò arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt; nec fuit iis rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stivam repetere.*

Seneca

De hujusmodi loquens Seneca: *Nullum laborem recusant*, inquit, *manus quæ ab aratro ad arma transferuntur: quamlibet enim viam patiuntur jumenta, quorum durata in aspero ungula est: in molli & palustri pascuo saginata, citò subteruntur. Fortior autem miles ex confragoso venit; sed ille unctus ac nitidus in primo pulvere deficit.* Benè Lyricus:

Hor. l.3. Od. 24.

teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studiis; nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet.

Digitized by Google

NEC PACISCENDVM CVM ADVERSARIO, NEC EI ADITVS CONCEDENDVS:

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

HOMO ex natura sua amator est trium rerum; Vitæ, Veritatis, & Pacis; in quibus ei Diabolus perpetuò adversatur. Vitæ, quia *homicida est ab initio.* Veritati, quia *mendax est, & pater mendacij. In veritate non stetit, & veritas non est in eo.* Paci, quia *accusator est fratrum suorum, & tentator.* Igitur quia tentator idem & accusator, est odiendus; quia mendax & fallax, cavendus; quia vitæ insidiator, totis viribus arcendus. (Ioan. 8.)

Quæ causa est cur cum eo & membris ejus, quæ sunt iniqui, nulli liceat ferire fœdus, aut pacem inire, aut armorum deditionem, nisi cujus sit deplorata salus, & qui ejus membrum fieri non exhorreat, dicente Domino: *Cùm fortis armatus*, id est, Diabolus, *custodit atrium*, id est, cor humanum, *in pace sunt ea quæ possidet*, utique subjecta & edomita. Vt illi qui apud Isaiam dicunt: *Percussimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum*, &c. *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Vel qui apud Ieremiam; *Sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes; Pax, pax, cùm non esset pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt.* (Lucæ 11. Isai. 28.)

Contra hujusmodi pacem Christus suos milites ad arma vocat, & gladio armat. *Nolite arbitrari*, inquit, *quia venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* Sed quem gladium? Haud dubiè cædentem, dividentem, separantem. *Veni enim separare hominem adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam, & nurum adversùs socrum suam.* "Quia, ut ait Rabanus, nulla apud eos jura custodiri possunt, inter quos fidei bellum est." Et Glossa: "Idem est ac si dicat, Non ad hoc inter homines veni, ut carnales affectus confirmem, sed ut spirituali gladio dissecem." Vnde subdit: *Et inimici hominis domestici ejus.* (Math. 10. In catena aurea S. Thomæ hic.)

Igitur in hac vita quidquid ages, reputes te in acie versari, tibi cum hoste gladio semper stricto conserendum. Non secùs ac filij Israël de captivitate reduces, reædificantes muros Ierusalem, *qui una manu faciebant opus, altera tenebant gladium.* (2. Esdræ cap. 4.)

Quis enim pacem velit aut fœdus cum tam diro ac crudeli Tyranno? quæ tam carò constet, qualis illa Naas regis Ammonitarum, qui urbem Iabes Galaad oppugnans, cùm cives obsessi pacem postularent honestis conditionibus, non alias ille pacis conditiones præscripsit, nisi ut omnium oculos dextros erui & effodi sibi sinerent. *In hoc*, inquit, *feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros.* Proh sæva nimis & barbara conditio! Nunquid non pax hujusmodi, tam carè empta, deterior est bello? Tales omninò, imò deteriores, servis Dei proponit Mundus, & Caro, & Diabolus, lenociniis suis, ut eos illiciant & irretiant. Sed illis audacter respondendum: *Væ vobis prophetantibus & divinantibus mendacium, qui dicitis,* (1. Reg. 11.)

Digitized by Google

Pax, & non est pax; qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Ita est, quandiu in hac terra hostili & aliena versamur, nulla pax speranda est.

Mira res tamen, ut sic nos Deus in hac terra peregrinationis posuerit medios inter hostes, & velit vivere, non secùs atque olim Israelitas, Chananæos inter & Hethæos, & Iebuseos, &c. quibuscum eos voluit convivere, ac concertare. Convivere, inquam, ac perpetuò dimicare, licet eos Dominus nullo negotio delere aut consumere posset. Sic enim ait: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut in eis Israëlem erudiret, & omnes qui non noverant bella Chananæorum, ut posteà discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* „

Iudic.3.

Quod verò spectat modum cum eis agendi, sic habet sacer Textus: *Non inibis fœdus cum eis, neque misereberis; non parcet oculus tuus: Dominus Deus tuus ipse consumet nationes has paulatim, atque per partes.* Mira utrinque Dei Providentia & sapientia super electis suis! ut in medio Infidelium, hostium suorum, eos velit vivere, & semper præliari; corporibus & armis conserere; dissociari animis, ut continuis velitationibus & præliis Israëlitæ dimicantes, fiant bellaciores, isti paulatim suis jacturis pauciores. *Non ejiciam*, inquit, *eos à facie tua, anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ.*

Deuter.7

Exod 23.

Mirare hic Divini Numinis suavitatem, quòd cunctas illas Nationes subjugatas sinit vivere inter Israëlitas ad eorum profectum, eruditionem, exercitiumque virtutis, ut artem præliandi addiscant, & consuetudine obdurescant, & terram subigant; ita tamen ut ne unquam cum eis fœdus feriant, sed eorum aras Idololatriamque paulatim imminuant. Propterea generaliter prohibuerat Dominus, ne amicitia, ac necessitudine, aut conjugiis cum illis Israëlitæ jungerentur. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum*, dicebat Moises; *ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias quæ sint tibi in ruinam.* Et in Deuteronomio: *Non inibis fœdus cum eis, nec misereberis eorum, neque sociabis cum eis conjugia; certissimè enim avertent corda vestra* quæ non minùs prædictio futuri, quàm præceptio aut prohibitio fuit.

Exod.34.

Deuter.7

Quibus positis ac præmissis, ut fructum eorum quæ in figura contingebant illis percipiamus, pro rato fixoque statuendum est, non licere in hac vita cum adversario nostro pacisci, amicitias aut fœdera nectere, pacem aut inducias facere; sive in aperto ipse se producat, seu ex insidiis irrumpat; seu personam virtutis induat; sive arma exteriùs, sive ex nobis ipsis arripiat, nunquam cedendum, sed perpetuò inimicandum. Nam qui putant Deum & Mundum, carnem & spiritum conciliare & componere, imitantur Philistæos, qui captam Arcam Dei vivi cum Dagon Idolo suo, eodem in loco ac templo collocarunt. Sed nunquid Arca Dei viventis honorem suum ac locum cum simulachro vano partita est? Nunquid impunè Idolo & Philistæis? Imò dejecit Arca à se Idolum prima nocte, & loco exturbavit: secunda, frustratim concidit, & Philistæos peste & plagis fœdè & dirè mulctavit.

1.Reg.5.

Math. 6

1.Cor.6

Audiant tales Dominum dicentem, *Nemo potest duobus dominis servire. Non potestis Deo servire & Mammonæ.* Audiant Apostolum dicentem, *Nolite jugum ducere cum Infidelibus: Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei, cum Idolis?*

Quæ sufficiant, quoad primam hujus Moralis partem, Non paciscendum cum adversario. Quod in quatuor bellis, quæ David gessit, Glossa

Digitized by Google

vult significari, Semper dum vivimus, esse dimicandum. Ait enim in cap. 20. primi Paralippomenon: " Notandum quòd sicut tria bella David leguntur in libris Paralippomenon, in Regum quatuor; quia tres sunt distinctiones temporum, præteritum, præsens, futurum, & quatuor vicissitudines, ver, æstas, autumnus, hyems. Ita bellum Christi, omni tempore vitæ contra visibiles & invisibiles hostes agitur in membris suis, & triumphatur in Christo. Vnde ait: *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.* „

Glossa in c.20. lib. 1. Paralip.

Quoad secundam partem, Nullum adversario aditum concedendum. Quod fit utplurimùm, cùm sensibus malè custoditis, in arcem cordis penetrat. Idcircò non abs re hortabatur Ieremias mulieres Hebræas assumere lamentum: *Quia*, inquit, *ascendit mors per fenestras; ingressa est domos nostras disperdere parvulos de foris, & juvenes de plateis.* Quippe fenestræ mentis sunt sensus, præsertim oculi, per quos Inimicus ad animam sibi aditum facit malè custoditos; & stultos interficit. Nam ex Ecclesiastico, *stultus à fenestra respiciet*, scilicet " per sensus corporis (inquit S. Gregorius) Concupiscentia veniens tenet habitaculum mentis. „ Et Hugo à S. Charo in hunc Prophetæ locum: Mors, id est, peccatum, per sensus ascendit usque ad cor. „ Et Glossa in hæc verba Iob: *Pepigi fœdus cum oculis meis*, &c. Visum, inquit, sequitur delectatio; delectationem, consensus; consensum, opus; opus, consuetudo; consuetudinem, necessitas; necessitatem, desperatio; desperationem, damnatio. „

Ierem. 9.

Eccl. 21.

Hugo card. inc. 9. Ierem.

Glossa in Iob. 31.

Sic incautam & malè providam, primam matrem Evam, per fenestras oculorum serpens adorsus intravit: quibus captis, facilè arcem cordis penetravit, & cœpit. *Vidit mulier quòd esset bonum lignum ad vescendum, & pulchrũ oculis, aspectuque delectabile, & tulit.* Cui S. Bernardus: "Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid spectare libet, quod manducare non licet? Quid illic tam crebrò vigilantia lumina jacis? Etsi videre culpa non est, culpæ tamen occasio est, & indicium commissæ, & causa committendæ. Te enim intenta ad aliud, in cor tuum serpens illabitur. „

Gen. 3.

Propterea de secunda Eva, prioris Medicatrice & Advocata, dicitur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quid enim est mulierem perpetuò inimicari serpenti, nisi ei semper obsistere, semper adversari? & caput ejus conterere, nisi ab omni aditu tempestivè arcere? primam ejus insinuationem repellere? Quid contra, illum calcaneo Virginis semper insidiari, nisi initium operum ejus per suggestionem, si possit, infestare?

Prioris illius Evæ filia, uxor Loth, non dissimile per oculos scelus admisit, cùm jussa Dei parvipendens, retrò se respexit ad Sodomam, cœlesti igne deflagrantem; & illicò versa est in statuam salis "exemplum facta, dicit Glossa, & condimentum, „ unde alij salubri cautela saliantur, & discant illicitæ curiositatis ac suggestionis initio claustrum mentis occludere, nec retrò converti; Vt proinde Dominus moneat: *Memento uxoris Loth.*

Gen. 19.

Gloss. ibi

Sic Caino prava consilia in animo versanti à Deo dicitur: *Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit; sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* " In foribus quippe, ait S. Gregorius, peccatum adest, cùm in cogitationibus pulsat; cujus appetitus subter est, eique homo dominatur, si cordis inspecta nequitia citiùs prematur, & priusquam ad duritiam crescat, reluctanti mente subigatur. „

Gen. 4.

S. Greg. Moral.

Digitized by Google

Isaiæ 27. Huic loco extra rem non fuerit advertere, Isaiam nuncupare Leviatan, Serpentem, Vectem. Dignam observatione nomenclaturam, super quo Interlinearis habet " claudentem. Vectis enim est ferrum, aut lignum, quo ad intra porta recluditur, & obseratur, eò quòd carcere suos serpens ingressus claudat. Ita Glossa.„ Vnde resistendi principio sinuosis ejus suggestibus & illecebris necessitatem colligas: quia ubi ei aditum facilem quis præbuit, & intùs semel admisit, ingressus arcem cordis super se claudit, & jam aditus mentis contra Deum, quasi quibusdam seris ac vectibus, firmat & claudit: propterea rectè serpens Vectis vocatur.

Gloss. hic

1. Cor. 16 Hinc est, quòd Apostolus de specula Apostolicæ sollicitudinis clamat: *Fratres, vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini.* Verba magnæ instantiæ, quasi in obsidione positis, in summo periculo constitutis. In quo secutus est Dominum, sæpiùs hæc inculcantem: *Videte, vigilate & orate; nescitis enim quando tempus sit,* &c. *Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

Marci 13

Iob. 40 S. Greg. l. 33. mor. c. 14. Notat S. Gregorius Papa, Adversarium nostrum Belluam vel jumentū, Draconem seu serpentē, denique Avem, à Iob nuncupari. De primo dicit: *Ecce Behemot, quem feci tecū,* id est, jumentum. De secundo: *An extrahere poteris Leviatan hamo?* De tertio: *Nunquid illudes ei, quasi avi?* Non otiosæ appellationes, è quibus quàm sit formidandus appareat, cum quo luctari debemus. Quarum à S. Doctore ibidem ratio redditur. " Animal est, inquit, per actionis immundæ fatuitatem; Draco, per nocendi malitiam; Avis, per subtilis naturæ levitatem. Rursùm, quia in hoc quod iniquè agit ad utilitatem nostram divina virtute possidetur, Iumentum est. Quia verò latenter mordet, Serpens est. Quia autem per indomitam superbiam se etiam lucis Angelum simulat, Avis est.„

" Insuper, addit, humanum genus tribus vitiis valdè tentat, ut videlicet alios sibi per luxuriam, alios per malitiam, alios verò per superbiam subdat: Multarum igitur rerum nomine vocatur; quia ante deceptorum mentes in varias formarum species vertitur. Cùm enim hunc per luxuriam tentat, & tamen minimè superat, mutata suggestione cor illius in malitiam inflammat. Quia ergo ad eum venire Bellua non valuit, Draco venit. Illum veneno malitiæ corrumpere non valet, cor illius in superbiam extollit. Huic ergo ut Draco surrepere non valuit, adducto phantasmate inanis gloriæ quasi Avis volavit.„ Hæc S. Pontifex, quæ idcircò adducta volui, quia doctrinam non contemnendam continent. Nam quia immundus spiritus ut Iumentum carnalibus accedit, ut Draco spiritualibus adrepit; ut Avis, perfectis. Qui Iumentum vicit & contempsit, non proptereà securus intumescat aut dormiat, sed caveat Draconis insultus; quos si iterùm evasit, suis viribus aut meritis non ideò fidat, restat Avis supernè involans, astu plenus, se in Angelum lucis transfigurans. Ex quibus inferas, Nec paciscendum cum tam truci adversario, nec ei aditum ullum concedendum.

Digitized by Google

TITVLVS XIV.

DE COMMVNI HOSTE.

FABVLA.

De Lupo & Sucula.

PARTVRIENTI *suculæ astat ad fores lupus, pulsat, salutat; precatur fœlicem partum, Lucinæ manum propitiam; offert se fœturæ custodem, denique quidquid obsequij & officij potest. Gratias agit intus, puerpera, egere se quidem obsequio, sed non suo, unam gratiam ab eo requirere, ut foras abeat, præstò & longissimè, nunquam reversurus, sic agendum cum hoste manifesto.*

De Vulpe & Gallina.

VVlpes *Gallinæ insidians, per rimulas portæ cubantem conspicata; salve dixit Commater mea, quomodo te habes? Iaceo, respondit illa, & male habeo. Et lupus, aperi quæso, febris forsitan est, pulsum arteriæ novi, novi & tuo morbo medicinam, sine tangam: cui Gallina, febris quidem est, sed remittet cum abieris, quietis tantum nunc & somni egeo. Indicat ab hoste nil boni expectandum.*

De Asino & Lupis.

LEcto *decumbebat Asinus ex diuturna infirmitate, divulgatur rumor eum brevi moriturum, ad eum visendum turba luporũ concurrit, suis carnibus inhiantium; filiolum è fenestra prospectantem interrogant; quomodo pater ejus se haberet, melius inquit, quam optaretis, alios potestis, si lubet invisere, non est quod moremini, Pater tot Medicis non eget.*

De Hœdo & Lupo.

CApra *è casa egrediens pascendi causa, Hædulumque domi relinquens, sedulò monuerat sibi caveret, ne cuiquam januam aperiret, nisi sibi. Ponè ostium observabat Lupus, insidias Hædo animo versans; hau[s]tisque matris ad filium sermonibus, paulò post accedit, & pede ostium pulsat. Excitus Hædus, petit quis pulset. Ad quem Lupus, vocem Capellæ simulans; Ego sum, inquit blanda voce, mater tua. Fili mi, aperi;*

Digitized by Google

ne timeas. Accedit propiùs Hædus, & per fissuras portæ Lupum agnoscens: Heu me! inquit, non aperio: nam licet Lupus caprisat, & matrisat, Lupum tamen video, non matrem. Indicat non credendum aut communicandum hosti.

Mens Fabulæ, seu Morale.

NVLLVS HOSTIS HOMINI, HOMINE TETRIOR.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

Plinius Procem. lib. 7.

ID Plinius expressissimis verbis confirmat, considerationem hominis his verbis concludens: *Denique cætera animantia in suo genere probè degunt, congregari videmus, & stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes; ne maris quidem belluæ, & pisces, nisi in diversa genera, sæviunt. At Herculè, homini plurima ex homine sunt mala.*

Ant. F. Castrod.

Inde Proverbium illud: *Homo homini lupus.* Quod quidam hoc Emblemate versibus illustravit.

> *Quid melius ferro? Præstat mortalibus usus*
> *Innumeros, terra, velivoloque mari.*
> *Quid pejus ferro? quo mors grassatur ubique,*
> *Dum furiis agitur Mars rabiosè tuis.*
> *Quidnam homine est melius? Cœli qui semine cretus,*
> *Est homini mitis mente manuque Deus.*
> *Quidnam homine est pejus? Proprio qui degener ortu*
> *Est homini crudus mente manuque lupus.*

Stobæus ser. 2.

Meritò itaque Anacharsis rogatus à quodam, quid præcipuè hominibus esset infestum? Respondit, *ipsi, sibiipsis.*

Plutar.

Inde inferas licet, magnam humanæ sapientiæ & securitatis partem in hoc consistere, ut homo semper caveat sibi, nusquam securus sit. Hoc Plutarchus Philosophus optimè docet, in libro, *Quî quis utilitatem capere possit ab inimicis suis. Vt Priscis*, inquit, *satis erat si à feris non læderentur, posteriores etiam in suum commodum eas vertere cœperunt, ut pellibus uti, carnibus vesci, felle mederi. Sic nobis agendum est, ut ab inimicis non solùm non lædamur, verùm etiam adjuvemur. Non secùs ac Medici, qui ex serpentibus & venenis emolumentum percipiunt.*

Discit, inquit idem, *imprimis, cautius ambulare ab eorum insidiis, à maledictis & convitiis, seipsum agnoscere: ab æmulis & invidis, ad virtutem incendi; denique ab eorum contumeliis & injuriis adversa forti animo tolerare.* Sic Plutarchus optimè.

Adeò in homine virtus non modica est, sibi cavere, vereri, sese observare.

Hoc passim ipsa Natura nos docet, quæ inermia & imbellia animantia adversùs hostes mira sagacitate & industria muniit, supplens calliditate

Digitized by Google

& astutia, quod viribus destituit.

Ipsa scilicet docente & ducente observatum est, Apes Candiæ, cùm angulum terræ mari ac ventis agitatum prætervolant, consuevisse onerare se arena & lapillulis, ne flatibus ad ima rapiantur.

Plutarc. l. quæ animal. aliis prud.

Sic Anseres Ciliciæ, montis Tauri altitudines prætergressuri, lapillum rostro præferunt, & eo quasi frœno os obstruunt, aliunde clamosum & garrulum; ne si suo more garrirent, ab Aquilis, in his locis nidificantibus, aut consídentibus, deprehendantur; & sic suo silentio impune pervolant.

Quis item, nisi provida & sapiens Natura, docuit canes Ægyptios ad ripam Nili fluminis inambulantes, cùm sitiunt, non nisi raptim currendo aquam lambere, ne à Crocodilis devorentur? Aut Grues, cùm turmatim incedunt, ut pro diversa aëris temperie, diverso ordine cursum teneant, & cœli spatia volando metiantur? Si sereno cœlo, una fronte, aut in crescentis lunæ figuram: si ventoso ac turbido, recta serie, aut in triangulum: denique cùm in terram assidunt, illa cujus est excubias agere, uno pede stet in terra, altero in aere calculum ungue tenens; quo stringendo, diutius persistet insomnis, aut dimisso, cùm somnus irrepit, cadendo, strepitu excitetur & evigilet? Adeò animalium securitati sapiens Natura providit.

Idem Ibidem.

Cleantes Assius, cuidam exprobranti quòd timidus esset: *Ideò*, ait, *minimùm pecco.* Non inepta illatio; bona siquidem est ea timiditas, quæ à turpibus absterret, & hominem circunspectum facit.

Plutarc. Apopht. Græcor.

Nec minùs ad rem dicebat Augustus Cæsar, eos qui leviter periculis sese exponerent, *similes esse aureo hamo piscantibus, qui plus damni semel hamo amisso recipiunt, quàm lucri ex multis capturis.*

Fulgos. l. 7. c. 2.

Nec multùm refert pœnitere cùm deliqueris, aut iterùm non delinquere. Quanta enim sunt in vita, in quibus, sicuti Cato dicebat, *in bello, non peccatur bis: qui semel deliquit, æternùm deliquit.* Error inemendabilis: sunt enim delicta, quæ emendationem non recipiunt.

Nihil in hostibus, præsertim barbaris, ait Poliænus, *tam cavendum, quàm dolus, & perfidia, & deceptio. Itaque nihil est quo faciliùs & meliùs se tueri ac defendere ab iis duces possint, & milites, quàm diffidentia, & incredulitate.*

Poliænus stratag. l. 7.

Propterea homini prudenti, hîc tot inter hostes ac pericula versanti, perpetua cautio, sempiternæ excubiæ adhibēdæ sunt, si securus esse volet.

Exemplo sit Trojæ & Trojanorum excidium, qui Græcorum dolis & strophis elusi, dum ab hoste dona recipiunt, hostem ipsum, ligneo inclusum equo, intra muros locant. Sic, quos tota ferè Græcia in armis, quos decennalis obsidio nequiverat, una nox confecit & prostravit, frustrà prævisis à præcipuis eorum ducibus insidiis. Quod Poëta Latinus eleganter describit:

Virgil. 2. Æneid.

At Capis, & quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias, suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis;
Aut terebrare cavas uteri, & tentare latebras,
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce;
Et procul: O miseri, quæ tanta insania, cives,
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis

Digitized by Google

Dona carere dolis Danaûm? Sic notus Vlysses?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi, &c.
Aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri:
Quidquid id est, timeo Danaos, vel dona ferentes.

Ita Ilium,& Trojanorum regnum,ob nimiam credulitatem, ob admissam intra muros civitatis machinam inimicorum, funditùs eversum est, & tandem periere ij,

Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Sophocl. Inde Proverbium Græcum, Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, *Inimicorum dona, non dona*: ex Sophoclis Ajace sumptum, conquerente se, postquam ab Hectore inimico accepisset ensem dono,nil præter mala à Græcis sibi accidisse. Vnde Plautus.

Plautus *In mala uxore, atque inimico, si quid sumas, sumptus est.*
In bono hospite, atque amico, quæstus est quod sumitur.

Quod idem Hector, atque ille Ajax,dicere potuit: nam ipsi vicissim ab Ajace inimico suo datus balteus, exitio fuit, ut narrat Homerus. *Inito inter se fœdere, donis mutuis alter alterum prosecutus est; Hector Ajaci gladium, Ajax Hectori balteum, dedit.* Sic dona inimicorum non dona, ut probavit eventus: victus enim Ajax ab Vlysse, in contentione armorum Achillis, eodem se gladio interemit. Hector verò ab Achille occisus, eodem balteo ter, circum Ilij muros tractus est; ut quidam versibus retulit ex Græco auctore:

Homer. Iliad.11

Ajaci datur ensis ab Hectore, balteus Ajace
Hectori: utrique suum donum erat exitio.
Atque ita ab hoste hosti veniunt lethalia dona;
Quæ studij specie, fata necemque ferunt.

Lib.2. de benef.c. 16. Non malè Seneca: *Sæpè nihil interest inter amicorum munera, & hostium vota. Quidquid illi optant accidere, in id horum intempestiva indulgentia impellit atque instruit. Quid autem turpius, ut nihil intersit inter odium & beneficium?*

L.8.c.28. Imitanda ergo memorata animantium solertia;imitanda vulpes,quæ in Thracia & locis frigore rigentibus, ut scribit Plinius, amnes gelatos lacusque, non nisi apposita ad glaciem aure, conjectataque glaciei crassitudine, transit. Quod etiam Plutarchus notavit.

Plutarc. de animi solertia. Huc pertinet Euripidis dictum in Hecuba:

prudenti diffidentia
Nil est melius, nil utilius mortalibus.

Et Sophoclis in Ajace:

Quin, verum id est, mortalium proverbium,
Non esse dona, quæ veniant tibi
Ab hoste, verùm inauspicata, & noxia.

Iacobi Billij in Antholog. Colophonem apponet cujusdam Epigramma:

Eva parens, quonam tua mens abscesserat, angui
Aures pestifero cùm patuere tuæ?
Quis furor, ut vetitum legeres ex arbore pomum,
Quod generi invexit tam mala multa tuo?
Vos Evæ soboles, vos Evæ audite nepotes,
Quæ fuit & vobis, & mihi, causa necis.
Angui aditus omnes præcludite: namque parenti

Obfuit

Digitized by Google

Obfuit, huic facilem quòd dedit ipsa fidem.

Sed huc hodiè res devenit, ut Diabolus jam per se ampliùs homini insidias tendere destiterit, sed magis utatur hominibus perfidiæ suæ ministris, malitiæ consciis ac sociis; quorum ope, insidiis, artibus, humanæ perditionis opus faciliùs promoveat, quàm per se faceret. Quas enim artes corrumpendæ virgini adhibeat leno, aut impudicus? quas fraudandæ viduæ, opprimendo pupillo aut deglutiendo pauperi machinas tendat: furax quis facilè dixerit? quis lupus infestior? quis ursus aut leo trucior? quæ vulpes callidior? Si blandimentis credis, si aures accommodes, si oculos præstes, si prætextus admittas, si fores aperias, actum est de te. Horum insidias vides in præmissis fabulis; unum remedium esto: Cave.

NVLLVS HOSTIS HOMINI, HOMINE TETRIOR.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

ARGVMENTVM hujus Moralis juvat ex Psalmo 90. assumere, in quo tentationes Christi & victorias, & multiplices Ecclesiæ persecutiones, & simul justorum labores Christi virtute coronandos, ex communi Patrum sententia Propheta describit, ut proptereà is Psalmus legatur in Missa Dominicæ primæ Quadragesimæ, unà cum Evangelio Tentationis Christi; in quo eumdem Psalmum superbus hostis, & idem infamis Scripturæ corruptor, quanquam alieno sensu, citasse legitur.

Igitur ad hunc versum, *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem*, me contrahens, quatuor gravissimas Ecclesiæ persecutiones, quas ab hominibus jam passa, & olim passura est, his verbis Psalmista designat, eique tam plenam auguratur, spondetque victoriam, ut sævum hostem, licet his formis horribilibus trucem, frementemque, deambulet & conculcet. Quarum persecutionum aliæ jam abierunt, & censentur extinctæ; aliæ adhuc durant, & usque ad finem mundi sunt duraturæ.

In Aspide, intelligitur persecutio Iudæorum; in Leone, Gentilium; in Basilisco, Hæreticorum; in Dracone, malorum Christianorum.

In prima igitur Diabolus gentem Iudaicam, perfidam, in Christum & sanctos ejus Apostolos movit: illi enim primi in Christianos arma sumpserunt, de quibus audiendus Psalmista. *Furor*, inquit, *illis secundùm similitudinem serpentis*. Quibus verbis Nationis Iudaicæ duo vitia magna designat, Invidiam, furoremque in Dominum nostrum, simulque sequentibus obstinatissimam eorum manifestatæ per eum veritati resistendi voluntatem, *sicut Aspidis surdæ, & obturantis aures suas*: comparatione aspidis, cujus ea natura est (ut scribunt S. Augustinus in hunc Psalmum, Magister & alij) ut cùm præsentit ab Incantatore se Magicis carminibus è specu suo evocandum, ut eis obsistat & obsurdescat, aurem alteram terræ allidit &

S. Aug. in Psal. 50. Magist. de propriet. rerum, l. 2.

Digitized by Google

oppilat, alteram caudà obturat. Voluntaria & obstinata surditas, quæ graphicè Iudæorum pervicaciam repræsentat, malitiamque, qua invincibili potentiæ Dei, eos sapienter incantantis, tum cœlestis sapientiæ manifestissima veritate, cum miraculorum evidentia, restiterunt. Vis videre eorum serpentinum furorem? *Tolle, tolle, crucifige.* Vis exsibilationes audire? *Non hunc, sed Barrabam.* Item: *Vah! qui destruis templum Dei.* Item: *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce.* Quis ista perpendens, non dicat: *Acuerunt linguas suas, sicut serpentis; venenum aspidum sub labiis eorum.*

Psal.190.

Vidistis aspidem Paulo sæviorem ante conversionem suam, aut humani sanguinis avidiorem? *Ibat spirans*, ait Scriptura, *minarum & cædis in Discipulos Domini.* Nec contentus in eos quod posset virus evomere, insuper *accessit ad Principem Sacerdotū, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.*

Actor.9

Vis turbam aspidum obstinatissimo furore sævientium? Vide Synagogam Iudæorum innocentissimum Levitam Stephanum lapidantium, frustra conantem eos firmissimis rationum momentis, seu testimoniis Scripturarum, ad veritatis lucem trahere, dicens: *Vos semper Spiritui sancto resistitis. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri?* Ad has omnes sapientis incantationes, quid illi? nisi quod aspides? *Continuerunt aures suas; dura cervice, & incircuncisis cordibus*, *oculos & aures* & corda occluserunt luci, ne vocem incantantis exaudirent.

Actor.7

Quid facerent in famulum, qui talia ausi sunt in Dominum? *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut Aspidis surdæ & obturantis aures suas.* Sicut obsurduerunt Magistro, ita & Discipulo. Sicut aspis surda præ malitia, alteram aurem terra occluserunt, alteram cauda. Quid enim sunt verba illa Caiphæ eorum Pontificis in consilio? *Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent gentem nostram & locum.* Timuerunt perdere dominium terræ; & ideò Dominum Cœli & terræ perdiderunt, & occiderunt. Alteram aurem caudà oppilaverunt, hypocrisi, astu & simulatione Scribarum & Pharisæorum, conceptam contra Christum invidiam occultaverunt; & sic vocem incantantium Apostolorum, & benefici Iesu Christi incantantis sapienter, non exaudierunt.

Sed nunquid Christus, aut Stephanus, aut Ecclesia, hujusmodi aspidis veneno extincti sunt? Imò verò per Christū Ecclesia de Synagoga triumphavit, *super Aspidem ambulavit*, Iudæum protrivit. Quid enim nunc natio Iudæorum, nisi communis nausea, fastidium, rejectamentum populorum?

Postquam Christiana fides Serpentem sub pedibus habuit, & victrix Ecclesia Aspidis Iudaicæ caput protrivit, non continuò pacem habuit; sed hominem alium sub alia specie, eaque magis formidabili, depugnandum offendit, in forma scilicet Leonis, aperto marte, & longè majori potestate sævientis. Quomodo enim se ad exortum Evangelij compararunt Principes, Reges, Imperatores? quomodo populi, regna, nationes? nisi ut leones omnis humanitatis expertes? ut verè de eis Propheta dixisse videatur: *Super eam rugierunt Leones.* Quibus enim non videantur rugitus leonum, crudelia Edicta, proscriptiones, supplicia, Imperatorum contra Christianos, ipso nomine, indicta, & ignorata causa, reos? Vt Leones fuderunt sanguinem Christianorū, laceraverunt membra, dentibus comminuerunt, mortibus saturati sunt: deerant cruces proscriptorum multitudini; quærebantur supplicia, quæ timerentur; piræ suffocabantur cor-

Ierem. 2.

Digitized by Google

poribus, retundebantur gladij, theatra cadaveribus obruebantur: qui singulatim non sufficiebat gladius, confusè feriebat: turmatim occidebantur; familiæ ingentes, centeni, milleni demetebantur: quos terra non poterat, mare absorbebat. Templa, urbes, plenæ incendebantur. Quoties Ecclesiæ incineratæ sunt? legiones armis exhaustæ? Parum est, legiones, semel decem mille viri, aliàs undecim mille Virgines, martyrio coronantur. Mira res, & ante Religionem Christianam inaudita! sexus infirmior ridebat præparata supplicia, tormenta, ignes; & ne in lenones incurreret, ultrò currebat ad leones.

Tandem tamen conculcavit hunc ferum Leonem Christi virtus: Ecclesia victrix restitit; dentes ipsi, quos tanto sanguine cruentaverat, eripuit. Prophetia impleta est: *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum. Molas Leonum confringet Dominus.* Ita factum est, ut qui sanguinem Christianorum elicuerant, suum pro fide ultrò darent; & qui Ecclesiam & membra ejus fatigaverant, & persecuti fuerant, persequerentur Idola, incenderent quod adoraverant, adorarent quod incenderant. Quod S. Remigius Clodovæo Francorum Regi dixisse fertur. Et Roma illa, domina gentium, & magistra errorum, quæ (ut dicit quidam) magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem; illa inquam, quæ omnes admittebat errores, ut veritati Christianæ bellum inferret, omnes tandem abjuravit & evomuit, ut fidem Christi reciperet; & quæ sanctos Apostolos, fidei suæ principes, supplicio mortis absumpserat, in patronos assumpsit, & gloriata est habere defensores.

Psal. 57.

S. Leò

Iam Aspis in occulto sibilans, & Leo apertè rugiens & sæviens, prostrati sunt; Iudæus & Gentilis desierunt: nunquid defecit hostis, aut corde ac viribus confractus fugit? Imò verò iras majores concipit, novas induit formas, ut nova prælia instauret, nova bella, mortes, incendia, per hominem homini inferat. In Basilisco Ecclesiam aggreditur, serpente omnium pestilentissimo, quo Hæreticum hominem diximus designari.

Et verò non potest meliùs Hæresis significari, quàm in Basilisco, qui venenum in oculis gestat, aspectu necat; nisi quòd isto, illa tetrior lues est, quòd Basiliscus corpora sola interimit, Hæresis animam & corpus eorum quos semel infecit, interficit.

Quòd enim Hæresis virus in oculis habeat, & visum inficiat ac corrumpat, vel ex eo liquidò constat, quòd Hæretici nil nisi errorem, mendacium, pestemque animæ suæ percipiunt in sacris libris, in quibus Ecclesia, & quisquis sanos oculos habet, fidei & salutis, & lucidissimas haurit veritates. Vbi iste legit vitam, ille colligit mortem. Orthodoxus volvendo & contuendo Scripturas, discit timorem Dei, necessitatem bonorum operum, Traditionum soliditatem, cultum sacrarum Imaginum, septenarium Sacramentorum numerum, Exomologesim, Purgatorium, Petri Primatiam, intercessionem Sanctorum; Orationes & Sacrificia propitiatoria pro mortuis, & alia id genus, quæ Hæreticus in eis pervolutandis non videt, imò pertinacissimè negat. Quod Ecclesia Iejunium Quadragesimale suis indicit, superstitionem vocat; virginitatem conjugio prælatam honorat, clamat abusum: vota Religiosa commendat, execratur & infamat. Quantum virus habent in oculis, quando in his conceptissimis verbis Salvatoris legimus, & credimus, *Hoc est Corpus meum*; ipsi legunt, & credunt, Hoc est figura Corporis mei. Vbi nos, *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*, contrarium dicunt & sentiunt, oculis necant. Et

Digitized by Google

hæc persecutio, quam Hæretica pravitas infert Catholicæ fidei, omnium quas hactenus sustinuit, & passa est, longè exitiosissima est.

Iam Iudæi perfidi acuerunt linguas suas, & sicut aspides venena sudërunt: jam Tyranni & Gentiles rugierunt ut leones: sed utrique corpora tantùm occiderunt. Basiliscus jugulat animas; & ubi illi aperta vi sævierunt, Hæretici multimodis Ecclesiam dolis, artibus, insidiis, circumvenerunt; cœtibus se Christianorum ingesserunt, sub prætextibus veritatis, Scripturæ, reformationis, sub ipso nomine Christi, Anti-Christum inducentes. Illi, si quando ut lupi circa caulas Christi fremerent, aut in gregem irrumperent, agnoscebantur à pastoribus, abigebantur à canibus, ubique infamabantur; hi malignitate aspides, feritate lupi, sævitia leones, effectu ac re ipsa Basilisci, sub pelle ovium & columbarum, facilè incautos decipiunt, & strangulant.

Persecutio Iudæorum vix per quadraginta aut 50. annos efferbuit, Tyrannorum & Paganorum trecentos; Hæretica verò malignitas nascentem Ecclesiam afflixit, ejusque progressus, & incrementa, multoties renovata, mortificavit, usque ad finem sæculi duratura, dicente Apostolo: *Necesse est & hæreses esse.* Decem Imperatores in Ecclesiam gladium evaginaverunt, & infinitum prope sanguinem ex ejus venis tot persecutionibus, effuderunt: sed ducenties Dæmon, Hæreticorum novis armis & strophis in eam conjuravit: tot enim novarum Sectarum & Hæreseon numerantur auctores. Quo non obstante victrix Ecclesia de Basilisco, ut de Leone & Aspide, triumphavit, & pedibus ubicunque visus est, ambulavit, ac conculcavit, Dominici virtute promissi, his verbis: *Et portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam.*

Præterierunt Arriani, Manichæi, Nestoriani, Pelagiani, & sexcenti alij ejusdem farinæ Hæresiarchæ, caput hujusce Basilisci, & corpus componentes: *ad nihilum devenerunt, tanquam aqua decurrens.* Conculcati, protriti, desierunt; adeò ut nihil serpentis præter caudam supersit, Hæresis scilicet Lutheri & Calvini, jam in parte prostrata, & brevi funditus prosternenda, & fidei victoriis superaddenda, cùm jam fautorum ejus, & dignitate & numero major pars S. Matris Ecclesiæ gremio se in dies recipiat, saltem in morte professi, idem de Hæresi, quod Isocrates de Athenis; Eam civitatem pulchram quidem esse, & commodam oblectandi animi causà; cæterùm, non ad habitandum aut commorandum utilem. Ita illi Hæresim, genio & libertati indulgendi causà, speciosam, sed minimè moriendi.

Psal. 57.

Hactenus debellatis tribus infensissimis monstris, Aspide, Leone, Basilisco, victrix Ecclesia plena pace gauderet, Iudæo scilicet, Gentili & Hæretico; nisi immanior bellua, Draco, flatu adurens, potens terrâ, aëre & mari, vincendus superesset. Vltima persecutio, præcedentibus ut periculosior, sic diuturnior: quia à falsis fratribus, qui in medio nostri sunt, in nobis, licet non ex nobis, intentatur. Satio inimica, zizania in agro Dominico, cum bono semine crescente crescens, quam adolescentem non permittitur colligere, *ne fortè*, inquit, *colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* Malos Christianos intelligo, vitiosos sceleratos, quos recenset Apostolus ad Timotheum, & præcipit vitandos. *Hoc autem scito*, inquit, *quòd in novissimis diebus instabunt periculosa tempora.* Quare periculosa? Quia *erunt homines*, scilicet Christiani, *seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi,*

Math. 13

2. Tim. 3.

Digitized by Google

tumidi, & voluptatum amatores, magis quàm Dei; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.

Hujusmodi significantur per Draconem, animalium teterrimum, seu fortitudine, seu astutia: Vnicum in quatuor elementis potens; in igne, flatu adurens, & ignem naribus exhalans; in aëre, volans ut aquila, & volando aves devorans; in terra, in leones & elephantos irruens; nec minùs Draco grassatur in aquis, natat enim & volat. Vnde per Ezechielem dicitur: *Ecce ego ad te, Draco magne, qui cubas in medio fluminum.* Inde inferas, quàm metuendus Draco ille in quatuor Elementis furens, & sæviens per Christianos nequam, de Draconis afflatu, elementarios.

Tales sunt iracundi, igne vindictæ ferventes æstuantesque: tales superbi & vani, vento ambitionis elati: tales avari, huic limo terrenæ cupiditatis immersi: tales denique voluptuosi, molles & lubrici, luxuriæ blandis deliciis diffluentes. Hi sunt hostes Ecclesiæ perpetui, corruptores bonorum morum, sanctitatis adversarij, inter quos afflicta & invita vivere cogitur: quomodo enim, nisi dolens & mœrens, filios suos videat ab isto Dracone devorari? quos ille vel gulæ, vel luxuriæ sordibus inficit, vel usuris & rapinis deditos tenet, vel ambitione sæculi corrumpit. Videt quotidiè quos lactabat in gremio filios, sibi eripi, & in regnum Diaboli vitiorum corruptelà transcribi.

Ita Ecclesiæ Matri idem quod Rebeccæ, sponsæ Isaac, accidit, quæ tanto ardore filios parere desiderans, ubi se gravidam sensit, & quos in utero gerebat, mutuò confligentes tædio & dolore dicebat: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Idem, inquam, sancta Mater Ecclesia dicere & conqueri potest cum Propheta: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Tot locis diffusa, tot terris multiplicata, gemit viscera sua, aut inter se discindi ac lacerari discordiis, aut vitiorum fœditate corrumpi. Vt verè dixerit Hieronymus: " Postquam Ecclesia Christi ad Christianos Principes pervenit, potentià quidem, & divitiis major, sed virtutibus minor facta est. „ Idem deplorabat Salvianus: " Multiplicatis fidei populis fides imminuta est, & crescentibus filiis suis Mater ægrotat: factaque es Ecclesia profectu tuæ fœcunditatis infirmior; diffudisti siquidem per omnem mundum Religiosi nominis membra, Religionis vim non habentia; & sic Ecclesia esse cœpisti turbis opulẽs, fide pauper; quantò ditior multitudine, tantò egentior devotione; latior corpore, angustior mente; eademque, ut ita dicã, & in te major, & in te minor, novoque pene & inaudito genere processus & recessus crescẽs simul & decrescens. Ita Salvian[9]

In vita Malchi.

Quæ satis superque sufficiant implẽdo Morali proposito, Nullus hostis homini, homine tetrior. Cui abundè satisfactum puto, ostendendo Ecclesiam, quæ cœtus est fidelium, cujus Christianus quisque membrum est, in qua, & per quam vivit, post persecutiones Iudæi, Gentilis, & Hæretici, quas passa est, atrociùs pati, & fatigari à propriis, malis Christianis, & passuram esse usque ad finem mundi, quàm ab alienis, & pestibus aliis quibuscunque; adeò ut nil mali, nisi ab homine malo, sibi cavere debeat. His applicandæ fabulæ Lupi, obstetricari volenti sui; Vulpis, Medicum se facientis, ut ad gallinam aditum habeat; Luporum, charitatis prætextu asinum visitantium; Lupi, hœdo abblandientis: quibus artibus & strophis graphicè depinguntur mores subdolorum ac versipellium hominum, quibuscum hoc quodcunque ævi necessariò traducendum est, ut ab iis palpantibus & abblandientibus nobis caveamus.

Digitized by Google

TITVLVS XV.

DE HÆRETICO, AC SCELERATO.

FABVLA.

De Mure & Fele.

MVSCVLI tenelli, & inexperti, contemplabantur è maceria & foramine parietis, Felem, demisso capite, genibus implicatis incubantem, & quasi dormitantem; sed pro more suo excubias agentem. Vnum ex illis cupido incessit propiùs accedendi, ut cum Fele lusitaret, & amicitiam iniret. Alij dissuadere, monere, id sibi à matre non semel prohibitum: Si faciat, grande periculum incursurum. Ille non credere. Quis enim sibi timendum putet, inquit, ab animali tam benigno, suavi, pacifico? Hæc dicens desilit in tabulatum; & ecce tibi in ictu oculi Catus in eum involat, rapit, discerpit; cæteris metu attonitis, & in fugam versis. Ex qua ubi se recepere, alter alteri dicere: Quis fidat inimico? Iste nostræ gentis capitalissimus hostis est. Mansuetudo quam præfert, mera palliatio est crudelitatis; pilus & vestis suavis est, sed animus intùs plenus fraudis. Nusquam fidendum.

Catus & Mures.

PRædam magnam stragemque Catus pervalidus faciebat Murium in quadam domo. Hi videntes se in dies consumi, consilium ineunt, quid facto opus, ut ruinæ suæ occurrant & obsistant. Decernunt standum in supernis ædium partibus, nusquam descendendum. Id consilij non latuit Catum pervigilem; & cùm in eos irrumpere, aut reptare non posset, arte sibi utendum putavit. Finxit se mortuum, in loco unde desuper prospici poterat à Muribus, suspendens se posterioribus pedibus ad palum parieti infixum: sed spe irrita, ac otiosa fraude. Nam visus à quodam, & cognitus, is sociis in hæc verba præsentibus prorupit: Sis vivus aut mortuus, nescio: sed etiamsi te follem aut pellem vacuam putem, non accedo, non me committo: Indicans prudentem virum, si semel periculum evasit, hosti apertè non se expositurum.

Digitized by Google

De Leone & Capra.

Contemplabatur aliquando Capram Leo inter abrupta montis, & loca dumosa pascentem, ipse in imo ac fundo positus; ad quam cùm non posset accedere, cœpit blandè salutare, invitare ut descenderet, & in planitie thymum suaveolentem, salices serpillumque demessura veniret. Gratias agit illa, frustra rogare ut veniat; quia etsi bona verba ex sua parte audiat, porrò mentem suam non videat; & se Capram, illum Leonem, esse sciat. Innuens inimicis nunquam fidendum, licet blandientibus, nec ullum nocendi aditum concedendum.

De Vulture & Aviculis.

Vultur volens lautè prandere, & ventrem suum delicatis cibis infercire, invitavit aviculas ad convivium, Natalem suum, ut dicebat, celebraturus. Hæc fama exiit inter eas, & hoc aucupio incautas fefellit. Veniunt igitur undique, existimantes invenire mensas omnis generis deliciarum refertas, non de suo paraturas. Sed ubi adventatis ac coactis omnibus fores occlusæ sunt, & Vultur rapere, & mactare, & occidere cœpit: O insanas nos, & vecordes, inquiunt, quæ Vulturi inimico nostro fidimus, & apud eum putantes reperire escas, ipsæ ejus escæ factæ sumus.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

CVM ADVERSARIO, *id est*, HÆRETICO, VEL SCELERATO, COMMERCIVM NVLLVM.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

IMMORTALIS odij, aversique supra modum animi exemplum in Hamilcare & Hannibale Regibus Carthaginiensibus patre & filio, contra Romanos memorant. De primo, quòd cùm quatuor filios haberet impuberes, eos intuens diceret, *se quatuor Leones alere in perniciem Romani Imperij*, quos inter erat Hannibal, non quidem ætate aut natu, sed genio ac Marte major, ut successus probavit.

Val. Max lib. 9.

Fama etiam est, ut refert Titus Livius, Hannibalem annorum non amplius novem, pueriliter abblandientem patri ac supplicantem, ut in Hispaniam duceret exercitum illuc trajecturo, & ob id sacrificaret, altaribus admotis, tactis sacris jurejurando adactum, se cùm primùm posset, hostem acerrimum, perpetuumque fore Populi Romani. Adeò maturè patris

Tit. Liu.

Digitized by Google

vestigia subsecutus est, & odium, quod ille verbo tenus, iste factis immane quantum prodidit. Et quoad vixit, infensissimus potentiæ, ac nemini Romano fuit. Quod ætate provectior aliquando significavit, percontanti cuidam, quandonam odij & belli Romam inter & Carthaginem finis esset, inflicto in terram pede, suscitatoque pulvere, tum demum dixit fore utriusque finem, cùm altera pars, & civitas, in pulverem redacta esset ac resoluta. Quod veridicè, & non sine quodam Numinis afflatu dictum, effectus probavit.

Plutarc. in vita Hannib. & Val. Max lib. 9.

Sint hæc odij & inimicitiæ virilis & masculæ exempla: non desunt etiam & fœmineæ.

Fertur enim de Semiramide, Assyriorum Regina, quòd cùm ei circa cultum capitis occupatæ nunciatum esset, Babylonem a se defecisse, altera jam parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit; nec priùs decorem capillorum in ordinem, quam tantam urbem in potestatem suam, redegit. Quocirca statua illius, Babylone posita videbatur, illo ipso habitu, quo ad ultionem celeritate præcipiti tetendit.

Val. Max Lib 9. c. 3

Quæ odij humani exempla haud intempestivè profero, ut alterius implacabilis, internecini, immortalis, quod cum Hæretico, aut scelerato, ratione erroris aut criminis, nobis per totam vitam gerendum est, quatenus Deo oppositis & aversis, adumbrationes.

Hæc enim odia decent Christianos, qui se solenni voto in Sacramento Baptismi obligarunt, renunciare mũdo, & carni, & Dæmoni pro Christo.

Multæ ac mirabiles visuntur antipathiæ in Natura, inimicitiæ quædam immortales, & irreconciliabiles. Sic inter metalla, Mercurius, seu argentum vivum, dum putas sistere, fugit; cùm capere, avolat; cùm figere, dispergitur. Inter plantas oleaster piri insitionem non recipit, vitis brassicam refugit, quercus abhorret ab olea. Inter animantia nulli non est nota antipathia naturalis leonis & galli, porci & elephanti; ut ad cantum galli leo exterritus fugiat, elephantus ad aspectum porci. Nec minor agnum inter & lupum; aquilam inter, & cæteros alites. Et talis est inter ista duo paria, ut aversio viventium vita longævior sit, & post mortem perduret: ferunt namque, quòd si ex lupina pelle tympanum conficiatur, oves ad sonum ejus, quasi ad præsentiam lupi, inhorrescunt: imò si citharæ cordas ex visceribus, & corio lupi confeceris, ad ejus præsentiam cythara chordis ovium instructa ac tenta, harmoniam, aut sonum nullum reddet, licet tactis & pulsatis. Quod aquilam spectat, pennas hujus, licet extinctæ, pennis aliarum avium immixtas, ferunt eas devorare ac consumere; unde natum Adagium: Opes Ecclesiæ, Aquilarum pennæ. Quippe ut hæ aliis commixtæ eas devorant; sic bona Ecclesiæ, ad profanos familiarum usus injustè detorta, eas funditus evertunt ac pessundant.

Sed ut ad ea, quæ de lupina & ovili antipathia diximus, revertamur; Alciatus eximium Emblema confecit sub hoc lemmate, Vel post mortem formidolosi. In quo eleganter odium illud expressit.

Emblem. 170.

Cætera mutescent, coriumque silebit ovillum,
Si confecta lupi tympana pelle sonent,
Hanc membrana ovium sic exhorrescit, ut hostem,
Exanimis quamvis, non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziscas, in tympana versus
Boëmos potuit vincere Pontifices.

Quod

Quod ultimo Distícho insinuat de Zischa in tympanum converso, valdè nostro proposito congruit, & menti hujus Apologi, cum Hæretico aut scelerato nil commercij habendum. Is enim implacabili in Ecclesiam odio famam adeptus, sicut ille qui Dianæ Ephesinæ templum incendit, ut sibi nomen faceret, postquam Hussitarum Sectam armis ampliasset, Pragæ loca sacra, templaque delevisset; in Catholicos, & maximè in Sacerdotes, crudelem nimis animum bellumque gessisset; essetque Catholicis, quod Assur Iudeis; nomenque sibi comparasset, non minùs bellicosissimi ducis, quàm pertinacissimi Hæretici: ferunt illum, cùm ægrotaret, rogatum quo loco mortuus vellet sepeliri, *jussisse cadaveri suo pellem adimi, carnes volucribus ac feris projici, ex pelle tympanum fieri, eoque duce in Ecclesiam Catholicam bella geri; inde arrepturos fugam hostes, cùm primùm ejus tympani sonitum audirent.*

Æneas Sylvius 3 Cōm. de reb. gest. Alphonsi & Cochlæus. l. 5. histor. Hussit.

Addit his Albertus Crantzius, fecisse amicos quod ille jusserat, & facto probasse quod promiserat. Itaque ille in tympanum versus, quibus, dum viveret, formidolosus fuerat, scilicet bonis ac Catholicis, post mortem etiam eisdem terrori adhuc exitioque fuerit. Sic quod de Polixene Priami filia abducta, ut ad Achillis tumulum immolaretur, Hecuba mater ejus dixit; ita nos de isto:

Seneca cōtrou. 5.

cinis ipse sepulti
In genus hoc pugnat.

Et quod apud Tragicum in Troade conqueritur Hecuba, quòd Vmbra Achillis mortui eos persequatur.

In Troad Act. 4.

Adhuc Achilles vivit in pœnas Phrygum?
Adhuc rebellat. O manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.

Quæ mortales inimicitiæ, & capitalia odia, etiam post mortem durantia, sufficiant, ut discamus, mortale & immortale bellum, odiumque nos habere ac gerere debere contra id omne quod Deo & saluti nostræ adversatur, & contrarium est. A teneris & primis unguiculis, à parentibus, filiis instillandum, ab istis in verba parentum jurandum; insistendumque, exemplo Hamilcaris & Hannibalis. Et non secùs ac Semiramis, virilis animi mulier, captanda prima occasio, linquenda omnis alia occupatio, ut huic uni hosti impigram debellando navemus operam. Ad hoc impendenda vita, & vires, & corpus, & bona, & ultra vitam quantùm se extendit æternitas, extendenda pia odia, exemplo impiissimi Zischæ. Postremo denique, exemplo Didonis, Carthaginis fundatricis, quæ Æneæ infensa, moriens sic imprecata, ut populum inter suum & Latinos æterna odia & bella intercederent. Sic Virgilius.

4. Æneid sub finem

Tum vos, ô Tyrij! stirpem, & genus omne futurum,
Exercete odiis, cinerique hæc mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires
Littora, littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes.

Digitized by Google

CVM ADVERSARIO, *id est*, HÆRETICO, VEL SCELERATO, COMMERCIVM NVLLVM.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVOD ad primam partem tituli bimembris hujus Apologi, quæ Hæreticum spectat, videtur sacra Scriptura habere se cum hæretico, sicut cum homine contagioso ac pestifero, cujus flatu, & halitu, & consortio omnibus interdicit: nec immeritò, cùm hæresis sit pestis animarum longè plus timenda, quàm pestis corporum.

Ad Tit. c. 3. Sic enim Apostolus pronunciat: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.* In qua sententia primò vult devitari Hæreticum, ut contagiosum ac pestiferum, à cujus halitu vix quisquam sanus evadat: *quia sermo eorum ut cancer serpit*: alius difficillimæ curæ morbus, à cujus contactu cavendum maximè: qualis erat ille Elimas Magus, *& ipse subversus, & subvertens alios.* Cui Paulus: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.* Ecce quanto cum vigore & spiritu fugandi, & fugiendi tales pestiferi.

2. Tim. 2. Actor. 13

Secundò, vides quàm benè, in ultimis verbis, *Cùm sit proprio judicio condemnatus*, Apostolus Dominicæ sententiæ congruat apud Ioannem. *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei:* scilicet, *quia talis proprio judicio suo subversus est, & condemnatus*, instar pestiferi fugiendus, cujus salus deplorata ac perdita est.

Ioan. 3.

Ioan: Epist. 2. Hanc chordam non mitius stringit Apostolus dilectionis alibi: *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* Item, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave illi dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Quæso te, quæ lues deterior? qui lupi rapaces, aut rabidi leones, ovilibus infestiores? nec verbo tenus tantùm, sed etiam de facto ita se habuit. S. Ioannes apud homines non sanæ doctrinæ, licet alias totus dulcedo & dilectio.

Glossa in Ep. 2. S. Ioan. Refert enim Glossa hîc, quòd cùm S. Apostolus apud Ephesum Balneas lavandi gratiâ intrasset, & vidisset ibi Cherinthum, protinus exivit dicens: Fugiamus hinc, ne balneæ ipsæ corrumpant nos, in quibus Cherinthus lavatur. Fecit ergo quod docuit. Sic concludit Glossa.

Non dissimile de S. Polycarpo, ejusdem Apostoli Discipulo, narrant; cui cùm Romæ obviam factus esset Marcion, & dixisset: "*Cognoscis nos?* Ille incunctanter: Cognosco primogenitum Diaboli, & abiit. Sic tractandum cum Hæreticis ex regula Apostoli: *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita.* Cum illis nil commune præter solem & aquam.

In Prat. spirit. cap 40. Huic doctrinæ de Ecclesiastica historia non pauca monumenta concordant. In Prato Spirituali

Refertur de B. Cosma Monacho, quòd cùm sepulturæ mandatus fuis-

Digitized by Google

ſet, & poſitus in ſepulchro cujuſdam Epiſcopi Hæretici, nolebat ab Hæretici cadavere, ſuum contingi; &, audiente quodam Mendico, ab eo de paraliſi ſanato, dicebat: Recede a me, impie Hæretice, ne me tangas.

Ibidem de quodam fratre Ægyptio habetur, quòd cùm Alexandriæ à Ioanne Cilice Monachorum patre petiiſſet Evagrij cellam nuper defuncti; eoque recuſante, quòd eam poſt deceptum Evagrium, Hæreticumque mortuum, Dæmones infeſtarent, & ille quod vellet ad duritiam cordis, ab Abbate licet reluctante obtinuiſſet, factum eſt poſt puſillum tempus, ut is ad ſolitas preces non veniens quæreretur, & in cella eadem laqueo ſuſpenſus inveniretur. Ex quo, quàm fugienda ſit Hæreticorum familiaritas, apertè declaratur. Cap. 177

Quid quod ibidem legitur de quodam ſancto Abbate, qui cùm librum Hæreticum in cella non ſcienter haberet, & aliquando B. Ioannes Baptiſta cum ſacra Virgine Matre Dei ad limen cellulæ ſibi apparerent, & ille eos, ut in cellam dignarentur intrare, quàm obnixè & humiliter poterat flagitaret; Illa: Intrabo, inquit, in ædes, ubi nominis mei receptus eſt hoſtis? Non poſſum. Quibus dictis evanuit. Tunc ſupra modum mœrens Abbas, & anxius, cœpit in domo ſua quærere, & invenit librum, ad cujus calcem erant duo libri impiiſſimi Neſtorij, ſanctiſſimæ Matris Dei honorem impugnantis. Vnde inferas quàm jure meritò dicat Apoſtolus: *Hæreticum hominem*, &c. *devita.* In Prato ſpirit. cap 46.

Quod ſpectat alteram noſtri Moralis partem, ſcilicet, neque cum ſcelerato habendum ullum commercium; non video ſacros libros eos moderatiùs ferre, nec mitiùs aut libentiùs tolerare profligatos mores, quàm fidei errores. Ratio in Eccleſiaſtico habetur. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicabit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Item: *Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſibi ſociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando; ſic peccator, juſto. Quæ communicatio ſancto homini ad canem*, &c. Eccl. 13.

Audiamus Apoſtolum Corinthios ſuos informantem: *Nolite*, inquit, *ſeduci: corrumpunt mores colloquia prava. Evigilate Iuſti; ignorantiam enim Dei quidam habent*, &c. Vides quàm juſtis timeat à malorum conſuetudine & conſortio. 1. Cor. 15.

Hujus generis ſunt illa quæ ad Timotheum. *Profana autem, & vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit.* 2. Tim. 2.

Sed quanto zelo in cauſa inceſtuoſi Corinthij ſtilum acuit & ſtringit in eoſdem Corinthios, hunc ſcandaloſum animæquiùs tolerantes? *Omninò*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam judicavi*, &c. *qui ſic operatus eſt, tradere hujuſmodi Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit, in die Domini.* Denique idem capitulum & negotium ſic claudit: *Scripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut Idolis ſervientibus; alioqui debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri. Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut Idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax; cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Addit Interlinearis, Nedum orare. Et ſuprà rationem reddidit tam ſeveræ ſententiæ. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* 1. Cor. 5.

Hîc conſideratione dignum venit, quod Scriptura refert de Ioſaphat

Digitized by Google

Rege Iuda, laudatissimo Principe,& optimo inter primos, cujus Scriptura panegyrim & laudes deprædicat his verbis: *Et fuit Dominus cum Iosaphat; quia ambulavit in viis David patris sui primis, & non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis illius, & non juxta peccata Israël*, &c. *factaque sunt ei infinitæ divitiæ, & multa gloria.* Tamen hic tantus vir, qui ut cœperat, sic vitam clausit & regnum, una de re taxatur, arguitur, corripitur, scilicet, quòd cum Impio, fœdere ac amicitia junctus fuerit, licet affinitate & consanguinitate sibi conjuncto. Nam revertenti de bello, in quo impio Achab auxilium præstiterat, singulari Dei munere liberato & salvo, occurrit ei Iehu, filius Anani, Propheta, & ait ad eum: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris; & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te*, &c.

2. Paralip c. 17.

2. Paralip 19.

Neque verò tam gravi correptioni continuit se Divinæ flamma vindictæ; sed insuper in regiæ familiæ ac substantiæ jacturam exarsit, & polluti damnata communione commercij ac lucri, magis vindicata est. *Post hæc iniit* (inquit sacer Textus) *amicitias Iosaphat Rex Iuda cum Ochosia Rege Israël, cujus opera fuerunt impiissima, & particeps fuit ut facerent naves quæ irent in Tharsis, feceruntque classem in Asiongaber.* Quæris qua fortuna & successu. Audi quid Scriptura refert: *Prophetavit autem Eliezer, filius Dodaü de Maresa, ad Iosaphat dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochosia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* Hunc finem habuit piissimi Regis, cum impiissimo, confœderatio. Vt ejus exemplo Reges & populi discant, nec amicitiam, neque negotiationem, cum sceleratis ineundam: imitandumque Dominum nostrum, qui Mundum Mundanosque perpetuo, eoque tam implacabili, odio prosecutus est, ut cùm Iudæis inimicis suis pepercerit, & ipsis crucifixoribus suis reconciliari voluerit, & pro eis oraverit, pro Mundo tamen nec mori, nec orare voluerit.

2. Paralip 20.

Digitized by Google

TITVLVS XVI.

DE NATVRA.

FABVLA.

De Pastore & Grege.

QVIDAM Pastor videns greges suos in dies minui, fierique luporum prædam, cœpit apud se accuratiùs pensitare, si quo modo posset quotidianis rapinis eorum occurrere. Ergo coactis aliquando in unum, ipse in medio stans, sic ad eos concionem habuit. Scitis, inquit, & mecum vos indolere non dubito, quantam stragem de vobis lupus faciat. Scio rem vobis esse cum hoste truci, ac fero; sed plus in vobis est, quo terreat, quàm virium in eo, unde noceat. Dente ferox est, oculis minax, pedibus celer, impetu audax: sed unus venit; vos plures estis: Et nunquid & vos habetis dentes? aut impunè cornua geritis? Iam, cùm vos invadit, unam, non ampliùs, rapit. Quid cateræ, numero potiores, in raptorem non convolatis? quid non involvitis? quid non multitudine, dente, pedibus, atteritis? Sed pavidæ & imbelles fugitis, & fugientes rapit. De vobis actum est, nisi resistatis. Mactæ igitur animo: Ego vobiscum adero, & cum baculo meo, oculis, voce, linguâ, & servi, & canes mei, accurremus. Vbi dicendi finem fecit, omnes uno ore laudare Pastoris solertiam, suam socordiam incusare, deinceps polliceri animum, juramento sese obstringere, nunquam terga hosti versuras. Paulò post, pascentibus illis, venit lupus, occurrunt canes, adlatrant; Pastor, servi, accurrunt, hortantur, exclamant, vociferantur; sed frustra. Nam oves omnium oblitæ, ut anteà, fugiunt, diripiuntur. Tunc Pastor dicere: Frustra timidis & pavidis putes cor addere. Impossibile est Naturam mutare.

Hinnulus.

DIcebat aliquando Hinnulus Cervo patri suo: Miror, pater, quid causæ sit, quòd cùm tu canibus longè præstes, cursu ac celeritate pedum, insuper corporis proceritate, & caput tuum nobile ramorum pondus exornet, armetque; tu tamen ita eos timeas, ut contra ipsos solius fugæ præsidium sumas. Tunc Cervus: Verum dicis, ô fili, & ipse aliam hujus rei causam nescio, præter Naturam, quæ meadeò pavidum fecit, ut ad odo-

Digitized by Google

rem, aut latratum canum, protinus in fugam vertar. Sic pusillanimes, timidosque; nulla ratio firmat.

De Vrtica & filio Hortulani.

CVjusdam Hortulani filius punctus ab Vrtica, flens conquerebatur ad patrem, quòd olus domesticum in suo fundo ausum esset se pungere. Cui pater: Desine, inquit, plangere, fili; hoc vitium à Natura Vrticæ est, nulla arte medicabile, nulli parcit, nec potest aliter facere.

Vespertilio, Rubus, Mergus.

VEspertilio ingressa latenter domum, pecuniam furata erat; Rubus vestes soli expositas; Mergus aurum in fundo aquæ cujusdam hominis immersi. Accidit autem ut quadam die hi tres simul coirent, & collatis in commune bonis statuerent mercaturam exercere. Navim conscendunt, in terras longinquas merces suas deportaturi. Sed sævissima tempestate exorta, quassata nave, perditis sarcinis, naufragi tabularum beneficio salvi ad litus se recipiunt. Factum est autem, ut quisque suæ sortis conscius, Vespertilio sui furti pœnas timens, non nisi pernox advolet; Rubus ut antea prætereuntium lanas vellicet & rapiat; Mergus oris fluminum adnatet, assideatque piscatoribus, si fortè æs inveniat. Adeò verum est, Naturam mutari non posse, mutatâ licet fortunâ.

Formica.

QVæ nunc Formica est, dicitur homo fuisse Agricola, assuetus furari & clam surripere vicinorum messes & sata: unde indignati Dij, eum in hanc bestiolæ naturam transformarint; quæ inveteratæ consuetudinis haud oblita, formam hominis, non mores suos exuerit. Vt anteà huc & illuc per campos excurrit, furtim grana suffuratura vicinorum. Adeò Naturam & mores suos dediscere difficile est.

De Gallis & Perdice.

TEneram aliquis Perdicem cùm domi aluisset, & jam grandiuscula foret, cum Gallis & Gallinis voluit asservare & innutrire. Hanc Galli areæ ut de novo secum commissam viderunt, cœperunt impetere & rostro morsicare. Vnde Perdix initio supra modum affligebatur. Sed cùm posteà videret eosdem inter se confligere, ac perpetuum quasi bellum gerere, cœpit non malevolentiæ propriæ, sed eorum naturæ ascribere; qui cùm pugnaces sint, non mirum si cum exteris pacem non habeant, quam in suo genere habere diu non possunt. Adeò Natura mutari non potest.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

IMPOSSIBILE EST NATVRAM MVTARE.

Probatur primò, & illustratur;

EX PROFANIS.

SEv Naturam strictè accipias, pro principiis cujusque rei, materia & forma, quod dicitur Essentia, principium & causa omnis motûs in ea, & naturalium qualitatum; seu pro corruptela Naturæ post peccatum & lapsum inducta, ad malum semper inclinante; seu pro consuetudine inveterata & imbibita peccati, quæ dici solet altera Natura: quomodocunque accipias, Naturam non posse mutari, ex toto scilicet, verum est.

Sapientissimi Gentilium Naturam ducem sequendam voluere & proposuere, quia ipsius lapsum cæci ignorarunt; quanquam & hæc propositio à bono sensu haud abhorreat. Vnde Cicero: *Natura duce errari nullo modo potest.* Item: *Naturam ducem si sequamur, non aberrabimus.* Et alibi: *Nihil in malis ducamus, quod sit vel à Diis Immortalibus, vel à Natura parente omnium constitutum.* Item: *Omnia quæ aspernatur Natura, in malis sunt; quæ ascisсit, in bonis. Nihil censeamus esse malum, quod à Natura datum hominibus.*

1. Offic.

1. Tuscul

Non aliter Cato major: *Omnia quæ secundùm Naturam sunt, habenda sunt in bonis. Quidquid homini naturaliter insitum est, eo uti decet, & quidquid agat, agere pro viribus.* Item: *Nihil est aliud Gigantum more pugnare cum Diis, quàm Naturæ repugnare.* Vt benè Poëta Lyricus.

Horatius de arte.

> *Tu nihil invita facies, dicesque, Minerva:*
> *Format enim Natura priùs nos intùs ad omnem*
> *Fortunarum habitum; juvat aut impellit ad iram,*
> *Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit:*
> *Post effert animi motus, interprete lingua.*

Tenenda est via, inquit Seneca, *quam Natura præscripsit; nec ab illa declinandum: illam sequentibus omnia facilia, & expedita sunt. Contra illam viventibus, non alia via est, quàm contra aquam navigantibus.*

Ex quibus patet, eos primigeniæ quædam originis relicta vestigia, ac veri bonique in homine lapso lumina, agnovisse, ac pro Natura integra, incorruptaque sumpsisse. Vnde dicebat Cicero:

3. Tuscul

Si tales nos Natura genuisset, ut eam ipsam intueri, & perspicere, eademque optima duce cursum vitæ conficere possemus, haud erat sanè quòd quisquam Rationem ac Doctrinam requireret, cùm Natura sufficeret (quibus verbis videtur hominis in justitia originali conditi præsensisse, aut desiderasse conditionem, ut & in sequentibus, lapsi miserabilem statum) Nunc verò subdit: *parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis, sic restringimus, ut nusquam lumen appareat: sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam Natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuò pravitate ver-*

Digitized by Google

ſamur; ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cùm verò parentibus redditi, & deinde Magiſtris traditi ſumus, tunc ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni, confirmata Natura ipſa, cedat. Digna certè tanto Genio, & hoc loco, ſententia, ex qua vitiatæ Naturæ in malum proclivitas, ipſis licet cæcutientibus, ſufficienter viſa videatur.

In Coriol.

Vnde Plutarchus: *Bona Natura,* inquit, *ſi non rectè inſtituatur, inter bonos fructus, multa etiam vitia profert, perinde atque bonus ager, ſi non accuratè colatur.* Et ubi ſemel à recto devia, Rationis iter amiſit, quò non errorum ſponte abit & defluit?

Lib. 3.

Propterea Thucydides: *Cùm perturbata eſt Reſpublica,* inquit, *Natura hominum, victrix legum, oſtendit ſe libenter injuſta facere contra leges, ſuperata magnitudine iræ, jure potentior, & excellentioribus inimica. Niſi enim talis eſſet Natura hominum, non anteponeret vindictam ſanctitati, & lucrum juſtitiæ, invidentes alienæ potentiæ non lædenti: ſed volunt homines vindictæ cupiditate, communes leges diſſolvere, & ſibi non relinquere legum præſidia, ſi quid ipſis adverſi accidat, cùm in legibus ſalutis ſpes ſit.* Ex quibus verbis Naturæ ſauciatæ efferatam vim, immoderantiamque paſſionum in jura & leges irrumpentium magnus vir ſatis agnovit.

Quidquid Seneca pro Natura in ejus favorem patrocinetur & dicat, ſi Natura eſſet res tam bona, & ſi tam bonos nos gigneret, ut eam, ut volunt, ſequi ducem ſufficeret; quomodo tot & tanti tam bona duce abuterentur, ait? quî tam bona re tam facinoroſi evaderent? Cùm ergo dicit: *Erras, ſi exiſtimas nobiſcum vitia naſci; ſupervenerunt, ingeſta ſunt: nulli nos vitio Natura conciliat, nos illa integros ac liberos genuit;* ipſum erraſſe credendum eſt, & magis ad oſtentationem, quàm ad veritatem locutum. Sicut & cùm alibi, falſitatis arguens Epicurum, qui dixerat: *Neminem aliter è vita exire, quàm quomodo natus eſſet;* quaſi excandeſcens, ait: *Falſum eſt; pejores morimur, quàm naſcimur. Noſtrum iſtud, non Naturæ, vitium eſt: illa de nobis conqueri debet, & dicere: Quid hoc eſt? ſine cupiditatibus vos genui, ſine timoribus, ſine ſuperſtitione, ſine perfidia, cæteriſque peſtibus: quales intraſtis, tales exite.* Hæc, inquam, plus Stoicæ vanitatis & pompæ habent, quàm ſolidæ veritatis. Etſi enim nos ipſa nullius criminis actu patrati reos parturit, omnibus tamen obnoxios, & penè voluntate reos, in hanc lucem emittit; ut juſtiùs de ea Plinius conqueratur, & dicat: *Vni animantium luctus eſt datus, uni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per ſingula membra; uni ambitio, uni avaritia, uni immenſa vivendi cupido,* &c. Item: *Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior: flens animal, cæteris imperaturum, & à ſuppliciis vitam auſpicatur, unam tantùm ob culpam, quia natum eſt.*

Seneca Epiſt. 22.

Plin. in Procem. l. 7.

Tales naſcimur, tales intramus; quid mirum, ſi à Natura jam mali; malorum uſu & conſuetudine, pejores eximus?

Laert. l. 5. c. 1.

Propterea meliùs *Ariſtoteles tria ad ſolidam parandam ſapientiam homini neceſſaria eſſe dicebat*, quorum in numero Naturæ locum dabat; Naturam, Doctrinam, ſeu eruditionem, & Exercitationem. Naturam; quia invita Minervâ, & ingenio refragante, fruſtra etiam in minimis laborabis: Eruditionem; quia duce opus eſt: Exercitationem; quia fruſtra quis mentem ſapientiæ præceptis imbuet, niſi operi manum admoveat.

L. de lib. educ.

Idem fermè Plutarchus: *Quod de artibus & ſcientiis ſolemus,* inquit *idem & de virtute pronunciandum, ſcilicet ad ejus perfectionem tria oportere concurrere; Naturam*

Digitized by Google

turam nimirùm, rationem seu doctrinam, & assuefactionem. Natura quippe, absque disciplina, cæca est: Disciplina, si à Natura destituatur, defecta: Exercitatio, his duobus demptis, imperfecta.

Vides igitur quam manca sit, & imperfecta Natura, quæ tot adminiculis eget; quæ licet optimæ institutioni diligentissimè admoveantur, tot vitiis & defectibus plerumque Natura obruitur, & obnoxia est, ut emendari & corrigi nequeat, nedum mutari. Epist. 11

Cui veritati assentitur omnis Schola sapientum, & imprimis noster Seneca. *Nulla sapientia,* ait, *naturalia corporis, aut animi vitia ponuntur. Quidquid infixum, aut ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. Quibusdam tremunt genua dicturis; quorumdam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt: hæc nec disciplina, nec usus unquam excutit, sed Natura vim suam exercet: illos etiam vitij sui robustißimos admonet,* &c. *Hæc, ut dixi, nulla sapientia abigit; alioquin haberet rerum Naturam sub imperio, si omnia eraderet vitia. Quæcunque attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, cùm multùm se diuque animus composuerit, hærebunt. Nihil horum vitari potest, non magis quàm accersi.*

Quod ulteriùs probat exemplo Scenicorum, qui omnes imitantur, & ementiuntur affectus, metum, tristitiam, amorem, iram; *ruborem aut verecundiam,* inquit, *non possunt exprimere;* qui ingenuis & gravissimis viris subitò vel invitis offunditur. Epist. 11

Quod ne ad solos corporis defectus restringas, occurrit Satyricus, de eadem Natura, seu Genio, seu consuetudine, ad malum firmata, non incongruè. Iuvenal. Sat. 13.

Mobilis & varia est fermè Natura malorum,
Cùm scelus admittunt, superest Constantia, quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire, peractis
Criminibus; tamen AD MORES NATURA RECURRIT
DAMNATOS, FIXA ET MUTARI NESCIA. Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio?

Multa alia hujus generis passim congerit, de vitiis Natura aut consuetudine firmatis; cui consonat Horatius: L.1. Ser. Sat.3.

Denique teipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala. Namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.

Et paulò post:

Quam temerè in nosmet legem sancimus iniquam:
Nam vitijs nemo sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

Difficile est, inquit Pyndarus, *occultare morem ingenitum.* Et Aristophanes: *Tegere quam quis Naturam habeat, perdifficile est.* Et Cicero: *Hoc nunc non contendo, quod fortaßè cùm in omni Natura, tùm jam in nostra ætate, difficile est mutare animum, & si quid est penitus insitum moribus, id subitò evellere.* Olym. 13 Ad Quint. frat.

Huc spectat Diogenis argutum dictum, qui cùm nebulonem quemdam reprehenderet, sciscitanti alteri, quid faceret; *Aethiopem,* inquit, *lavo, ut album reddam;* juxta illud Proverbium Lyrici:

Digitized by Google

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Hoc fabulæ præmissæ significant, Pastoris, ignavo & imbelli pecori frustra animum addere conantis adversùs Lupos; sicut & Cervo, adversùs latratum & olfactum canum. Vt enim timidis incassùm labores cor addere; sic & perversis auferre malam voluntatem; furacibus, nocendi pruriginem; seditiosis, rixandi ardorem, tam facile fuerit, quàm Vrticæ, ne tangentes pungat; Rubo, ne laceret & cruentet; Gallis, ne prælientur. Quia impossibile est, aut perdifficile, Naturam mutare.

IMPOSSIBILE EST NATVRAM MVTARE.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVANTA sit vis Naturæ in utrumque, bonum vel malum, patuit in ipsis Mundi primordiis; in Caino & Abele, in Isaac & Ismaële, in Esaû & Iacob.

In Caino & Abele, germanis fratribus, videntur eadem principia, tam diversa ingenia, ut Primogenitus ille è vitiata per peccatum origine, videatur in se totam parentum collegisse, & traxisse malitiam; secundus, prioris status innocentiam & sanctitatem. Cain enim agricola patris infortunati sudores, & matris genium ingeniumque sortitus, totum se curis terræ colendæ versandæque implicuit: Abel vitam pastoris simplicem, quietam, innocuam egit. Vterque de suis omnipotenti Deo munera libat, successu tam dispari, quàm vita. Sacrificium Abelis, Cœlo inflammante, respicitur; Caini, despicitur. Inde animus illius piè in Deum assurgit; istius decidit, & frons livore & ira tabescit. Ad quem Deus: *Quare iratus es, & cur concidit vultus tuus? Nonne si benè egeris, recipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit; sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quasi diceret, Quod corde machinaris in fratrem, non Naturæ, aut necessitatis, sed cordis tui vitium est, motus & appetitus vindictæ, qui sub te est, voluntatis & rationis imperio subjectus. Denique, uterque violenta morte vitam clausit; sed Abel sanctè, ut Martyr; Cainus impiè, ut homicida, fraternum sanguinem proprio luens; fratricidium, parricidio. *Gen. 4.*

Abraham nascuntur duo filij: primus ordine Naturæ, ex Agar ancillâ Ægyptia, nomine Ismaël: secundus, ex Sara uxore, nomine Isaac. Quid de primo cœleste Oraculum? *Hic erit homo ferus; manus ejus contra omnes, manus omnium contra eum.* Filius legitimæ vocatur *Isaac*, id est, *risus*; quia totus amor, totus amabilis; quia parentum, vicinorum, omnium, spes, amor, exultatio, risus, nascebatur. Simul educantur; sed quàm diversis moribus, actibus, studiis! Ismaël petulans, talem domi ludum ludit cum Isaac legitimo, ut Sara non ferat, & cogatur ancillam, & filium è domo ejicere. Adolescunt ambo; Isaac, Dei cultui & contemplationi deditus; Ismaël, ferox, durus, venationi. *Gen. 16.*

Digitized by Google

Isaac, viro tam sancto & amabili, nascuntur duo filij ex eadem matre, una fœtura, uno partu, uno concubitu: quod notat Apostolus. Sed quàm ore, more, amore, dissimiles! Iam in utero clausi luctantur, contendunt, præliantur. Egreditur Esaü primogenitus, rufus, pilosus, totus in morem feræ hispidus. Sequitur secundò genitus, plantam fratris manu tenens, & quasi invidens ortus prærogativam: propterea vocatur *Iacob*, id est, *supplantator*, re vera fratrem supplantaturus in paterna benedictione, in primogenitura, in promissione divina. Ille, natura ferox, moribus ferocior, arte venator, matrimoniis, parentibus inobediens, meretur audire apud S. Apostolum: *Fornicator, profanus, impœnitens.* Sic vitam clausit.

Gen. 25

Iacob verò lenis, pastoritià clarus, erga Deum pius, erga parentes obsequens, conjugiis illustris, nomine Israelis decoratus, grandi progenie ampliatus, duodecim tribuum pater, *dilectus Deo & hominibus*; uno verbo omnia, Avus Messiæ. Vt discas, unis, quàm difficile fuerit exuere Naturam; aliis, Gratiam.

Sed enim his fratrum paribus seu copulis, duo genera hominum præfigurantur; bonorum & malorum, electorum ac reproborum; quorũ natura eadem, ortus communis, sors contraria, vita dissimilis, finis seu exitus longe dissimillimus.

Hi enim sunt duo populi, duæ gentes, quas mater Rebecca, Ecclesia, simul in utero, gravida & prægnans, tam fœtu laborioso pertulit, quàm periculoso partu in lucem effudit; ut penè concepisse pœniteat. *Si sic mihi*, inquit, *futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Sic autem ad eam Divinum responsum: *Duæ gentes sunt in ventre tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori.*

Gen. 25

Grande Oraculum! altissimum mysterium! propter quod exclamet Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Grande, inquam, Oraculum, quod sortem Ecclesiæ, quantacunque tempora decursura est, revolvit ac comprehendit, perpetuum scilicet vitæ & morum, electos inter & reprobos, ab utero usque ad tumulum discrimen, rixam & dissonantiam, his verbis: *Duo populi ex ventre tuo dividentur.* Cùm verò addit, *Populus populum superabit, & major serviet minori*, quid aliud innuit, quàm virtutem, patientiam, laborem, electorum? qui quantò magis in sæculo ab reprobis opprimentur, tantò apud Deum superiores erunt, benedictione, gratià, hæreditate donati. Sic major serviet minori, opprimendo, exercendo, coronando. Cæterùm cum tanta utrinque immobilitate consiliorum & voluntatum, ut illi à malignando & persequendo nunquam convertantur, aut desistant; nec isti patiendo deficiant.

Ad Rom. 11

Hi duo populi & duæ gentes in Esaü & Iacob ad literam præfigurati, sunt populus Iudaicus & Gentilis; ille quanquam nativitatis & primogenituræ prærogativa major, rufus, quia " Prophetarum, & Christi sanguine pollutus „ ut inquit Glossa, totus in morem pellis hispidus, id est, carnalis, à primogenitura, & promissione paterna excluditur: hic veri Dei ignoratione, & Idolorum cultu, minor, in locum fratris intruditur, & primogeniturà potitur. Quare? *Quia miserebor cujus miserebor*, dicit Dominus, *& misericordiam præstabo, cujus miserebor.* Item, quia *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Item, quia *cujus vult, miseretur; & quem vult, indurat.* Sic *Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, quæ ex fide est.*

Rom. 9.

Digitized by Google

Israël verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? *Quia non ex fide, sed quasi ex operibus?* Et ita exciderunt.

Duo hi populi & gentes, duo Reges sint alienigenæ; Nabuchodonosor, qui pœnitens, & Dei servus ac cultor tandem evasit; & Pharao, qui toties monitus & percussus non resipuit. " Nabuchodonosor, inquit S. Augustinus, nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum, quod perdiderat, rursùs accepit? Pharao autem ipsis in flagellis durior effectus est, & periit? Hic mihi rationem reddat, qui divinum consilium nimiùm altè sapientique corde dijudicat, cur medicamentum unius Medici manu acceptum, alij ad interitum, alij valuerit ad salutem? nisi quia Christi bonus odor aliis est odor vitæ in vitam, aliis est odor mortis in mortem? Quantùm ad Naturam, ambo homines erant; quantùm ad dignitatem, ambo Reges; quantùm ad causam, ambo captivum Dei populum possidebant; quantùm ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quòd unus Dei manum sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordissimam veritatẽ pugnavit arbitrio.„ Sic S. Doctor.

23. q. 4. can. Nabuchod.

Duo hi populi, sint duo primi Reges Israël, Saül & David; ambo nullis clari natalitiis, è minimis tribubus ad solium & thronum regni singulari Dei munere evecti; ambo militari gloriâ, & victoriis cœlitùs concessis insignes redditi; ambo multarum insignia virtutum, quibus effloruerant, maculantes, graviter peccaverunt; ambo ex parte Dei admoniti sunt, correpti, flagellati: sed David objurgatus, peccatum statim agnovit, flevit, ingemuit, & veniam meruit: Saül culpam non modò non confessus est; sed accusatus, pertinaciter defendit; flagellatus, non sensit; convictus & derelictus à Domino, non indoluit; reprobatus, induruit; & sic Deo hominibusque invisus regnum & vitam finivit. Quis ad hæc non exclamet cum Apostolo? *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ illius!*

Sed quonam terrarum abducti sumus? aut quæ me aura in portum reducet?

amphora cœpit
Institui, currente rota, cur urceus exit?

Nunquid dememini me probaturum initio, impossibile esse Naturam mutare? & nunc fraternorum occasione discriminum, in scopulos prædestinationis ac reprobationis incidimus. Ita est, nec tamen omnino à scopo aberravimus, cùm hanc esse probetur Naturam, sortem conditionemque electorum & reproborum, ut mutari nequeat; utrorumque similis nativitas, eadem principia, dissimillimus exitus.

Sap. 7.

De utrisque ait Scriptura secundùm nativitatem, ortum, Naturam: *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, &c. Et ego accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi, plorans. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam.*

Isaiæ 64

Secundùm opera, justitiam, propria merita. *Facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ, & cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

Ioan. 10

De primis secundùm sortem? *Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non rapiet eas quisquã de manu mea.*

De utrisque secundùm vitam & mores? *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Digitized by Google

Omnis arbor bona, bonos fructus facit: mala autem arbor, malos fructus facit.

De secundis secundùm sortem? *Considera opera Dei, quòd nemo potest corrigere, quem ille despexit.* Eccl. 7.

De primis, seu Electis, Ioannes pronunciat: *Omnis qui in Deo manet, non peccat.* Item: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare. Generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum.* Ioan. can 3. cap. 5.

De secundis, seu Reprobis: *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.* Itẽ: *Qui facit peccatũ, ex Diabolo est; quoniã ab initio Diabolus peccat.* Ioan. 8.

Denique de primis, id est, Electis, secundùm finem vitæ, seu exitum: *Pretiosa in conspectu Domini Mors Sanctorum ejus.*

De Reprobis: *Mors peccatorum pessima.* Sic manet, Naturam, sortem, conditionem cujusque non posse mutari.

TITVLVS XVII.

DE MVNDO.

FABVLA.

Viatores.

VIATORES quidam ad crepidinem maris, in Aprico iter facientes, secesserant in speluncam ab itinere tantisper dissitam, solis æstus declinandi, & animi recreandi causa; unde mare ex illa umbra contemplantes, viderunt immane quoddam undis ac fluctibus jactatum supernatare, ac vento flante sibi accedere; rati primo aspectu esse navem, post aliquantulum iterum oculos ad mare conjicientes, jam non navis, sed instar exiguæ scaphæ videbatur; demum ubi propius ad eos accessit, & diligentius ipsi prospectarunt, cognoverunt nil aliud esse, nisi fasces spinarum, & stirpium à fluctibus, huc forte impulsos, tunc alter alteri dicere, ô cæcos nos quibus longe & in umbra positis, res tam parvi momenti, pro magna apparuit. Frequens error mortalium, his mundi in tenebris inambulantium.

De terra & montibus parituris.

TErra gravida & pragnãti similis (alij dicunt, montes) videbatur in utero habere, & brevi paritura. Expectabant pavidi mortales ab illo partu quid magnum ac portentosum: Gigantes scilicet Tiphæis, Enceladis, Centimanis, aut Briareis, longe immaniores, aut montes erupturos, si quando terra vulvam aperiret, aperta est tandem aliquando, & ab vastissimo hiatu prodiit ridiculus mus. Sæpe magna expectatio, fit fabula & risus hominum.

Digitized by Google

Vulpes & Tintinnabulum.

VUlpes juxta flumen habebat cavum suum, propter arborem, è cujus ramo pendebat Tintinnabulum, quod cum ventus agitaret, loca circum vicina sono resonabant, quo, mirum quantum Vulpes terrebatur, ignorans cujus ea vox esset animalis, & qualitate vocis, immane reputabat, quousque propius accedens, & videns vas esse inane, & vacuum, vitæ ac virium expers, cœpit incusare sese, ac dicere; heu nos miseros mortales & ignaros, ut sæpius vana opinione, aut rumore fallimur; putabam à voce monstrum aliquod immane, & erat cymbalum inane.

Leo & Rana.

PRopter stagnum Leo inambulans, coaxantium Ranarum cantibus, ac vocibus auditis, obstupescebat, existimans tanti rumoris vocem esse cujusdam animalis perampli, jamque jubas arrigebat, & cauda latera in iram percutiebat, quodcumque animal esset, expugnaturus, cum propius accedens ad oram stagni, videt Ranam coaxantem, sub se moveri, quam pede calcavit, & attrivit pudore suffusus, sibi tam exile & fœdum animalculum fuisse terrori. Quo docemur plerumque rerum inanium vano timore homines deterreri, quæ si nossent, flocci facerent.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

IN HOC MUNDO, UT IN TENEBRIS, RES ALIUD SUNT, ALIUD APPARENT.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

ITA est in hoc mari magno insanis fluctibus, procellis, naufragiis, famoso, nisi tenebræ essent, & res aliud quàm sunt, apparerent, non accenderet Diogenes in ipsa meridiana luce lucernam, medio in foro, ac conventu hominum, hominem quærens, hominem non inveniens. Nec in confertissima turba stans, clamansque audiretur: *Adeste homines, adeste homines*, concionem ad eos, si reperisset, habiturus. Et cùm multa millia ad eum accederent, & ille identidem acclamaret, *Adeste homines*; dicerentque, *En adsumus*; ille baculo eos abigens non diceret: *Homines adesse jussi, non sterquilinia.* Intellexit scilicet homo Philosophus, indignos esse honore, & cognomine hominum, qui larvæ & umbræ hominum sint; qui bru-

Digitized by Google

torum more, magis ad sensum quàm ad rationem viverent, licet facie tenus homines putarentur.

Convenit huic proposito illud Senecæ, politioris sapientiæ, & magis ad captum nostrum accommodatæ, professoris, amico suo Lucilio scribentis. *Harpasten, inquit, uxoris meæ fatuam scis hæreditarium onus in domo mea remansisse; hæc fatua subitò desiit videre. Incredibilem tibi narro historiam, sed veram. Nescit se esse cœcam: pedagogum suum rogat, ut migret, ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo se avarum intelligit, nemo cupidum; cœci tamen, ducem quærunt; nos sine duce erramus, & dicimus: Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest vivere. Non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas expensas exigit. Non est meum vitium, quòd iracundus sum, quòd nondum constitui certum genus vitæ. Adolescentia hoc facit. Quid nos decipimus? Non est extrinsecùs malum nostrum, intra nos est, in visceribus ipsis sedet, & ideò difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus.* Hæc ille,

Seneca, Epist. 50.

Perquàm verè, lepido domesticæ fatuæ exemplo, ludicras hominum excusationes, easque perpetuas subjiciens, meridiana in luce ad oculos & nauseam omnium, cæcutientium, qui cùm in gravissimos judicij ac morum errores impingant, ipsi fatui & deliri, amicis, ut sapiant ac resipiscant, monentibus, persuadere conantur, alios omnes, præter se, decipi, errare, desipere; aut si errant & peccant, ita se probro mali actûs exonerant, ut in loca, occasiones & personas, culpam infamiamque refundant.

In hoc argumento præclaris abundat Seneca documentis, ut falsæ opinionis aut lenocinia expungat, aut terriculamenta avertat; carpens commune vitium & cœcitatem mortalium, umbraticis aspectibus & opinionibus cuncta metiri, rerum specie illudi, omnia denique non eo quo in se sunt, sed quo videntur, & apparent extrinsecùs, odio aut amore prosequi.

Quo in genere contra vanum mortis timorem, hujusmodi consilio munit Lucilium suum: *Mihi crede, Lucili, adeò mors timenda non est, ut beneficio ejus nihil anteferendum sit.* Qua autem ratione id probaturus insistat, juvat maximè ad propositum nostrum perpendere. *Illud ante omnia memento demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re sit; scies nihil esse in istis terribile, nisi ipsum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque majusculis pueris evenit: illi quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt. Non hominibus tantùm, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. Quid mihi gladios & ignes ostendis, & turbam carnificum circa te frementium? Tolle istam pompam, sub qua latet; mors est, quam nuper servus meus, quam ancilla contempsit.*

Epist. 24.

Vides ut quæ putamus vitæ mala, personata sunt, & aliud quàm quod apparent. Quo in genere maximè Mors est, de qua ut sanè judicium feras, larva demenda est, ut horror abscedat.

Idem dic de iis quæ vulgi opinio inter bona vitæ annumerat: Etiam personata sunt, & vano fulgore illudunt.

Hoc Moralis Philosophiæ Antesignanus noster præclarè docet, introducens Attalum quemdam dicentem: *Diu mihi imposuere divitiæ. Stupebam, ubi aliquid ex illis alio, atque alio loco fulserat. Existimabam similia esse quæ laterent, ijs quæ ostenderentur: sed in quodam apparatu vidi totas opes urbis, cælatas ex auro & argento, & his quæ pretium auri argentique vicerunt, exquisitos colores,*

Epist. 110.

Digitized by Google

& vestes ultra non tantùm nostrum, sed ultra finem hostium advectas: hinc puerorum perspicuos cultu & formâ greges, hinc fœminarum, & alia, quæ summi Imperij fortuna protulerat. Quid sibi vult ista pecuniæ pompa? Vidistine quàm intra paucas horas ordo ille, quamvis lentus dispositusque, transierit? Tam supervacua mihi visa sunt habentibus, quàm fuerant spectantibus. Hoc itaque ipsi mihi dico, quoties tale aliquid perstrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus: Quid miraris? quid stupes? pompa est: ostenduntur istæ res, non possidentur; & dum placent, transeunt. Ad veras potiùs te converte divitias. Turpe est beatam vitam in auro & argento reponere. Quæso, poteftne quid dici de contemptu fallacium divitiarum Christianius?

Sed quàm sapienter, eodemque tenore, de altera specie humanæ ambitionis, de fulgore scilicet & fastu dignitatum, loquatur, patet ex verbis sequentibus. *Nemo ex istis*, inquit, *quos purpuratos vides, fœlix est, non magis quàm ex illis, quibus sceptrum & chlamidem in Scena fabulæ assignant. Cùm præsente populo elati incesserunt, cothurnati simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nemo istorum, quos divitiæ honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Cum basi illum sua metiris. Parvus pumilio, licet in monte constiterit, Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur: quod neminem æstimamus eo quod est, sed adjicimus illi, & ea quibus adornatus est. Atqui cùm voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice, ponat patrimonium, honores, & alia fortunæ mendacia; corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis quantusque sit, alieno, an suo magnus.* Magna certè, & digna tanto viro sententia, & ad rem nostram accommodatissima, quæ communem errorem hominum, quo laborant, prodit, rerum imagine ac vana opinione deceptorum. Non secùs ac illi de fabula Viatores, qui in littore maris constituti stupebant, videntes à longè molem aliquam grandem, undis fluctuantem, quasi pondus exoneratæ præ tempestate navis; ad quæ cùm arrecti inhiarent, putantes se reperturos pretiosas merces, quò magis accedebat, minor videbatur: ubi propiùs videri potuit, nil præter despumati maris sordes invenerunt, quas, & se delusi erubescerent. Talis est omnis pompa mundanæ fœlicitatis: eminùs conspecta, fallit; propiùs, falsos erudit.

Epist. 76

Eodem modo differit de apparenti fœlicitate, & cute tenus hilaritate magnatum, quos Mundus beatos fœlicesque ex omni parte æstimat: *Horum*, inquit, *qui fœlices vocantur, hilaritas ficta est, & suppurata tristitia, & quidem gravior, quia interdum non licet palam esse miseros; sed inter ærumnas cor exedunt, necesse est agere fœlicem, &c. Idem de omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit. Omnium istorum personata fœlicitas est. Contemnes illos, si despoliaveris. Equum empturus solvi jubes stratum, detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant, hominem involutum æstimas?* Aurea sententia, quæ ruborem Christianis excutiat.

Idem dicas de voluptatibus corporis, quarum *appetentia plena est anxietatis*, ut ait Boëtius, *satietas verò, pœnitentiæ*: quod tam prosâ, quàm metro, eleganter ait:

L. 3. prof. 7. Metr. 7

Habet omnis hoc voluptas
Stimulis agit fruentes;
Apumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Et

Digitized by Google

Et paulò post, sic in pœnam flagitiosæ fluxarum rerum appetentiæ imprecatur: *Metro 8*

Eheu! quàm miseros tramite devio
Abducit ignorantia, &c.
Sed quoniam latebat quod cupiunt bonum
Nescire cœci sustinent,
Et quod stelliferum trans abiit polum,
Tellure demersi petunt.
Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
Opes, honores, ambiant;
Et cùm falsa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoscant bona.

Noverat fallacem vitæ & fluxarum rerum nitorem, experimento, & deflebat Theseus, licet in persona immerentis filij, cùm diceret: *Senec. in Hyppol. Actu 3*

ô vita fallax! abditos sensus geris,
Animisque pulchram turpibus faciem induis;
Pudor, impudentem celat; audacem, quies;
Pietas, nefandum; vera fallaces probant;
Simulantque molles dura.

Non mihi tempero, quin judicium cujusdam Sotadis referam de Mundo, ut qualis sit erga suos amatores, quisque videat. *Mundus*, inquit, *cùm omnia producat & generet, non justè de singulis hominibus judicat. In terra namque mala semper sunt, & magnis malis gaudet Mundus. Omnes enim qui aliquid egregium invenire voluerunt, sive mechanicum opus, sive disciplinam sapientem, in malum mortis finem inciderunt, à genitore Mundo malè affecti. Socratem Mundus sapientem fecit, ac eumdem in carcere malè sustulit; Cicutâ enim epotâ mortuus est. Diogenes cùm devorasset crudum Polypum, obijt*, &c. Addit, *unumquemque bonum, ingeniosum, justum, fortunatum, invidiæ portionem aliquam capere oportet, & reprehensionem incurrere. Prædives est quispiam, aliquo laborat affectu. Bonus est artifex, Mundus ipsum reddit infortunatum. Et si vel maximè justus Iudex aliquis fuerit, oportet tamen ipsum à Natura superatum appellari injustum. Dives est, magnam ruinam metuit. Robustus, morbum experiri timet. VNIVS CERTE DIEI INDOLENTIA, MAGNVM LVCRVM EST. Quid enim, obsecro, sumus tandem? aut ex qua materia nati? Conjecturam ex teipso fac, & vitam tuam considera, unde natus, quisnam sis, & quis futurus denuò?* Egregia sententia, qua Lectorem fraudare nolui. *Ap. Stob. Ser. 96*

Ex qua, & præcedentibus, colligere est, Mundi spes, & egregias promissiones, quibus suos lactat amatores, mera esse insomnia, & fabulamenta; sicut cùm Terra prægnans, & Montes dicebantur parituri, quid grande expectabatur, natus est ridiculus Mus.

Idem non amplius, ex illo strepitu & tumultu ingenti prosperitatis Mundanæ, & terrenæ celsitudinis expectes, cùm eminus auditur, excurrit, circumsonat, obstupescis; cominus, ut Vulpes tintinnabulum, corpus vacuum & inane probas, vocem, & ventum, & aërem percussum. Vel ut Leo, Ranam clamosam & grandiloquam, fœdum & putidum animal.

Digitized by Google

IN HOC MVNDO RES ALIVD SVNT, ALIVD APPARENT.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

CÆCITAS mentis quæ nos hîc mortales sæpiùs vexat & tenet, operatur in anima quatuor effectus, quos in corpore, privatio lucis. Primus est, videre eodem tempore,& non videre. Secundus, unum pro alio accipere. Tertius, in periculo ac discrimine grandi versari, & minimè advertere. Quartò denique, veritatem pro umbra ac phantasmate æstimare. Ex quibus veritas propositionis præmissæ confirmatur,In hoc mundo res aliud sunt,aliud apparent. Illudunt nobis. Probant hoc exempla Scripturæ.

Peregrini illi, à Deo missi in forma speciosorum juvenum, re vera Angeli, Sodomam ingressi, urbem & cives igne cœlesti combusturi, *priùs percusserunt eos cæcitate à minimo usque ad maximum*, dicit sacer Textus, & tali cœcitate, ut viderent,nec ostium domûs Loth invenire possent.Mira Divinæ Iustitiæ dispositio. Nam, ut notat ibi Glossa,non erat plena cœcitas,sed in parte, quam Græca translatio ἀορασίαν vocat, quasi diceres, avidentiam aut non videntiam; qua fiebat, ut viderent cætera omnia, urbem, compita, ædes, domum ipsam Loth, seipsos, ostium tamen domûs Loth non viderent, non adverterent, non invenirent.

Gen. 19.

Glossa

Primus mundanæ cœcitatis effectus, quem videre est in plerisque hominibus sæculi,qui Idolis Gentium in parte similes,*oculos habent ut videant, & non vident*; *aures habent, & non audiunt*, &c. Extra perspicaces, intus caligantes; oculatissimi in ludicris, & reculis, in seriis cœci; in terrenis Aquilæ, & Lynces, in spiritualibus Talpæ; honoribus, lucris,deliciis venandis expiscandisque, flamma & ignis; in rebus salutis suæ socordes & segnes: semper inhiant, anhelant, quærunt; *nunquam ad scientiam veritatis*, ut loquitur Apostolus, *pervenientes*. Vident, & non vident: vident vana, somnia, mendacia; non vident unum, nec tendunt ad unum, unum illud, de quo Dominus:*Porrò unum est necessarium*. Vident, inquam, vana,& mendacia in creatis; & in iis non vident Creatorem. O cœci! Quia si specie delectantur, *quantò his Dominator eorum speciosior est? speciei enim Generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Etenim cùm in operibus illius conversentur, inquirunt, & persuasum habent, quoniam bona sunt quæ videntur; quibus non debet ignosci, Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum,quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt? infœlices sunt, & inter mortuos spes illorum est.* Hæc Sapiens congruentissimè proposito nostro.

Sap. 13

Vbi subit mentem considerare, & obstupescere, quantis se Divina Iustitia humanæ nequitiæ modis opponat, iniquissimam sæpiùs peccatori, quia sua est, relinquendo libertatem ac voluntatem; & peccandi, quod

Digitized by Google

sui juris est, ligando & impediendo potestatem: licet illis esse malis; sed non licet illis, quidquid mali vellent, perpetrare.

Quod in Sodomitis illis haud obscurè elucet, qui omnes ejusdem flagitij ardore exæstuantes, cùm putarent in duos juvenes infinita multitudo, intra mœnia receptos, in domum Loth conclusos, posse irrumpere, locum obsident, domum vident, circumeunt, concursant; sed qua parte intrare, ingredi, flagitium perpetrare, quasi cœci, oculis capti, non vident. Ita *in circuitu impij ambulant*, & veluti vertigine laborantes, in orbem cursitant, malum quod corde agitant, opere consummare nequicquā valentes.

Hanc pœnam gravissimam minitatur Dominus sæpissimè apud Prophetas. *Audite*, inquit Isaias, *audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi ejus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat.* Cujus pœnæ, ut dixi gravissimæ, hæc ratio est; quia cùm suo tempore audire, & videre, & intelligere noluerunt, alio velint, et iam non possint. Isaiæ 6

Qua ergo dicemus hujusmodi flagitiosos plaga percussos, nisi Sodomitarum instar, ἀορασία laborare?

Quales erant illi Nazarethani apud Lucam, qui cùm mansuetissimis Domini monitis quasi tygres rabie insanirent, *insurrexerunt in eum*, inquit, *& ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorū erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Hîc rogo, quis magis miretur Domini nostri mansuetudinem, aut potentiam? permittentis se capi, tractari, duci ab ingratissimis concivibus suis usque ad præcipitij locum. *Sed qui dixit mari, Usque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos, posuit etiam terminos malæ voluntati peccatorū.* Nazarethani Christum usque ad locum præcipitij ducere potuerunt, quia se eorum voluntati permisit; præcipitare non potuerunt, quia se eorum potestati subtraxit. Et quomodo subtraxit? ipsis scilicet videntibus, & non videntibus. *Ipse enim transiens*, inquit Evangelista, *per medium illorum ibat.* Tam facilè exivit ex eorum manibus, quàm facilè iis se permisit. Cap. 4 Iob. 38

Secundus error mortalium à tenebris sæculi procedens, adumbratur in eo quod contigit Iacob, qui septem annis ex pacto elapsis, pro pulchræ Rachelis, quam deperibat, conjugio, ratus prima nocte nuptiarum, optatis dilectæ potiri amplexibus, mane facto agnovit se fuisse illusum; Liam pro Rachele, lippam pro pulchra, non dilectam pro dilecta, amplexatum esse. Error noctis est, & fortè tantillùm mero incaluisse, è convivio nuptiali (citra tamen ebrietatē, in tam sancto Patriarcha.) Quo successu, heu! nimis frequens Mundanorum notatur illusio, quorum mentes de amore sæculi ebriæ, aut de dapibus & ferculis voluptatum saturæ, aut de vanitate & ambitione temporalis gloriæ cœcæ, Liam, pro Rachele; lippam, pro pulchra; umbratica, pro veris; fluxa, pro certis; transitura, pro æternis sectantur, amplexanturque, nunquam fortè ad se redituræ, nec errorem suum cognituræ, nisi nocte sæculi ac vitæ hujus transacta, & facto mane æternitatis; cùm tempus non erit ampliùs. Quos enim mihi dabis, de hominibus, præsertim negotiis sæculi implexis, quibus in rei veritate non idem contingat, quod Apostolis, absente Domino, & de nocte in mari piscationi operam navantibus, liceatque idem dicere: *Præceptor, per totam noctem laborantes nil cepimus.* Tota vita nostra in hoc sæculi mari, & nocte laboravimus, fatigati sumus, sudavimus, & nil prendimus. Vacui fructus, Lucæ 5.

Digitized by Google

& meriti, & gratiæ; incassùm laboravimus, illis similes, quibus Isaias exprobrat: *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in Regulum. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.*

Isai. 59.

Tertius error versantium in tenebris manifestatur in eo, quod fecit Elisæus Propheta militibus exercitûs Regis Syriæ, quos cœcitate percussit, ipsis non scientibus aut cognoscentibus; ita ut cùm ex parte & jussu Regis venissent, ut Prophetam comprehenderent, & vinctum ad Regem Syriæ ducerent, ipsi à Propheta comprehensi, & quasi spiritualibus ac invisibilibus cœcitatis vinculis ligati, in Samariam, inter manus Regis Israël inimici sui, ducerentur. Glossa vocat hanc cœcitatem, ἀκρισίαν, q. d. sine judicio, oculis apertis ultrò ducebantur non reluctantes, nec advertentes periculum suum. O vitium sæculi, & hominum sæcularium, qui incauti mediis in periculis, impavidi inter hostes suos, hebetes in propriis malis, in doloribus apathi & insensibiles, inter tot vitæ, salutis, hostium, discrimina, insidias, pericula, casus, nihil advertunt, vident, curant; & intereà ludunt, vagantur, currunt, quò eos suus error impellit; similes impiæ juxta ac infœlicissimæ Reginæ Iezabel, quæ in eodem temporis articulo, quo Iehu evectus ad regnum eam quærebat ut occideret, illa cœpit discriminare crines capitis, & faciem pigmentis illinere, dicente Scriptura: *Porrò Iezabel, introitu Iehu audito, depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput suum, & respexit per fenestram*, scilicet ut oculorum & faciei blandimentis ac lenociniis in amore eum traheret. Sed ille ut eam prospexit; *præcipitate*, ait servis suis, *eam deorsùm*, &c. Sic impiis mors inopinata & improvisa advenit.

4. Reg. 9.

Denique quartus error à tenebris & privatione lucis, graphicè depingitur in Apostolis, qui cùm supra mare vento contrario difficulter remigarent, nec progredi ulteriùs possent, venientem ad se amantissimum Dominum suum, super undas & fluctus ambulantem, pro phantasmate habuerunt: *putaverunt Phantasma esse, & exclamaverunt, & conturbati sunt.* O nimis crebrum errorē, etiam eorum qui in via spiritꝰ & ambulare, & profecisse putant, turbari & expavescere sine causa, ad primam umbraticæ opinionis speciem: denique quot & quanti Christum pro phantasmate, & phantasma pro Christo sumunt, sequuntur devotionis larvam; pietatis speciem, non veritatem; & de se, & suis operibus præsumentes, Christi gratiam abnegant & evacuant.

Marci 6

Digitized by Google

TITVLVS XVIII.

DE MVNDO.

FABVLA.

De Talpa Matre & Filio.

TALPA animal cæcitatis perpetuæ tenebris altè defossum, & quasi in terra sepultum, dicebat aliquando matri suæ; Mater ingentem odorem sentio: aliquanto post, magnam fornacem accensam video; tertiò iterum ad eam, audio fabrorum ictus malleorumque incudes fortiter tundentium. Cui mater subridens, respondit, heu! fili mi, ut video, tam odoratu & auditu capta es, quam oculis & visu; nec plus audis, aut sentis, quam vides. Quantos hujuscemodi cæcos, ut talpas, & surdos, & veri odoratus expertes, sæculum habet!

Talpa & Mus.

TAlpam cæcum animal oculorum omnino expers, aut si habet, habet membrana quadam insidente obstructos, ut nil videat, ferunt aliquando gloriatum adversus Murem de præstantia oculorum & visus. Cui Mus egregios sanè oculos habes, sed unde videas, non habes. Notans cæcitatem mentis, plerumque graviorem multorum, qui cæci cum sint, acutius aliis videre se jactant, & putant.

Mens Fabulæ, seu Morale.

TENEBRÆ SÆCVLARES,

SEV ÆGYPTIÆ.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVi res humanas seriò fuerit contemplatus, & viderit studia ac mores hominum, modum vivendi sine modo, quem quisque sequitur; hic palam addictus uni vitio, alter alteri, multi, omnibus; optaret verosimiliter votis Appij Claudij senis, viri inter Romanos ac Patricios clarissimi; cui cùm renunciatum esset, tractari in Senatu de pace cum

Pyrrho Epirotarum Rege ineunda, post ingentem victoriam ab eo in Rempublicam reportatam, & jam fermè de conditionibus convenisse, parum Romani nominis gloriæ honestis; id impotenter ferens, grandævus licet, ob ætatem & cœcitatem dudum cœtibus abstinens, lectica in Senatum deferri voluit, ubi in medio Patrum positus, hæc verba dicitur habuisse: *Dolebam ante hunc diem, P. C. cœcitatem meam, & tacitus lugebam charæ hujus lucis privationem: sed cùm hoc tempore audio fœda & probrosa pacis, quam inire vultis, consilia, tædet me jam non tam cœcitatis meæ, quàm huic incommodo non accessisse surditatem, ut tam ignominiosa fœdera, nec oculis, nec auribus, perciperem.* Qua cohortatione Senatum ad frugem ac mentem revocavit, simulque pacis tractationem omnem abrupit.

Plutarc.

Consimili, sed majoris momenti, de causa duo Philosophi, olim res humanas & varios vitæ errores suo quisque genio, ac marte metientes, alter risu perpetuo, cachinnisque, stultitiam hominum exsibilabat, scilicet Democritus; alter perennibus lachrimis, oculisque perpetuo fonte manantibus deplangebat, nomine Heraclitus. Vtriusque ingenium præclaro Emblemate expressit Alciatus:

Laert. de vit. Philos.

Plus solito humanæ nunc defle incommoda vitæ,
Heraclite, scatet pluribus illa malis.
Tu rursùs, si quando aliàs, extolle cachinnum,
Democrite; illa magis ludicra facta fuit.
Intereà hoc cernens meditor, qua denique tecum
Fine fleam, aut tecum quomodo splenè jocer.

Emblem. 151.

Quod ex Iuvenale videtur imitatus:

Sat. 10.

Iamne igitur laudas, quòd de sapientibus alter
Ridebat, quoties à limine moverat unum
Protuleratque pedem; flebat contrarius alter.
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni
Mirandum est unde illi oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus.

Vter sapientior, aut ineptior? nostri Senecæ judicio permittamus, sic libro de tranquillitate utriusque mores comparantis: *Nihil*, inquit, *prodest privatæ tristitiæ causas abjecisse. Occupat enim nonnunquam odium generis humani, & occurrit tot scelerum fœlicium turba, cùm cogitaveris, quàm sit rara integritas, quàm ignota innocentia, ut vix unquam, nisi cùm expedit, fides, & libidinis lucra, damnaque pariter invisa, & ambitio usque eò jam se suis non continens terminis, ut per turpitudinem splendeat. Agitur animus in noctem, & velut eversis virtutibus, quas nec sperare licet, nec habere prodest, tenebræ oboriuntur. In hoc itaque flectendi sumus, ut omnia vulgi vitia non invisa nobis, sed ridicula videantur, & Democritum potiùs imitemur, quàm Heraclitum.*

Sen. l. de tranquil.

Idem de iisdem verba faciens: *Hic*, inquit, scilicet Heraclitus, *quoties prodierat, & tantum circa se malè viventium, imò malè pereuntium viderat, flebat; miserebatur omnium qui sibi læti fœlicesque occurrebant, miti animo, sed nimis imbecillo, & ipse inter deplorandos erat. Democritum contra aiunt, nunquam sine risu in publico fuisse: adeò nihil illi videbatur serium, eorum quæ seriò gerebantur. Vbi istic iræ locus est? aut ridenda omnia, aut flenda sunt. Non irascetur sapiens peccantibus. Quare? Quia scit neminem nasci sapientem, sed fieri. Scit paucissimos omni ævo sapientes evadere; quia conditionem humanæ vitæ perspectam habet. Nemo*

Idem l. 2. de ira.

Digitized by Google

autem Naturæ sanius irascitur. Quid enim si mirari velit non in sylvestribus dumis poma pendere? Quid si miretur spineta, sentesque non utili aliqua fruge compleri? Nemo irascitur, ubi vitium Natura defendit. Placidus itaque sapiens, & æquus, erroribus non hostis, sed corrector peccantium hoc quotidiè procedit animo. Multi mihi occurrent vino dediti, multi libidinosi, multi ingrati, multi avari, multi furijs ambitionis agitati; omnia ista aspiciet tam propitius, quàm ægros suos Medicus, &c. Hæc ille. Quibus in locis vides eum tenebrosas vitiorum sæculi sui voragines deplorantem, aut (quia ipsi sapienti lugere non licet) ridentem; vides noctem profundissimam & tenebras sui ævi incusantem, quæ ego initio nuncupavi tenebras sęculares, seu Ægyptias; quo nomine intelligo summa scelera, monstra quædam ac portenta propudiosa vitiorum, quæ humanæ depravationis ac consuetudinis captum, moresque prætergrediuntur.

Quis enim mihi dicat, utrùm lachrimis aut risu dignior fuerit C. Caligulæ impietas, eò stultitiæ procedentis, ut quia adulantium vocibus quid majus Regum fastidio diceretur, se Deum illicò crederet, & Iovis Olympiaci, aliorumque simulachris, quos è Græcia curiosissimè curabat afferri, detractis capitibus, suum imponeret; & in æde Castoris & Pollucis medius hos inter Deos videri, & adorari placeret, & Latialis Iovis nomine consalutari; templum suo nomini & Numini proprium, & Sacerdotes, & exquisitissimas hostias institueret; splendentem noctibus Lunam, modò in amplexus & concubitum invitaret, modò interdiu cùm Iove Capitolino, ore ad os admoto, verba conferret, aut vicissim auribus ad aures reciperet.

Sueto. in C. Calig.

Si de iræ excessu quæstio est, quo habitu mentis prosequenda, ac memoranda Syllæ crudelitas, cùm summâ rerum potiretur; *cui*, ut refert Seneca, *occidendi finem fecit inopia hostium*. Quis unquam Tyrannus tam avidè sanguinem bibit, quàm ille, qui septem millia Romanorum contrucidari jussit? Et cùm vicinò ad ædem Bellonæ sedens exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium, exterrito Senatu; *Hoc agamus*, inquit, *P. C. seditiosi pauculi meo jussu occiduntur*. Hoc non est mentitus, pauci Syllæ videbantur, ait Seneca.

Sen. l. 2. de Clementia.

Quale Monstrum libidinis C. Nero (nisi etiam & omnium aliorum vitiorum ex æquo dixerim) qui tentata matre, vitiatis sororibus, mascula & muliebri venere, omnis generis, usus, *puerum Sporum*, ut Suetonij verbis utar, non meis, quæ pudor vetat, *exectis testibus in muliebrem naturam transfigurare conatus, cum dote & flammeo persolenne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se, pro uxore habuit.* Vnde cujusdam non inscitus jocus, *Benè agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater ejus talem uxorem habuisset.*

Suet. in Nerone.

An lugenda aut ridenda M. Crassi avaritia? qui suis rapinis Romanorum ditissimus effectus, sibi adhuc pauper, thesauris Asiæ inhians, expeditioni Parthicæ præfici ambivit: sed infoelici Marte depugnans, cùm à Parthis, profligato exercitu, ipse captus & trucidatus fuisset, caput demortui amputatum est, & aurum liquefactum in os ingestum ab eorum Rege, dicente: *Quoniam aurum sitisti, aurum bibe.* Digna avaritiæ potio.

Plutarc.

Quid de famoso omnium helluonum gurgite maximo, Apicio, de quo ita Seneca: *Qui Romæ scientiam popinæ professus, disciplinâ suâ sæculum infecit; cujus exitum nosse operæ pretium est. Cùm Sestertium millies in Culinam congessisset; cùm tot congiaria Principum, & ingens Capitolij vectigal singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primùm, coactus inspexit; superfuturum sibi Sestertium centies computavit; & velut in ultima fame victurus, si Se-*

l. de consolat. ad Helv.

i. duos milliones scutorum.

i. ducenta millia scuti.

stertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Sestertium centies aliquis exterruit, & quod alij voto expetunt, veneno fugit. Illi verò tam pravæ mentis homini ultima potio saluberrima fuit. Hucusque Seneca. Iam quæro annon & is gulæ monstrum est?

Hæc sunt, ne alia vitiorum portenta prosequar, quæ tenebras voco sæculares, extrema in omnibus scelera, digna æternis lachrimis, aut cachinnis totius generis humani; ob quæ meritò

Sen. epist. 110.

Idem iterum cum Lucretio conquerens dicat: *Talis est animorum nostrorum confusio, qualis Lucretio visa est.*

> *Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cœcis*
> *In tenebris metuunt; ita nos in luce timemus.*

Quid ergo? Non omni puero stultiores sumus, qui in luce timemus? Sed falsum est, Lucreti; non timemus in luce, omnia nobis fecimus tenebras. Nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. Tota vita incursitamus, nec ob hoc resistimus, aut circumspectiùs pedem ponimus. Vides quàm sit furiosa res, in tenebris impetus.

Lucanus, 2. de nat. rerum.

Ita meritò Poëtæ exclament:

> *O miseras hominum mentes! ô pectora cœca!*
> *Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis*
> *Degitur hoc ævi, quodcunque est.*

6. metam.

Et Ovidius:

> *Proh Superi! quantùm mortalia pectora, cœcæ*
> *Noctis habent! ipso sceleris molimine quivis*
> *Creditur esse pius, laudemque à crimine sumit,*

Hor. l. 3. Car. od. 6

Quibus junge Horatium:

> *Fœcunda culpæ sæcula! Nuptias*
> *Primùm inquinavere, & genus, & domos:*
> *Hoc fonte derivata clades,*
> *In patriam populumque fluxit, &c.*
> *Damnosa quid non imminuit dies!*
> *Aetas parentum pejor avis tulit*
> *Nos nequiores, mox daturos*
> *Progeniem vitiosiorem.*

TENEBRÆ SÆCULARES, VEL ÆGYPTIÆ.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTURA.

HUMANÆ cœcitatis tabellam habes vivis coloribus expressam in novo flagello, quo Moises Pharaonem regem Ægypti, Ægyptiosque Dei jussis pervicaces, afflixit ac perculit, triduanis scilicet illis tenebris, quibus terram omnem Ægypti, quacunque se extenderet, stupendo prorsus modo, quasi fortissimo muro circumclusit; tam densis, ut Ægyptiorum nemo, se, aut suos, aut quidquam posset intueri; nec se de loco, ubi nox eum invenerat, movere: tam magnis & inexpugnabilibus, ut

ut mutuati cujuscunque luminis ope suppleri non possent: tam tetris, ut interea foedis imaginibus, & spectris occursantibus terrerentur; consternarentur etiam horrificis Monstrorum animaliumque vocibus, dicente Scriptura: *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Aegipti, tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat. Et* (quod omni admiratione ac cogitatione nostra majus est) *ubicunque*, ait, *habitabant filij Israël, lux erat*; ita ut eadem in urbe, & domo, ubi simul essent Ægyptius & Hebræus, iste sereno coelo, aëre, lumine, frueretur; ille densissimis juxta ac fœdissimis in tenebris jaceret, oppleretur que.

Exod. 10

Vicit tamen divinam omnipotentiam humana improbitas, & quasi ingeniosior, ac pervicacior fuerit in sui perniciem, quam illa in correctione potentior; adeo portentis & ictibus induruit, ut succedentibus sæculis in perpetuum adducatur Pharao, in exemplum hominis indurati & obstinati; Ægyptus, Mundi perduellis; tenebræ Ægyptiæ, tenebrarum sæcularium, seu morum profligatorum & flagitiosorum hominum, qui totam vitam in nocte altissimæ oblivionis Dei agunt, & ut talpa Apologi hujus, capti cunctis sensibus, perverse de omnibus cogitant, loquuntur, judicant; quæ sub sensum suum cadunt, malè audiunt, vident, odorantur, & sapiunt: ut de illis pronunciaverit Apostolus: *Coinquinatis, omnia coinquinata.*

De utrisque, id est, de illis Ægyptiis, & malis Christianis, optimè Spiritus sanctus in Sapientia. *Propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ Providentiæ jacuerunt.* Verba multi sensûs ac meditationis. Erraverunt, inquit, compediti; & quibus vinculis? Tenebrarum, & longæ noctis peccati. *Inclusi, & fugitivi.* Inclusi tenebris suarum voluptatum, fugitivi æternæ providentiæ, & sapientiæ Dei; quæ seu flagellis tribulationum, seu ærumnis sæculi, & conscientiâ suorum criminum, eos sequitur à tergo, ut resipiscant & sanet eos.

Hoc perspicuè videbat Cœcus ille jam à Christo illuminatus, qui Medicatori suo interroganti si quid videret; apertis oculis prospiciens, *Video*, inquit, *homines velut arbores ambulantes.* Quis verè illuminatum negaret? nisi qui negaret lucem, & lucis Auctorem? Et quis perspicax non exclamet? O vocem veridicam hominis verè à Deo illuminati! Quid enim videbat, nisi vitium sæculi, peccatum orbis? Nam quid est *videre homines velut arbores ambulantes*, nisi videre homines viventes more arborum? more plantarum, terræ huic, infimo omnium elemento, infixarum? Nam ambulare in spiritu, aut carne, pro vivere, nil frequentius apud Apostolum.

Marci 8

Jam si secundùm Philosophum homo rectus est arbor inversa, cujus caput, mens & radix Cœlo infigitur, de Cœlo venit, de Cœlo vivit, Cœlo fructificat; pedes tantùm, & quæ hominis postrema sunt, terram tangunt; inverso ordine arboris, cujus radix terræ nata, terræ immersa, de terra vivit, in terra fructificat: consequens est, ut homo perversus, id est, carnalis, nil nisi terram & terrena sapiens, tractans satagens, ambulet, vivat, agat, ut arbores. Ergo *video homines*, dicebat ille, benè oculatus, *velut arbores ambulantes.* Quod est dicere, Video homines sæculi, viventes vita arborum; quibus nil pensi, aut curæ est, nisi in hac terra, seu mundo, manducare, bibere, vegetare, crescere, saginari. Quis hanc vitam tot Christianorum, similem, non lugeat? Quis tenebras sæculares, seu Ægyptias non appellet, eorum qui vivunt vitam Gentilium, quales describit

Digitized by Google

Ephes. 4 Apostolus, *ambulantes in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.*

Annon dixeris tenebras Ægyptias, aut Ægyptiis majores, superbiam & inflationem multorum? qui Dei voluntati cognitæ resistentes, cum Pharaone Moisi ex parte Dei præcipienti, ut dimitteret populum suum, dicunt: *Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Aut cum impio Antiocho, suis viribus fidentes, existimant *se præ superbia terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturos propter mentis elationem.* Exod 5.

Annon tenebras Ægyptias, multorum libidinosa commercia? qui sine sexûs aut statûs discrimine, veluti *equi amatores, & emissarij facti, ad uxores proximi sui hinniunt.* Aut cum Ammone filio David, propriæ sororis mox amore, mox odio insaniente, proximas temeraturi. Vel cum illis quos describit Apostolus, *traditi in desideria cordis sui, in passiones ignominiæ, contumelijs afficiunt corpora sua; quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Quibus exprobret Isaias: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Ierem. 5. 2. Reg. 13 Ad Rom. 1. Isaiæ 5.

Annon tenebras Ægyptias, cor durum & immisericors divitum avarorum? qui pleni usque ad jugulum, adhuc sitiunt; & sicut ille ex Evangelio dives, *cogitabat intra se, dicens: Quid faciam? quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam,* &c. *& dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parasti, cujus erunt?* Verè stultus, cui abundantia faciebat angustias: verè stultus, qui animam suam, carnalium ciborum expertem, propriis famescere, impropriis vexare volebat: verè stultus, qui mox moriturus, longa ædificia mente versabat. Lucæ 12

Annon tenebras Ægyptias, alterius divitis Epulonis ingluviem? qui in purpura & bysso luxurians, dum insaturabile abdomen epulis gravat, pauperi Lazaro ad fores jacenti, nudo, famescenti, micas negat.

Percurre singula vitia, & videbis quòd ubi sensim peccandi consuetudo callum obduxit, & repetitis casibus roborata est, decidit in profundum peccator, & jam deinceps remedia contemnit, ut ei non abs re hæc Prophetæ congruant: *Factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis, noluit curari.* De hoc benè pronunciavit Psalmista: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Quasi dicat secundùm Glossam: Iniquitas eorum in apertum prodiit ex adipe, seu abundantia, non ex malis, seu necessitate: peccant gratis, & ultrò, nulla occasione illecti, nulla inducti egestate: peccata enim tunc transierunt in affectum cordis, id est, cum voluptate, sine ulla mentis gravedine perpetrantur. Nil ab iis tunc temperamenti expectes: extrema enim vitiorũ insaniam producunt, quam omnes alij vident & stupent, eo qui ea laborat, non sentiente. Ierem. 15 Psal. 72.

Propterea obstupescit Apostolus dilectionis, & grande judicium dicit super filios Adam, nimirùm, *Quia lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* O cœcitatem nimis stupendam! ô insaniam mortalium! cui lugendæ alter Appius Claudius cœcus veniat: nam Respublica Christiana etiam suum habet, in meliore causa, nec minùs intrepi- Ioan. 3.

Digitized by Google

dum, Consultorem ac defensorem: Is est Inarius, Chalcedonensis Episcopus, qui cùm oculis præ senio orbatus esset, & Constantinopoli agens derideretur aliquando ab impio Imperatore Iuliano Apostata, ipsi exprobrante cæcitatem suam, & ad suum Galilæum pro ea sananda profanus irrisor oratum ire consuleret; respondit incunctanter sanctus Senex: Gratias ago Deo meo, qui visum mihi ademit, ne te hominem impurum sacrilegumque videre cogerer: utinam & auditum etiam abstulisset, ne vocem tuam impurissimam, & vitæ tuæ sordes, ac regni tui execranda sacrilegia audirem.

Fulgos. l.6. & Licosthen. Apophth.

Facit ad propositum, quòd peccatores in Scriptura dicuntur tenebræ, de quibus S. Ioannes: *Et tenebræ eam*, scilicet divinam lucem, *non comprehenderunt.* Vnde Augustinus: " O homines, nolite esse tenebræ, nolite esse infideles, iniqui, rapaces, avari, amatores sęculi. „ *Eratis aliquando tenebræ*, ait Apostolus Ephesis, *nunc autem lux in Domino.* Vitia etiam verè sunt tenebræ, in quibus, quasi in luce & pace, quiescunt & sedent peccatores. Et ideo, quemadmodum qui versantur in tenebris, nesciunt rerum naturam; ita etiam, qui in peccatis sunt, obcœcati sunt, & ea quæ apparent, non discernunt; sed ad umbras, tanquam ad res veras, currunt; divitias, & delitias, & potentiam appetunt; nec amicos, nec veros inimicos noverunt: hos amplectuntur, alios aversantur. Propterea multiplices inter pœnas & dira, quæ Moises Iudæis pervicacibus imprecabatur, unum est illud, inter pręcipua: *Percutiat te Dominus ulcere Aegipti*, &c. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis; & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.*

Tract. 3. in Ioan.

Deut. 28

Hac pœna manifestè percussus fuit sceleratus ille Balaam, Pseudopropheta, juratus hostis populi Dei, homo pecuniæ cupidus; qui cùm asinæ insidens, pergeret ad Regem Balac, animo nocendi, & maledicendi populo Dei, ut perhibent Glossa, & SS. Patres; occurrit illi Angelus, gladio evaginato obsistens. *Cernens asina Angelum stantem*, dicit sacer Textus, *in via evaginato gladio, avertit se de itinere, quam verberabat Balaam, & volebat ad semitam reducere.*

Num. 22

Admiratione dignum est, quòd asina videt Angelum, videt stricto gladio minitantem, videt periculum, & fugit, & avertit se de via; quem Propheta Balaam, qui futura prævidet, non videt, nec Angelum, nec gladium, nec tam grande discrimen. Vno verbo, bestia plus videt, plus sapit, quàm Propheta. Quid hoc insinuat? nisi spiritualium hominum somnolentiam, inadvertentiam, cœcitatem, qui nescio quo stupore mentis, quasi veterno consopiti & languidi, non vident evaginatum super se gladium iræ Dei, minitantem non audiunt, ferientem non sentiunt, frementem non advertunt, & qui alios monere debuerant, excitare, inoculare; ipsi ut Talpæ cæci, & auribus, & oculis, & mente capti, jacent in sterquilinio vitiorum: quod, eheu! nimis crebrò inter homines videri solet, ut rustici, ut vetulæ, ut sæculares, gladium, minas, judicia, pertimescant, cùm de iis sermo habetur, & compungantur in lachrimas, ad quæ Sacerdotes, ut rupes & stipites, nil moveantur. Qui procul dubio lumine orbati censendi sunt, & offusa mentis caligine, tenebris plusquam Cymmeriis, plusquam Ægyptiis, consepulti. Quod præsenti Morali suffecerit.

Digitized by Google

TITVLVS XIX.
DE MVNDO.

FABVLA.

De Mulo & Equo.

MVLVS cujusdam nobilis videns quotidiè Equum domini sui, aureo fræno ephyppioque insignem, & decoris opertum phaleris, superbe prodeuntem, rumpebatur invidia, beatum illum reputans, qui tam pulchro amiciretur ornatu, & optimis vesceretur cibis; se vero infælicissimum, qui clitellis male dolatis indutus: ad onera omnia à vilissimis quibusque servis ageretur, perpetuò fustibus tunsus. Accidit autem, ut herus ad bellum proficisceretur, cum Equo prædicto, quo confecto rediret incolumis, Equus autem multis acceptis vulneribus vix in pedes consisteret. Quod perpendens Mulus, cœpit falsæ fœlicitati Equi maledicere, & suæ conditioni gratulari, dicens, ô quantum est in rebus inane! non omne quod splendet, aureum est, aut diuturnum.

De Piscatoribus.

PIscatores rete in mare jecerant, quod ad terram trahentes, cum grave sentirent, magna lætitia gestiebant, existimantes se multum piscem captaturos & lucrum: ad quos unus e sociis. Quid ita? inquit, & forte, frustrà, gestimus? Quid si truncum inutilem, aut lapidem trahimus? Et tempus & operam perdimus? quippe lætitiæ solet esse comes tristitia, ne efferamur, res humanæ sic ludunt mortales, non omne quod splendet aureum est.

De Cane ad cœnam eunte.

INvitarat quidam Civis Amicum suum ad convivium opiparum, cujus Canis etiam ejusdem Amici Canem ad cœnam invitavit. Is spe futuri prandij lauti, ut sperabat, diem abstinuit, ut ventrem copiosius ac genialius infarciret; condicta igitur hora cum hero ad convivij locum veniens præcucurrit, cauda præ lætitiâ gestiens, & ut moris est Canum, statim in culinam penetravit, quem Coquus cauda prehensum, Te unum, inquit, ô bona bestia! expectabamus ad cœnam; sed quia nondum carnes sufficienter assatæ sunt, tantillum exeundum est foras, sicque illum rotans,

Digitized by Google

per fenestram projecit: ille ex casu pene exanimis, ac resurgendo exclamans, accurrentibus ad se canibus, petentibusque quam laute cœnasset, tam bene inquit, pastus sum, ut vix qua exierim, viam, adverterim: Hæc fabula carpit inanes expectationes hominum, qui ad primam degustandæ voluptatis umbram procurrentes, miseri sæpe falluntur.

Asinus sylvestris.

ONager seu Asinus sylvestris viso Asino domestico in aprico pascente, accedens, eum fælicem dicebat, ejusque conditionem multis extollebat, ut qui sine ferarum periculo interdiu herbam pasceret, & in stabulo noctu securus à servis heri sui curaretur. At ubi postera die eumdem vidit clitellis onustum, gravia onera ferentem, & famulum retro eum fuste & flagellis egregiè excipientem, mutavit sententiam, & quem fælicem prius reputaverat, miserrimum pronuntiavit. Sic res humanæ fallaces sunt, & cum rident specioso vultu prima fronte, momento produnt malum quod intus cælant.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

NON OMNE QVOD SPLENDET, AVREVM, AVT DIVTVRNVM EST.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

TRIA sunt in Mundo, quæ suo præ cęteris splendore hominum oculos perstringunt, & animos dementant; Auri fulgor ac divitiarum, formæ lenocinium muliebris, & pompa mundanæ potentiæ ac dignitatis. Hæc enim tria incautos mortales in sui admirationem, amoremque, mirum quantum rapiunt, & extra se agunt.

De primo Poeta Latinus: (3. Æneid)

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Et Lyricus: (Lib. 2. Sat. 3.)

Omnis res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitijs parent; quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam & Rex,
Et quidquid volet.

De secundo, Socrates pulchram faciem non vocaret tyrannidem; Plato, Naturæ privilegium; Aristoteles, quavis epistola commendatitia potiorem; Carneades, regnum sine satellitio; nisi pulchritudinis vim per-

Digitized by Google

Iliad. 3

sensissent. Vnde Homerus Priamum inducit pulchram Helenam è turri prospectantem, dicentemque; *non mirari se, si tot Principes, tot Duces, & regna Græciæ, Asiæque confligerent, pro una Helena potiunda.*

Quod spectat potentiæ ac dignitatum splendorem, sufficit ex Salustio & Tacito audire, *Naturam mortalium ex se avidam esse imperij, insitamque homini cupidinem*, ut idcirco aliquis dixerit: *Si jus violandum esset, maximè imperandi causâ violandum fore.*

Igitur quantum hæc tria obtineant, & sibi vindicent in opinionem nostræ mortalitatis, non attinet pluribus dicere: sed magis è re præsenti fuerit, primò, falsum à vero fulgorem recti judicij lance, quasi aurum Lydio lapide, probare, ac secernere. Secundò, fucum, quo pulchritudo illudit, detrahere: tertiò denique, fallaci potentiæ personam. Quod non erit operosum, si judicium experientiamque ipsorum consulere liceat, qui de iis periculum fecerunt.

Quid enim? Annôn dulce est abundare, possidere, congerere opes, aurum, pecuniam? sed quales opes? quæ inopiam non tollunt, sed augent; aurum? quod nec famem, nec sitim habendi extinguit, imò acuit; pecuniam? quæ metus & curas inducit; dicente Lyrico;

L. 3. Car. Ode 1

Sed timor & minæ
Scandunt eodem quo dominus; neque
Decedit ærata triremi, &
Post equitem sedet atra cura.

Opes, inquam, quæsitu difficiles, custoditu anxias, amissu nulla non hora, & casu, faciles. Vt benè Idem:

L. 2. Ep. 2

Sit proprium cuiquam, puncto quòd mobilis horæ
Permutet dominos, & cedat in altera jura;
Sic quia perpetuus nulli datur usus, & hæres,
Hæredem alterius velut unda supervenit undam.
Quid vici prosunt? aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani? si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gætulo murice tinctas?

Opes denique, quæ nec in vita juvant, nec à morte redimunt, aut post eam prosunt.

Boëtius de consol. Phil. l. 3 metr. 3

Quamvis fluente dives auri gurgite
Non expleturas cogat avarus opes,
Ornetque baccis colla rubri littoris,
Ruraque centeno scindat opima bove;
Nec cura mordax deserit superstitem,
Defunctumque leves non comitantur opes.

Quod festivo Epigrammate lusit alter Poëta Christianus, de Diogene & Crœso apud Inferos.

Ausonius l. Epig. 53

Effigiem, Rex Crœse, tuam, ditissime Regum,
Vidit apud Manes Diogenes Cynicus:
Constitit, atque procul solito majore cachinno
Concussus, dixit: Quid tibi divitiæ
Nunc prosunt, Regum Rex ô ditissime? cùm sis,
Sicut ego solus; me quoque pauperior?

Digitized by Google

Nam quæcunque habui, mecum fero; cùm nihil ipse
Ex tantis tecum, Crœse, feras opibus.

Quid verò de flore pulchritudinis? qui etsi tantoperè ametur, quòd si rationem à Philosopho quæras, amandabit te ad cœcos: eo tamen nihil fragilius, nihil brevius, ut ipsos inter oculos mirantium & laudantium evanescat; flos, inquam, sed superficie & cute tenus, quem omnis pruina decoquit, aura corrumpit, morbus decerpit, languor inficit, febris atterit: ut benè Lyricus: *Fugit retro*

Horat. l. 2 Ode 11

Levis juventus, & decor, arida,
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honos i
Vernis, neque uno Luna rubens nitet
Vultu: quid æternis minorem
Consilijs animum fatigas?
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est, forma, fugax. Quis sapiens bono
Confidat fragili?

Non dissimiliter Ovidius:

Lib. 2. de arte,

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi jam venient cani formose capilli;
Iam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Iam molire animum, qui duret, & astrue formam,
Solus ad extremos permanet ille rogos.

I ergo, propera, dissuaviare, florem mendacem, qui tibi imponet, bonum non tantùm fragile, sed & breve ac momentaneum, addo etiam crudele, quòd te in lernam malorum inducet.

Hæc enim est illa pulchritudo, *tyrannis modici temporis, eburneum detrimentum, tacita deceptio, & fraus silens, vel potiùs Siren,* quæ prætereuntes cantu allicit, blanditur ore, specie demulcet, mammis arridet, ut in scopulos allidat, & allisos devoret: fuge ergo

Mart. l. 3

Sirenas hilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas.

Veniamus modò ad tertium, dignitatum scilicet potentiæque fulgorem, quod major pars hominum Cœlo exæquat: quia per hæc stabilitatem quandam adipisci putant, dum pluribus antistant & imperant, sibi subjectis; & celebritatem sui nominis, dum honoribus afficiuntur. Sed quæ stabilitas in rebus fortunæ, quibus quò altiùs sublimaris, eò ampliùs adversantis casibus & periculis obnoxius sis? cùm secundùm Lyricum,

Hor. l. 2 Od. 10

Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Quantò enim in ipso limine aditæ potentiæ ceciderunt, & concussi sunt, vix degustato imperio vel fato, vel æmulo pellente, perierunt? ut

Digitized by Google

Hadrianus moriens de suo successore Ælio Vero, non immeritò illud Poëtæ usurpaverit:

Ostendent terris hunc tantùm fata, neque ultra
Esse sinent.

Hist. Aug

Visus est aliquis, quo tempore occupatis Gallieno & Valeriano Imperatoribus in bello Persico triginta Tyranni Rempublicam tenuerunt, ad eumdem Majestatis apicem per fas & nefas sublimatus qui triduo tantùm imperaverit, de quo Trebellius Pollio quid referat fatetur ignorare, *nisi quòd eum insigniorem fecit brevissimum imperium.* Hic ex fabro Imperator factus, *primo die electus est, alio visus est Imperator, tertio interemptus est.*

Quid de Consulatu, secunda post Imperatoriam auctoritate? Fuit qui sex horis tantùm tenuerit pomeridianis, à Marco Tullio tali propterea joco aspersus: *Consulem habuimus tam severum, tamque Censorium, ut in ejus Magistratu nemo pranderit, nemo cœnaverit, nemo dormierit.* Quæso, quis sensus tam brevis imperij, & dignitatis? Sed ea est lex rerum humanarum, fortunæ imperio servientium, ut non immeritò magnus ille Boëtius, Patricius & Consul, Romani Imperij decus, summâ injuriâ dejectus exclamet:

L. I. Met. I

Quid me fœlicem toties jactastis, amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Epist. 4

Benè in hanc rem Seneca. *Adversùs omnia quæ accidere possunt, etiam potentissimis, adhortare te, & indura. De Pompeij capite pupillus & spado tulere sententiam: De Crasso crudelis & insolens Parthus: Caius Cæsar jussit Lepidum Decimo Tribuno præbere cervicem; ipse Chæreæ præstitit. Neminem eò fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere: Momento mare vertitur; eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur.*

Porrò qui ex dignitatibus honores & nominis celebritatem venari putant, non minùs hallucinantur, errantque: non enim illa dignis conferuntur, sed sæpenumero indignis, imò verò sceleratis: quia si probis aliquando contingunt, quod perrarum est; quid aliud in eis, quàm probitas benè utentium & virtus, inclarescit. Sin perversis inciderint, quid nisi vitia & ulcera, quæ priùs erant secreta, promulgantur? & dedecus malè utentibus, & odia, & infamiam ingenerant? *Non enim possumus ob honores & dignitates reverentia dignos judicare, quos ipsis honoribus judicamus indignos: sola enim virtus celebrat & illustrat homines ea præditos, & vitia malos semper infamant: ut enim non virtuti, inquit Boëtius, ex dignitate, sed ex virtute dignitati honor accedit; sic dignitates nihil homini profligato, corruptoque conferunt, nisi, ex alijs, probra & dedecora; ex se, & proprio animi sibi malè conscij, flagella & tormenta.*

Boëtius L. 4. Met. 2

Quos vides sedere celso
Solij culmine Reges,
Purpura claros nitente,
Septos tristibus armis,
Ore torvo comminantes,
Rabie cordis anhelos;
Detrahit si quis superbis
Vani tegmina cultûs,
Iam videbit intus arctas
Dominos ferre cathenas.
Hinc enim libido versat
Avidus corda venenis:

Hinc

Digitized by Google

Hinc flagellat ira mentem,
Fluctus turbida tollens, &c.

Igitur si ex dictis aurum & opes promittunt quod non dant, & dant omne aliud quàm quod promittunt: si formæ illecebra, blandiendo fallit & sævit: si denique dignitates dant pro honoribus infamiam, & cruces; inconcussa manet propositæ sententiæ veritas; Non omne, quod splendet, aureum & diuturnum est. Quod sequens pagina amplius confirmabit.

NON OMNE QVOD SPLENDET, AVREVM, AVT DIVTVRNVM EST.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

PROPOSITÆ sententiæ astipulatur Scriptura, quanta quanta. E mille locis unus hic sufficiat: *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas.* Salomon est qui loquitur, ille Rex tam potens, tam dives, tam sapiens, tam doctus rerum omnium quæ sunt, & quæ fiunt, scientia infusa, acquisita, experimentali & practica; & ipse olim tam delicatus, & deliciosus, & vanus; imò totus vanitas; jam verò alius à se, reversus à creaturis, conversus ad Creatorem, redit pœnitens, & sapiens; denique factus Ecclesiastes, id est, Concionator Regum, & Prædicator Mortalium: qui hanc vocem extra se factus effudit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Item: *Vidi cuncta quæ sunt sub sole, & ecce universa vanitas.* Quibus verbis comprehendit quidquid fulget in auro & divitiis, quidquid blanditur in pulchritudine & deliciis, quidquid splendet in potentia & dignitatibus; & de his vel maximè pronunciat: *Vanitas vanitatum, & universa vanitas.*

Quidquid, inquam, fulget in auro & divitiis. Propterea dicit: *Coacervavi mihi argentum, & aurum, & substantias Regum, & Provinciarum; & supergressus sum opibus omnes Reges qui ante me fuerunt.*

Quidquid blanditur in fœminis & pulchritudine. Sic enim ait: *Dixi ego in corde meo; Vadam, & affluam divitiis, & fruar bonis.* Item: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se.*

Denique quidquid splendet in potentia & dignitatibus. Ait enim: *Ego Ecclesiastes fui Rex in Ierusalem.* Item: *Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes.* Iterum: *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos*, &c. Quibus omnibus degustatis, probatis & cognitis, ut Rex, ut Sapiens, ut Ecclesiastes, pronunciat; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Inspicienda est igitur effati regij veritas, & non segniter probanda: quod ubi fecerimus, simul fecerimus satis assumptæ nostri Moralis gnomæ: Non omne quod splendet, aureum, aut diuturnum est.

Hîc enim non levis difficultas exurgit, quî creaturæ Dei, quæ bonæ sunt, & in bonum usum, finemque à Creatore conditæ, vanæ dici possint, & vanitas reputari, quasi bonitatis omnis, & fructûs, & usûs, vacuæ ac expertes: quod falsum est. De creatis enim summus Artifex, & rerum

Monarcha creando hoc judicium tulit. *Vidit cuncta quae fecerat, & erant valde bona.* Bona in se, valde bona in ordine, & in finem ad quem cuncta creavit. Et alibi auctoritati divinae consentiens Scriptura, ait: *Dei perfecta sunt opera.* Quomodo perfecta, si vana, & vanitas? Qui hoc dixerit, Creatori conviciabitur, & creaturae imponet. Quo stante judicio, etiam concedendum est Salomoni, cum tanta auctoritate pronuncianti, *Universa vanitas.* Cui sententiae Patres applaudunt & subscribunt, media hac triplici interpretatione.

Dicendo primò, vanitatem creaturarum non in ipsis existere, secundùm quod à Deo conditae perfectae sunt; sed in opera, usu, vel potiùs abusu, & exercitio hominum, circa illas; ut benè explicavit S. Chrisostomus: "Cœlum enim non est vanum, inquit, neque terra, neque sol, neque ipsum corpus nostrum, quod absit: sed quid vanum est? *Plantavi mihi vineas, constitui mihi Cantores, coacervavi mihi aurum, & argentum,* &c. Sic S. Doctor. Addit: " rerum tuetur naturas solidas, & in bono constantes; humanas verò depravatae nostrae naturae artes, & inventiones suggillat, quae non solùm animos nostros, sed creaturas ipsas corrumpunt atque depravant.,,

.ep ad Ephes.

Quod apposito exemplo probat Sapiens, & manifestè demonstrat vitium hominum, creaturis malè utentium; quae cùm in se bonae sint, homines ex iis faciunt mala, mali, ut & boni, bona. Sic enim habet: *Sed & ab initio, cùm perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit saeculo semen nativitatis, quae manu tua erat gubernata: benedictum est enim lignum, per quod fit justitia.*

Sap.14

Ecce quomodo boni ex creaturis bona operantur; ex quibus iisdem, mali, mala. Sequitur enim: *Per manus autem quod fit Idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud.* Vides ut ex eodem ligno Noë justus fabricavit ratem, quae seminarium hominum conservavit, & istud vocat *benedictum*: & ex eodem ligno impius fabricavit Idolum, & istud, & qui fecit illud, *maledictum* appellat.

Sic auro & argento, & caeteris mundanae supellectilis partibus abutuntur homines in odium Dei, & suiipsius perniciem, quo vitio, nisi suo? Vnde ibidem consequenter dicitur: *Creaturae Dei in odium factae sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Claudit hunc sermonem his verbis: *Initium enim fornicationis est exquisitio Idolorum, & adinventio illorum corruptio vitae est.* Ex quo videas vanitatem creaturae non in eam, aut in Opificem Deum, sed in malè ea utentem hominem refundi: quippè, ut habetur apud Ecclesiasticum, *Bonis bona creata sunt ab initio, nequissimis autem bona & mala.* Quasi dicat bona in se mala ratione perversè utentis hominis. Item: *Initium necessariae rei vitae hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis, & mel, uvae, & oleum, & vestimentum: haec omnia Sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertuntur.*

Eccl. 39

Secunda opinio, seu explicatio, hanc rerum vanitatem affingit, partim humanae concupiscentiae & vanitati, partim opinioni fallaci hominum ac mendaci. De primo dicebat Augustinus: " Nisi sunt vanitates, non erunt alia, vanitas.,, Quod explicat exemplo baculi in aquam immersi, qui oculis intuentis fractus apparet. " Non est, inquit, perversitas baculi, sed judicii vel visûs. Sic non est auri perversitas, quòd fulgeat & decipiat; sed est hominis vitium & concupiscentiae seu cupiditatis, qui illud, &

L. de morib. eccles. & de va. relig. c. 21

Digitized by Google

opes fallaces præter modum prosequatur & diligat.

Vel potiùs ista vanitas sita est in opinione hominum mundanorum, seu amatorum mundi. Hæc, inquam, vanitas non est in creaturis, sed in opinione & intellectu humano, qui deceptus & ebrius fallso fulgore, & vana pulchritudine rerum, falsas opiniones imbuit, & format vana judicia, attribuendo ipsis qualitates & perfectiones quas non habent, tollendo defectus quos habent; attribuunt ipsis qualitates quas non habent, cùm in iis affectum ponunt: quod prohibebat, qui dicebat: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Qualitates ascribunt quas non habent, cùm in illis spem & robur ponunt; cùm denique in iis, quasi in suo fine, conquiescunt. Quàm diuersus ab eo errore Iob! *Si putavi aurum robur meum, & obryzo dixi fiducia mea: si lætatus sum super divitijs meis, & quia multa reperit manus mea,* &c. Tollunt verò defectus à creaturis, quos habent, cùm stabiles putant, & stare per eas, & caducæ sunt; cùm fœlicitatem in earum possessione habere putant, quam ipsæ non habent; quia in solo Deo est.

Psal. 61

Iob. 31

Proptereà stomachabatur David: *Filij hominum usquequò gravi corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quasi dicat, O filij Adam terrestris! ò peccatores & carnales! usquequò corda vestra gravi ac terreno huic elemento abjicietis? ut quid creaturas cœci & anheli prosequimini, quæ nihil aliud sunt quam vanitas & mendacium? qui solum Deum diligere debuistis?

Psal. 4

Tertia hujus loci interpretatio, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* vanitatem astruit & agnoscit, non ampliùs in hominis abusu, nec in opinione aut cupiditate ipsius, sed in ipsis creaturis, comparativè ad Deum, spectatis: quia si quid in se sunt, Deo comparatæ, sunt quasi non sint. *Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Si tantillum est universitas, quid singularitas? Quid enim dicit Scriptura de Angelo? *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.* Quid de homine? *Quantò magis hi qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum?* Quid verò est homo secundùm naturam spectatus? fœnum, pulvis, figmentum: *quoniam,* inquit, *ipse cognovit figmentum nostrum,* ex ente & non ente coagulum; aliquid veri & aliquid ficti; *recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut fœnum.* Quid ejus vita? *Vapor ad modicum parens.* Cum qua pompa & splendore procedit? *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Quanta ejus duratio? *Dies ejus sicut umbra prætereunt.* Cui denique similis est? *Homo vanitati similis factus est.* Sed quid ejus virtus, bona opera, sanctitas? *Facti sumus ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.*

Sap. 11

Iob. 4

Psal. 102

Iacob. 4

Psal. 38

Psal. 143

Isaiæ 64

Fortè pluris æstimabit aurum, argentum, sæculi divitias, & gazas? Sed audi: *Beatus vir, qui post aurum non abijt, nec speravit in pecunia, & thesauris.* Audi Apostolum: *Omnia detrimentum feci propter Christum, & arbitror ut stercora.*

Psal. 1

Ad Philipp. 3.

Speciositas, forma, decor, apud eum in honore erunt? Sed attende quid dicat: *Fallax gratia & vana est pulchritudo. Mulier timēs Dominū, ipsa laudabitur*

Nunquid tandem apud eum valebunt potentes sæculi, qui præsunt & imperant populis? Sed vide quid dicat: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut Cedros Libani; & transivi, & ecce non erat; & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.*

Psal. 36

Quæ cùm ita sint, assentiamur Sapienti, & cum eo concludamus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Item: *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce*

Digitized by Google

universa vanitas. Et quidquid fulget in auro & divitiis, & quidquid radiat & blanditur in pulchris, & quidquid splendet in potentatibus; universa, vanitas. Vanitas, non in se, sed in opera, & in usu, & abusu hominum. Vanitas, seu ratione cupiditatis ipsius, qua immodico affectu circa eas fertur; sive opinionis fallæ & erroneæ mortalium. Vanitas denique, ratione creaturarum ipsarum, ad Deum scilicet comparatarum; ante quem verum, æternum, immensum, mendaces, fluxæ, vanæ, & immundæ sunt omnes creaturæ; & homo maximè, omnium mendacissimus, & vanissimus; ut cum Propheta verè fateatur: *Substantia mea, tanquā nihilum ante te.* Et insuper quod sequitur: *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.*

In Epist. Paren. ad Eutrop.

Ex quibus omnibus commendatur hæc Sapientis divina vox; quam si saperent qui in potentia versantur, ait S. Chrisostomus, in parietibus omnibus, & in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in ingressibus. Quoniam quidem multæ sunt rerum facies, multæ imagines fallæ, quæ incautos decipiunt; istud oportet quotidiè salutare carmen, & in prandiis, & in cœnis, & in omni conventu unumquemque proximo suo canere, & à proximo suo libenter audire: Quia *vanitas vanitatum est, & omnia vanitas.* „ Ita ille. Vnde etiam ex dictis habes, unde abundanter comprobes hujus Tituli pronunciatum: Non omne quod splendet, aureum, aut diuturnum est.

TITVLVS XX.
DE FATO.

FABVLA.

De Patre & Filio.

QVIDAM *viro erat unicus Filius, unicè dilectus, qui cum venationis amore ardentissime teneretur, & Pater inde vitæ Filij exitium pertimesceret, contigit ut ipsum à leone interfici somniaret, quo exterritus, & ratus omen fatale Filio; statuit hac arte providere; extructo amplissimo amœnissimoque palatio, in quo præter hortos pulcherrimos, ambulacra, & porticus, Ædes curavit extrui, & miro in iis artificio depingi species omnium animalium, præcipue ferarum, venationes omnis generis, in quo Filium nulla non arte oblectandum, custodiret, sed ille detineri impatiens, edoctus causam suæ tam arctæ custodiæ, ac pertæsus, cum aliquando picturis hujusmodi intendisset, vidit leonem depictum in pariete, in quem excandescens, & iuveniliter sæviens, tu ne es causa, ait, ô truculenta bestia, meæ captivitatis? & hæc dicens, pugnum muro tam fortiter incussit, putans oculum leoni effodere, ut manus clavo, qui ibi forte latebat, contusa, emarcuerit, unde febris subsecuta eum brevi tumulo infoderit. Quo eventu Pater ejus præter modum consternatus, dicebat, heu! me miserum, qui duram fati Filij mei necessitatem, putans impedire, aut avertere, imprudens maturavi. Adeo fati vis, & necessitas est insuperabilis.*

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

FATI NECESSITAS INSVPERABILIS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

OMNIA fato moveri ac regi tota credidit Gentilitas, fati nomine intelligens immobilem determinatamque causarum secundarum, id est, siderum, seriem ordinemque futurorum, effectus quoscunque sublunares necessitantem.

Digitized by Google

Laërt. l.1. c.1.

Vnde Thales Milesius, unus ex septem Sapientibus Græciæ, interrogatus, Quid in tota rerum Natura esset robustissimum? respondit, Fatum; cuncta enim superat.

L.6. Noct. Attic.

Chrysippus sic apud Gellium definit: *Fatum est sempiterna quædam & indeclinabilis astrorum series & catena, volvens semetipsa sese, & implicans, per æternos consequentiæ ordines, ex quibus connexa est.*

Ex illa erroris radice Poëtæ finxerunt Idæas illas fatales, sorores tres, quas Parcas nuncuparunt, seu quòd minimè parcant, vel à partu, ut vult Varro, quòd illæ nascentibus bonum malumque dispertiant. Hæ sunt Clito, Lachesis, Atropos, quæ nent sortes, fortunam vitamque mortalium; quarum prima colum bajulet, & in lana involuta futuri rationem contineat: secunda net fila vitæ, & habeat speciem præteriti, in eo quod in fuso est: tertia præsentis, quæ fusum torqueat, & stamina incidat; adeò ut nemo possit declinare, aut præterire, quod ab illis fatatum est. Vnde quidam:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

L.2. Nat. qq. c. 35. 36.

Audiamus Senecam: *Fata nulla cõmoventur prece, non misericordia flectuntur, non gratia. Servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt, quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem; quia priorem superveniens præcipitat: sic ordinem rerum fati æterna series rotat, cujus prima lex est, stare decreta. Quid enim intelligis fatum? Existimo necessitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat.*

Idem Philosophi & Astronomi cum Poëtis ubique circumsonant, Astra necessitare omnes hominum actiones, fato omnia subdi, ac regi. Vnde Ovidius de Paride:

In Epist. de Paride

Te tua fata trahunt, ne cœpta relinquere possis:
Ne retrahas animum, te tua fata trahunt.

Sen. Trag Oedipo. Actu 5.

Idem Tragicus:

Fatis agimur, cedite fatis;
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi:
Quidquid patimur, mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto,
Servatque sua decreta Colus
Lachesis. Dura revoluta manu
Omnia certo tramite vadunt,
Primusque dies dedit extremum:
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.

Plin. l.1. Nat. hist.

Non dissentit Plinius. *Singulis sidera,* inquit, *tributa sunt nobis, clara divitibus, minora pauperibus, obscura defectis, & pro sorte cujusque lucentia ad munera mortalibus.*

Quintilianus: *Fato vivimus, languemus, convalescimus, morimur.*

Confirmari potest hæc opinio, exemplo Æschili Poëtæ Tragici, cui cùm prædictum fuisset, esse in fatis, ut periret casu ac ruinâ domûs; ille, ut fati vim eluderet, urbes & domos longè fugiens, habitavit in campestribus, unde calvus factus est. Plinius hujus meminit, de Aquila loquens, his verbis: *Ingenium est ei* (id est, Aquilæ, inquit) *testudines raptas frangere, è sublimi jaciendo: quæ sors interemit Poëtam Aeschilum, prædictum fatis, ut ferunt,*

Plin. l.10 c.3.

ejus diei ruinam secura Cœli fide caventem. Aquila igitur, cùm testudinem ungue prehensam vellet rumpere, ut carnibus vesceretur, in altum delatam, ut ad petram allideret, calvitiem Æschili saxum rata, in ejus caput injecit, & caput Poëtæ non testudinem fregit; quo ictu interemptus, vitam & fatum implevit, adeò est inevitabilis fati necessitas.

Cornelius Tacitus de quodam Trasullo, vel Trasillo memorat, Mathesis peritissimo, cujus artem cùm Tiberius experiri statuisset Rhodi, eo animo, ut si in aliquo falleret, aut mendacem probaret, per servum, quem habebat comitem, de edito ubi eum consultabat loco, in mare præcipitaret. *Igitur Trasullus* (sunt verba Taciti) *iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi & futura solerter patefaciens; interrogatur, An suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum ac spatia dimensus, hærere primò, dein expavescere; & quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis, & metûs, postremò exclamat, ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius præscium periculorum, & incolumem fore gratatur.*

Lib. 3. Annal.

Memini me legere apud Ælium Spartianum de Hadriano, quòd is Imperator *Mathesin sic scire sibi visus est, ut serò Calendis Ianuariis scripserit, quidquid ei toto anno posset evenire: ita ut eo anno, quo periit, usque ad illam horam, qua est mortuus, scripserit quid acturus esset.*

Hist. Aug

Adde Mathematicum quemdam à Domitiano interrogatum, quis eum vitæ exitus maneret, firmasse fore ut brevi à canibus laceraretur, sic fata velle: quod ut eluderet Domitianus, jussit eũ illico interfici, atque accuratissimè humi defodi, ut artem falleret: sed corpus repentina tempestate dejectum, à canibus discerptum fuisse. Sic mortui & mortua cadavera fatis obnoxia sunt, juxta quoddam Epitaphium:

> *Parce, precor, tristes questus effundere; vixi:*
> *Non erat in fatis longior hora meis.*
> *Heu infœlicem sub iniquo sidere natum!*
> *Lapsus equo, præceps occidit ante diem.*

Potest alio exemplo recentiori confirmari, scilicet ignominioso fato filii Domini de Lignano, tempore Papæ Martini V.

Hic Iurisconsultus celeberrimus, idemque Astronomus, in illa arte siderum, ac conjectandi peritissimus, prævidens ex genitura & horoscopo filii sui, ipsum cruci aliquando affigendum, eum sacris initiari voluit, & rebus Ecclesiasticis, utpote à negotiis sæcularibus minùs impeditum, addici, ut fatali dispositioni occurreret: quod tamen non potuit. Nam exorta Bononienses inter & Martinum V. gravi dissensione, cùm ille partes Pontificis sequeretur, à Bononiensibus interceptus, ut patriæ proditor, suspendio vitam finivit. Cujus sortem lugens pater, dicebat: *Heu! fili mi, fati tui necessitatem vitare non potuisti.*

ex lib. Peregrin. qq

Quanquam citatus supra Aulus Gellius ait: *Negat Chrysippus oportere ferri audirique homines aut nequam, aut ignavos, aut nocentes, aut audaces, qui cùm in culpa & maleficio revicti sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, tanquam in aliquod fani asylum; & quæ pessimè fecerunt, ea non suæ temeritati, sed fato esse attribuenda ducunt.*

l. 6. Noct. Attic. c. 2

Hac enim ratione, quæ scelera à culpa aut pœna non vacarent? Quis sceleratus non diceret, quod illa apud Tragicum?

> *Fati ista culpa est, nemo fit fato nocens.*

Senec. in Oedipo. Actu 5.

Digitized by Google

Non secus ac Zenonis Cittici servus, qui in furto deprehensus, cùm jubente Domino flagellis cæderetur, fato crimen suum tribuens, dicebat, *fuisse in fatis ut furaretur. Et cædi te, similiter inquiebat Zeno, in fatis est.* Retorsit ille: *Sed, si vis à cædendo cessare, penes te est. Etiã,* inquit, *& penes te fuit non furari.*

Laërt. l. 7. c. 7.

Hac occasione Tertullianus causam Christianorum agens, qui accusati apud Iudices, non deffendebant; interrogati, ultro confitebantur; damnati, gratias agebant: quia scilicet pro causa Christi pati gloriabantur. Exprobrat Gentilibus reis, quòd *damnati mœrent, deonerant semetipsos, mentis malæ impetus; vel fato, vel astris imputant: nolunt enim suum esse, quod malum agnoscunt.* Error gravissimus, peccatum in Deum refundere, quod in te erubescis, ut te exoneres.

In Apol. c. 1.

Ita est, Astra innocentia sunt & Numina, quæ criminosa vult facere nullus non nocens. Vnde Homerus sic Iovem inducit conquerentem.

Hei mihi! quid damnant Mortales Numina Cœli?
Et fieri per nos mala plurima, cùm tamen ipsi
Sola sibi existant cunctorum causa malorum?

Irridet hanc opinionem Seneca in Suasoriis, his verbis: ***Qui verò in media se, ut prædicant, fatorum misere pignora Natales inquirunt, & prima mediorum annorum habent initia, quò ierint motu sidera, in quas discurrerint partes: contrane Deus steterit: an placidus affulserit Sol, an plenam lucem, an initia surgentis acceperint: an abdiderit in noctem obscurum caput Luna? Saturnus nascentem, an ad bella Mars militem, an negotiosum in quæstus Mercurius exceperit; an blanda annuerit nascenti Venus; an ex humili in sublimi Iupiter tulerit? Existimant tot circa unum caput tumultuantes Deos. Futura nunciant. Plerosque dixere victuros, & nihil metuentes oppressit dies. Alijs dedere finem propinquum; at illi superfuere. Egentes, inutilis animæ fœlices nascentibus annos spoponderunt: at fortuna in omnem properavit invidiam. Incertæ enim sortis vivimus: unicuique ista pro ingenio finguntur, non ex scientiæ vi.***

Suasor. 4.

Adde illud Plinij: *Homerus,* inquit, ***eadem nocte natos Hectorem & Polydamanta tradit, tam diversæ sortis viros. C. Mario, Cn. Carbone 3. Cos. ad 5. Calend. Iun. M. Cæcilius Rufus, & C. Lucinius Calvus eadem die geniti sunt, Oratores ambo, sed tam dispari eventu.*** Hoc etiam iisdem horis nascentibus in toto mundo quotidiè evenit, pariterque domini ac servi gignuntur, reges & inopes,

L. 7. c. 49.

Certè non frustra Cicero *obscurissimam* dixit esse, *& implicatissimam quæstionem.* Vnde hujusmodi Planetarios vocat Gellius Offuciarum genus, & præstigiarum æruscatores; alij Divinos mendaciorum. Quod experientia perpetua nimis compertum est.

L. de fato

Quo tempore Henricus II. Galliæ Rex tam diro fato obiit, qui causam ab Astris augurari voluerunt Genethliaci, in occursum corporis Martis, & Saturni Ascendentis hujus Principis refuderunt. Vnde volunt, ut cujuscunque nativitati occursant Mars & Saturnus, necessariò violenta morte decedat. Sed quàm inani augurio, inde convincitur, quòd in multis aliis Principibus, eumdem horoscopum habentibus, contrarium contigit, ut in Maximiliano II. Imperatore observatum est; Francisco I. Rege Galliæ, Henrico VIII. Angliæ, Sigismundo Poloniæ, Paulo III. Pontifice; quorum nativitates præstantissimi quique Astrologi edixerant, qui cùm immaturo ac violento funere ipsorum regulis decessuri essent, naturali ac placido obiere. Contra verò multi violento absorpti sunt, quibus

naturalem

Digitized by Google

naturalem placidumque supremum diem promiserant: quos inter Franciscus Gonzaga, in aquis mersus; Cardinalis du Chastel, a Duca Vrbinatis interemptus; Comes Robertet, manu carnificis; Comes Mansolij, globo tormenti militaris; ut Mauricius Dux Saxonũ, & Carol' Borbonius: quibus junge Cardanum, & Laurentium Lovaniensem; quorum ille contra opinionem patris sui, peritissimi Astrologi, capite minutus est; hic, ob hæresim, igne combustus. Sed nec illi veraciores in aliis vitæ casibus prænunciandis: nam Cardan' diligenter inspecta nativitate Henrici II. ipsum dixerat nunquam nupturum, qui de Catharina Medicea numerosæ prolis regiæ parens fuit; cui etiam alius tria prædixerat insignia: 1. ipsum fore Imperatorem; 2. in omnibus, quæ ageret, fœlicem; 3. sexagesimum ætatis annum decursurum. Quot verba, tot mendacia.

Igitur non metuenda sunt Astra innocentia, quæ si quid portendunt, illud Ptolomæi attendendum:

Sapiens dominabitur Astris.

Et Virgilij, ingenium & prudentiam fato præponentis: 1. Georg.

Ingenium aut rerum fato Prudentia major.

Et illud effatum Quintiliani: *Vincitur*, ait, *fatum, si resistas; vincit, si contẽpseris.*

Exemplum habes in Socrate, sapientissimo Mortalium; quem cum attente intuitus esset quidam Physiognomus, & rogaretur quid de eo ex arte sentiret, respondit, *eum ingenio bardum & stolidum judicare, moribus furem, mendacem, luxuriosum, denique omnibus vitijs deditum.* Cui cùm astantes succenserent, respondit Socrates: *Ne in eum moveamini; talis enim eram futurus, nisi me Philosophia addixissem.*

FATI NECESSITAS
INSVPERABILIS.
Probatur secundò, & illustratur,
EX SACRA SCRIPTVRA.

QVod illi tenebris plusquam Cymmeriis fatum, nomen Scripturæ invisum, nos Divinam Mentem, seu Rationem in summo omnium Principe Deo constitutam, uno verbo Providentiam vocamus. De qua in Sapientia: *Tua autem, Pater, Providentia ab initio cuncta gubernat.* Item: *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Item: *Non est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus.* Et Psalmista: *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Rejicientes fatalem illam vim siderum, seu aspectum cœlestium luminum, in quo quis natus vel conceptus est, omnes effectus tum naturales, tum humanos, necessitantẽ, utpote Deo, sideribus, homini ipsi, injuriam, denique totius Naturæ & Politiæ œconomiam disturbantem. Deo injuriam; quia si à fato & Astris iste fur est & latro, ille avarus; hic luxuriosus, ille ebriosus; Deus qui ea fecit, & hominem necessitare voluit, malè hominibus voluit; hominem à principio rectum non fecit, imò est causa omnium scelerum: quia quidquid est

Sap. 14. Cap. 8. Cap. 11. Psal. 118.

Digitized by Google

causa causæ, est causa causati. Sideribus contumeliosam: sic enim non sunt innocentia sidera, quæ hominem ad peccata impellunt, nec in finem rectum dirigunt, sed avertunt; sequeretur in homine, nullam esse liberi arbitrij prærogativam, nullum voluntatis humanæ, aut rationis imperium, si totus homo ab astris volens, nolens, regeretur; nec consequenter in actibus humanis peccatum, quod evitare impotens, perpetraret; nec criminibus justè ac meritò decerni supplicium: nemo enim est laudis aut vituperij dignus, in eo quod invitus fecit. Sic Deus sibiipsi foret contrarius, qui præcepit homini bona operari, & cogit ad mala. Sequeretur otiosa esse Theologiæ studia, artium, Philosophiæ, Moralis, Medicinæ, & similium, cùm illæ suis rationibus, consiliis, remediis, nequicquam possint contra fatorum ineluctabiles leges: quidquid de peccati fomite, & Dæmonum insidiis, tentationibus, suggestibus, Ecclesia prædicat, falsa esse & illusoria, si fatali influxui siderum, non alteri causæ, peccata mortalium sunt referenda. Supervacuum etiam erit, quidquid pia Sacramentorum & concionum industria procurat, si fato omnia necessariò tribuenda.

Lib. 5. de C. D. c. 1.

Quæ considerans S. Augustinus, ait: *Qui stellas putant habere talem à Deo eis traditam potestatem, magnam faciunt Cœlo injuriam, in cujus, velut in clarissimo Senatu, ac splendidissima Curia, opinantur scelera facienda decerni, qualia si aliqua terrena civitas decrevisset, genere humano decernente, fuerat evertenda.*

In Hexã.

Non minùs eleganter, aut fortiter D. Ambrosius: *Si ad necessitatem*, ait, *genitalem, Astrorum, actus nostri factaque referantur, cur leges positæ sunt, & jura promulgata, quibus aut pœnæ improbis, aut justis præmia, deferuntur? Cur non venia datur reis, cùm, ut ipsi aiunt, non sua voluntate, sed ex necessitate, deliquerunt? Cur laborat agricola, si ita natus est, ut ei divitiæ aut opes affluant?*

Accedit ratio Theologica, ex ordine quem Divina in rebus Providentia instituit, quo inferiora per superiora, & minùs nobilia per nobiliora regantur. In homine autem duo sunt, Anima & Corpus. Hoc, quia passibile & mortale est, inferius est corpore cœlesti, & ideò ei directè subditur; Anima verò cùm Deo assimiletur, longè nobilior est Cœlo & planetis; eis igitur directè & per se non subditur; consequenter nec fato, seu dispositioni siderum, sed à seipsa regitur, & à sua libera voluntate. Item, quando duo motores faciunt impressionem in eadem re mota, si unus est altero nobilior, & potentior, & immediatior, erit etiam ad imprimendum efficacior: sed corpus nostrum duobus motoribus subjacet, scilicet corpori cœlesti, & animæ rationali; quæ cùm sit corpore cœlesti nobilior & potentior, & corpori immediatior, etiam erit ad imprimendum efficacior. Vnde quantumcunque Mars ad iram corpus inflammet, Mercurius ad furtum, Venus ad luxuriam, & sic de cæteris, movendo sanguinem; tamen plus his omnibus poterit anima benè ordinata ad resistendum, quàm humor in malum pronus ad peccandum: alioquin, si fatum & sidera dominantur actionibus hominum, sequeretur in eo nec voluntatis, nec libertatis quidquam superesse: quæ cùm sint apertè falsa, dicendum actus humanos, & voluntarios, non subdi fato.

1. de fato

L. 4. Hexam.

Appositè D. Gregorius Nissenus. *Cùm videris*, inquit, *Cœlum & Astra, scito creata in ministerium, non in dominium tui.* Et D. Ambrosius: *Bonus quidem est Sol, in ministerio, non in imperio: bonus meæ fœcunditatis adjutor, sed non creator effectuum meorum, formator bonus; meorum alitor fructuum, sed non auctor.*

Et D. Damascenus: *Actuum nostrorum nequaquam sunt causa corpora cœlestia: nos enim liberi arbitrij à Conditore facti, domini etiam nostrorum existimus actuum.*

D. Damascen.

Eumdem errorem revincit D. Augustinus exemplo geminorum, qui uno conceptu, momento, concubitu seminati, & perexiguo, in nascendo, separati; ut sub eodem sidere nati, in vita tamen, actionibus, eventis, moribus, humoribus, atque in ipsa morte inveniuntur tam dissimiles. Inter quos tamen, si ut Chaldæi, aut Genethliaci volunt, ab aspectu & positione siderum, sub qua quis conceptus aut natus est, totius vitæ ac fortunæ series seu fatalitas dependet, deberet esse summa similitudo. Sicut de facto, in Esaü & Iacob geminis, uno concubitu & partu conceptis, & natis, sic alter post alterum, ut posterior plantam prioris teneret, & immediatè præeunti succederet; inter quos tamen perpetua discordia, oris & moris tanta distantia. De quibus hæc alibi S. Doctor: *Horum certè dies atque hora nascentium aliter notari non posset, nisi ut amborum constellatio esset una: quantùm autem intersit inter amborum mores, facta, labores, atque successus, Scriptura testis est, iam ore omnium gentium pervagata.*

Lib. 5. de C.D.

S. Aug. lib. 2. de doct. chr c. 22.

Quòd si dicat Astronomus, hanc diversitatem morum, & fortunæ, procedere ex illo intervallo temporis, quod inter geminos fluxit, quo magnum cœli spatium percursum est; respondet sic S. Augustinus, rotæ Nigidianæ rapacitatem exsibilans: *Hoc*, inquit, *figmentum fragilius est, quàm vasa quæ illa rotatione finguntur: nam mirum est, quòd tam modica particula cœli tantæ diversitatis causa sit.* Quòd si tam multum in cœlo interest, quod Constellationibus comprehendi non potest; ut alteri geminorum hæreditas obveniat, alteri non; quomodo possunt judicare respectu non geminorum, habentium diversas constellationes.

Propterea sana mens, & recta fides, Astronomica in ortu conceptuque judicia, ut vana, rejicit & damnat, & universim vanitatem hujus artis: nec propterea tollit influxum siderum, quatenus à Deo reguntur in hæc inferiora, sed ad effectus naturales, non in actus humanos: valeant in corpus, non in animam, Deo immediatè subjectam, ipsis astris superiorem; saltem ut ne ejus libertati vim ullam inferant. Movent quidem, excitant, incendunt corpus; sed animæ, sed rationis imperiũ non labefactant.

Sive ergo fati nomine intelligas positionem siderum rebus necessitatem imponentem, sive eamdem à divina voluntate impendentem, sive subjectam, ita tamen ut ab ea quis necessariò sit probus vel improbus. Sive illa stellæ dicantur significare, non facere; prædicere futura, non agere; ista omnia, quibus fatum intelligunt, fides non recipit, ratio Christiana non admittit, Theologia non patitur. Quòd si quis, fati nomine, ipsam Dei voluntatem, vel potestatem, vel Providentiam intelligat, sententiam teneat, inquit Augustinus; sed linguam corrigat: quia hæc fati vox Christiano in ore malè audit.

Lib. 5. de C.D. c. 1.

Quanquam sic libenter admittitur, ut dicitur rebus mobilibus inhærens dispositio, per quam Divina Providentia suis quæque nectit ordinibus. Vel sic, Fatum est ordinatio, seu series causarum secundarum ad suos effectus dependenter à Deo. Ista autem ordinatio causarum secundarum, prout est unita Divinæ menti, est Divina voluntas, seu Providentia; prout eadem est in ipsis causis applicata & digesta, est fatum: quasi dicas effatum, seu oraculum Dei, quod in Divina mente de hoc vel

Digitized by Google

illo est pronuntiatum & decretum, seu præscitum; & secundùm hoc dicitur, FATI VIS & NECESSITAS INSUPERABILIS.

Quòd si in Æschilo,& aliis certæ prædictiones videntur impletæ,casu, vel arte occulta Dæmonum ,ita accidisse credendum est " quorum cura est (ait S. Augustinus) has falsas & noxias de astralibus fatis inserere mentibus humanis. Talibus enim disputationibus etiam orandi causas nobis auferre conantur; & impia perversitate in malis factis, quæ rectissimè reprehenduntur, ingerunt accusandum potiùs Deum Auctorem siderum, quàm scelera hominum. „ Et paulò post concludit:" Ideoque fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur; quod cùm ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est, quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensûs acumine vigent; partim experientia callidiore, propter tam magnam longitudinem vitæ; partim à sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ sinceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus, etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Quapropter bono Christiano sive Mathematici, sive quilibet impiè divinantium, maximè dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio Dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant. „

Lib.5. de C.D.c.7.

Lib.2. de Gen. ad lit.c.17.

Hanc divinandi, seu potiùs conjectandi, in Dæmonibus facultatem Tertullianus eleganter exprimit in Apologetico: " Momento ubique sunt, totus orbis illis locus unus est; quid ubi geratur tam facilè sciunt, quàm annuntiant. Velocitas, Divinitas creditur; quia substantia ignoratur, &c. Habent de incolatu aëris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium cœlestes sapere paraturas, ut & pluvias quas sentiunt repromittant. Lædunt primò, deinde remedia præcipiunt,ad miraculum nova, sive contraria, post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur.

Cap. 22

Digitized by Google

TITVLVS XXI.

DE DIVINATIONE.

FABVLA.

De Bobus somniantibus.

BVBVLCVS manè ingressus stabulum, & solvens Boves ut adaquatum duceret, invenit eos solito hilariores. Interrogavit, quid esset? quæ causa ipsis lætitiæ? illi, non sine causa, inquiunt, exultamus, scimus enim nos hodie vacaturos. Vacaturos? ait, sed unde hoc scitis? respondent, Quia sic fore hac nocte somniavimus. Nec tantum feriaturos, sed & in optimis pascuis diem acturos. Si somniastis, inquit, malè somniastis; aut ego aliter etiam somniavi; scilicet hanc diem integram vos araturos, & experimento probabitis, vana esse vestra, & plerumque aliorum, somnia. Moxque cœpit eos sub jugum mittere, & vomerem aratro aptare. Quo illi tristes effecti, heu dicebant, quàm subito spes nostræ mendacio fultæ vanuerunt; quis credat deinceps in somniis?

De Muliere venefica.

QVædam Mulier non modicum ex suis divinationibus & mendaciis quæstum captans apud imperitam plebem, promittebat Deorum iras in se infensorum suis artibus placaturam. Contigit ut ipsa impietatis apud Iudices postularetur, eorumque judicio damnata ad patibulum duceretur, cui plebs ô insanam, mendacemque creaturam, tu quæ nuper cœlestium iram à plebe avertere profitebaris, humanam in te mutare, nec lenire potuisti?

Mercurius & Tiresias.

TYresiæ vatis, augurandi scientia nulli secundi, Mercurius, artem probaturus, formam hominis induit, & abactis ejus bobus, qui prope mœnia urbis in agro pascebant, venit ad eum, quasi aliquid ab eo sciscitaturus. Illis confabulantibus venit Nuncius, qui Tyresiæ boves suos amissos dixit. Tunc ille assumpto Mercurio prodit foras, in locum editum de auium volatu augurium capturus? Et quia cæcus esset, petit à Mercurio, num avem aliquam cernat, video Aquilam, inquit, a læua

Digitized by Google

ad dextram volantem. Nihil illa ad nos inquit Tiresias, observemus aliam. Tum secundò. Video, ait Mercurius, Cornicem, quæ modo rostrum in cælum, modo in terram versus, tendit. Tunc Tiresias, hæc Cornix sine dubio contestatur cælum & terram, si tu velis meos me boves recepturum. Hæc ut præcedentes, artis divinatoriæ vanitatem ostendunt.

De Vaticinatore.

Circulator quidam medio in foro Divinatoriam profitebatur, & inspectione manuum cujuslibet sortes augurabatur, magna plebeculæ turba stipatus, quam dum suis præstigiis incautam teneret, quidam ipsi annunciat effractas fores domus suæ, & omnia à latronibus direpta & asportata. Quo audito turbatus, relictis omnibus ad domum cucurrit. Tunc unusquisque exclamare, ô illusor, & mendax, aliorum sortem divinare, & scire te dicis, & tuam nescis. Innuit vanitatem artis divinatoriæ.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

DIVINATIONIS PER ASTRA, AVGVRIA, SOMNIA, ET ALIA ID GENVS, VANITAS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

ANTIQVI, & præcipuè Romani, in tanto honore Auguria habuere, ut nullum pacis bellive consilium liceret aggredi, non captatis priùs auguriis. Qua in re adeò fuere superstitiosi, ut in re gravi omittere, piaculum esset; aut si quid vel minimum sinistri interveniret, ab incœpto desisterent, ut à minima fausti scintilla, omen arriperent. (Val. Max Lib. 1. c. 6)

Auguriorum (quæ propriè ex avium volatu, cantu, aut pastu capiebantur, & inde ad quodcunque divinationis genus traducta sunt) cœpit auctoritas, ex eo quod L. Tarquinio Regi contigit, qui cùm equitum Centurias novas priscis vellet adjicere, & ab Atio Navio Augure prohiberetur, & offensus interrogasset, *Posset-ne fieri quod ipse mente tractabat? Posse fieri dicente, jussit Novacula Cotem discindi; qua allata, quod promiserat, effectum est. Inde Auguriys*, inquit T. Livius, *tantus honos accessit, ut nihil bello domique posteà, non consultis avibus fieret.* (Val. Max l. 1. c. 42.) (Lib. 1)

Quo in genere adeò superstitiosi erant, ut inter auspicia, sacraque, minima pedum offensio, aut sternutatio, aut musculus apparens, aut strepitus ingruens, infausti ominis loco haberetur, & à prosequendis negotiis absterreret; aut contrà, exequendis incenderet. Prioris generis Q. Sulpitius Sacerdotali dignitate privatus dicitur; quia pileus, quo Flamines utebantur, è capite dilapsus fuit. Et C. Flaminius Magister Equitum è (Val. Max l. 1. c. 5. & 6. & Plin. l. 2. c. 7.) (L. 2. c. 25)

Digitized by Google

dignitate à Dictatore Minutio exturbatus; quia dum nominaretur, soricis strepitus auditus.

Posterioris sit, quod Paulo Æmilio contigisse omnes scribunt, qui è Curia, qua die Macedonici belli provincia in Perseum regem ipsi demandata fuerat, domum reversus, cùm filiolam suam, nomine Tertiam, reperisset lachrimantem, amplexatusque rogasset, *quid esset quòd adeò tristaretur? Respondit illa: Lugeo, mi pater, quia Perseus noster mortuus est*: id erat nomen catelli puellæ in deliciis. Tunc parvulam exosculans pater; *Omen*, inquit, *accipio, filia*: *eoque fortuitò dicto, quasi certam spem clarissimi triumphi animo præsumpsit*, in quo Perseum regem vivum Romam perduxit.

Val. Max l. 1. c. 53

De Nerone non abs re notavit Suetonius, quòd in Oedipode fabula, quam ultimam recitavit, decidit ultimò in hunc versiculum, quasi suo funeri proludens:

Sueto. in Nerone

Θανεῖν με ἄνωγε σύγγαμος, μητὴρ, πατήρ.

Iussit mori me mater, uxor & pater.

Nam Oedipus patrem inscius occiderat, & matri nupserat. Ita Nero sciens, Claudium patrem occiderat, & matrem constupratam, & uxorem suam Octaviam.

Quod attinet somnia, Mater Augusti, eum in utero gestans, somniasse fertur, *sua viscera in Cœlum ascendere usque ad astra, unde nubes & terram obumbrarent*; *Octavius, pater ipsius, nasci solem è visceribus suæ conjugis.*

Plutar. in V. Aug.

Quid quod Iulio Cæsari Capitolium subeunti Cicero comes retulit, nocte eadem vidisse se in somnis puerum elegantissimæ formæ de Cœlo catenâ aureâ descendentis, cui ad portam Capitolij stanti Iupiter in manus flagellum dedisset (servorum notam, fortè indicans, ipsum Romanos olim sub servitutem missurum) quo tempore Octavium juvenem prope avunculum conspicatus, quem secum Iulius Cæsar ad sacrificium duxerat, ipsum esse, qui in somnis apparuisset, protestatus est.

Iam si ad inspectionem siderum reflectamus, non minori prodigio videbitur, quod hac arte Spurina Aruspex viderat, & monuerat Cæsarem, *caveret sibi discrimen ingens, quod ultra Calendas Martias non proferretur.* Eo die cùm iret suo more in Senatum, Spurinæ fortè obvio dixit: *Quid ais? venere Calendæ Martiæ. Et ille: Venere, inquit, sed non præteriere*; quasi certus de eo quod prædixerat: nam eodem die viginti tribus ictibus confossus interiit. Tam certò astra de utroque Cæsare prænunciabant, ut in eis hinc avunculi, seu patris funus; inde nepotis, seu filij fortunam & fœlicitatem perlegerent.

Bruso l. 7 cap. 20 Plutar. in V. Cæsar.

Ferunt enim Augustum jam adolescentem, profectum Apolloniam cum amico suo Agrippa, invisendi ergo consulendique Theogenis insignis Mathematici, ut amborum nativitates ediceret: cui cùm Agrippa se priorem obtulisset contemplandum, eique maximas fœlicitates, fausta omnia, Theogenes promisisset; Augustus præ stupore & pudore recusans, horam suæ nativitatis voluit occultare: qua tandem data, & curiosiùs ab Aruspice inspecta, stupens Theogenes & mirabundus ad ejus pedes provolutus adoravit eum, ut cui Astra orbis terrarum dominationem imperiumque promitterent. Quo erectus Augustus, & spe ad maxima quæque elatus, deinceps horoscopum suum gavisus est publicare, & monetam cudere, in qua signum Capricorni, sub quo natus erat, videbatur.

Hæc, & sexcenta alia hujus generis, omnis ævi, quæ in errorem Mor-

Digitized by Google

tales non paucos tenuere, & tenent, fidem divinationibus istis aliquam facerent, nisi oculatiores etiam Gentilium hujus artis divinatoriæ vanitatem, fallitatemque pervidissent, & risissent.

L. 1. c. 44

Quale est quod Valerius Maximus narrat de P. Claudio, qui cùm primo bello Punico prælium navale committere vellet, auspiciaque more Majorum petiisset, & Pullarius non exire pullos caveâ nuntiasset, *abjici eos in mare jussit, festivè jocans: quia esse, inquit, nolunt, largiùs bibant.* Quæ enim major fatuitas, ab istiusmodi bestiolis expiscari eventus magnalium?

Plutar. in V. Scip.

Sic Scipio Africanus, cùm in Africam magna classe appelleret, & de navi descendens fortè in terram cecidisset, quod alij in malum, hic in bonum traduxit, dicens: *Teneo te, Africa*; ut re vera eam Romanæ ditioni subjecit.

Alius quidam mane è lecto surgens, vidit à soricibus caligas suas arrosas. Consuluit Catonem, quidnam portenti esset. *Nil portenti est*, inquit, *quòd sorices tuas caligas arroserint: fuisset, si caligæ sorices rosissent.* Alius territus quod clavem reperisset serpente circumvolutam, *non esse mirum* à quodam reprehensus est, *quòd serpens complexus esset clavem, sed si clavis serpentem.*

Val. Max l. 7. c. 3

Quod sequitur, festivam Augurij mali evasionem habet. Alexander aliquando sorte monitus fuerat, ut eum qui sibi in porta urbis primus occurrisset, immolari juberet, Asinarium sibi obviam factum ad mortem arripi imperavit; eoque quærente quidnam commeruisset, ut capitali supplicio addiceretur, cùm Oraculi præceptum retulissent: *Si ita est*, inquit ille, *ô Rex! alium sors huic morti, non me, destinavit: nam asellus, quem ante me agebam, tibi primus occurrit.* Delectatus Alexander hominis tam callido responso, occasionem in alio animali expiandæ religionis arripuit.

L. 7. c. 2

Misonianus quidam, ut refert Fulgosius, inspiciens equitum turmam, in qua ipse erat, morantem, quòd Augur ex ave quadam augurium capere vellet, arcum tetendit; & quasi causas moræ non attenderet, emissa avem sagitta confodit, & ad socios conversus ac ridens, ait, *parum consilij & opis ab irrationalibus posse sperari, ab hominibus, quæ se spectant, nescientibus.*

Superstitionis, seu artis hujus vanitatem apprimè noverat Cato, *qui mirari se dicebat, quòd non rideret Aruspex Aruspicem videns: quota enim res evenit prædicta ab istis? aut si evenit quidpiam, quid afferri potest, inquiebat, cur non casu id evenerit?* Ita refert Cicero.

Lib. 2. de Divinat.

Idem viderat ante Catonem Diogenes, qui cùm animo versaret suo Philosophorum, Medicorum & Politicorum industrias, *dicebat homine nil sibi videri sapientius aut perfectius. Cùm verò contemplaretur Astrorum Inspectores, Conjectores & Divinatores, nihil homine stultius atque stolidius affirmabat, qui talibus delirijs vacaret aut crederet.* Igitur eam artem ut inutilem volebat expungi; eosque taxabat, qui mala velint prænoscere, quæ cognita à se non valeant propulsare.

Lib. 3. Eleg. 4.

Quid enim somniis ineptius, nisi ille qui ea scrutatur & consectatur? Vt benè Tibullus:

Dij meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quæ tulit hesterna pessima nocte quies:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Eam artem, seu per somnia, sive per astra, divinandi, ut ridiculam quidam Dæmonax habens, cùm Augurem in publico intueretur vaticinia

Digitized by Google

nia sua, mendaciaque vendentem, dixit: *Si potes Parcæ decreta tua arte depellere, exiguam mercedem postulas: si non potes, quid prodest tua divinatio?* Nam bis miser esse cupit, qui mala, quæ vitare nequit, amat præscire.

Optimè in hanc rem apud AuluGellium Phavorinus Philosophus: *Aut adversa,* inquit, *eventura dicunt, aut prospera: si prospera, & fallunt, miser fies frustra expectando: si adversa, & mentiuntur, miser fies frustra timendo: si vera respondent, eaque sunt non prospera, jam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias. Si fœlicia promittunt, eaque eventura sunt, tunc planè duo erunt incommoda; & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fatum spes tibi defloraverit. Nullo igitur pacto utendum est ijs hominibus res futuras præsagientibus.* Ita ille optimè.

Consonat Accius Poëta, dicens:

Nihil credo Auguribus, qui aures verbis divitant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Et Lyricus: L.1.Od.9

Quid sit futurum cras, fuge quærere, &
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Appone.

Idem Ode 11.

Tune quæsieris scire, nefas, quem mihi, quem tibi,
Finem Dij dederint, Leuconoë, nec Babilonios
Tentaris numeros, aut melius quidquid erit pati:
Seu plures hyemes, seu tribuet Iupiter ultimam.

Idem lib. 3. Ode 29.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus,
Ridetque, si Mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest memento
Componere æquus: Cætera fluminis
Ritu feruntur, &c.
Ille potens sui,
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse Vixi: cras vel atra
Nube polum, Pater, occupato
Vel solo puro.

Digitized by Google

DIVINATIONIS PER ASTRA, AVGVRIA, SOMNIA, ET ALIA ID GENVS, VANITAS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

Levit. 19

QVAM districtè à Deo prohibeatur Divinatio cujuscunque generis, patet ex Scripturis passim. In Levitico: *Non augurabimini,* inquit, *nec observabitis somnia. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini.* Quibus verbis, pro his vocibus, *Non observabitis somnia,* Rabini & Oleaster vertunt, *Non eritis præstigiatores,* quò artis hujus professoribus dedecoris notam inurant. Et paulò post: *Vir sive mulier, in quibus Pythonicus, vel Divinationis spiritus fuerit, morte moriatur.*

Levit. 20

Deut. 13

In Deuteronomio: *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium se dicat vidisse, & prædixerit signum & portentum, & evenerit quod locutus est, non audietis verba Prophetæ illius, aut Somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester.*

Convenientiùs adhuc ad mentem præsentis fabulæ, quæ Divinationis vanitatem suggillat, Ecclesiasticus. *Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum; sic qui attendit ad visa mendacia. Divinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia maleficientium, vanitas est.* Item: *Multas curas sequuntur somnia.* Ibidem: *Vbi sunt multa somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri.*

Eccl. 34

Cap. 3

Jerem. 27

Patuit hoc ad stuporem in Prophetia Ieremiæ ex conflictu falsorum Prophetarum: Illius, ex parte Dei Sedeciæ Regi, & populo nunciantis, ut Regi Nabuchodonosor ad tempus servirent; horum ex opposito contra stantium, ac dicentium in spiritu erroris: *Non servietis Regi Babilonis.* Ad quos omnes missus est Ieremias, collo oneratus & constrictus vinculis, ac catenis, dicere: *Nolite audire Prophetas vestros, & Divinos, & Somniatores, & Augures, & maleficos, qui dicunt vobis, Non servietis Regi Babilonis; quia mendacium prophetant vobis,* &c.

Quo loci, distinguenda veniunt tria Auguriorum, seu somniorum, & aliorum ejusmodi, genera: Divina, Naturalia, Diabolica.

Illa sunt à Deo immissa, quæ sui miraculo mentem attonitam & attentam, simulque certam efficiant; sive ea sint ad bonum publicum, qualia fuere Pharaonis, septem vaccarum, & septem spicarum pinguium; & septem aliarum succedentium, præ macie & fame aridarum. Et Nabuchodonosoris statuæ illius immanis Iosepho conjectore, dicente de primo: *Quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni.* De secundo, Daniele: *Est Deus,* inquit, *in Cœlo revelans misteria, qui indicavit tibi quæ ventura sunt in novissimis temporibus.*

Gen. 41

Dani. 2

Gen. 2

Cui generi referendus extaticus ille Protoparentis Adami somnus, formandæ mulieri prævius, & quasi obstetricans; de quo Scriptura: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam.* Somnus tam mirabilis, ut & dormitans plagam non sentiret, & tamen quod in se fiebat, adverteret: unde evigilans dixit: *Hoc nunc os, ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Insuper perspi-

Digitized by Google

caci oculo abscondita à sæculis mysteria penetrans, Christi cum Ecclesia conjugium, suo præfiguratum, prædixit, & Sacramenta de Christi latere dormientis defluxura præsensit.

Sunt & divina somnia aliquando ad bonum privatum, qualia ejusdem Iosephi adolescentis, suæ parentibus & fratribus præsaga fortunæ; & Pincernæ, Pharaonis in pristinum statum restituendi. Aliquando ad manifestationem Divinæ Iustitiæ, cujusmodi fuit secundum somnium Nabuchodonosoris, de procera arbore humilianda, & exscindenda; & visio Baltazar Regis convivantis, manus in pariete suam sententiam characteribus incognitis describentis.

Dan. 4

Naturalia sunt, quæ causas naturales habent, seu ex præcedenti cogitatione ingesta, seu ab affectione mentis impressa, seu ab exundante temperamenti humore illata: ex sanguine, jucunda; aquosa, è phlegmate; ex atra bile, tristia; ex flava, violenta: ex quibus conjectare licet effectus suis causis & principiis proportionatos.

Præcipuè verò terrentur somniis, & imaginibus criminum, scelerati, qualem describunt Neronem, agitatum diu noctuque furiis & imaginibus eorum quos occiderat; qualem (ne, quibus meipsum circumscripsi, metas sacrorum librorum excedam) libri Machabæorum describunt sævum juxta & impium Antiochum, qui moriens, imaginibus territus scelerum, dicebat: *Reminiscor malorum quæ feci in Ierusalem*, &c.

Machab. 1 c. 6

Tertij generis somnia, seu Auguria, quæ supra attulimus, dicuntur Diabolica, ab operatione Dæmonis, quocunque tandem modo id fiat. Tales erant vaticinationes puellæ, quam sibi in Actis occurrisse narrat Apostolus, habentis spiritum Pythonem; cujus misertus Paulus, Pythonem in nomine Domini Iesu ab ea exire præcepit. Qua sanata, domini ejus, spe quęstûs, quem ex arte Diabolica venabantur, frustrati, gravem in Apostolum persecutionis procellam concitaverunt.

Actor. 16

Hujusmodi auguria generaliter Divina lege prohibita sunt, ut ex locis supra citatis ostendimus. Cujus peccati gravitas vel inde satis exprimitur, quòd primo Regum inobedientia Saülis expressæ voluntati Dei, peccato Hariolandi ferè simile dicitur.

1. Reg. 15

Nec refert hîc allegare Scripturam in persona Iosephi, fratribus suis per servos suos imponentis, dicentem: *Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet.* Item: *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* Hæc enim ex mysterio sanctus vir non seriò, sed joco loquebatur, & secundùm modum opinionemque Ægyptiorum, Deum nescientium, non suam; ut communiter Auctores.

Gen. 44

V. apud Cornel. à lapid. hic

Non sic Balaam, quem Scriptura Ariolum nuncupat, & Magum, & Augurem, Prophetam Diaboli, non Dei; Idolum Baal consulere solitum: quanquam, Deo sic dispensante, Divinis etiam fuerit Prophetiis illustratus, ipse licet invitus, & Deo invisus, illa prædiceret.

Num. 22 23. 24

Hîc factum & fatum Saülis regis impiissimi, juxta & infœlicissimi, Divinationem per Pythonissam captantis, futuri, sui & prælij contra Philisthæos eventus, curiosæ considerationis locum aperit. Primò, quî is homo, regni jam & gratiæ Divinæ exors, à Deo reprobatus, mentis & consilij inops, qui *consuluerat Dominum, & non responderat ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*, putavit Deo irato ac relicto, posse ope Dæmonis futura sciscitari. Secundò, quî is ipse, qui nuper Ariolos

1. Reg. 28

Digitized by Google

ex terra Israël penitus abstulerat (quia, ut Hebræi perhibent, ultrò vel coacti publicabant David regnaturum) eos nunc repetit, requirit ac consulit? nisi quia sic *Impij in circuitu ambulant*, sic nutant & mutant consilium. Tertiò, mirum est quod Saül Samuelem, quem vivum despexerat & oderat, quærat mortuum, & per Pythonissam suscitandum speret, biennio antè vita functum. *Suscita*, inquit, *mihi Samuëlem.* Vltimò denique, omni admiratione majus videtur, quòd mulier profana & peccatrix, arte prohibita & Diabolica, sanctum virum à mortuis revocarit, & per eum sive reapse suscitatum, sive in ejus specie spiritum malum, prælij & sui & filiorum suorum, & totius exercitûs, cladem Saüli reserarit, & necem.

Quibus paucis respondendum. Primò, nulla arte Magica, seu Diabolica, potuisse suscitari defunctum, multò minus sanctum Prophetam; licet mulier præstigiatrix à Saüle petiisset, *Quem suscitabo?* & ille respondisset, *Suscita mihi Samuëlem*: utpote tali effectu superante vires cujuscunque creaturæ, licet per artem illam fieret ut Dæmon effricto, quod potest, corpore, in specie demortui, quem quis vellet, appareret, qui illicita quærentibus, mendaciis illuderet, dicente Glossa " Mulier Pythonissa non suscitavit Samuëlem, sed evocavit Dæmonem. „

Glossa in c.29. Isai.

Secundò, ex Lyrano, Animam Samuëlis Divina virtute, & Deo sic dispensante, apparuisse, quatenus Saüli ob sua demerita, sententia Divina, mox super eum implenda, annuntiaretur, per quem viventem reprobatio à regno ipsi fuerat prænuntiata. Cui opinioni astipulatur Scripturæ auctoritas, laudantis sancti Prophetæ memoriam, his verbis: *Et post hoc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ*, &c. Vtramque opinionem Rabanus, Beda, & D. Augustinus amplexati videntur, cùm neutrum sit contra fidem. " Occulto, inquit hic, apparatu mysteriorum suorum, talibus spiritibus aliquid Divinationis impertit, ut quod audiunt ab Angelis, pronuntient hominibus, non docendi, sed decipiendi fine.

De Lyra in c.28. 1. Reg. S.Thom. 2 2.q.95. a.4.ad 2

Eccl.46

S Aug. ad Simplicianũ l. 2

Itaque inconcussa maneat conclusio, Divina lege prohibitum consulere Planetarios, & Mathematicos, & Augures, & Conjectores somniorum, & nihil ex ea arte, nisi mendacium, & vanitatem expiscandum.

Quod S. Augustinus passim inculcat, sed speciali suo experimento confitetur & scribit, ex consuetudine cujusdam doctissimi Medici didicisse, cujus ope & consilio summus Medicus uti voluit, ut ei hujus morbi insania laboranti, medicaretur. Sed præstabit eum de se referentem audire. " Vt cognovit, inquit, ex colloquio meo libris Genethliacorum esse me deditum, benignè & paternè monuit, ut eos abjicerem, neque curam & operam rebus utilibus necessariam, illi vanitati frustra impenderem; dicens ita se illa didicisse, ut victui suo ejus professionem primis annis ætatis suæ deferre voluisset, qua vitam degeret, &c. Et tamen non ob aliam causam se posteà illis relictis, Medicinam assecutum, nisi quòd eas falsissimas comperisset, & nollet vir gravis decipiendis hominibus victum quærere. At tu, inquit, quo te in hominibus sustentas, Rhetoricam tenes: hanc autem fallaciam libero studio, non necessitate rei familiaris, sectaris: quò magis mihi te oportet de illa credere, qui eam rem perfectè discere elaboravi, quàm ex ea sola vivere volui. „ Ita ille ad Augustinum; qui ibidem Deo gratias agit, quòd ab eo morbo sanus effectus est. Quam illi salubritatem, addit, interficere conantur, cùm dicunt:

Lib.4.c.

L.3.Confess. c.3

Digitized by Google

De cœlo tibi est inevitabilis causa peccandi, & Venus hoc fecit, & Saturnus, aut Mars, scilicet VT HOMO SINE CVLPA SIT, CARO ET SANGVIS, ET SVPERBA PVTREDO, CVLPANDVS SIT COELI AC SIDERVM CREATOR ET ORDINATOR.

Explodenda igitur & ablegandа est hæc scientia, seu potiùs fallacia Inspectorum & Conjectorum, & sectanda doctrina sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, qui aliam futurorum scientiam, quàm in Divina lege & sanctis libris non investigant.

Astrologi quidem Iudiciarij, & Theologi, id inter se commune habent, quòd utrique futura prædicere se dicunt: hoc discrimen, quòd isti vera semper annuntient; illi, utplurimùm incerta & falsa, uno verbo mendacia pro veris ingerant. Cæterùm, amborum phœnomena, & principia augurandi, valde differunt: nam Astrologi, quæ ventura eventilant, in cœlo & astris inspiciunt, ab occursibus siderum, sed ascendentium; Theologi verò nostri, quid sit futurum in cœlo per æternitatem, quæ sors quemque maneat, vident in terra, contemplatione operum, quæ quisque hîc facit: V. G. *Qui occiderit, aut irascitur, reus erit judicio: qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit consilio: qui dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* E contrario, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, &c.*

Math. 5

TITVLVS XXII.
DE FORTVNA.

FABVLA.

De Paupere & Thesauro.

QVIDAM Pauper, nil præter tuguriolum possidens idque ruinam minitans, quibusdam propterea palis suffultum, ex agro rediens reperit eversum, ejusque reparandi impotens, acerbos ploratus edebat. Accidit autem ut cum inconsolabiliter plangeret, huc & illuc oculos versans, adverteret urnulam inter rudera, & saxa maceriæ dejectam, quam cum sustulisset, & aureis nummis plenam invenisset, insolito gaudio perfusus, lachrimas abstersit, & ejulatus repressit. Quo docemur miserabilibus quandoque personis fortunam cum minus sperant, adesse, & mutare vultum.

De Piscatoribus.

PIscatores jactis in mari retibus diu multumque fatigati, nil cœperant, & jam tædio, labore, ac desperatione victi, abire decreverant, fortunam incusantes, cum insperato piscis immanis ab alio actus, in ipsam piscatorum tristium scapham insilit. Quem hi supra modum lætantes comprehendunt, & fortunæ Deæ acceptum referunt, quod ars diu tentata negaverat.

De fortuna Divitis & Pauperis.

QVidam Prædives fortunæ donis satiatus & cumulatus ad plenum, imo ad nauseam, homini mendico centum aureos nummos obtulit, ut ad fortunam suam pergeret longissime degentem; eam suo nomine rogaturus, ut suis beneficiis in se modum, metamque poneret. Recusat conditionem Pauper, difficultate longissimi itineris exterritus, sed mox facti pœnitens, recipit se facturum. Dives è summa oblata, decem nummos detrahit: Pauper negat, postea promittit. Sed etiam alios decem aureos deducit, sicque vicissim, iste minuendo, ille rejiciendo, mox acceptando, eo deventum, ut Pauper premente inopia, decem aureis contentus ad fortunam Divitis se conferret, rogitans, ut à largiendis Diviti opibus abstineret, ut pote ipsi molestis, & in se egentem derivaret. Ad quem fortuna, spretis utriusque postulatis, meæ divinitatis, inquit, jura nescitis? Dare

ſcilicet meas opes nolenti, negare volenti. Libet hunc, amplius ditare Divitem, te linquere Pauperem. Addens, etiam nummos quos accepiſti, niſi me tunc occupaſſet ſomnus, non habuiſſes. Quod ſæpe ſæpius in rebus humanis perſpicitur, ut ille volens, nolens diteſcat, & augeatur; iſte in dies minuatur, & quidquid aget, fiat pauperior.

De Agricola & Fortuna.

QVidam Ruſticus terram fodiens theſaurum invenit, acceptique beneficij memor, telluri, ut bene factrici ſuæ quotidie munera, flores, coronas, libabat; quod cernens fortuna, indignata, dona ſua alteri deputari, Ruſtico aliquando aſtitit, cui indignabunda, heus tu, ait, ingrate, quid terræ tribuis gratiam, quam mihi debes? Ego ſum quæ ditavi te. Quoties invocaſti me? & iterum ſcio, es rogaturus? aut ſi quando in alienas manus, aurum quod inveniſti, tranſierit, iterum me licet beneficam, ream facies, & accuſabis? ita fortuna à cunctis adoratur ut Dea, accuſatur ut rea.

De Puero & Fortuna.

DOrmienti Puero, ſuper os putei fertur aſtitiſſe fortunam, eumque excitaſſe dicendo, exurge, ô Iuvenis, & abi hinc ocius, novi enim genium hominum, & tuum, quod ſi in puteum labereris, non te, aut tuam ſecordiam, ſed fortunam incuſabitis. Ita ab unis laudatur fortuna, ab aliis vituperatur, tam immerita, quam non rea.

De anu temerè dæmonem aut fortunam, incuſante.

QVia ſolent homines in Fortunam, modo in Dæmonem, quidquid mali agunt, & peccant, refundere, quandam vetulam volentem in arborem aſcendere ſoleatam, Dæmon prævidens caſuram, aſtantibus, dixit, teſtes vos quotquot eſtis advoco, me, ſi vetula iſta cadat, innocentiæ meæ. Neque enim conſilio fui ut aſcendat. Illico aſcendit anus, cecidit, & cum præ dolore plangeret, interrogantibus, quid aſcendiſſet, Dæmon, inquit, cauſa fuit; qui aſtans, probavit coram teſtibus non alio dæmone, niſi ſe, aſcendiſſe, & cecidiſſe.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

FORTVNA A CVNCTIS ADORATVR, VT DEA; ACCVSATVR, VT REA.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

Persius Sat. 5.

QVOD cœcis, aut viæ ignaris contingit, ut ultrò falsos tramites eligant,

Iter ambiguum, & vitæ nescius error,
Diducit trepidas ramosa in compita mentes.

Ita Gentilibus amplexari quoscunque errores & opiniones devias. Sicut enim illi fixos & immobiles rerum etiam humanarum ordines sideribus & fato, ut suprà vidimus, ascripserunt; sic incertos volubilesque casus causæ volubiliori, quia veram nesciebant, fortunæ scilicet, importarunt; & ignari veri Numinis, falsa quælibet induxerunt; & intereà Fortunam Deam fecerunt, colueruntque; cui Romani, omnium gentium superstitiosiores, diu antequam virtuti, aras & templa extruxerunt. Quod Satyricus irridendo dicit: *Sed te*

Iuvenal. Sat. 10.

Nos facimus, Fortuna, Deam, Cœloque locamus.

Plutarc. l. de fortuna Romanor.

Romanique nominis & Imperij magnitudinem, victorias, fœlicitatem, huic Numini præcipuè tribuentes, ut Plutarchus observat, & pluribus firmat.

Plin. l. 36 c. 5

Plutar. in Coriol.

Plutar. l. de fort. Rom.

Cujus verò qualitatis aut formæ illam ut Deam non coluerunt? cùm *Bonæ simulachrum, opera Praxitelis in Capitolio erexerint, & Malæ, in Exquilijs. Muliebri ijdem* templum sumptibus publicis dedicarint, ob sedatum animum Coriolani per fœminas, Veturiam matrem, & uxorem Volumniam. *Masculæ, seu forti*, sub Anco Martio, quarto à Romulo Rege. Vt autem communibus Imperij votis, sic & specialiter multorum, & maximè Imperatorum, colebatur. Solebant enim Fortunam auream in cubiculis propriis asservare, ut sui, ac Imperij custodem, tutricemque. Vnde de Antonino Pio legitur, quòd cùm tertia die suæ ægritudinis, *se gravari videret, Marco Antonino Rempublicam, & filiam, præsentibus Præfectis, commendavit, Fortunamque auream, quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum jussit.* Hæc erat pignus Imperij.

In histor. Augusta Iul. Capit in Antonino Pio & Marco Anton.

Suet. in Galba, c. 18.

Vnde Suetonius in Galba refert inter monstra, & omina proximæ suæ necis, quòd cùm monile margaritis gemmisque confertum, ad ornandum Fortunam suam, ex omni gaza secrevisset, & mutato consilio, Veneri Capitolinæ dedicasset, proxima nocte visa est ipsi in somnis iratæ Deæ species, querentis se dono destinato frustratam, minantisque se abituram, & quæ priùs dedisset, erepturam. Quod de facto contigisse, mors ipsius non diu dilata probavit.

Quid autem Fortunæ potentiæ non permisit cœca Gentilitas? quid non laudis ac consilij, & operis ipsi attribuit? Fuit enim quorumdam opinio, omnia in hoc sublunari orbe fortuitò dispensari; de quib' poëta Satyricus:

Sunt

Digitized by Google

Sunt qui in fortunæ jam casibus omnia ponunt;
Et nullum credunt Mundum rectore moveri;
Natura volvente vices & lucis & anni;
Atque adeò intrepidi quæcunque altaria tangunt.

Iuvenalis Sat. 13.

In quos expressè, Fortunæ omnia tribuentes, Plutarchus conveniens eorum Theologus invehitur. *Si Providentiæ*, inquit, *opera, ascribenda dicimus fortunæ, sint fortunæ justitiæ quoque ac moderationis opera: sit Herclè etiam furari, compilare & lascivire fortunæ; dimissisque consiliis, permittamus nos fortunæ, seu ingenti vento, ut pulveris vel paleæ modo, ab ea impellamur, & hac vel illac jactemur. Tolle ergo Providentiam, & consultationem deliberationemque sustuleris, & veritatis investigationem, & sic delirauit Sophocles, cùm diceret:*

L. de fortuna.

Quidquid quæritur
Licet invenire: neglectum verò latet.

Et rursùs: *Discenda disco, & invenienda, si qua sunt,*
Inquiro. Voti quæ sunt, à Diis peto.

Quòd si cœco casu fiunt omnia, quæ non evertetur curia civitatis? Quod non dissipabitur consilium Regis? si omnia parent Fortunæ, quam contumeliæ causâ cœcam appellamus, quòd cœci in eam incurramus. Quid denique non faciemus? si postquam Providentiam, tanquam oculos, eruerimus, vitæ cœcam acceperimus ducem. Hæc ille optimè quidem.

In hunc sensum Sabellicus varios eventus Moisis, ortum, cunas, discrimina, Reginæ adoptionem in regnum, fugam, conjugium; ipsius denique vocationem à Deo in regimen, liberationemque populi sui, varios & mirabiles casus perpendens, concludit: *Qui hæc Fortunæ opera credit*, inquit, *cum Leucippo delirat, qui cœlum, & omnia quæ cœlo teguntur, Providentiæ ademit, & fortuitis atomorum concursationibus coaluisse existimavit.*

Porrò in nulla re, Paganica sapientia impegit stultiùs, aut turpiùs erravit, ac minùs sibi constitit, quàm dum ablegata Providentia, supremi Numinis volaticæ & phantasticæ Divinitatis regimini se commisit, & credidit; quam qui sibi ut faventem Deam coluit, mox aversam, ut ream accusavit; & cui templa & aras indulsit, mox convitiis laceravit.

Quod eleganter pro suo more Plinius. *Toto quippe mundo*, ait, *& locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum convitiis colitur, volubilis, à plerisque verò & cœca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium, sola utramque paginam facit, adeò obnoxii sumus sortis, ut sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.* Hæc ille non sine blasphemia & veritate. Non aliter apud Plutarchum Euripides: *Deus magna regit, parva verò nostra in manibus Fortunæ dereliquit.* Et Sallustius: *Profectò Fortuna in omni re dominatur, ea cunctas res ex libitu, non ex vero celebrat, & obscurat.* Et Cicero: *Magna vis est*, inquit, *in Fortuna ad utramque partem, vel secundas res, vel adversas. Nam & cùm prospero ejus flatu utimur, ad optatos exitus provehimur; & cùm reflavit, affligimur.*

L. 2. c. 7

L. de remed. iræ

In Catil.

2. Offic.

Eamdem symphoniam concinunt Poëtæ. Apud Virgilium Evander:

8. Æneid.

Me patria expulsum, pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His posuere locis.

Et Horatius sic alloquens Fortunam, ei ut Numini vota nuncupat;

Digitized by Google

Hor. l. 1 Ode 35

O Diva gratum quæ regis Antium
Præsens, vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.
Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus; te dominam æquoris;
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ;
Vrbesque gentesque, & Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt Tyranni, &c.
Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen, Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

Ita Poëtæ, & Auctores omnes, Fortunam magni Numinis instar habuere, & coluere; cui tamen Divinitati multa deesse, aut adversari videntur.

Quale est primò, quod ipsi plusquam industriæ, plusquam sapientiæ, plusquam virtuti, detulerunt. Ita Plautus.

In Pseud.

Centum doctûm hominum consilia hæc devicit Dea
Fortuna, atque hoc verum est, ut quisquis Fortuna utitur;
Ita præcellere atque sapere omnes dicimus.
Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus: stultum autem eum, cui venit malè.

Secundò, quòd cœca, inconstans, crudelis sine discrimine, ratione, judicio, struit, destruit; probat, improbat, merentes, & immerentes; ut dicat Boetius:

Lib. 2. de cõs. Phil. metr. 1

Hæc cùm superba verterit vires dextra;
Et æstuantis more fertur Euripi;
Dudum tremendos sæva proterit Reges;
Humilemque victi sublevat fallax vultum;
Non illa miseros audit, haud curat fletus,
Vltroque gemitus, dura quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, sic suas probat vires;
Magnumque suis monstrat ostentum, si quis
Visatur una stratus, ac fœlix, hora.

Idem vitium fortunæ perpetuæ inconstantiæ, cognoscit Petronius arbiter.

Rerum humanarum Divinarumque potestas;
Fors, cui nulla placet nimiùm secura potestas,
Quæ nova semper amas, & mox possessa relinquens
Ecquid Romano sentis te pondere victam?

Sed non est vitium Fortunæ Inconstantia; Natura est, ut benè Boëtius.

Lib. 2. pro. 1

Si ventis, inquit, *vela committeres, non quò voluntas peteret, sed quò flatus impelleret, promoveveris: si arvis semina crederes, feraces inter se annos sterilesque pensares: Fortunæ te regendum dedisti, Dominæ moribus obtemperes oportet. Si manere incipit, fors esse desiit.* Et paulò antè Philosophia sic Boëtium mœstum, & lugentem affatur: *Quid est igitur, quod te in mœstitiam luctumque dejecit? Novum*

Digitized by Google

aliquod inusitatumque vidisti? Tu si fortunam putas erga te esse mutatam, erras: hi semper ejus mores sunt, hæc Natura est, &c. Si probas, utere moribus, ne queraris: si perfidiam perhorrescis, sperne atque abjice perniciosè alludentem.

Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus
Obscura promens, hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hîc posuisse, gaudet.

Horat. l. 1 Car. Ode 34

Tertiò, insuper virtuti Fortuna contumeliosa est, & sæpiùs inimica: cujus rei Alciatus Emblematis conficiendi occasionem arripuit sub hoc Lemmate, Fortuna virtutem superans; Brutum in propria arma incumbentem pingens, cum his versibus:

Cæsareo postquam superatus milite vidit,
Civili undantem sanguine Pharsaliam,
Iam jam stricturus moribunda in pectora ferrum,
Audaci hos Brutus protulit ore sonos:
Infœlix virtus! & solis provida verbis,
Fortunam in rebus cur sequeris dominam?

Extincto Cassio in bello civili, quod pro libertate Reipublicæ gerebatur, cùm vidisset Brutus, res Romanas, & suas, malè cedere, & se superatum, quibusdam fugam suadentibus; *Non pedibus*, inquit, *fugiendum, sed manibus*; tandemque arrepto gladio in desperationem actus, seipsum, adjuvante Strabone, confodit, hos è Tragœdia Herculis versus usurpans: ὦ τλῆμον ἀρετὴ λόγος ἄρ᾽ ἦσθ᾽ ἄλλως, ἐγὼ δέ σε, ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ᾽ ἄρ᾽ ἐδούλευες τύχῃ. Id est, *O misera virtus! ergo nomen inane eras; ego verò te ut rem solidam exercui, quamvis tu interim fortunæ inservires*; hac blasphemia in Deum & virtutem significans plus momenti & virium fortunæ, quàm virtuti fuisse; qua dominante, boni quique pro causa Reipub. depugnantes, interirent, improbi vincerent, & rerum oppressa libertate potirentur.

Dion in Aug.

Paulò ante cùm Pompeio res infœliciter cederent, & ad Cæsarem inclinaret victoria, Cato pro causa Reipublicæ decertans dicebat, *in rebus Divinis multum esse caliginis, quòd Pompeio præter jus agenti fuissent omnia prospera; causam Reipublicæ tuenti, nil benè succederet.* Vterque impiè, Brutus & Cato; sed ille apertiùs, iste obscuriùs, blasphemavit.

Plutarc.

Inde eorum dogma, qui asserebant virtutem præter nomen, verba & voces, nihil aliud esse; quò spectant hi Menandri versus.

Desinite mentem habere: nam nil amplius
Humana mens est, tota fortunæ manet;
Mortalis autem fumus est Prudentia,
Nugæque, non vos pœnitebit, credite,
Quæcunque sentimus, agimus, vel dicimus,
Fortuna cùm det, nos quidem inscripti sumus.

Quo errore quid stultius? Sed ignoscendum cœcis, & captis lumine, si aberrent, aut cæspitent: quanquam in rerum Natura nihil injustius sit, quàm ignavos & sceleratos fortunæ muneribus cumulari, & extolli; virtute præstantes, privari, & dejici.

Digitized by Google

FORTVNA A CVNCTIS ADORATVR, VT DEA; ACCVSATVR, VT REA.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

VT fatum fides admittit, quatenus à Deo ordinatum, & Divinæ veluti Providentiæ effatum, à fando, ut observant S. Augustinus & S. Thomas: rejicit verò, ut vim cœcam siderum, effectus quoscunque vel naturales, vel voluntarios, necessitantem. Ita fortunam casumque, contingentibus fortuitisque dominantem, explodit, nisi sub imperio & nutu primæ causæ, cui nihil fortuitum, arbitrio suo omnia moventis.

Lib.5. de C.D. c.9 L.3. cótra gentes.

Ita enim apud Isaiam populo prævaricatori, qui erroribus Ægyptiorum, quibuscum versatus erat, adhæserat, apud quos Fortunæ Deæ litabatur, exprobratur: *Vos, qui dereliquistis Dominum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam.*

Isaiæ 65

In quæ verba Hugo Cardinalis. "Fortuna, inquit, est Dea fœlicitatis, vel divitiarum; & sicut Hieronymus,& Haymo dicunt," Erat in cunctis urbibus, maximè in Ægypto, & Alexandria, Idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni, & mensis, ponant mensam Fortunæ, refertam varij generis epulis, & poculum mulso mixtum. Vel quia, ut vult Haymo, fœlicem annum præbuerit, vel præbituram putant. Hoc autem faciebant & Israëlitæ, omnium simulachrorum portenta venerantes; & nequaquam victimas,sed hujuscemodi libamina mensæ Fortunę faciebant."

Addit: Quæ olim colebatur in Ægypto, modò colitur in toto mundo. *Pecuniæ enim obediunt omnia*, ut dicit Ecclesiastes. Et Ieremias: *A minore usque ad majorem, omnes avaritiæ student*, scilicet colendæ. Avarus enim facit de corde suo aram Fortunæ, & de membris facit ei hostias, & de sudore suo, & sanguine, libamina. Ita ille sacræ Scripturæ postillator illustris.

Eccl. 10
Ierem.6

Ex quo apparet, quòd avarus verus est adorator fortunæ, & consequenter ad omnia vitia projectus, si Ecclesiastico credimus dicenti: *Avaro nihil est scelestius; nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua, projecit intima sua.*

.I.10

Ad revincendum igitur duplicem suprà memoratæ Paganicæ superstitionis errorem, alterum Fortunæ Divinitatem affingentem,& tam falsò atque ineptè facientem Deam hominum, quàm ream multiplicium eventuum sinistrorum: alterum, tali Numini cum Epicuro, & Democrito, & Poëtis, compingentem potentiam,non solùm supra omnes effectus contingentes & fortuitos, sed etiam supra ipsos actus humanos, independenter ab omni alia causa superiore; de qua fortè in persona hujusmodi hominum fortunæ ancillantium dicebat Salomon: *Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec Doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus.*

Eccl.9

Digitized by Google

Dicendum, omnia Divinæ ordinationi ac Providentiæ ſubjacere, ut cauſæ primæ, ac univerſali rerum omnium: quod Theologica ratione ſic confirmat D. Thomas: " Cùm enim, inquit, omne agens agat propter finem, tantum ſe extendit ordinatio effectuum in finem, quantum ſe extendit cauſalitas primi agentis. Ex hoc enim contingit in operibus alicujus agentis aliquid provenire non ad finem ordinatum, quia effectus ille conſequitur ex alia cauſa, præter intentionem agentis. Cauſalitas autem Dei, qui eſt primum Agens, ſe extendit uſque ad omnia entia, non ſolùm quantùm ad principia ſpeciei, ſed etiam quantùm ad individualia principia, non ſolùm incorruptibilium, ſed etiam corruptibilium. Vnde neceſſe eſt, omnia quæ habent quocunque modo eſſe, ordinata eſſe à Deo in finem, ſecundùm illud Apoſtoli ad Romanos: *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Cùm ergo nihil aliud ſit Providentia Dei, quàm ratio ordinis rerum, neceſſe eſt omnia, in quantum participant eſſe, in tantum ſubdi Divinæ Providentiæ. „

1.p. q.22 a. 2

Et alibi, docens quomodo caſus vel fortuna cum Divina Providentia conſentiat, ait, Quod in rebus inferioribus videntur quædam à fortuna vel caſu provenire. Contingit autem quandoque, quòd aliquid ad inferiores cauſas relatum eſt, fortuitum, vel caſuale, quod relatum ad cauſam ſuperiorem, invenitur eſſe per ſe intentum. Quod fuſiùs ibidem explicat.

1.p.q.116 a.1

Ex quo patet error eorum, qui Fortunam Deam faciunt; de quo audiendus Auguſtinus.

"Dicis Fortunam bonam Deam, ſcilicet quæ aram meruerit; quomodo ergo Dea, ſi aliquando bona eſt, aliquando mala? An fortè quando mala, Dea non eſt? ſed in malignum Dæmonem convertitur? Quomodo etiam bona, quæ, ſine ullo examine meritorum, fortuitò accidit hominibus bonis & malis. Vt quid etiam colitur? quæ ita cœca eſt, ut ſuos cultores plerumque prætereat, & ſuis contemptoribus hæreat? Aut ſi aliquando proficiunt cultores ejus, ut ab illa videantur & amentur, jam merita ſequitur, non fortuita venit. Vbi eſt ergo illa definitio Fortunæ? „

S. Auguſt Lib.4. de C.D.c.18

Propterea obſervo, vulgò Fortunæ tribui, quod ſæpè ad Deum refertur, ut Exodi 21. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in manus tuas, conſtituam tibi locum refugij.* Hîc, Deus pro caſu ponitur; ut ſenſus ſit: Qui nolens caſu occidit, hic non morte moriatur; quia non caſu, ſed Deus, cui nil caſuale, permiſit eum mori. Idem videre eſt primo Regum 6. cùm Philiſtæi arcam impoſuerunt duabus vaccis lactantibus reducendam in Iſraël. Sic inter ſe conjectabant: *Si per viam finium ſuorum aſcendent contra Berſames, ipſe* (Deus) *fecit nobis malum hoc grande. Sin autem minimè, caſu accidit.* Vbi Deus pro caſu ponitur. Sic arguentes: Aut caſus, aut Deus, in ultionem Arcæ, afflixit nos. Si non caſu? igitur Deus. Quòd autem reſpectu Dei caſus aut fortuitum nihil ſit, ſic probat idem jam laudatus Auguſtinus. " Quidquid caſu fit, temerè fit: quidquid temerè fit, non fit Providentia: ſi ergo caſu aliqua fiunt in mundo, non Providentià univerſus mundus adminiſtratur. Eſt ergo aliqua Natura atque ſubſtantia, quæ ad opus Providentiæ non pertinet. „ Quod cùm abſurdum ſit, concludendum nihil caſu fieri in mundo, cùm Providentiæ Divinæ nil ſubtrahi queat.

Exod. 21

1.Reg.6

L. uno 83 qq.

Ex quo etiam præſumpta illa Fortunæ potentia ſubruit, & perantiquus ille error, Omnia hîc caſu contingere, & Fortunæ imperio cuncta

Digitized by Google

regi. Quis enim sanæ mentis dixerit, non Providentiâ Numinis, sed casu & fortuna accidisse, ut undis ad certissimum expositus naufragium parvulus Moises, filiæ Pharaonis occurreret, placeret, aleretur, & ad successionem Imperij adoptaretur in filium? quòd mulier, tegulâ occideret Abimelech? quòd David puer funda & lapide gigantem sterneret? quòd Saülis toties pectori intentatos hastæ mucrones effugeret? aut quòd is volens nec eum lanceâ configere, nec quibuscunque insidiis, occultis apertisque, ne sibi in regno succederet, avertere posset? quis casui tribuat, quòd Achab, sagittâ in incertum emisâ, in suo curru percussus occubuit? quòd Absalon cæsarie de quercu pependit? aut quòd Cete Ionam in mare ejectum absorbuit, & vivum evomuit? quòd Heliam corvus pane & carnibus regiis, mane & vespere, statis horis pavit? quòd denique Tobias pater, hirundinum stercore lumen oculorum perdidit, recuperavit felle monstri? quis, inquam, portenta illa, tam casu stupenda, quàm successu mira, forte fortuna dixerit evenisse? nisi qui terram, & maria, & Cœlum, & sidera fortuitò, & incerto casu coaluisse credat? casu noctem diei, diem nocti, succedere; Solem oriri & occidere, Lunam semper crescere aut senescere; modo curvatam in cornua, modo æqua portione divisam; modo sinuatam in orbem, maculosam, modo orbe pleno immensam, modo repente nullam, &c. Quæ omnia, si quis tam certis legibus suos cursus peragere, aut officiis defungi, id fieri casu sibi persuadere non potuit; nec aliud quidquam sub tam sapiente ac potente Rectore Deo, fortuito contingere usquam credet.

Plin. l. 2 n. 9

Et omnes illi, qui tam ineptè de Deo crediderunt, qui tanta Fortunæ indulserunt, qui derelicto Deo, ejusque cultu ac Religione, se, sua studia, suas spes, tam falso Numini, infami mulieri, Meretrici magnæ, quam describit S. Ioannes; *cum qua fornicati sunt, & inebriati vino prostitutionis suæ* devoverunt; & cum illis quibus exprobrabat Isaias: *Posuerunt Fortunæ mensam, & super eam libaverunt*: quam adoraverunt ut Deam, iidem in fine vitæ, eamdem aut suorum criminum consciam, ac ream detestati sunt & detestantur. Cum insensatis illis, qui dicunt in Sapientia: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus.*

c. 17

Quanto meliùs Regius Psaltes: *In manibus tuis sortes meæ.* Quasi diceret: Ad te, ô Deus meus! non ad cœcam inanemque fortunam, omnes meas spes, omnem meam refero fortunam. „ Sortes meæ, id est, casus, eventus, vicissitudo, status rerum mearum, ut divitiæ, paupertas, servitus & principatus, sanitas & infirmitas, pax & bellum, ait Theodoretus. „ Hebræa legit, *In manibus tuis tempora mea*; id est, dies vitæ & mortis, prosperitas & adversitas. Sortes meas, dixit, non sortem in singulari; ut omnem hominis œconomiam, omnem statum vitæ, temporalis & æternæ, comprehendat, Scriptura sortis nomine modo electionem ad gratiam, quæ justum facit, modo ad aliquod officium vel munus gratuitum, intelligente. Qua posteriori acceptione in Actis dicitur: *Cecidit sors super Mathiam*, id est, Divina electio ad Apostolatum; electo ab hominibus, quem præelegerat Deus, secundùm quod Petrus oraverat: *Ostende quem elegeris, unum ex his duobus, accipere sortem ministerij hujus.* Deo complente, quod ore Sapientis in Proverbiis promiserat: *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur,*

Prove. 16

Digitized by Google

ita temperante sortes electionis Apostolicæ, ut sors ceciderit super eum, quem ipse ante elegerat.

In priori acceptione Salomon dicit: *Sortitus sum bonam animam*, quia Divinã invenerat gratiam. Et Paulus ad Colossenses: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, in lumine*, id est, gratiæ vocationis ad fidem. Vtraque, seu temporalis illa, seu hæc æterna, est optima fortuna, à Deo expectanda, cùm omnia alia fortunæ dona insidiosa sint, capiendis decipiendisque filiis fortunæ ac sæculi aptata. Quod sufficiat Morali proposito, Fortuna à cunctis adoratur ut Dea, accusatur ut rea.

TITVLVS XXIII.

DE FORTVNA.

FABVLA.

De Cucurbita & Pinu, seu Olea.

PINVS ingens juxta se natam Cucurbitam, & suo beneficio alitam, mirabatur tam brevi tempore excrevisse, in tantam altitudinem, ut jam se altius caput extolleret, sene licet, & multorum temporum grandæva. Propterea ejus fortunæ ac elevationi cœperat invidere. Sed cum adventante hieme, gelu ac frigore tacta Cucurbita exaruisset, & fastigij sui superbiam omnem posuisset, jam apud se mirabunda dicebat, heu fallax, & non invidenda brevis prosperitas! tam cito nata & elata, citius casura ac peritura.

De Auaro, momento divite, & paupere.

QVidam sordidæ, & immanis avaritiæ Vir, venditis omnibus quæ habebat cœpit mercaturam facere, ut pecunias augeret. Contigit autem ut maria trajiciens brevi dives fieret, quod suæ industriæ, non fortunæ ascribebat, & cum habendi sitis, habitis non minuatur, sed augescat, is ampliores opes, spe devorans, iterum se & sua mari committit, sed adversam expertus fortunam, partim naufragiis, partim latrociniis exhaustus, ad extremam inopiam redactus est. Quo in statu roganti qui ex divite tam inops cito effectus esset, malæ fortunæ, non sibi imputandum dixit, quæ volubili rotæ insidens nesciret consistere. Sic inops sapere didicit, quod dives florente fortuna, non potuit.

Digitized by Google

De Equo & Asino.

Equus fræno & phaleris aureis, Ephyppioque diviti instructus cum ingenti superbia hinniens per viam currebat, cui obviam fit Asellus grandi sub onere gemens media in via. Equus superbia tumens, & ira fremens; apage, inquit, ignava bestia, alioquin te pedibus attero. Asellus ne hiscere quidem ausus cedit locum Equo, qui ferox fræna & spumam mandens momento post, offendens in via in oculis Asini cadit & crepat. Accurrunt Herus & famuli, morientique sellam, fræna, stragulas, soleas ipsas tollunt. Quod cernens Asinus. Quid est hoc, inquit, bone vir? Et hoc apud me tacitus ruminabam, eum qui concitatius currit, necessariò labi ac cadere, & qui nimis superbit, festinè prosterni.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

FORTVNA CITA, NON DVRABILIS.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

SVBITARIÆ illæ, & quasi extemporaneæ fortunæ, elationesque hominum, utplurimùm, fluviorum instar & torrentum, sicut momento crescunt, currunt, exundant; sic etiam momento effluunt, nec sæpè aliud relinquunt post se, nisi sui transitûs horrenda vestigia, stratas arbores, erasos limites, gurgites effossos, terras absorptas, & sui incrementi notas in solido exaratas, veluti digito posteris indicantes, Hucusque venit, crevit, intumuit.

Cujus rei ratio est rerum omnium sublunarium fortunæ obnoxiarum, fugax, volubilisque natura.

Boëtius Lib. 2. de cós. Phil. metr. 3

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vires,
Crede fortunis hominum caducis;
Bonis crede fugacibus:
Constat, æterna positumque lege est,
Vt constet genitum nihil.

Cicer. ad Heren.

Fortunæ descriptionem ex Pacuvio habes, apud Ciceronem.

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam, perhibent Philosophi,
Saxique instar globosi prædicant volubilem;
Quò saxum impulerit sors, cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernat, quò sese applicet:
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta instabilisque sit.

Brutam

Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.
Sunt autem alij Philosophi, qui contrà Fortunam negent
Esse ullam, sed temeritate omnia regi. Id magis
Verisimile aiunt, quod usus reipsa experiundo edocet
Velut Orestes modò fuit rex, modò mendicus factus est,
Naufragio res contigit. Nempe ergo haud Fortuna obtigit;

Mirū tamen est, quòd cùm omnium judiciis & linguis Fortuna fugax,& nullibi consistens habeatur, facit tamen eam Plutarch. cum virtute convenire, & consentire unanimem, licet dissimillimam moribus, ut ad summam, quò pervenit, potentiam Romanum nomen Imperiumque proveheret; ut eapropter Romani semper plus fortunæ, quàm virtuti, detulerint, illam longè præ ista templis & aris coluerint. Ita tamen, ut quæ moribus & studiis Virtus & Fortuna aliàs inter se convenire non possent, in hac una consenserint: adeò ut Fortuna, quæ anteà *bona* quidem, ut ait idem Auctor, sed credebatur *instabilis*, ut fundaret stabiliretque Romanam Rempublicam, *stabilis fieret*; & *Virtus, quæ pulchra quidem, sed inutilis videbatur*, fundati jam stabilitique Imperij ad ea quæ habuit gloriæ incrementa promovendam susciperet: quanquam, ut verum fateamur, Roma fortunam qualis erat semper experta est;& nisi occulta quadam Numinis ratione prohiberetur, olim diruta & subruta fuisset. Quantis enim cladibus afflictata, & tantùm non extincta fuit? ut ei, quod Philosophia Boëtio, jure dici possit: *Tu si fortunam putas erga te mutatam, erras. Hi semper ejus mores, hæc natura est. Talis erat, cùm blandiebatur, cùm tibi falsæ illecebris fœlicitatis alluderet. Deprehendisti cœci Numinis ambiguos vultus. Quæ sese adhuc velat alijs, tota tibi prorsus innotuit*: ut benè Horatius, qui ejus genium noverat.

l. de fortu na Rom.

Boëtius Lib 2. de cōs. Phil. pros. 1

l. 4. Ode 29

Fortuna sævo læta negotio,
Ludum insolentem ludere pervicax,
Transmittit incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, & mea.

Quo in ludo etiam observari palam est, velociùs transisse ac breviùs regnasse, qui altiùs ascendere, aut citiùs, ac violentiùs cecidisse.

Senec. in Troade Actu 2.

Violenta nemo Imperia continuit diu,
Moderata durant: quoque fortuna altiùs
Evexit, ac levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere fœlicem decet,
Variosque casus tremere, metuentem Deos
Nimiùm faventes. Magna momento obrui
Vincendo didici.

Ita transierunt, & quasi rapti ex oculis hominum,momento evolarunt, qui majori cum strepitu ac fragore regnarunt.

Talis fuit L. Scylla, qui palam se, & res à se gestas, Fortunæ solebat ascribere, dicens cum Oedipo Sophocleo:

Plutarc. de fortun Rom.

Ego meipsum puto Fortunæ filium.

quem vermes, & putredo intolerabilis finierunt.

Huic sese jactanti dixit aliquis:Quomodo vir bonus esse potes,qui tantas possideas opes, cùm à patre nil tibi sit relictum? & meritò: nam ut ait Menander, *Nunquam vir æquus dives evasit citò.*

Digitized by Google

Talis M. Antonij efferata potentia in Trium-viratu, Neronis & Domitiani, aliorumque Vrbis Romæ, & orbis, pestium, qui brevissimi temporis cursu, memoriam suam æterna labe, & horrore polluerunt. Talis & Marius ille septies Consul, tot clarus triumphis, qui reportato de Iugurtha & Numidis triumpho, subactis Cymbris & Teutonibus, fractis Apuleio & Glaucia seditiosis, victus à Scylla, cui olim sub eo militaverat, in paludibus Mynternensibus delitescere coactus est, & reliquum vitæ miserè traduxit. De quo Ovidius:

4. de Pôt

Ille Iugurthino clarus, Cymbroque triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit,
In cœno Marius jacuit, Cannaque palustri
Pertulit, & tanto multa pudenda viro.

Haud terrori aut stupori minùs Darius Græcis, Hannibal Romanis, Alexander Asiæ Africæque, & penè toti orbi, extiterunt; qui quanquam propriis fulsere virtutibus, & suis præclarè gestis ac victoriis orbem impleverunt, adducentur tamen usque in exemplum caducæ volubilisque fortunæ, & brevissimi cursus rerum humanarum, etiam illi quos Fortuna ut charos & alumnos maximè fovit; qui si prospera ea, secundaque usi sunt, at non constanti, nec diuturna.

Senec. in Thyeste, Actu 2

Quos fœlices Cynthia vidit,
Vidit miseros abitura dies:
Rarum est fœlix, idemque senex.

Raros quippe invenies, quibus illa volubili rotæ insidens, tamdiu constans arriserit, quantum utrique Cæsari, Iulio & Augusto, Romani Imperij honoribus. De quorum primo scribitur, quod cùm se hyeme exiguæ scaphæ navigaturus commisisset, inscio Nauclero, & sociis, quis esset, & videret eum contrariis, & obluctantibus ventis nutare, & quasi retro flectere; tunc quis esset aperiens: *Macte animo*, inquit, *ne timeas, permitte vela fortunæ, & scito te Cæsarem vehere, & Cæsaris fortunam*: adeo de fortunæ aura erat securus.

Plutar. in Iul. Cæs. & lib. de fort. Rom

De secundo verò, qui Romani Imperij clavum, imò orbis dominatum, per quinquaginta quatuor annos solus tenuit, ac moderatus est, quòd cùm Privignum ad bellum mitteret, *optare ipsi solitus esset fortitudinem Scipionis, benevolentiam Pompeij, & suam fœlicitatem*: cujus haud dubiè nòn tam durasset Imperium, nisi ille, qui Rex Regum, & Dominus, quem titulum noluit sibi tribuere, sub eo nasciturus erat, sibi destinasset.

Cui verò non mirum videatur, quod de ipso refert Plutarchus in eo libro nuper à nobis citato? Quòd cùm juvenis cum M. Antonio pila vel tesseris luderet, vel certamine altilium, Coturnicum, aut gallorum gallinaceorum, victum semper discessisse Antonium, victorem Octavium; solitumque ei quemdam familiarem, futura conjectandi scientia peritum, exprobrare: *Quid tibi cum Octavio? fuge eum, clarior es, natu major es, pluribus imperas, rebus bellicis exercitatior, rerum usu præstantior: at tuus suum Genius formidat, & fortuna tua, hujus fortunæ assentatur: nisi procul ab eo te subduxeris, transibit ad illum.* Mirum, nec vanum Augurium!

Sunt igitur, licet pauci, quibus volucris ea, atque inconstans diu gratificari videtur, quo in numero Servius Tullius è vilissima servi conditione ad regnum Romanorum evectus est, beneficio, ut fatebatur, Fortunæ, quæ ejus amore capta, sæpè in cubiculum ipsius per quandam fenestram,

Val. Max l. 1 c. 7

Plut. de fort. Rom

Digitized by Google

cum eo dormitura, advolabat.

Vtplurimùm tamen, quos magis complexa est, & arctiùs strinxit, ita deseruit, ut in altum extulisse videatur, ut casu graviore subrueret. Eleganter Verinus Poëta.

Verinus Poëta.

Quò magis est abies procera, evertitur Euris:
Culmina, non valles, fulmina torta petunt.
Quò major est quivis, major solet esse ruina;
Magnaque livorem gloria sæpè parit.

Hoc in Policrate Samiorum Tyranno visum est; *cujus conatus omnes,* inquit Valerius Maximus, *placido excipiebantur itinere, spes cupitæ rei fructum apprehendebat, vota nuncupabantur, simul & solvebantur, velle ac posse unum erat; & cùm annulum de industria in mare jecisset, ut ne omnis incommodi expers in vita esset, de repente, capto pisce qui eum devoraverat, recuperavit.* Quid tandem? quem finem habuit is Fortunæ filius? Ab Oronte Darij Præfecto cæsus in prælio, captusque, in montis vertice elatus, cruci affixus est. Sic vitam clausit: de quo sic Poëta:

Val. Max. Lib. 6

Invenies unum toto qui vixerit ævo
Liber ab adversis, Samiæ telluris alumnum
Ac dominum; tanquam illius Fortuna fuisset
Immemor: at vitæ supremo in margine totam
Accepit, plenoque hausit cratere venenum.

Visum est etiam in Sejano, de quo sic Seneca Philosophus: *Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta divisit, in quem quidquid congeri poterat, Dij, hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Rex es? non ad Crœsum te mittam, qui rogum suum & ascendit jussus, & extingui vidit, factus non regno tantùm, sed etiam morti suæ superstes. Non ad Iugurtham, quem populus Romanus intra annum quàm timuerat, spectavit. Ptolemæum Africæ Regem, Armeniæ Mythridatem, inter Caianas custodias vidimus.*

Sen. l. de tranquill.

Deníque de eodem Sejano Satyricus dicit:

Iuvenal. Sat. 10.

Iam strident ignes, jam follibus atque caminis;
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus, deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ, &c.

Meliùs illi Fortunæ genium nosse probarunt, qui ejus donis temperantiùs usi sunt, aut ea quasi mox amissuri, tenuerunt.

Quo in genere Paulus Æmilius dubium reliquit, utrùm major fuerit in moderatione fortunæ, adversæ, aut prosperæ, qui cùm triumphum Romæ ageret, alter è filiis ante pompam, alter post triumphum interiit, ipso alternantis fortunæ vicibus non ampliùs dejecto, quàm elato; qui sortem suam populo lugenti dixit, *se post tam continuos fortunæ secundæ successus, aliquid mali magni ab ea timuisse, & expectasse; nunc verò de patriæ incolumitate esse securum, quòd ei filiorum suorum morte litatum esset.* Verè enim dixit Ovidius:

Plutar. in P. Æmil.

5. Trist. Eleg. 8

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo firma tenaxque loco:
Sed modò læta manet, vultus modò sumit acerbos,
Et tantùm constans in levitate sua est.

Digitized by Google

FORTVNA CITA, NON DVRABILIS.

Probatur secundò, & illustratur;

EX SACRA SCRIPTVRA.

Prove.13 Cap.20 Cap.28

ACCOMMODATE, & ad litteram, Morali hujus loci, Fortuna cita non durabilis, dicit Sapiens in Proverbiis: *Substantia festinata, minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Item: *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* Item: *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Sententiæ graves, magna consideratione dignæ, quæ sese mutuò asserunt & tuentur.

Quod spectat primam, dignum est expendi, Hebræam lectionem loco, substantia festinata, ad proprietatem linguæ vertere, Divitiæ ex vanitate minuentur. Sed colligens per manum augebit, q. d. substantia festinata, qualis est quæ ex vanitate, ex pravis artibus & modis comparatur, ut per Magiam, usuram, fraudes, rapinam, minuetur, Deo vindice; & ab injusto & violento possessore, ad alium avolabit: quæ autem per manum, & proprio labore justo & strenuo advenit, multiplicabitur, & in dies augescet. Hebrææ versioni Septuaginta mirè concordant; vertunt enim, *Substantia festinata, cum iniquitate, minor fit; congregans autem cum pietate, implebitur.* Causa autem cur opes tumultuario & properanter collectæ, citò effluant, sensim autem collectæ perdurent, prima sit, quòd per malas artes injustè partas citò dilabi necesse est, juxta id Proverbium, Malè parta, malè dilabuntur. Secunda ratio è natura petitur præcipitantiæ ac temeritatis, cui opes innixæ sine fundamento, sine prudentia, ut collectæ venerunt, abeunt, fluunt, rapiuntur. Tertia, quòd utplurimùm facili negotio acquisitæ, eodem modo expenduntur, ac dissipantur: quæ vero proprio & justo labore veniunt, quod diligentia accumulavit, Prudentia conservat.

Cornel. à lapid. in Pro. c. 20 Cap. 32 4. reg. 10

Hujus rei exemplum afferunt Doctores Hebræi Tribus Gab, Ruben, & dimidiam Manasse; quæ quia festinè & ante alios partem suam acceperant, & quasi extorserant, cis Iordanem, ut ex lib. Numeri patet, etiam primæ vastatæ sunt ab Hazaël Rege Syriæ, tempore Iehu Regis Israël, ut habetur lib. 4. Regum.

Potest & in Esaü guloso, qui nimia aviditate ad escam fratris sorbendam cucurrit, & jura propterea primogenituræ perdidit, impura helluonum & voluptuosorum turba præsignari, qui pro esca & potu, pro fœlicitate & voluptate terrena, ad quam inhiant & præproperè aspirant, cœlestes perdunt opes & delitias.

Propterea addit Sapiens: *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Quis enim ardorem illum, quo avarus cœco impetu, quasi piscis ad escam, devorandæ pauperum hæreditati properat, justum credat? Quis innocentem, insana cupiditate opes congerere, auferre, rapere, ditari, properantem? Aut quis hujusmodi opes tam præcipitanter congestas, domos, fungorum

instar momento natas & elatas, perennes putet, aut duraturas? Sic hunc locum explicat S.Gregorius: "Cùm repleti homines (inquit) cunctis simul opibus, inardescunt, audiant quod scriptum est: *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Profectò enim qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit; & more avium captus, quo strangulетur peccati laqueum non agnoscit, juxta illud Pauli: *Qui volunt divites fieri, incidunt,* &c.

3. p. Past. adm. 21.

Hac de causa, non fortuitò, sed de industria, prosperitatem justi Isaac Scriptura describens, ait: *Ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* q. d. "non repentè & subitò, sed paulatim ditatus est, inquit Pererius, & quasi per gradus quosdam, & processu temporis. Nec enim aliud est certius divitiarum injustè partarum signum, quam si præpropera sit ac nimis festinata earum copia. Quod non solum in divitiis, sed etiam in moribus, verum est, & in studio virtutum: nemo enim repentè fit optimus, sed per gradus ascenditur ad perfectionis culmen. Sunt initia, sunt processus & auctus. De justo dicit Salomon: *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit, usque ad perfectum diem.*

Gen. 26

Perer. hic to. 4

Prove. 4

Sic de Samuele: *Puer Samuël proficiebat atque crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus.* Et de fortuna, ac persona Davidis: David *ibat proficiens, & seipso robustior; domus autem Saül decrescens quotidiè.* Vides perfectam hujus sententiæ in his duobus hominibus absolutionem? *Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur;* David proficiens, & Saül decrescens.

1. Reg. 2

Iam ut à particularibus ad majora & ampliora gradum faciamus, velocissimi cursus regnorum, & vanæ volubilisque fortunæ, ac transitus brevissimi Regum, quos illa ad supremos apices complexa, evexit, illicò aversa proterendos, placuit Deo in Scripturis sanctis exempla proponi, non pauca, nec obscura.

In hoc theatrum veniat superbus Nabuchodonosor, Rex Babilonis, quasi adhuc somnians & palpans, ac fugientia de mente visionis nocturnæ vestigia requirens, imò penitus ignorans, adeo ut nihil unquam rerum somniatarum in mentem rediisset, nisi somnium ipsum, somniique mysterium resignasset Daniel, vir captivitate, vita, Prophetia, sanctitate, mirabilis.

Tu rex, inquit, *videbas, & ecce statua una grandis contra te, cujus intuitus erat terribilis: hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento: porro venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars erat ferrea, & quædam fictilis. Videbas ita donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis ac fictilibus.* Nota hic omnis humanæ dominationis & gloriæ quàm sint fluxa & caduca fundamenta, quàm subitò casura, exemplo hujus tam gravis, & pretiosæ, & immanis statuæ, quæ tota nitebatur in materia fictili ac terrea. Propterea sequitur, *Et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ à vento rapta sunt, & nullus locus inventus est eis.*

Dan. 2

Non est angustiæ hujus loci, & brevitatis, quam mihi ipse præscripsi, retexere per partes tantæ visionis arcana: sufficiciat in præsentiarum advertere, cum Daniele, Deum voluisse huic Regi, tot victoriarum successu nimis quàm inflato, ac tumenti, monstrare fluxas alternantium regnorum vices, mutantem tempora, & ætates, & regna. Cæterùm intelligi

Digitized by Google

per caput aureum, regnum Chaldæorum sub ipso Nabuchodonozore tot Regum spoliis tumens, auro comparatum, propter divitias, & studium sapientiæ, quo Chaldæi ardebant & eminebant inter homines: & hoc erat caput, seu pars eminentior, statuæ illius immanis, scilicet vanitatis mundanæ, quæ grandis duratione, magna possessionum amplitudine, dignitatum altitudine sublimis, oculos mortalium perstringebat. Per pectus & brachia argentea, regnum Medorum & Persarum sub Dario priore minus, & sequente majus, quod propterea argento comparatur. Per ventrem & femora ærea, regnum Macedonum sub Alexandro magno, cujus nomen & victoriæ æris sonantis instar, ut ait Glossa, toto orbe resonarunt. Per tibias ferreas, & pedes partim testeos, partim ferreos, regnum Romanorum sub Iulio & Augusto, & aliis Imperatoribus: *quia*, inquit, *ut ferrum comminuit & domat metalla, sic Romanum Imperium omnia alia subjugavit.*

Interest igitur vel maximè animadvertere, statuam illam immanẽ, quatuor ferocissima, quæ usquam retrò viguere, regna complexam, quatuor fortissimis metallis, iisque pretiosissimis, auro, argento, ære ac ferro constantem compactamque, pedibus testeis, fragilissimo scilicet fundamento, luto ac cinere temperatis innixam, malè substitisse, quò Reges illi intelligerent, omnem humanæ altitudinis fastum, ac pompam, ut brevi spatio elatam, sic in cineres resolvendam. Quod illicò in statua illa terribili contigit; lapis quippe parvulus è monte vicino sine manibus excisus, cadens in pedes fictiles statuæ, universam machinam, metalla, aurum, argentum, æs ferrumque nullo negotio comminuit, & in favillas redegit.

Idem mysterium, diversa sub imagine propriis coloribus expressa, secundùm litteralem sensum ostendit Deus Danieli, in quatuor ventis, in mari magno pugnantibus; & totidem bestiis ferocibus, de Oceano ascendentibus: quarum prima erat Leæna, secundùm Hieronymum, regnum aureum Babiloniorum designans, crudelitatis & luxuriæ ergo; habens alas Aquilæ, ob superbiam: quia nimirùm, ut Leo inter bestias, & Aquila inter aves obtinent ferocia & fortitudine animalium principatum; sic regnum Assyriorum, inter regna. Secunda erat similis Vrso, quo argenteum succedens, tribus regnis ut dentibus armatum & tumens Babiloniorum, Medorum atque Persarum denotatur. Tertia erat Pardus, regnum Macedonum, per ventrem & femora ærea, significans, sub Alexandro, cum quatuor ducibus, ut tot capitibus, velocissimo cursu præliante. Quarta, præ aliis terribilis, & mirabilis, & fortis nimis, Romanorum Imperium adumbrat; quod ferri instar, cætera domuit, contrivit, comminuit; cujus tacetur nomen, ut si quid ferocius prædictis aliis cogitaveris, inquit D. Hieronymus, Romanæ dominationi scias tribuendum. Aut si Hebræis credas, Aper intelligitur, de quo in Psalmo: *Exterminavit eam Aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam.* Idem etiam Zachariæ Prophetæ in quatuor Quadrigis equorum spumantium, & terram superbè quatientium, monstratum est: quarum in prima *equi rufi* visebantur, in secunda equi nigri: in tertia equi albi: in quarta equi varij & fortes, eodem ordine quo supra regna Regesque significantes. Ac ne dubio cui sit per hos equos rerum humanarum fluxibilitatem designari, Prophetæ roganti ab Angelo, qui sibi illa monstrabat; Quid sunt hæc, Domine mi? responsum est; Isti sunt quatuor venti. O vere fluxam volubilemque rerum humanarum condi-

Hugo Card.

Psal. 79

Zachar. 6

Digitized by Google

tionem! quando regna ipsa, & Imperia, & regum fastus & pompæ, tanta gloria & majestate tumentia, per feras velocissimas, per equos celeres,& per ventos fugaces adumbrantur, dicente Propheta : *Ipse Deus mutat tempora, & ætates, & transfert regna, atque constituit.*

Dani. 2

Hoc nemo meliùs novit aut prophetavit Davide. *Et adhuc pusillum*, inquit, *& non erit peccator,& quæres locum ejus,& non invenies.* Adeò brevis est, inquit,& fallax malorum prosperitas, ut quem mirabare modò,donis fortunæ blandientis cumulatum, *adhuc pusillum*, tantisper sustine, morare, expecta, *& non erit*; *quæres locum ejus*, *& non invenies.* Fortuna enim mundi stabilitatem non habet, rotæ insidet, facilè vertitur : ut propterea idem dixerit:*Deus meus, pone illos ut rotam*;quasi dicat,Sint instabiles ut rota,nusquam consistant: *& sicut stipulam ante faciem venti*, disjice, disperge eos, ac dissipa, quomodo stipula minimo ventorum flabello huc illuc movetur.

Psal. 36

Psal. 82

Propterea D. Augustinus hominem vase vitreo fragiliorem dicit, ejusque fortunam vitro comparat; cui,quò plus in alto est,plus casus timetur.

de verbis Domini. serm. 1 to. 10. & 4. de C. D.

Ad hoc propositum poterit aptari, quod de Tiberio Cæsare referunt, adquem cum quidam artifex sese obtulisset, qui secretum invenerat, quo vitrum esset non ampliùs fragile, sed ductile, & suæ artis experimentum fecisset, adducta phiala vitrea, quam Imperator ipse projecit in terram, confractamque artifex malleo reparavit; quo viso petiit ab eo, num quis alius nosset suum secretum? Affirmante neminem, illicò jussit Cesar hominem trucidari; ne aurum, inquit, pro luto haberetur. Quòd si Cæsar eum voluit occidi, qui vitrum è fragili, stabile & ductile faciebat; miramur si Deus eum statim è medio tollit, nec sinit consistere, qui prosperitatem mundi vitream & fragilem, ductilem facit & stabilem? ne gloria æterna vilescat, cum animo suo cogitat peccator, & dicit : *Non movebor in æternum.* Ideò ait : *Et adhuc pusillum*, *& non erit peccator*; *quæres locum ejus*, *& non invenies.* Sequitur enim :

Psal. 36

Inimici Domini mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Non diu durat honor impiorum,non stabit eorum prosperitas: mox enim ut honorificati fuerunt,& exaltati, ut fumus deficient. Apta comparatio; quia quantò altiùs fumus ascendit, citiùs evanescit.

Denique ut fallacis mundi prosperitatis brevitatem ostendat proprio experimento,addit : *Vidi impium superexaltatum*, *& elevatum sicut Cedros Libani.* Libanus, ut ait hìc Glossa, mons est altissimus, in quo crescunt altissimæ Cedri; quasi dicat, Vidi hominem eò potentiæ, & divitiarum, & fortunæ elevatum, quò altiùs poterat humana prosperitas attollere verticem: & *transivi, & ecce non erat*, *& non est inventus locus ejus.* Momento creverat, in vertice & summo rotæ insederat; momento decidit, versa rota est, ampliùs non erat, &c.

Cùm igitur audis Davidem dicentem : *Vidi impium superexaltatum*, *& elevatum sicut Cedros Libani*, intellige Nabuchodonozorem, intellige Darium, Alexandrum, Iulium Cęsarem; sed quanto cum fastu, pompa, divitiis? Sequere : *Transivi, & ecce non erat, & non est inventus locus eorum ampliùs.* Statua illa grandis, auro gravis, argento resplendens, ære sonans, ferro rigens, ut momento in pedes erecta splenduit, momento confracta est, & redacta in favillam. *Transierunt*, inquit Sapiens, *omnia illa tanquam umbra*, &c.

Digitized by Google

TITVLVS XXIV.
DE FORTVNA.
FABVLA.
De Psittaco & Turture.

CAPTVS in partibus Orientis Psittacus, & in Occidentem delatus, videns se cum tanta accuratione deportari, ali, servari, & tanto pretio venire, mirabatur quid esset, quod extra patriam tam curiosè aleretur, & tanti fieret, qui in natali solo, tam pauci esset. Stabat de vicino in alia cavea Turtur, quæ Psittaco, talia garrienti respondit, non est, inquit, cur tantopere mireris, ô frater, ita enim usu venit, inter homines, ut quivis extra patriam quam intra, experiatur magis propitiam fortunam. Alienigenæ melius habentur, quam indigenæ.

De Mure in cista nato.

MVs in angulo Armarij natus, & paucis nucibus ac castaneis, quæ ibi fortè aderant, bene ut putabat, alitus, fœlicem se super alios reputabat, donec assere dentibus arroso, & facto sibi exitu, penetravit in pœnum, omnis generis ciborum ac lautitiarum refertum, quibus avidè refectus, cœpit dicere, ô ignauum me & stolidum, qui è cavo nunquam egressus, nisi hodie, tam laute pastus sum. Certè juvat è natali solo exire qui vult experiri meliorem fortunam, & consequi fœlicitatem.

De duobus Equis.

QVidam Eques unico instructus Equo, alterum emit priori longe inferiorem, quem tamen impensius ac diligentius multo curabat. Vnde stupefactus, cum percontaretur ab alio Equo, qui id fieret, ut novus, & in nullo sibi comparandus, præferretur; forte inde respondit, quod ea est hominum natura, ut exteros & novos hospites, antiquis licet melioribus, liberalius excipiant.

MENS

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

NEMO PROPHETA IN PATRIA SVA, *seu*, FORTVNA MAGIS EXTERIS, QVAM INCOLIS, FAVET.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

NON rarò, quod ars & studium negavit, fortuna dedit, & casus. Quantis profuit periisse, ne perirent; desipuisse, ut saperent; desperasse, ut vincerent?

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Denique exulare patria, bonis, amicis, honore, ut ad mentem, frugem, virtutem redirent?

Pictorem memorant Neantem, equum spumantem cùm vellet pingere, & in reliquis partibus ars ex animi sententia succederet, deficeret verò pingere volentem spumam ex ore nascentem, & ad frænum anhelitu spirante labascentem; cùm sæpius manum, colores, penicillum, tabulæ admovisset, & toties abstersisset, tandem iratum operi suo, impegisse tabulæ spongiam, coloribus infectam, ut opus expungeret, quæ casu expresserit, quod ars negaverat; ita ut fecerit Fortuna Naturam. Non dissimili successu multis deploratio rerum, ac familiæ, exilium, gradum fecit ad ampla fortunæ munera consequenda in patria dejectis, extra auctis, nullius pretij inter suos, magni inter extraneos.

Conditio hominum plerumque ut arborum, quæ in nativo sidere sterilescunt, aut amaros, imò & mortiferos fructus ferunt, in peregrino translatæ feraces fructibus curvantur & exuberant amœnissimis.

Hoc specialiter fertur de pomo Persico, quod cùm in Persia venenosum sit, Persæ perpetuis odiis & bellis cum Romanis confligentes, eam arborem è Perside in Italiam transplantarunt, sperantes fore ut ejus fructu degustantes, quasi præsentanea lue necarentur. Sed contrà accidit: nam mutatione soli, mutavit & naturam, & fructus in Italia, & in his partibus Occidentalibus profert dulcissimos: quod Columella his versibus confirmat:

Pomus cum barbara Persis
Miserat, ut fama est, patriis armata venenis:
At nunc expositi parvo discrimine lecti
Ambrosios præbent succos, oblita nocendi.

De plurimis pomis idem contingere, ut mutata & transplantata dulcescant, auctor est Plinius; cujus hîc ad rem nostram juvat verba exscribere. *Omnia ea*, inquit, *non statim moris est in sua locari, sed priùs nutrici dari, atque in seminarijs adolescere, iterumque migrare. Qui transitus mirum in modum mitigat silvestres: sive arborum quoque ut hominum natura, novitatis ac peregrina-*

Plin. l. 17 c. 18

Digitized by Google

vationis avida est: sive descendentes virus relinquunt, mansuescuntque tractatu, ceu feræ, dum radici avellitur planta Idem alibi fœnum cujusdam loci memorat, in nativo solo noxium, in alio utile. *In Crustumino*, inquit, *natum fœnum ibi noxium, extra salubre est.*

Plin. l. 2 c.96

Quod igitur in plantis rei rusticæ periti agnoscunt, ut pleraque ligna gaudeant, & meliorentur mutatione soli; hoc Politici, hoc Moralis vitæ œconomi, inter homines quam verissimum arbitrantur, & usus quotidianus docet; Ingenia in proprio ac nativo solo silvescere, vitiis corrumpi, in deterius ire, otio torpescere, quæ transplantata in alias terras, studio, labore, peregrinatione, rerum ac locorum mutatione, experientiaque, mirum quantam in altitudinem absolutionemque assurgant.

Vnde paucos legimus ex iis viris, qui pacis bellive artibus magis claruerunt, qui non è patria exularint, & in alienum solum commigrarint, seu stimulante, quæ semper virtutem comitatur, invidia, ut sic utramque fuerint experti fortunam; seu sponte, perdiscendæ amore sapientiæ illecti, eam ubique in longissimos terrarum ac marium tractus, apud omnes gentes & regna, quibuscunque impensis ac periculis disquirentes.

Plutarc. l. de Exil.

Quam multis dicere licuit, quod Zeno ille Stoicæ sectæ inter primarios, qui cùm esset negotiator, & aliquando naufragium passus, jactis in mare mercibus, & sarcinis, nudus & inops enatasset, & ea occasione se Philosophiæ tradidisset, solitus erat dicere, *Tum benè se navigasse, cùm naufragium fecisset.*

Ita multos exilium in veram patriam reduxit, quibus id contigit, quod inter Græcos clarissimo Atheniensium Duci Themistocli; qui post congesta in patriam multa beneficia, ab ingratis civibus exul factus, non è ditione solùm Atheniensi, sed etiam ex universa Græcia, ad Xerxem Persarum Regem se contulit, à quo majoribus quàm unquam in patria, honoribus ac divitiis ampliatus, suis dicebat: *Perieramus, nisi periissemus.*

Aristides Athenis, Solon, Phocion, exularunt; Epaminondas Thebis; Scipio Roma, Camillus, Rutilius, Metellus; sponte Pythagoras Samo, Plato; Democritus, Apollonius voluntario se exilio patria damnantes, multas & longinquas orbis plagas obierunt, ut Naturæ secreta, sapientiamque, cujus amore tenebantur, ebiberent, quam posteris exinde eructarent. Hi omnes in exilio floruerunt, meliores & clariores effecti. Hac Cœlũ via Hercules ipse ascendit, qui nisi Novercali Iunonis odio pulsus diverso toto orbe Monstris ob ectatus fuisset, Mundum suis laboribus non illustrasset. Adeò verum est patriam alumnis & Inquilinis suis sæpiùs esse Novercam, aut ingratam, exteris amicam propitiamque.

Facit ad hoc propositum cujusdam Alcmanis Epigramma, quod Plutarchus in libro, quem de Exilio composuit, retulit.

O mea, Majorumque meorum patria, Sardes!
Mihi in te si obtigisset, educarier,
Rumperem in aurata cava nunc ego tympana dextra,
Magnæ Sacerdos Matris, aut fœdus spado.
Alcmanem nunc me Lacedæmon nomine civem
Agnoscit, eruditum Graijs literis,
Quæ me non paulò vestris fecere Tyrannis
Præstantiorem, seu Gyge, seu Dascyle.

Natura, inquit ibidem Plutarchus, *patriam nullam cuiquam fecit; ut neque*

Digitized by Google

domum, neque agrum, neque ærariam, ut Aristo dicebat, neque medicam officinã: sed fit aut potiùs nominatur horum unumquodque, quovis tempore ab eo, qui possidet & utitur. Quippe homo, si Platoni creditur, planta est, non terræ infixa aut immobilis, sed cœlestis, cujus tanquã è radice caput sursùm erectum in cœlum dirigatur,&c. *Quippe Natura nos liberos solutosque dimittit; ipsi nosmet devincimus, in angustias concludimus, inque arctum compingimus.* Addit etiam paulò post:

Nonne videmus Theseum ab omnibus adorari? Et tamen exulavit Athenis Theseus, cui hoc debent homines, quòd Athenas inhabitant. Quid verò Eleusini præclarum relinquetur, si nos Eumolpi pudet? qui è Thracia Athenas profectus, initiavit sacris, atque etiamnum initiat Græcos. Cujus denique filius Codrus Athenis regnavit? Nonne Melanthi, qui Messena extorris fuit? Annon laudes Anthistenis dictum? qui objicienti matrem ipsius Phrygiam fuisse, respondit, Etiam Deorum Matrem Phrygiam fuisse. Tu quoque, si quis te probri causâ exulem appellet, respondebis; Etiam Herculis, cui ob victoriarum claritatem Callinico nomen factum est, pater exul erat,&c.

Quæ sufficiant nostro intento, Fortunam demonstrare magis exteris, quàm Inquilinis favere, si priùs similitudini arborum transplantari amantium, & magis in peregrino quàm nativo solo frugiferarum, addidero Epigramma cujusdam Albutij ad Alciatum, quod inter Emblemata collocavit, eum hortantis, ut natali solo, Italia relicta, in Gallias transmigret, ibi quàm in patria, eruditionis suæ laude commendatior futurus, arboris Persicæ comparatione, quæ translatu facta est melior. Sic autem habet: *Quæ dedit hos fructus arbor, cœlo advena nostro,*

Venit ab Eoo Persidis axe priùs.
Translatu facta est melior, quæ noxia quondam
In patria, hîc nobis dulcia poma gerit.
Fert folium linguæ, fert poma simillima cordi:
Alciate, hinc vitam degere disce tuam.
Tu procul à patria in pretio es majore futurus;
Multùm corde sapis, nec minùs ore vales.

Emblem. 142.

Appositè omninò ad hanc materiam Plinius, cujusdam gentis Septentrionalis duræ necessitatis conditionem à situ, & victu, describens, ferarum more alluvionem Oceani quasi perpetuam patientis, non carne, non lacte viventis, dicit: *Et hæ gentes, si vincantur hodiè à Populo Romano,* inquit, *servire se dicunt. Ita est profectò, multis Fortuna parcit in pœnam.* Ita ille. q. d. Quamvis Fortuna illis, dum vincuntur, indulgeat, & melius sit illis Populo Romano subjici, quia dediscunt barbariem suam, & ferinam naturam exuunt; tamen vix agnoscunt fœlicitatem suam. Dictum est Laberij: *Fortuna multis parcere in pœnam solet.*

Hoc subjiciunt Fabulæ suprapositæ, Psittaci, mirantis se tanti fieri extra patriam, & Turturis id aut humanæ consuetudini tribuentis, ut extranea magis mirentur, & colant, quàm domestica; aut providæ Naturæ, quasi otium detestantis, & hoc modo allicientis hominem, ut extra nidum avolet, alias terras, aliud cœlum tentaturus, discat per proprium laborem & industriam, Dei Conditoris opera, & mirabilia, & ex moribus peregrinis, suos componere, ac reformare. Multis enim contigit, ut Psittaco illi, & Muri in cista nato, foras exeuntibus, ut ditescerent ac pinguescerent, & æstimarentur extra patriam, qui in nativo solo & lare viluissent, & nil præclari fecissent.

Digitized by Google

NEMO PROPHETA IN PATRIA SVA, *seu*, FORTVNA MAGIS EXTERIS, QVAM INCOLIS, FAVET.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

POPVLARI huic sententiæ, quòd Fortuna magis faveat exteris, quàm indigenis,& patriæ filiis, suffragatur Divina Veritas, & jam in Proverbium sacrum abiit, & Oraculum, ex quo Dominico ore pronuntiatum est, *Nemo Proph ta acceptus est in patria sua.* Quod in ingratos populares suos,& fortè in Cognatos,retorsit,ipsi exprobrantes: *Quanta audivimus facta in Capharnaüm,fac & hîc in patria tua.* Quod quàm immeritò Nazarethani dicerent, inde patet, quòd apud eos miraculorum omnium maximum, Verbum Caro factum erat. Et quæ patria, quæ orbis regio,quæ urbs, gloriæ non duceret tulisse, non hominem, sed Deum? Quæ civitas tanto Concive non gloriaretur, nisi summa beneficia, summa ingratitudine penderent? Sed non nova, aut inusitata gentis suæ culpa est; vetus est querela, & contumelia à suis in suos, in se tandem cum maxima, quæ possit ab homine, terminanda & consummanda.

Propterea exemplum duorum insignium Prophetarum memorat, qui in patrandis miraculis, infirmitatibus medicandis, operandis prodigiis, etiam mortuis suscitandis, neque superiores habuere, neque pares, Elias scilicet & Elisæus, qui cùm tanti essent rerum magnarum patratores, & tempore Eliæ viri & viduæ sine numero in Israël, fame tabescerent, una vidua Sareptana, id est, extranea, meruit Prophetæ potentia & virtute relevari. Et ex tot leprosis, qui in terra Israël exundabant, & ope Elisæi mundari poterant, unus alienigena, Naaman Syrus, gratiam meruit curationis.

Non quia Dominus, aut sancti Prophetæ non possent in patria, quod extra; in concives, quod in extraneos; sed quia apud illos despectui habebantur, apud istos in honore.

Quod sanctis Prophetis retro contigit, hoc Domino, patrum vestigia, errores, vitia, imitantibus filiis; ut qui à Syris, Samaritanis, Chananæis, Divinæ virtutis suæ pauculas micas conquirentibus, & tam avidè colligentibus, adorabatur, audiebatur, credebatur, à domesticis, à concivibus, à cognatis, integros gratiæ panes, ultrò ingestos devorantibus, fastidio & contemptui haberetur, ac rejectaretur. Audi ipsos nauseam impuri stomachi in eum despumantes? *Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi? & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus Maria, & fratres, & sorores, apud nos sunt?* Et scandalisabantur in illo. (Marci 6)

Quod omnes diligenter notarunt Evangelistæ, quos inter Marcus rem dicit meo judicio non omittendam: ubi enim de patriæ erga Christum,& suorum concivium incivilitate ac rusticitate verba fecit, addit de Iesu:

Digitized by Google

Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos curavit, & mirabantur, propter incredulitatem eorum. Res certè stupenda nimis, ut is, de quo omnis pagina prædicat, *Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra*; de quo omnis lingua, vel invidentium, clamat, *Benè omnia fecit*; is inter oppidanos & municipales suos, in propria patria aliquid voluerit, quod minimè potuerit; erga Nazarethanos nil potuerit, non quia noluit, sed quia volens non potuit, ait Marcus. Qua causa, inquies? Vitio patriæ, quæ filiis propriis ingrata & malevola esse solet, eosque novercali quodam odio prosequitur, ut meritò succenseat, & eis exprobret; *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Et apud Mathæum: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Ita est, qui cunctos patriæ languidos, cœcos, mutos, infirmos curavit, qui mortuos suscitavit, invidos contribules suos amicare non potuit; uno verbo, qui mortem domuit, non domuit invidiam.

Lucæ 4

Math. 13

Nam quasi fatale esset natale solum indigenis, & iter accessumque ad sapientiam virtutemque jam euntibus ac currentibus impediret aut retardaret, paucos aut nullos video ad sanctitatis apicem, aut gradum aliquem, ascendisse, nisi è patriæ sinu & complexu avulsos, extorres & exules.

Propterea Deus, Abram è patria excedere jubet, quem in spem magnarum rerum, in patrem credentium, in avum Messiæ, destinabat. *Egredere*, ait, *de terra tua*, & non tantùm de terra ac natali solo, sed etiam addidit, *& de cognatione tua, & de domo patris tui.* Quippe tunc increverat inanium cultus Idolorum, & jam paternam urbem & domum invaserat. Ideò eduxit eum de Vr Chaldæorum, jam superstitione infecta, scilicet, periturus erat in patria, si restitisset: propterea longè amovendus erat, & è sinu propinquorum avellendus, à contagio infidelium separandus, ut ait D. Thomas.

Gen. 12

2.2. q.94 a.4 & 1.2 q.102.a.5.

Et non sine grandi mysterio factum dixerim, quòd cùm futuros Abrahæ, suæ sobolis eventus, prænunciare voluit, dixit ei: *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit tuum semen in terra non sua, & subjicient servituti, &c & post hæc egredientur cum magna substantia.* Quo verborum contextu, quanquam ad literam Deus sancto Patriarchæ designare voluerit, ejus progeniem è terra Chanaan olim in Ægyptum migraturam, peregrinatione, servitute, laboribus, à nativitate Isaac, usque ad tempora Mosis, per quadringentos annos diversimodè macerandam; placet tamen eam Prophetiam extendere, & ad omnem Abrahæ, qui pater fidei nostræ, pater credentium, & pater multarum gentium, à Scriptura nuncupatur, sobolem, progeniemque, non solùm carnalem, Synagogæ, sed etiam spiritualem, Ecclesiæ, quibuscunque temporibus olim sit excursura, derivare, ut de singulis Abrahæ, seu fidei, Ecclesiæque filiis hæc prædictio intelligatur; *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent multis annis.*

Gen. 15

Quod inductione obiter probare non fuerit operosum. Ita semen Abrahæ in Isaac peregrinum fuisse, apud Palæstinos, & afflictum, Scriptura testatur. Ita Deus Iacob exercuit, maluit laboribus ac virtutibus peregrinum erudire, quàm gentis Chananææ vitiis domesticis enervari ac torpescere: expulit eum è patria ac domo paterna in Mesopotamiam fraterna invidia, juvenem; virum, soceri sui Laban mala fides, è Mesopotamia in Chanaan; senem fames agit in Ægyptum, ut peregrinus & hospes in aliena terra vitaret vitia patriæ, & mores Chananæorum exueret.

Digitized by Google

Eadem ratione voluit Deus semen Iacob multos an nos exulare in Ægypto, & jugo tyrannicæ dominationis affligi, ne in patria abblandiente fortuna deviassent.

Patriarcha Ioseph nonnisi venditus, exul, servus, prægustata cysterna, servitute, carcere, dignus factus est, qui præesset Ægypto, & mereretur àudire *Salvator mundi*, extra patriam bonam sortem sortitus & fortunam, quam in ea nunquam invenisset.

Quis non miretur fortunam Saülis, primi Regis Israël, qui à patre foras missus, quæsitum asinas, coronam & regnum Israël invenit, aratrum potiùs cogitans, quàm sceptrum.

Idem de Daniele judicium, & sociis ejus, filiis captivitatis Babilonis, quos captivos, extorres, proscriptos, è paterna domo in longinquas terras abductos, bona fortuna amplexata est, fecit divites, honoratos, illustres.

Quæ sufficiant pro exemplis fortunæ temporalis, ejectos è patria, seu peregrinos, donis cumulantis, & ampliantis.

Iam eorum quos melior aura afflaverit, quos fortuna omnium optima desuper arridens, è patria terrena, ad cœlestem; è tenebris, & regione umbræ mortis, in lucem, & regnum filiorum Dei transtulerit, volentes, nolentes, vel etiam nescientes; exempla non desunt, tantò mirabiliora quantò captum, aut consilium humanum excedentia.

Veniat in hoc theatrum amabilis Ruth, Moabitis, olim sponsa filij pulchræ Noëmi, nunc hujus nurus, & illius vidua; quæ secuta socrum in patrios Iudææ fines redeuntem, sponte à patria Moabitide exul, vetulam, juvenis; orbam filij, & ipsa sine prole, frustra exhortantem, ut ad suos rediret; *Revertere* inquientem, *filia mea, & abi ad populum tuum, & ad Deos tuos*; generosa respondit: *Ne adverseris mihi, ut relinquam te: quocunque enim perrexeris, pergam; & ubi morata fueris, morabor & ego pariter: populus tuus, populus meus; & Deus tuus, Deus meus.* O altum fœminæ facinus! ò Divinum prorsus consilium, quo meruit mulier retrò infidelis, populo Dei aggregari, ac veræ fidei inseri; denique fieri avia ipsius Messiæ, ac Salvatoris mundi. O fortuna extra patriam inventa, nusquam in patria invenienda! fortuna, inquam, supra omnem mundi fortunam.

Huic jungatur Achior Dux Ammonitarum, & ipse incircumcisus, è capitalissimo Israëlitarum hoste ejusdem cœlitus alludentis fortunæ dono superfusus, ac raptus; hoc cum discrimine, quòd illa libens ac volens ad fidem venit, hic injuria trahitur, nolens rapitur, vinctus, invitus adducitur. Non repeto historiam, trita est; sufficiat dicere, quòd de militia Holophernis in militiam Dei vivi transfertur, è scelere in gratiam, è patria exul in patriam, è statu perditionis in salutem. O mirabilem gratiæ triumphum! cùm putat in eum magis sævire Holophernes, tunc contigit ejus saluti deservire: cùm destinavit ad mortem, reservavit ad vitam; & ipse eodem, ac proprio suo gladio periit, quem Achior jugulando servaverat, ac minatus fuerat, dicens: *Cùm percusserimus eos omnes sicut hominem unum, tum gladius militiæ meæ transiet per latera tua: confixus cades inter vulneratos Israël.*

Vt hìc videas verbi Dominici absolutissimam experientiam ac veritatem, *Nemo Propheta acceptus est in patria sua*; Achior Propheta veridicus, dum Dei Cœli potentiam commendat & prædicat, inter suos despicitur; & in alienis castris, ipse jam non alienus, vitam animæ & corporis invenit, & è semine perdito in terra sua, in aliena & peregrina semen Abrahæ efficitur.

Digitized by Google

Concludamus tandem, & huic tractatui finem imponamus in Christo, vero Abrahæ filio, Prædestinatorum Capite, eodem & Consummatore, in quo semen Abrahæ peregrinum fuit in terra, & licet sua, tamen quasi non sua, perhibente Dilecto: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Peregrinum, quando *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Peregrinum, quando *& Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Peregrinum, quoniam si mansisset in sinu Patris, si non formam servi induisset, si non se humiliasset, si non ad Crucē usque se exinanisset, non fuisset exaltatus, & *nomen quod est super omne nomen, in quo flectitur omne genu,* adeptus non fuisset. Peregrinum, inquam, quia talem se finxit; quia peregrinis se vitæ comitem fecit. Denique peregrinum, quia de se pronuntiavit, *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Vtinam & nos in hac vita peregrini simus, ad patriam cum ipso cœlestem tendentes, aspirantes, anhelantes.

TITVLVS XXV.

DE HOMINE.

FABVLA.

De pavone & Luscinia.

ASPICIS Pavonem superbæ Iunonis alitem explicantem adverso Sole luxuriantes divitias pennarum suarum? gaudentem spectari, & intuentibus gemmarum fulgorem ostentare. Non dubites hunc esse animal gloriæ, vanitatis symbolum; sed non propterea credas esse contentum suis divitiis. Nam Lusciniæ de proximo cantillanti, invidens vocem suam, supplex Iunonem obsecrat, ut sibi modulandi facultatem largiatur, deficere suæ pulchritudini hoc complementum; irrideri se dum cantat. Sed quid illi Iuno? Dona cuique animalium, inquit, ab Iove liberaliter concessa sunt; tu Lusciniam plumarum multiplici honore superas, illa te cantu. Vnumquemque oportet esse sua sorte contentum.

De Vulpe & Simia.

Simia sentiens se nudam retro, & videns ex adverso Vulpem prælonga, ac larga cauda instructam, cœpit eam rogare, ut sibi partem caudæ suæ daret, ad tegendas nates. Ita enim fieri, communi utriusque emolumento, ut illa importuno onere levaretur, ipsa juvaretur. Ad quæ Vulpes nasum torquens, oppidò quam falleris soror, ait, cauda enim mea non oneri, sed honori meo servit; & ut ut sit, mallem ea terram verrere, quam tuas tegere impuras nates, ita quæque nostrum, suis contenta, vivat.

Digitized by Google

De Lepore & Vulpe.

Lepus & Vulpes deesse aliquid suæ speciei causantes, simul ad pulvinar Iovis supplices accedunt, postulat ille sibi à Iove dari Vulpis calliditatem, qua sibi à periculis & hostibus, quibus imminet, cautè prospiciat: ista optat Leporis celeritatem, sic utrique melius iri consultum. Quid Iupiter? Respondet, cœcas & inanes creaturarum postulationes minimè audiendas, jam à principio è sinu suo cunctis naturis abundè provisum. Non omnibus omnia, sed sapientissima ratione, quæ conducerent, cuique fuisse distributa.

De Asino, Simia & Talpa.

Asinus & Simia simul aliquando confabulantes, cœperunt de Natura omnium parente conqueri, ille quod erga se illiberalis cornua non dedisset, suæ defensioni necessaria. Hæc vicissim, quod caudam non esset largita nudis natibus operiendis oportunam. Audiebat Talpa colloquentes, ad quos, tacete, inquit, ambo, & cessate murmurare, cum me oculis captam patienter sustinere videtis. Eos arguens qui fundunt inanes querelas, qui si proximorum sortem penderent, fœlices se reputarent, aut æquabilius suam tolerarent.

De Asino laborum finem non inveniente.

Asinus domesticus duræ hiemis pertæsus, & itineris, nunc glacie concreti, nunc pluviis in limum resoluti, cupiebat blandam veris temperiem; advenit, sed non optatus finis, majoribus enim tunc oneribus ab hero premitur; argillæ in aream, ex area ad fornacem, è fornace in diversa loca (figulo enim serviebat) exportandæ. Cœpit ergo æstatem expetere, in qua Zephiri blandiores, aspera itinerum resoluerent, Herum sata ad messem vocarent, avocarentque à labore laterum, cum interim ipse quiesceret. Venit Æstas cupita, non requies, imo duplicatur labor, noctes & dies operandum, etiam festivis ac Dominicis, quod non aliàs, diebus. Sic in dies pejor, cogitat Autumnum tanquam laboris & fracti corporis portum, in quo dies minuuntur, augentur noctes, sed & tunc etiam augetur labor, sic recursantibus qualibet anni statione, curis ac pœnis, quid amplius optet, non videt. Hominis conditionem longe miseriorem adumbrans, qui curis & laboribus indesinenter exesus, se sponte discruciat, ut quietis avidus, sic ex æquo impatiens, nunquam contentus.

Digitized by Google

De Agricola militiam, mox mercaturam exercente.

QVidam Agricola videns juuenes Sodales suos è militia redire divites, cœpit de ineunda militia cogitare, & tædere vitæ prioris, tot laboribus exercitæ, tam modicis compendiis; & venditis bobus, capris, ouibus, supellectili; emit equum & arma, & Militiæ nomen dedit. non diu post, pugnatum est, sed infæliciter respectu noui militis, qui strenuè licet decertans, cuncta quæ habebat perdidit, & nil nisi vulnera multa recepit. Militiæ igitur renuntians, decreuit vacare Mercaturæ, ex qua majus lucrum, minus periculum speraret. Prædiis igitur, quæ superarant venditis, & inde comparatis mercibus, mari se commisit, fortunam retentaturus; sed infælicior, exorta tempestate, naui submersa, in undis periit; exemplum & spolium factus fallacis ac dolosæ fortunæ, ut satius sit, ipsi non credere & fidere, sed quemque sua sorte debere esse contentum.

De Testudine & Aquila.

TEstudo videns Aquilam se pennarum remigio in altum leuare, & multa aeris spatia facillimo labore dimetiri, cœpit desiderare sortem ipsius, saltem rogauit Aquilam, ut se in sublime portaret, ut posset hac voluptate frui, spectare & intueri cœlum, & terrarum tractus & maria; morem gessit Aquila cupiditati Testudinis, & vngue prehensam per inane sustulit, vnde statim dimisit ex alto, meritas pœnas dantem temerariæ suæ cupiditatis.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

HOMO NVNQVAM SVA SORTE CONTENTVS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

ELEGANTER Plinius describens quidquid est hominis, ejus mutabilitatem geniumque versatilem, ait: *Natura nudum in nuda humo abjicit ad vagitum & ploratum. Flens animal cæteris imperaturum, & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantùm ob causam, quia natum est. Heu dementiam ex iis initiis existimantium ad superbiam se genitos. Primum temporis munus quadrupedi similem facit, jam morbi tot, non aliud Naturæ sponte, quàm flere. Vni animantium*

In proœm. lib. 7

Digitized by Google

luctus est datus, uni luxuria, uni ambitio, uni avaritia, uni immensa vivendi cupido uni superstitio, uni sepulturæ cura, atque etiam post se de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior.

Eapropter Aristoteles sciscitanti quid existimaret de homine, respondit: *Est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliquum verò pituita & bilis.*

Inde non mirum, si homo ita compositus, diversis affectibus, & motibus animi turbulentis, quasi tot dominis aut tyrannis traditus, tranquillitatis expers sit, & parum tenax.

Pompon. Mel. l.3.c.2

In hoc similis huic lacui Troglodytarum, qui ter in die fit amarus, & salsus, ac rursùs dulcis; totiesque idem etiam nocte: unde & insanus dici meruit; idem serpentibus scatens, & monstruosæ longitudinis. Quot mihi dabis huic aquæ similes viros, nunc asperos, nunc suaves & blandos, aliquando prodigos, mox sordidos: hodiè vehementer amant, & iidem paulò post supra modum oderunt, nunquam sui similes. Vt benè Satyricus:

Iuvenal. Sat. 1

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Horat. l.1 Epistol. Epist. 1

Et Lyricus:

Quod petiit, spernit; repetit quod nuper omisit:
Aestuat, & vitæ disconvenit ordine toto.
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Pauca hæc, si non etiam ambitionis æstum ignemque, quo intùs ardet, incendendo universo orbi importaret.

Iustinus

Talis erat ille Epiri Rex, Pyrrhus, de quo ita Iustinus: *Pyrrhus*, inquit, *in amplissimo Imperij fastigio collocatus, jam nec eo contentus, Græciæ Asiæque regna meditabatur; neque illi major ex Imperio, quàm ex bello, voluptas erat; nec quisquam Pyrrhum, quà tulisset impetum, sustinere valuit: sed ut ad regna devincenda invictus habebatur, ita victis acquisitisque celeriter carebat: tantò meliùs studebat acquirere Imperia, quàm retinere. Quam ob causam collatus est ab Antigono, lusori imperito, qui cùm multa & fœliciter jaciat, iis tamen utendi modum negligat.*

Sen. epist. 94

Talis ille, vitiis an victoriis dubium fuerit notior, Alexander, de quo optimè noster Seneca: *Multi inveniuntur, qui ignem inferant urbibus, qui inexpugnabilia sæculis, & per aliquot ætates tuta prosternant; qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos, arietibus ac machinis quassent. Multi sunt, qui ante se agmina agant, & tergis hostium graves instent, & ad mare magnum perfusi cæde gentium veniant: sed hi quoque, ut vincerent hostem, cupiditate victi sunt. Nemo illis venientibus restitit, sed nec ipsi ambitioni restiterant. Tunc cùm agere alios visi sunt, agebantur. Agebat infœlicem Alexandrum furor aliena devastandi, & ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui à Græcia primùm, in qua eruditus est, incipit? qui, quod cuique optimum est, eripuit? Lacedæmonas servire jubet, Athenas tacere. Non contentus tot civitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, & alias alio loco projicit, & toto orbe arma circumfert, nec subsistit unquam lassa crudelitas, immanium ferarum modo, quæ, plus quàm exigit fames, mordent. Iam in unum multa regna conjecit; jam Græci Persæque eumdem timent; jam etiam à Dario liberæ nationes jugum accipiunt: ire tamen vult ultra Oceanum solemque. Non ire vult, sed non potest stare, non aliter quàm in præceps dejecta pondera, quibus eundi finis, est jacuisse.* Ita ille paulò diffusiùs; sed non potest meliùs irrequietæ mentis jactatio, nullo contenta, describi. Idem persequitur probare in Pompeio, & Iulio Cæsare, & Mario, hominibus ambitiosissimis.

Digitized by Google

Pulchrè sapiens, alter sui sæculi Seneca, si non dignior, ostendit viam qua quis ad compositæ mentis pacis non perturbabilis habitum queat pervenire: Si nec quicquam concupiscat, nec extimescat.

Boëtius Lib. I. de cõs. Phil. metr. 4

Quid tantùm miseri feros Tyrannos
Mirantur, sine viribus furentes?
Nec speres aliquid, nec extimescas,
Exarmaveris impotentis iram.
At quisquis trepidus pavet, vel optat,
Quod non sit stabilis, suique juris,
Abjecit clypeum, locoque motus,
Nectit, qua valeat trahi, catenam.

Quòd autem possessio neminem faciat beatum contentumque, idem jam adductus Seneca egregiè probat. *Nunquam parum est,* inquit, *quod satis est; nunquam multum est, quod satis non est. Post Darium, & Indos, pauper est Alexander Macedo: quærit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit novas, &, ut ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod Naturæ satis est, homini non est? Inventus est, qui concupisceret aliquid post omnia.*

Sen. epist. 119

Dicat Satyricus:

Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis;
Æstuat infœlix angusto limite mundi.

Iuvenal. Sat. 10.

Id est, majora cupimus, quò majora venerint, intentioque concitatior est ambitio sive cupiditas in magnarũ opum congestu collocata, ut flãmæ infinita vis acrior est, quò ex majore incẽdio emicuit. Hoc patuit in eo quod contigit Pyrrhum inter, & Cyneam Oratorem suum, quo tempore meditabatur ille Romanis bellum inferre, iste dissuadere. *Nosti,* inquit Cyneas, *ô Rex! potentiam Romanorum: sed si Dij tantum nobis faverent, ut eos vinceremus, quid tibi agendum putares? Respondente Pyrrho, se tunc cum Romanis militibus in Siciliam trajecturum. Cui Cyneas: Siciliâ devictâ, quid ultra? Navigabimus rectà in Africam. Sed subactâ Africâ, quid tunc facturi sumus? Tum Pyrrhus: Tunc læti unà dies festos, ludosque agemus, & quieti vacabimus. Cyneas autem: Quis prohibet, ô Rex! quin hac ipsa hora id faciamus? quid differimus?* Audiit hæc Pyrrhus; sed ulcus ambitionis ejus non erat capax recipiendi à ratione remedij.

Plutar. in Pyrrho

Quis moderatæ mentis non rideat ut insanos hujusmodi inexplebiles viros? nisi lugeat cum Alexandro, qui cum infinitos mundos ex Anaxarcho audivisset, flevit; ac rogantibus amicis, quid accidisset, *Annon dignum,* inquit, *fletu vobis videtur, si cùm sint infiniti mundi, nos ne uno quidem etiamnum potiti sumus*; cùm ex altera parte Cratem audiat, mersis in mare suis divitiis, pera & palliolo instructum, ad vitam tranquillam jucundamque pervenire; aut Diogenem, *qui per medias Macedonum gasas nudus incessit,* ut dicit Seneca, *calcatis regijs opibus, pro domo dolio utens, & cava manu pro calice.*

Plut. l. de tranquill. an.

Lib. 5. de benef.

Non malè hujusmodi animos, quos aviditas gloriæ, præter modum intemperans, reddit insatiabiles, aliquis comparavit Lupis Cervariis, quorum ea est, si Plinio & Solino credimus, natura, ut etsi post longa jejunia carnes mandere cœperint, & aliò respexerint, præsentis escæ immemores, aliam quærant. Subjectum Emblematis Alciati: quos Plutarchus ita describit. *Hoc vitio,* inquit, *vulgò laboratur. Nam qui vincti sunt, solutorum laudant fortunam, soluti liberorum, liberi civium, cives divitum, divites satraparum, satrapæ Regum, Reges Deorum, tantumnon tonare & fulgurare cupientes.*

Plin. l. 8 c. 22
Soli. c. 18
Emblem. 66
Plut. l. de tranquill. animi

Non res mihi sunt cordi Gygæ divitis,

Digitized by Google

Neque cœpit æmulatio me Superûm, neque
Magna obstupesco facta, nec tyrannidem
Magnam appeto: procul ab oculis sita est meis.

At verò Thasius aliquis, &c. non contentus se aliquo inter suos cives loco in honore & potentia esse, plorat se non gestare vestem Patriciam; & si ferat, quòd non sit Prætor Romanorum: & hoc adeptus, quòd non Consul; & Consul, quòd non prior, sed posterior fuerit renunciatus. Hoc autem quid est aliud, quàm à seipso sumere supplicium?

His conduceret, eodem Plutarcho Auctore, se & res suas intueri, & cum infœlicioribus se comparare; demum sua sorte contentum esse.

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regia,
Non auro nitidæ trabes:
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis favor
Vulgi præcipitis movet.

Senec. in Thyeste, Actu 2

Imitare Poëtam Lyricum, & ab eo tranquillæ mentis situm edisce.

Hor. l. 2 Ode 18

Benigna vena est, pauperemque dives
Me petit, nil suprà
Deos lacesso, nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novæque pergunt interire Lunæ;
Tu secanda marmora
Locas, sub ipsum funus, sepulchri
Immemor, struis domos.

Idem adhuc meliùs:

L. 3. Ode 1

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi.
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax.

Sapiens Epictetus considerat hominem, ut Actorem Scenæ in hac vita positum, qui quam à Deo artem aut personam gerendam suscepit, exequatur. *Memento Actorem esse te fabulæ,* inquit, *quamcunque is velit qui docet; si brevem, brevis; si longam, longæ: si Mendicum agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniosè repræsentes. Ita si claudum, si Principem, si plebeium: hoc enim tuum est, personam datam benè effingere.*

In Enchyr. c. 22

Idem consilium, humanæ fœlicitatis servandæ singulare remedium habes apud Stobæum, cujusdam Theletis. *Vt bonum Histrionem, quamcunque ei dederit personam, ejus decorum servare decet; ita bonum virum, quamcunque fortuna dederit. Nam & ipsa, ut Bion,* inquit, *veluti Poëtria, nunc primi, nunc ultimi Actoris locum nobis tribuit; aliàs Regis, aliàs Mendici personam. Ne igitur, si partes tibi contigerint actionis ultimæ, primas occupare velis; aliter indecorè te habebis.*

Ap. Stob. serm. 1

Digitized by Google

Tu honestè praees, ego subjicior, inquit ille: Tu multorum, ego unius istius pædagogum ago: Tu dives largiris liberaliter, ego non dubito abs te accipere: Tu multis rectè uteris, ego paucis. Non præ inopia dejecti animi & degeneris sum, neque de sorte mea conqueror. Ita ille perquàm sapienter, accommodatéque volenti tranquillè agere: sed paucorum est ista moderatio.

Innocua quibus est vita,
Tranquilla quies, & læta suo
Parvoque domus; spes & in agris.
Turbine magno spes sollicitæ
Vrbibus errant, trepidique metus:
Ille superbos aditus Regum,
Durasque fores, expers somni,
Colit. Hic nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians;
Et congesto pauper in auro est.
Illum populi, favor, attonitum
Fluctuque magis mobile vulgus,
Aura tumidum tollit inani.
Hic clamosi rabiosa fori
Iurgia, vendens improbus, iras;
Et verba locat.

Senec. in Herc. fur. Actu 1

Hanc animorum studiorumque dissensionem, perpetuò recursantem, graphicè fabula repræsentat, Pavonis, lusciniæ vocem invidentis; Simiæ, caudam vulpis; Leporis, vulpinam audaciam; Vulpis, leporinam celeritatem; Asini & Simiæ, conquerentium de Natura sibi illiberali, non advertentium Talpam de vicino, longè meliori jure conquesturam. Quem enim mihi dabis, cui satis fit, quod à Natura, aut à fortuna habuit? Quanti sunt similes Asino fabulæ, in singulis anni tempestatibus requiem quærenti, & non invenienti? aut illi Agricolæ, nunc pastoritiam, nunc militiam, modò mercaturam, ingratà semper fortunà tentanti? aut denique ut Testudo, Aquilæ pennas, & naturam? Sic illi novis semper desideriis æstuant: adeò inquieta, & nusquam sua sorte contenta, nostra mortalitas, perpetua impetigine laborat. Quod sequens pagina ex Scriptura meliùs demonstrabit.

HOMO NVNQVAM SVA SORTE CONTENTVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

PROPHETA Iob, humanæ conditionis nusquam sibi constantis, aut sufficientis, tabellam descripturus, incipit à natalitio hominis, & ortu à muliere: *Homo*, inquiens, *natus de muliere.* Mulierem non tam pro sexu, quàm pro infirmitatis, inconstantiæ ac levitatis exemplo, præire faciens, cæteris ejus originis dotibus, ex quo sequatur tam tristis propago

Digitized by Google

& contextura infirmitatum, vitæ brevis annis, morbis prolixæ, instar floris manè orientis, decidentis ad vesperam, & fugientis ad modum umbræ. Vnde concludat: *Et nunquam in eodem statu permanet.*

Et verò quid homine turbulentius, aut fugacius? quem tot passiones abripiunt, ut non immeritò conqueratur Philo, veluti in arcam Noe bestias, ita in cor humanum affectuum motus, immanes quasdam & indomitas feras, post communem Naturæ lapsum & labem esse admissas.

Dan. 7 Adeò ut cor sit mare illud magnum Danielis, in quo quatuor venti, tot scilicet perturbationum fontes, adversis motibus in sese plerumque ferantur infesti.

Quæ monstri species, quod in tot formas se vertit? quis Protheus, qui totcolores induit?

Benè aliquis de Christiano grege sapiens dixit: *Nec speres aliquid, nec extimescas, exarmaveris impotentis iram.* Inde enim quòd non habita concupiscimus, aut quæ habemus, perdere metuimus, venit, quòd ad portum fœlicitatis, seu tranquillitatis, his duobus ventis semper jactati, hinc spei, illinc timoris, pervenire non possimus, quòd semper fluctuemus, agitemur, perturbemur, nusquam contenti subsistamus.

In universum duo sunt, quæ auream, beatamque animi æquabilitatem impediunt in hac vita, Passionum fluctus in homine diversi, & vanitas creaturarum: illa perpetuò flant, & cor hominis ad res creatas aut impellunt, aut retinent; hæc sui fruitione non satiant.

Psal. 4 Vtrumque sentiebat Divinus Psaltes, cùm nos exhortando diceret: *Filij hominum, usquequò gravi corde?* Quid enim est *gravi corde*, nisi tumultuante ac perturbato præ multitudine affectuum? Sequitur: *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* amando scilicet creaturas, relicto Creatore, mendaces & vanas. Verè enim de iis pronuntiavit, qui per omnia voluptatum genera volutatus, & immersus, omnia expertus, dixit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hæc dicit, qui fuit Rex in Ierusalem, & *proposuit in animo suo quærere, & investigare sapienter de omnibus, qui dixit in corde suo: Vadam & affluam delitijs, & fruar bonis, magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas; feci hortos & pomaria, & coacervavi mihi aurum, & argentum, & substantias Regum*, &c. *& omnia quæ desideraverunt oculi mei, non recusavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur*, &c. cumque me convertissem ad universa opera, in quibus frustra sudaveram, *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.*

Eccles. 1 & 3

Eccles. 2

V. Boet. Lib. 3. de cõs. Phil. Si tantus Rex, prægustatis omnis generis hujus vitæ delitiis, nec in opibus sufficientiam, nec in regnis potentiam, nec reverentiam in dignitatibus, nec celebritatem in gloria, nec lætitiam in voluptatibus invenit, quæ sibi satisfacerent, aut se fœlicem, contentumque redderent: sed in his omnibus deprehendit vanitatem & afflictionem animi, & nil non mutabilitati obnoxium. Mirabimur, si nos vermiculi, qui vix eorum bonorum guttulam delibavimus, quisque in sorte sua, tædio magis, quàm gaudio affecti, idem dicamus, idem sapiamus?

Psal. 143 Hoc Rex David considerans, nil libentiùs canit, aut frequentiùs, quàm hominem vanitati similem. *Homo*, inquit, *vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra prætereunt.* Modò eumdem vocat *figmentum, & pulverem, & fœnum*; quibus nihil stabilitatis, nil fixi inest. Ipse enim, inquit, *cognovit figmentum nostrum.* Quid enim? si homo figmentum est, habens aliquid esse, &

Psal. 102

Digitized by Google

non esse, rei, & Chimeræ? quî erit stabilis, aut contentus? Exemplis istius veritatis, humanæ scilicet inconstantiæ omnis pagina Scripturæ tumet.

Tenebant Iacob legibus connubij Lia & Rachel sorores, illa fœcunditate, hæc speciei illecebrâ, spectabiles: nunquid ad sufficientiam, & plenitudinem utriusque? Minime verò: Lia enim amorem mariti invidet Racheli, hæc sorori fœcunditatem.

Davidi erant uxores regiæ complures, prole & decore conspicuæ; quid ampliùs? Concubinæ pro illius temporis ratione, ac licentia, quantum volebat: plenus erat; nunquid contentus aut satur? Sed si ita esset, Bersabeæ pudorem, & Vriæ vitam non tolleret, peregrinæ passioni immolans, rapiensque ovem unicam pauperis, tot ovium & gregum ipse dives, ut ei Nathan exprobravit. 2.Reg.12

Vitium & famem patris videre est in filio, præsumpto regni hærede, si possit cursum Naturæ expectare, ac præstolari parentis funus. Sed ipse spe ardens, ambitione furens, tempus antevertit, & patri vitam & regnum dum præripere molitur, ipse perdit.

Achab Regi Israël erant multa palatia, ædes regiæ, horti, vineæ; nunquid satur? Etiam vineam Naboth deperit, & ut habeat, vitam ipsi eripit.

Accedat Aman, superbus magni Assueri Minister, à Rege secundus; fortunæ suæ fastum ac gloriam ipse enuntiet: *Convocavit amicos*, inquit Scriptura, *& Zares uxorem, & exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, & quantâ eum gloriâ super omnes Principes & servos suos Rex elevasset.* Nunquid satur? Sed audi: *Et cùm hæc omnia*, inquit, *habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* O inconstantiæ exemplum! ò humanæ ambitionis insaturabilē cupiditatem! plenus erat divitiis, honoribus, bonis, satur, ebrius, quæ mille implendis sufficerent; imperabat omnibus Assueri populis, hominibus infinitis; & quia unus non ei flectitur genu, aut transeunti non assurgit Mardochæus, non est contentus: quid dico? ea omnia pro nihilo habet & ducit, quasi vacuus famescit & sitit, & parat suæ siti implendæ fluvium sanguinis innumeræ plebis. Esther. 5

Talem sitim dives ille epulo ad Inferos deportavit, cui cùm vivo omnia viderentur ut aquæ guttula & stilla, nec eum satiarent, nedum implerent, mortuus in Inferis adhuc sitit, & guttulam aquæ perquirit. Quid enim sunt terrena omnia, nisi guttulæ, micæ, ramenta, quisquiliæ, famem sitimve hominis exsaturare impotentia?

Restat igitur ut in Deo solo, vero ac unico summo bono, quærendo ac possidendo quiescat, & stabilitatem ac tranquillitatem inveniat, quam extra frustra quærit, & quærendo laceratur & pungitur, attestante S. Augustino: *Fornicatur anima, cùm avertitur abs te, & quærit extra te ea, quæ pura ac liquida non invenit, nisi cùm redit ad te.* Et alibi: *Iussisti enim, & sic est, ut pœna sit sibi omnis inordinatus animus.* L.2.Confess. c.8 L.1. c.12

Contra hanc inordinati animi levitatem, omnia appetentis, & nulla re contenti, consulendi duo magni vitæ spiritualis & sapientiæ Antistites; ex veteri testamento, sapiens Siracides; ex novo, Apostolus Paulus.

Ille, convenientissimè huic loco & proposito, dat his verbis consilium: *Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce.* Quo loci primò, pro testamento, Græcè legitur διαθήκη, id est, pactum, fœdus. Vnde Tigurina versio legit: *Fac maneas in pacto tuo, in eoque sis assiduus, ac in officio tuo consenescas.* q. d. age quod agis; age Eccl. 11

munus tuum; in pacto & officio Christiani, ad quod te sacro fœdere obligasti, consenesce, & morere. Secundò, Lyranus " Sta in Testamēto, id est, in lege Dei tui, quæ dicitur pactum, & in eo colloquere, id est, meditare, versa, cogita assiduè; vel in obligatione ex pacto, quod Deo vovisti, si sæcularis, justè vivendo; si Sacerdos, sacerdotaliter; si Religiosus, religiosè; si conjugatus, ut sic; si Prelatus, ut superior, subditis dans exemplum vitæ. Vno verbo, quisque sua sorte, conditione, fortuna, sit contentus, juxta illud, Nulli hominū fas est discedere ab eo quod Deus ei imperavit. Vel potiùs Angeli, dicentis Danieli: *Sta in gradu tuo.* Humana enim infirmitas, & imbecillitas, tanta est, ut sine jugi ac continua gratia Dei, & cooperatione hominis, diu in eo quod cœpit, perseverare nequeat. In quem sensum, est illud Proverbiorum: *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.* Quæ sententia eos carpit, qui ex sola animi mobilitate, ex uno loco in alium migrant; dic, ex officio; dic, ex ordine; dic, ex statu, in alium commigrant, id tandem indecorum, dic periculosum, dic noxium. Vnde Syrus vertit: *Sicut avis transferens nidum suum, sic qui instabilis mutatur à loco suo*; nisi necessitatis causà, aut utilitatis, aut pietatis, id fiat.

Dani. 10

Necessitatis, cùm quis ob famem, aut pestem, aut bellum, locum mutat. Sic Abraham, Isaac, Noëmi, fame urgente; Elias, persecutione Iezabelis, & alij, locum mutare coacti sunt.

Vtilitatis, ut Iacob in Ægyptum cum tota familia commigrantis, ubi in multitudinem penè infinitam pullularunt.

Pietatis, cùm jussu Dei id fit, ut Abrahamo contigit, cui à Deo dictum est: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Sic Moysi. Vbi enim Deus jubet, obtemperandum.

Hucusque consilium Sapientis, *Sta in Testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum veterasce*, ex veteri Testamento.

Nec minoris ponderis est, ex novo, illud Pauli, suos Corinthios informantis, ut tam dicto quàm facto constantiam servent. *Nunquid*, ait, *levitate usus sum? aut quæ cogito, secundùm carnem cogito? ut sit apud me, est & non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo est & non: Dei enim Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Sylvanum, & Timotheum, non fuit est & non; sed est in illo fuit: quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est, ideò & per ipsum. Amen, Deo, ad gloriam nostram.* Mira & præclara sententia, sed spiritualibus, sed intelligentibus. Capiat qui potest.

2.Cor.1

TIT. XXVI

TITVLVS XXVI.
DE HOMINE.

FABVLA.

De Asino Catello invidente.

LVSITANTEM cum Patre familias Catellum, modo pedes jocosè morsicantem, modo vestes, modo ad collum & ora subsilientem, mensæ etiam assidentem, cibos de manu heri recipientem, mille modis blandientem, & blanditiis vicissim affectum, contemplabatur Asinus domesticus de area, & invidia rumpebatur; sortem suam memorans, ut qui quotidie clitellas & onera deportaret, nusquam otiaretur, male tonsus & pransus, insuper semper mala verba, sæpius verbera exciperet. Cœpit autem aliquando pensiculatius ruminare, quænam hujus rei causa esset, & apud se dicere, forsitan, ob rusticitatem meam; quod hero non abblandior, non alludo, non assuavior; addiscamus inquit, amare, ut contingat amari. Excutiendus pudor est. Igitur expectavit cum rediret domum Herus suus, cui intranti occurrit arrectis auribus, & voce altissima rudens & ridens, in humeros subsilit, pulsat pedibus, ungulis, capite, arridet. Exclamare Herus, voce, manibus, baculo excipere, accurrunt servi, & infælix Asellus egregiè vapulat, & foris truditur. Tunc ad se rediens, digne inquit, vapulo, & meæ temeritatis pœnas luo, quod Asinum non decet, factitare volens.

De Cera duritiem lateris appetente.

CEra videns se mollem & tractabilem, nimis dolebat conditionis suæ vicem, cupiebatque lateris cocti soliditate donari, quod ut consequeretur, jecit se in fornacem ardentem, sed momento liquefacta, & igne consumpta, documento fuit, quemque in suo statu manere debere, nec appetere quod sibi à natura fuit negatum.

De Asino & Scurra.

ASellus videns in platea civitatis circulatorem, & Scurram diversorum voces & cantus, seu avium, seu animalium imitando, & crepitus edendo multæ plebis risum movere, & non parvam inde expis-

Digitized by Google

cari pecuniam, indignè ferens pluris fieri Scurram, quàm se, Magistratum adit, conqueritur de favore impertito Scurræ, alios despici digniores, petit ab eo Magistratus quidnam artis sciret, quo se Scurræ præferri vellet. Si de voce agitur, inquit? longe valentiori præditus sum. si de cantu? suavius modulor, testimonio sint qui me quotidie audiunt, qui ubi me vocem efferentem audiunt omnes præ dulcedine modulationis meæ risum tenere non possunt; De cætero, crepitus majores & longiores edo, absque fœtore ullo, addo & stercora ad cumulum. Qua responsione homo in risum effusus probavit justam Asini æmulationem, & ut solebat, monuit perseverare.

De Aquila & Corvo.

AQuilam desursum in gregem Hædorum devolantem, & Caprum unguibus prehensum secum per inane asportantem, Coruus prospiciebat, & æmulari gestiens prosilit in arietem, quem cum unguibus prendere nititur, ita se velleri implicat, irretitque quod inde se extricare, & avolare nequit. Pastores id videntes accurrunt, eumque comprehendunt, avulsisque pennis illudunt, tum quodam percontante ab eo quæ volucris esset, Corvus natura, inquit, mente Aquila fui, jam Corvum implumem me esse certo cognosco qui utinam mea sorte contentus fuissem.

De Rana & Bove.

VEniebat potum in stagno Bos crassus & pinguis, & multoties visus Ranis, cuidam Ranæ desiderium incussit, grandiorem fieri, & crescere instar Bovis. Reputare se fœlicem, si ad eam molem posset pervenire; multo potu id fieri posse reputans, cœpit ultra solitum, & captum, bibere, matre filiam frustrà increpante, ac dicente, fore potius ut craparet, rumpereturque, quam Bovis mensuram æquaret, etiam si totam paludem ebiberet. Crepem licet, mater mea, si possum, grandior fiam. Quid tandem? paulo post bibendo crepuit media. Exemplo aliis quemque intra sortis suæ terminos se continere debere.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, ſeu *Morale.*

NON OMNIBVS OMNIA, SED CVIQVE SVA DONA.

Probatur primò, & illuſtratur, *EX PROFANIS.*

PLVTARCHVS ſeriò monet, volenti tranquillè degere, conſiderandum primò non omnia omnes decere, ſed Pythicæ imprimis inſcriptioni obtemperandum, Noſce teipſum; meditandumque ſecretò, ad quæ quis à Naturà factus ſit, aut proclivis; aut ad quæ arte ac ratione compoſitus, ne adverſis, quod aiunt, capillis illam trahat invitam, aut hanc modò ad hoc vitæ genus, modò ad ad aliud, deſultoriè abigat. Vt enim

L. de tranquill. an.

Servit equus bello, terræ bos tardus arandæ,
Delphinus in mediis naves circumvolat undis,
Doctus aprum in ſylva ſubigit laceratque Moloſſus.

Sic qui dolent, inquit, *quòd non excellant in omnibus, etiam diverſiſſimis, perinde faciunt, ac ſi quis moleſtè ferat, quòd vinea non ferat ficus, & quòd olea non ferat botros: vel qui ſubiraſcitur, quòd non ſit idem Leo de ſylvis, & montibus naturâ ferox, ac Catellus Melitenſis, aut Bononienſis, in ſinu & ocuulis delicatæ ac prædivitis fœminæ enutritus.*

Quis enim inficietur eum deſipere, qui ſimul velit Empedocli, aut Democrito, vel Platoni, de rebus Naturæ ac Philoſophiæ magnifica tractantibus comparari? & voluntati ac libidini indulgere ut Euphorion? aut comeſſari, & calicibus epotandis vacare, cum Alexandro, ut Medius, inertia reſolvi? Aut quis æquo animo toleret eum, qui vellet eodem tempore famam captare ob divitias, ut Iſmenias? & ob virtutem, ut Epaminondas? Ita Plutarchus.

Et tamen nihil uſu videtur frequentius, ut non abs re notavit Lyricus:

Horat. Sat. 1

Quî fit, Mecœnas, ut nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illa
Contentus vivat? laudet diverſa ſequentes?
O fortunati Mercatores! gravis annis
Miles ait, multo jam feſſus membra labore.
Contrà Mercator, navim jactantibus Auſtris,
Militia eſt potior. Quid enim? concurritur, horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub Galli cantum Conſultor ubi oſtia pulſat.
Ille datis vadibus qui rure extractus in Vrbem eſt,
Solos fœlices viventes clamat in Vrbe, &c.

Ab hoc errore nos ſapiens Natura revocat, quæ ut brutis animantibus, non ſingulis eadem, ſed diverſa munia, facultateſque, ſeu proprietates indidit; ſic homini varias ad vitam tolerandam qualitates præbuit, Opilioni ſuas, ſuas aratori, alias aucupi, alias denique maria naviganti. Quo æquius

Digitized by Google

est, nos id genus vitæ, quod elegimus, & commodum est, amplexos, in eo elaborare, reliqua omittere, audientes Persium dicentem:

Sat. 5

Mille hominum species, & rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis, mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana Cumini.
Hic satur, irriguo mavult turgescere somno;
Hic campo indulget; hunc alea decoquit, ille
In venerem putris
Hic satus ad pacem, hic Castrensibus utilis armis.

Secundò, cuilibet emunctæ naris homini licet advertere, unumquemque apud se habere penum, vel tranquillitatis animi, vel ægritudinis & molestiæ; & dolia bonorum ac malorum, non in Iovis limine, sed in animo suo reposita, secundùm diversos, qui homini insunt, affectus. Vt enim inter pictores ij maximè laudantur, qui varios colores temperare, eorumque meliùs callent facere mixturam; aut ut lyræ ac cytharæ nervos qui plures arte pulsat, concētum ac symphoniam meliorem facit, & is demum censetur optimus Musicus, non qui solus modulatur, sed qui in Choro multorum Psaltorum vocem suam justè temperat: Non dissimili modo, qui in humana societate partes suas ritè exequitur, qui suo non deest officio, & ut communi fertur adagio, Spartam suam, quam nactus est, ornat, ille optimus civis censendus est: optimè enim, & proposito nostro congruè, dixit Horatius:

Epist. 10

Cui non conveniet sua res, ut calceus olim
Si pede major erit, subvertet; si minor, uret;
Lætus sorte tua vives sapienter, Aristi.

Et propterea Villici sui desiderium reprehendit more hominum alienam sortem suæ præferentis, & rura sua malè colentis, amore vitæ urbanæ.

Horat. l. 1 Epistol. Epist. 14

Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur iniquè;
In culpa est animus, qui se non effugit unquam:
Tu Mediastinus tacita prece rura petebas;
Nunc Vrbem, & ludos, & balnea Villicus optas.

Et infrà concludit:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus:
Quam scit uterque libens, censebo, exerceat artem.

1. Tuscul qq.

Id dicit vetus Proverbium, *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat* quod à Tullio usurpatur in quemdam Asophum ingerentem se in tractationem rerum à suo foro alienarum. In quam sententiam Horatius:

Horat. de arte poët.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis;
Indoctusque pilæ, discive, Trocive, quiescit. Et
Navem agere ignarus, naves timet: Abrotanum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare. Quod Medicorum est,
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.

Phocilid. Ap. Stob. serm. 1

Arma quibusvis animalibus Deus donavit: Naturam aëream volucribus, leporibus velocitatem, & robur leonibus; tauris sponte nascentia cornua, apibus aculeos, ingenitum dedit munimentum: Rationem verò, quæ omnium est optima, homini tribuit, inquit Phocilides.

Digitized by Google

Imitanda eſt terra, rerum omnium communis parens, quæ, ut dicit Poëta,

Non omnis fert omnia tellus.

Et ſicut prudentis Agricolæ eſt, antequam terræ ſua ſemina mandet, explorare *patrios cultus, habitusque locorum,*

Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet;
Hîc ſegetes, illic veniunt fœliciùs uvæ;
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa virescunt
Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi, &c.

1. Georg.

Sic viri prudentis eſt, ſibi conſtare, ſe ſuæ ſorti, tempori, fortunæ, attemperare, & eum imprimis morbum animi curare, quo de fortuna noſtra queruli, ob vicinorum admirationem res noſtras ſupra modum extenuamus ac deprimimus.

Quod aſſequemur, ſi ut rerum, ſic & mediocritati appetitionum comparandæ ſtudeamus. Vt enim rei Nauticæ periti, vela navibus, non majora quàm ferant, ſed certa proportione accommodant, ſic ſapientis eſt, ſic vota ſpesque ſuas aptare fortunæ, ut præter modum nil appetat, ne ſpe majorum rerum concepta, poſtmodum fruſtrante conatu, genium aut fortunam incuſet, cùm ſuam ſatius fuiſſet inculpare ſtultitiam.

Vt enim non is infortunatus eſt, qui jaculari aratro, aut bove leporem venari velit (eſt comparatio Plutarchi) neque ei qui fruſtra reti aut funda conatur captare Cervũ, mala ſors adverſatur, ſed ſtultitia & perverſitas ſua eum ad tentanda impoſſibilia adigunt; ſic qui deſultoria cupiditate, & inexſaturabili libidine, omnia aggredi, omnia ſibi arrogare & conſequi ſperat, is non in alium, quam in ſe, culpam refundat.

Non abſimilis Dionyſio Tyranno ſeniori, qui non contentus potentia & divitiis, quibus omnes ſui temporis Tyrannos ſuperabat, exaſperato animo, quòd Philoxenum Poëtam canendo, Platonem diſſerendo, non ſuperaret, alterum in lapicidinas conjecit, alterum in Æginam vendidit. Quantò liberaliùs Alexander, qui cùm Criſo ſtadij curſor cum ipſo de celeritate decertans deditâ operâ ſuccumbere viſus eſſet, vehementer eſt indignatus, hanc palmam alij non invidens, ut qui non omnia, omnium eſſe ſciret, ſed cuique ſua. Quod abundantiùs ex Scriptura patebit.

NON OMNIBVS OMNIA, SED CVIQVE SVA DONA.

Probatur ſecundò, & illuſtratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

Math. 26

NIHIL in ſacro Eloquio commendatur expreſſiùs. Habes apud Mathæum Parabolam Talentorum, quæ pater familias longè profecturus diſtribuit. *Tradidit*, inquit, *ſervis ſuis bona ſua*, non eadem omnibus, *ſed uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò unum.* Vt autem ſupra ſtatum ſuum ac ordinem ſibi arrogare nemini licet, ut qui duo acceperit, velit aut invideat conſervo quinque habenti; aut qui unum, duo.

Digitized by Google

Ita accepto Dei dono derogare, aut non benè uti, piaculare est. Ea enim lege summus pater familias diversa diversis talenta dispertiit, ut pensata ac rata cujusque meritorum proportione, secundùm quod dederat, rationem rediturus exigeret. Dona sunt, non debita, non ociosa, nec ociosis; seu vineam agricolis locat & colonis; seu talenta commodat Institoribus, fœnus reddituris; *unicuique*, ait, *secundùm propriam virtutem*; ab unoquoque exactissimè rationem posciturus.

Idem Parabola Virginum sapientum & fatuarum, ex discretione habentium & non habentium oleum, certo articulo temporis, advenientis sponsi ad ferias nuptiales. Idem Parabola arboris ex fructibus bonæ vel malæ, dignoscendæ: Fici arefactæ a Domino, eò quòd in ea nil præter folia invenisset, & alia hujusmodi.

In quo argumento mirabilis est Apostolus, & unus huic titulo implendo sufficeret, scribens ad Corinthios, varia esse in Ecclesia unius ejusdemque Spiritûs sancti charismata, dona, officia, singulis singula, non unis omnia, dividentis; quasi tot humani corporis membra, ordine officioque distincta, charitate compacta, mutuò se diversimodè foventia, invicem sollicita, invicem opitulantia. *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt, & divisiones ministrationum sunt, & divisiones operationum sunt; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult.*

Vos autem, concludit, *estis corpus Christi, & membra de membro: Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores*, &c. *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? &c.* Et ne tot inter officia alter alteri sua invideat, unam suadet æmulationem, bonam utique honestamque. *Aemulamini*, inquit, *charismata meliora.* Quæ charismata? Charitatis, de qua, *excellentiorem*, inquit, *viam vobis demonstro*, cujus encomia & laudes ibidem subjicit & prædicat.

Scitur enim quantò constitit auctoribus suis, perversa æmulatio potestatum à Deo ordinatarum, Core, Dathan, Abyron, quos principatum, ac Sacerdotium Moysis, & Aaronis, ambientes, æmulantesque, vivos terra absorbuit.

Primus Rex Israël, Saül, ausus non expectato ad condictam diem, & horam, Samuelis adventu, holocaustum offerre, & Rex Sacerdotale munus usurpare, à regno reprobatur. *Pro eo quod abjecisti*, inquit, *sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex super Israël.* [1.Reg.15]

Et Ieroboam Regis Israël, nunquid non eodem tempore, quo impius ascendit super altare ut adoleret incensum, & extendit manum suam, exaruit manus ejus, quam extenderat contra Prophetam, nec valuit retrahere eam ad se? [3.Reg.13]

Quid quòd Ozias Rex Iuda, aliàs pius & rectus, prospero successu inflatus, cùm accepto thuribulo adolere vellet incensum super altare thymiamatis, nec Sacerdotes sibi fortiter obsistentes audiret, dicentes: *Non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum; egredere è Sanctuario, ne contempseris*; subitâ lepræ in facie apparentis percussus plagâ, non solùm à Templo, & à Sanctuario, sed etiam ab hominum consortio separatus, ac ejectus perpetuò mansit. [2.Paralip 26.]

Adeò verum est, *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & qui Dei ordinationi resistit, Deo resistit; qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt.* [Rom.13]

Sic nempè temperat Deus, & partitur dona sua, ut quisque vacet operi

Digitized by Google

suo. Præscripserat Deus faciendum sibi tabernaculum, Arcam, altaria, vasa sacra, eorumque materiam & formam, ad Divinum cultum pertinentia; & quia deerant artifices, qui ea perfectè comprehendere, aut exequi possent, eligit Deus duos ex populo, tantorum operum artifices, eosque suo spiritu implet. *Ecce*, ait Moysi, *vocavi ex nomine Bezeleel, & implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro & argento, & ære, marmore & gemmis, dedique ei socium Ooliab*, &c. Exod. 31

Socer Moysis Iethro, videns quòd solus sederet de tribunali quotidiè, à mane usque ad vesperam, lites populi audiens & judicans, ait ei per modum consilij: *Non bonam*, inquit, *rem facis; stulto labore consumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est, ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere*, &c. Proinde *elige de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te*, &c. Probavit Deus consilium Iethro, & ut à se emanatum, strenuè executioni demandari voluit; ita tamen, ut de plenitudine spiritûs, quo Moysem ad populum regendum impleverat, auferret, ut daret septuaginta senibus, ipsi in partem sollicitudinis & imperij subjunctis. Sic enim dicit: *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Non quòd ablatum sit aliquid Moysi, & traditũ aliis (dicit Glossa) nam fuerunt illuminati absque diminutione gratiæ Moysis, sicut à lumine unius candelæ illuminantur plures. Exod. 18 Num. 11

Cumque præter septuaginta præfatos, duo alij in Castris, Deo afflante, prophetarent, velletque eos Iosue, servus Moysis, prohibere, graviter tulit vir sanctus, dicens: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Adeò vir sanctus unam Domini sui zelabat gloriam, ut suis contentus donis, non invideret alienis. Vnde ex Gregorio Glossa " Pia mens Pastoris, ait, quia non propriam gloriam, sed Auctoris, quærit, ab omnibus vult juvari, quod facit. Fidelis enim Prædicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Prophetare enim omnes voluit, qui bonum, quod habuit, non invidit. „ Glossa in c. 11. Num.

Quo ex loco S. Scripturæ, & regula S. Gregorij, haud dubiè convincuntur, non gloriam Conditoris, sed propriam quærere, qui in eo quod pro Deo faciunt, juvari nolunt, nec cooperatores admittunt; & cùm soli messem Dñi multam curare non sufficiant, ad opẽ vocatos ultroque venientes longè propulsant; invident famelicis populis Divini verbi panem, & gratiam Reconciliationis pœnitentibus oblatam rejectant. Sicque dum aliis ex spiritu Domini prophetantibus ora obturant, & aliis intrare volentibus portam claudunt, nunquid fideles operarij censendi sunt? aut potius amari zelatores suarum rerum, qui Ecclesiam cùm eodem tempore importunissimo murmure impleant, & ejus lacerent unitatem, dicunt se pro Hierarchia tutanda & astruenda contendere, dum Anarchiam introducunt. Procul dubio zelum Moysis non habent, sed servi sui, non principalem illum spiritum nobilem, sed Iosue servilem, qui præter septuaginta illos senes, intra tabernaculum receptos, quos spiritus Dei impleverat, videns duos alios in Castris prophetantes, instabat, *Domine mi Moyses, prohibe eos.* Ita isti pauculos illos, adventitios, auxiliarios, de Num. 11

Digitized by Google

eodem spiritu prophetantes, nequicquam sinunt, & ut prohibeantur, ita Divina & humana susdeque vertunt. Quod obiter, offerente se occasione, sit dictum.

Eamdem Divinorum munerum sapientissimam distributionem Deus jam in ipso Moyse & Aarone praemonstraverat, quos populi sui duces eligens, sic inter eos dona sua & munia distribuerat, ut Moysi tribuens regiminis praeeminentiam & principatum, Aaroni concederet linguae officium. *Ipse loquetur*, ait, *pro te ad populum, & erit os tuum. Tu autem eris ei in his quae ad Deum pertinent.* Quod eo jam tempore, cùm eos ad Pharaonem Regem Ægypti mitteret, observaverat, sic tanti negotij & legationis officia inter eos dispensans, ut Moysem Deum constituat Pharaonis, Aaronem, Prophetam, seu Oratorem Moysis. *Ecce constitui*, inquit, *te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus, erit Propheta tuus.*

Exod. 4

Exod. 7

Quod facit Deus pro regimine Reipublicae, facit & pro administratione familiae, & societate civili. In domo Adam, Cain agriculturam, Abel pastoritiam exercet. In domo Abraham, Ismael totum se venationi, Isaac rei domesticae ac contemplationi, addicit.

Lucet etiam in foeminis specialis haec dispositio gratiarum, ut una unius virtutis dote praefulgeat, altera alterius, & quod uni deest proprij decoris aut honestamenti, alio suppleatur.

Quid pulchrius Sara? quae mulier domi castior, quae foris verecundior, quae denique viro in omni fortuna constantior? Et tamen sterilitate ad tempus laborat. Liae uxori Iacob, quia lippa erat, dat foecunditatem, ut quae specie viro minùs placeret, placeret ex sobole. Rachelem, quae pulchritudine sua virum totum teneret, temporanea sterilitate mortificat, ne fastu in sororem insolescat. Et cùm ista invideret sorori foecunditatem, & intemperantiùs liberos optaret, dicens Iacobo, *Da mihi liberos, alioquin moriar*, corripitur à marito, doceturque uterum suum coelesti voluntate concludi, nec nisi ab eo qui clauserat, posse reserari. *Num pro Deo ego sum*, inquit, *qui privavit te fructu ventris tui?* Diceret Apostolus: *Qui dividit singulis prout vult.*

Gen. 30

Non secus in domo Elcanae Ephrathaei: huic duae uxores erant, nomen uni Anna, alteri Phenenna, cum hoc inter se discrimine, ut prima prole privaretur, sed amore mariti gauderet abundantiùs; altera pareret, sed minùs placeret. Quid accidit? Foecunda exprobrat sterili, de dono suo intemperantiùs gestiens. Et cùm ista suae sterilitatis impotentiùs luget aerumnam, à Marito recipit consolationis vicem: *Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum quàm decem filij?* Ita gaudeat quisque sorte sua, & contentus Deo gratias agat.

1. Reg. 1

Quae impraesentiarum huic Titulo & argumento sufficiant, NON OMNIBVS OMNIA, SED CVIQVE SVA DONA.

TIT. XXVII

Digitized by Google

TITULUS XXVII.

DE HOMINE.

FABULA.

De Lupo fluviatili imperiũ maris affectãtẽ.

LUPUS, piscis fluviatilis (cui inter pisces principatum Plinius suo ævo tribui scribit) ad insolitam molem increverat, devoratis multis piscibus, & tantum metum sui omnibus incusserat, ut pro Rege aut Tyranno fluminum haberetur, timereturque. Igitur opinione suæ potentiæ mirum quantum tumens, cœpit cogitare de Imperio maris, & polliceri sibi, sicut fluviorum, sic Oceani se monstra subacturum. Sed vix ostia maris intraverat, cum occurrit ei Delphinus, tùm mole corporis, tùm pulchritudine, cum etiam pernicitate multis eo parasangis superior, qui eum quamprimum unde venerat, remeare coegit, monitum ambitioni suæ metas ponere.

De Leone & Homine.

LEo & Homo simul iter facientes, inter confabulandum in hanc incurrunt quæstionem, uter eorum altero esset fortior, nobiliorque; quisque commendare se, certatimque allegare, quæ poterat in sua causa. Sed cum uterque vincere, neuter alteri cedere, vellet, venerunt in quemdam locum, in quo columnæ marmoreæ visebantur, & in eis prominenti opere pugna Hominis & Leonis insculpta, illius Leonem pedibus atterentis, ac suffocantis. Ad quod erectus homo, ad Leonem, hæc sculptura, inquit, nostram litem apposite dirimit, terminatque, ostenditque, quanto Leonibus antistent Homines. Cui Leo, ita est, inquit, si vobis creditur. Sculptura hæc hominis opera est, sed si Leones artem scribendi, aut effigiandi callerent, pingerent utique Homines Leonibus substratos. Hæc, & altera indicant innatam cuique dominandi appetentiam, aliosque sibi subdendi.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

HOMO DOMINANDI APPETENTISSIMVS, ET NVSQVAM SATVR.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

In proœm lib.7

PAVCIS Plinius hominis ad ambitionem nati genium miseriamque describit. *Natus,* inquit, *jacet, manibus pedibusque devinctis flens animal, cæteris imperaturum, & à supplicijs vitam auspicatur, unam tantùm ob culpam, quia natus est.* (sic Gentili licet loqui, ignoranti nostræ lapsum Naturæ.) *Heu dementiam ab ijs initijs existimantium ad superbiam se genitos,* &c. *Vni animantium luctus est datus, uni luxuria, & quidem innumerabilibus modis: uni ambitio, uni avaritia, uni immensa vivendi cupido,* &c. *Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior.* Addit alibi: *Nil miserius quicquam homine, & superbius.*

Lib.7.c.7

Hæc ille nimis quàm verè, post quem audiamus Senecam ambitiosorum mores tormentumque eleganter pro more describentem.

Sen. epist 73

Nemo eorum, inquit, *qui in Republica versantur, quos vincit, sed à quibus vincantur, aspicit; & illis non tam jucundum est multos post se videre, quàm grave, aliquem ante se. Habet hoc vitium omnis ambitio; non respicit.* Et alibi:

Epist.89

Quousque fines possessionum propagabitis? Ager uni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis? nec Provinciarum quidem satione contenti, circumscribere prædiorum modum. Illustrium fluminum per privatum decursus, & amnes magni, magnarumque gentium termini, usque ad ostium à fonte vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundijs vestris maria cinxistis; nisi trans Adrianum, & Ionium, Aegeumque, vester Villicus regnet.

Lib.7. de benef.

Et libro septimo de beneficiis, ad rem nostram omnia rectè concludit: *Nec illam existimes parvo esse contentum, omnia illius sunt. Non sic quemadmodum Alexandri fuerunt, cui, quanquam in littore maris rubri steterat, plus deerat quàm venerat. Illius ne ea quidem erant, quæ tenebat, aut vicerat, cùm in Oceano Onesicritus Præfectus classibus præmissus explorator erraret, & bella ignoto mari quæreret. Non satis apparebat inopem esse, qui extra Naturæ terminos arma proferret? qui se in profundum, inexploratum & immensum aviditate cæca pronus immitteret? Quid interest quot eripuerit regna, quot dederit, quantum terrarum tributo premat? Tantum illi deest, quantum cupit. Nec hoc Alexandri tantùm vitium fuit, quem per Liberi, Herculisque vestigia fœlix temeritas egit: sed omnium, quos fortuna irritavit implendo. Cyrum & Cambysen, & totum regni Persici stemma percense; quem invenies, cui modum Imperij satietas fecerit? qui non vitam in aliqua ulteriùs procedendi cogitatione finierit?*

Epist.88

Postea sic infert: *Gravissimum genus egestatis, in divitijs, inopia. Relinque ambitionem, tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum, tam sollicita, ne quemquam ante se videat, quàm de se laborat invidia. Vides, quàm miser sit is, cui invidetur, & invidet; & acrior est cupiditas, quò illam amplioris rei spes evocat.*

Digitized by Google

Hanc indolem, & hos mores, non in solo Alexandro, in quem propterea omnis Senecæ pagina detonat, requiras. Idem videre est in eos omnes, quos immoderata gloriæ cupiditas agitabat. Nam si de illo fertur, quòd vix ex Ephœbis egressus, cùm Philippi Regis Macedonum, patris sui, res præclarè gestas, prælia, victorias, audiret, quasi paternam gloriam invidens, ingemuit. *Pater meus*, inquit, *expugnat omnem Græciam, quid mihi restabit faciendum?* Et cùm jam provectior annis Anaxarchum audiret, ex doctrina Democriti, docentem Mundos alios esse innumerabiles, iterum dicitur in lachrimas irrupisse, & exclamasse: *Miserum me!* altè suspirans, *qui ne uno quidem hucusque sum potitus.*

De Iulio Cæsare, Alexandro animi magnitudine pari, nec impari victoriis, idem omnes referunt. Nam cùm Alpes transiret, & per oppidulum iter faceret, quærentibus per jocum amicis, an & hîc de Magistratibus contentiones essent, ut Romæ æmulationes inter Primates de principatu, seriò respondit, *Malle se ibi primum esse, quàm Romæ secundum*: adeò generosus animus majoris supra se ferendi erat impotens.

Plutar. in Iul. Cæs.

Idem, cùm in Hispania res Alexandri gestas aliquando legeret, primò diu cogitabundus hæsit, deinde fertur illachrimasse, & amicis sciscitantibus causam lachrimarum; *Nunquid non jure mihi dolendum putatis?* ait, *qui cùm eò ætatis venerim, quo Alexander tot subegerat nationes, nihil dum ego memoratu dignum egerim.*

Themistoclem agebant eædem ambitionis faces, qui dies noctesque ducebat insomnes, per plateas incedens; & sciscitantibus, quid esset quòd in publico intempestivo tempore versaretur? *Miltiadis trophæa*, inquit, *me non sinunt dormire.*

Hujus etiam insaniæ, cupiditatisque dominandi, fœmineus sexus etiam alienus non est, aut integer. Regina Assyriorum illa Semiramis, & Cleopatra, & Agrippina Neronis mater, testes sunt; quibus abstineo, ut veniam ad Hannibalem, hac cupiditate nulli alteri secundum. Sufficiat audire Satyricum:

Iuvenal Sat. 10.

Expende Hannibalem quot libras in duce summo
Invenies? Hic est, quem non capit Africa, Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti;
Rursus ad Aethiopum populos, aliosque Elephantos.
Additur Imperijs Hispania, Pyrenæum
Transilit: opposuit Natura Alpemque, nivemque;
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono suburra, &c.
Exitus ergo quis est? O gloria, vincitur idem;
Nempe & in exilium præceps fugit, atque ibi magnus
Mirandusque cliens sedet ad Prætoria Regis, &c.

Ex dictis, Ambitionis natura in hoc se manifestat, quod præter naturam est, metas non habet, modum nescit, fertur in immensum; & cùm unaquæque res certis, iisque brevissimis terminis sit circumscripta, sola hominis cupiditas nullos habet.

Hoc Seneca optimè disserit: *Nunquam enim improbæ spei quod datur satis est*, inquit, *eò majora cupimus, quò majora venerunt, multoque concitatior est ava-*

Lib. 2. de ben. c. 27

Digitized by Google

ritia in magnarum opum congestu collocata, ut flammæ infinito acrior vis est, quò ex majori incendio emicuit; æquè Ambitio non patitur quemquam ea mensura honorum conquiescere, quæ quondam ejus fuit impudens votum. Nemo agit de Tribunatu gratias, sed queritur quòd non est ad Præturam usque perductus: nec hæc grata est, si deest Consulatus. Nec hic quidem satis est, si unus est. Vltra se cupiditas porrigit, & fœlicitatem suam non intelligit; quia non unde venerit, respicit, sed quò tendat. Digna certè tanto viro, & nostra consideratione sententia. *Non patitur,* inquit, *Ambitio quemquam ea mensura honorum conquiescere, quæ quondam ejus fuit impudens votum.* Ita is affectus dominandi, ubi imperium cepit in homine, eum dissimillimum facit: *quia,* inquit, *non unde venerit, respicit, sed quò tendat.* Quod alibi dixit, & supra retulimus.

Hoc in Iulio Cæsare non prætermisit Suetonius. *Commotus his Cæsar, ac judicans,* inquit, *quòd sæpè ex eo auditum ferunt, difficilius se Principem civitatis à primo ordine in secundum, quàm à secundo in novissimum detrudi.* Vide ambitiosi naturam, primum semper locum immanissimè ambientis.

Pan. 4 I Theo.

Inde regendi
Sævus amor, ruptæque vices, jurisque secundi
Ambitus impatiens, & summo dulcius unum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis.

C. Tacit. L. 2. Ann.

Huic proposito Tacitus de Archelao Rege Cappadociæ loquens, qui in odium Tiberj incurrerat, inter causas properatæ mortis hanc adducit, *Quia Regibus æqua, nedum infima insolita sunt, finem vitæ, sponte an fato? implevit.* Vbi enim animus ambitiosus semel degustavit imperium, mors, quam descensus, potior est.

L. 15. Annal.

Non sine causa de Ambitione dixit Cornelius Tacitus, paulò ante citatus: *Cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est.* Magnum vitium, cuncta alia superans, & inflammans. Vnde Euripides:

In Iphig.

Qui Ambitioni obnoxius est,
Ingenti malo est obnoxius.

Lib. 2. de laud. Stili

Hæc est, ait Claudianus,

Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, & pretijs commercia poscit honorum.

Verè flagrantior cæteris affectibus, quia Naturam ipsam ejusque leges solvit, & exuit. *Occidat me, modò regnet,* dicebat mater Neronis Aruspici. Eadem posteà regnanti fœdè adulando, *per blandimenta juvenem aggredi,* inquit Tacitus, *suum potiùs cubiculum, ac sinum offerre, contegendis, quæ prima ætas, & summa fortuna expeterent.* Quæ Ambitio Naturam exuit, non mirum, si pudorem. *Cupido regni fratre & filia potior,* dicit idem. *Nihil abnuere dum dominationis jus adipisceretur,* de Macrone loquens. Et verò Nero utrumque matri abstulit, & vitam, & pudorem.

Et nunquid, ut soli sine socio, aut æmulo regnarent, Tiberius filium Germanicum, & idem Nero fratrem Britannicum, ambitione stimulante, sustulerunt?

Tacit. l. 16 Annal.

Iam novam Ambitionis speciem, ex Epitheto insolito, ejusdem Auctoris juvat perpendere, cùm de Annæo Mella verba faciens dicit, *Petitione honorum abstinuisse, per ambitionem præposteram, ut Eques Romanus Consularibus potentia æquaretur.*

13. Annal

Ambitio callidior, quò specie moderationis irrepit & illudit, de qua Stoicæ sectæ ac disciplinæ tenacissimus Seneca noster à quibusdam ta-

Digitized by Google

xatur, &, si credatur Dioni, longè plus erat in eo ementitæ gravitatis, quàm solidæ virtutis. Quid autem mirum, si quibus nil præter umbram Religionis supererat & nomen, ita nil veræ virtutis esset. Sed de hoc aliàs.

Ambitio non contenta humanæ cupiditati nullos fines aut terminos præscribere, humanitatem & pudorem exuere, omnium vitiorum chorum ducere, mortalitatis metas supergressa, eò temeritatis effertur, ut etiam Diis bellum indicat. Res probatu non operosa nimis.

Offert se insignis Senecæ locus: audiamus ipsum loquentem: *Caius Cæsar*, inquit, *iratus Cœlo, quòd pantomimis obstreperet, quos studiosiùs imitabatur, quàm spectabat, quodque comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis, ad pugnam vocavit Iovem, & quidem sine missione, Homericum illum exclamans versum,* ἤμ' ἀνάειρ, ἢ ἐγὼ σε.
Quanta dementia fuit? Putavit aut sibi noceri ne à Iove quidem posse, aut se nocere etiam Iovi posse.

Accedit huic dementiæ aliud de Antonino Heliogabalo, qui fuit verum Monstrum Imperij; de quo sic Ælius Lampridius: *Agebat*, inquit, *ne quis Romæ Deus, nisi Heliogabalus, coleretur.* Hucusque efferata & cœca Ambitio!

Hist. Aug

HOMO DOMINANDI APPETENTISSIMVS, ET NVSQVAM SATVR.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVOD homo naturaliter appetat dominari, minùs mirandum, cùm ad imperium natus sit, & à Deo creatus, nisi excidisset: Nam in pulcherrimo mundo, ditissima supellectili ornato, ipse Dei pulcherrimum opificium constitutus, sciebat in se lucere Divinam imaginem, sibi cœlum ridere, fulgere astra, elementa obsequi, mare sub pedibus sterni, animantia servire, sub se omnes creaturas, supra se solum Deum cernens, quocum ita videtur dividere imperium cœli, terræque, ut homo terrenus dici possit Deus mortalis; Deus verò cœlestis, Homo immortalis. Ita sublimatus audierat sibi datum imperium, *Dominamini*, &c.

Trismeg. l. de sap. & pot. Dei

Deus enim initio creaturæ, homini dederat jus, dominium, principatumque in tria. Primò in terram universam, in volucres cœli, & pisces maris, & omnia animantia. Vbi enim creandi hominis consilium habuit, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, illico subjunxit: *Vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, & replete terram, & subjicite eam.* Et hoc ante peccatum.

Gen. 1

Secundò, post peccatum, Adamo dederat dominationem, imperiumque, viro in fœminam, dicens huic: *Ipse dominabitur tui.*

Tertiò, viro super proprios appetitus suos; sic enim Caino dicitur: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

Triplici igitur illo decoratus imperio, extra, in id omne, quod sol suis radiis & lumine collustrat; intra familiam suam, & domesticos lares, ut

Digitized by Google

pater familias; intus in seipsum, pars sui nobilior, in inferiorem; vix degustato Imperio, perversè utens donis suis, dum se fœminæ dominationi, & appetitui suo subjecit, universi quod habebat imperium deperdidit, retinens sibi solùm primigeniæ illius nobilitatis umbram, pruritum scilicet Ambitionis & Gloriæ.

Quod vitium, quantùm Deus aversetur & abhorreat, hæc è sacra pagina ostendunt, scilicet quòd Ambitio sit Naturæ, societatis, & Dei pluis inimica.

Iudic. 9

Ambitionem Naturæ jura omnia resolvere, & exuere, crudelis animus Abimelech ostendit, qui rabido dominandi in populum Israel æstu abreptus, cùm esset Gedeonis, Principis scilicet Israel, filius, sed nothus & illegitimus; consequenter patri in regno succedere non posset, viventibus legitimis filiis, qui septuaginta erant, detestandum facinus perpetrare cogitavit, eos omnes è medio tollere. Igitur seducto, ac pertracto in suam sententiam populo, septuaginta fratres suos, omnes uno die interemit, & regnum suscepit.

Hoc vitio laborans Saül, stimulante invidia in Davidem jam generum suum, jam unctum à Domino, jam in partem regni ascitum, insurgit, & terrâ marique insontem persequitur.

Absalon in Regem Davidem, filius in patrem, eadem furia instigante rebellat; eum jam thoro publico incestu polluto, non tam throno, quam vitâ privare, & ejicere, machinatur.

4. Reg. 11

Hac peste, libidine scilicet dominandi, abrepta Athalia, mater Ochosiæ Regis Iuda, *videns mortuum filium suum*, ait Scriptura, *interfecit omne semen regium*, scilicet ut ipsa regnaret. Ex quo satis constat, dominari cupidum nil sanctissimis Naturæ legibus deferre.

Vt autem Naturæ, sic societatis jura pessumdat Ambitio. Hoc videre est in superbo Rege Chaldæorum, Nabuchodonosore, qui victoriis insolens, & potentiâ tumens, eò superbiæ devenit, ut populos liberos, Respublicas, regna, urbes, suæ ditioni non subjectas, vellet subjicere, & suæ servituti mancipare; si recusarent, bellum indiceret, & pro inimicis haberet. In quo duo efferatæ argumenta ambitionis Scriptura commemorat. Primum in eo, quod Hebræis, aliisque populis liberis, super quos regnare volebat, ejus imperium detrectantibus, *juravit*, inquit Scriptura, *per thronum & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his.* Hic liceat interpellare Nabuchodonosorem: Quis est invasor? quis pacis infractor? quis prior minas intentans, aut bella movens? Vter in culpa, Rex potentissime? An populus Hebræus, qui intra terminos ditionis suæ inermis degit & pacificus, an tu? qui ab eo nil læsus, nil provocatus, aut offensus, ipsi bella indicis? Quomodo ergo defensoris partes assumis, & qui proponis invadere, aliena usurpare, hoc vocas te defendere? nisi ea sit Tyrannorum tam violenta præsumptio, ut tunc etiam, cùm summâ injuriâ quid volunt, si resistitur, se offensos & læsos dicant, & aggressionem suam, defensionem vocitent.

Alterum, non minùs insolens, est, *quòd habito cum bellatoribus & ducibus suis Mysterij sui* (sic enim sacro vocabulo indigitant & colorant impietatis suæ machinamenta) *consilio*, *dixit*, *cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret Imperio.* Quæso, qui fastus humanæ mentis! quanta audacia! quæ temeritas!

Digitized by Google

Ita magni illi duces & bellatores, qui nullos suæ libidini limites posuere, qui regna, & orbem ipsum, spe devorant, & armis subigere cogitant, hostes sunt generis humani, omnis societatis, & libertatis pestes.

Vlteriùs progreditur dominandi cœca cupido; non solùm Naturæ & civilitatis, seu societatis jura revellit, sed etiam Divinitati bellum indicit; & postquam Naturam & civilitatem exuit, exuit & Religionem. Hi sunt mores ambitiosi. Exemplo sit idem jam allatus Nabuchodonosor, qui quo tempore Hebræam gentem, aliasque spe subjugabat, eodem momento earum Diis, & vero Deo parcitum noluit. *Præceperat enim*, inquit sacer Textus Holopherni suorum exercituum duci, *ut omnes Deos de terra exterminaret, videlicet ut ipse solus haberetur Deus.* Et infra: *Vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum, alius non est.* O audaciam intolerabilem! ô impudentiam nullo non supplicio luendam! dignam in quam omnes creaturæ insurgant.

Iudit. c.3

Cap. 4

Quod si à gravitate pœnæ metiēda culpa est, vide in subjectis exemplis vindictam Dei. Abimelech, ille tot fratrum uno die interfector, ambitionis suæ brevissimo tempore, fructu potitus, cunctis suis popularibus, eo nomine sævi parricidæ exosus, manu fœminæ tegulà percussus, ipse sibi reliquias sacrilegi spiritûs, eodem quo fratrum, vitam mucrone exhausit.

Impius Rex Saül, quo ante regnum non erat melior in populo, accepto non deterior, Deo causam innocentis vindicante reprobatus, primùm à regno, dein à salute, jam ex anticipato Dæmoni traditus regnum tandem, vitamque proprio ense transverberatus amisit.

Et quod justè mireris, cùm regnasset in Israël annis quadraginta, ut scribitur in Actis (intellige unà cum Samuële) duobus annis regni sui agnitis, triginta octo secundùm hanc litteram: Vel si solus regnavit viginti annos, aut circa, secundùm multorum sententiam, duodeviginti, ambitio è sacris fastis erasit, æternaque oblivione damnavit, dicente Scriptura: *Filius unius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit in Israël*, duos tantùm regni ejus annos computans; quia per id solùm tempus innocentiam servavit, quam regno attulit, quæ tanta erat, ut *filius unius anni* dicatur: quia, ut Paraphrastes Chaldaicus, & S. Hieronymus innuunt, ita erat malitia vacuus, quasi puer unius anni.

Actor. 13

1. Reg. 13

Quod spectat Absalon, statim parricidij sui infœlix pœnas luit, propria cęsarie, vanitatis scilicet vinculis in quercu irretitus, cœlum inter & terram suspensus, & tribus lanceis in corde confossus, fato, ausui quàm simillimo, vitam finivit.

Non mitiori fato immanissima illa Athalia occubuit, & ambitionis suæ pœnas dedit.

Postremò, ambitiosissimus mortalium Nabuchodonosor crudelitatis suæ in homines & impietatis in Deum pœnas non segniùs sensit, à throno, & ab ipsa hominum societate ejectus, bestiis terræ aggregatus, tamdiu fœnum ut bos comedit, donec Divina sententia humiliatus agnovit, cum illo alio superbiæ suæ socio, *justum esse, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

2. Machab 9

Ita omnino Deus se habet cum Regibus, quos in throno collocat, si per nefas superbiant, dejicit ac prosternit: ad eos enim sunt hæc verba Prophetæ: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium suum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut*

Abdiæ

Digitized by Google

Aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

Meminerint praeclari sermonis, quem ad eos per os Regis sapientis Divina Sapientia pronunciat. *Audite ergo, Reges*, inquit, *& intelligite: discite, Iudices finium terrae: praebete aures, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis Nationum; quoniam data est potestas vobis & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra; quoniam cùm essetis Ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiae, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis*, &c. Regia planè & Divina sententia, quot verba, tot oracula continens, digna quae in Propylaeis Principum, & in Conclavi, & in Larariis, imò & in eorum cordibus, aureis characteribus conscribatur, qua addiscant, & menti infixum habeant secunda illa Numina habere supra se Numen summum, à quo & vitam, & Imperium, & administrationem Imperij ad tempus accepta habent. Ministros se esse regni illius, non dominos; legibus obstrictos, non solutos & liberos; in summa reddendae suae administrationis rationis obnoxios; & *quoniam durissimum judicium his qui praesunt fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.*

Sap.6

Sap.6

TITVLVS XXIX.

DE HOMINE.

FABVLA.

De Ranis Regem postulantibus.

R*ANAE Regem habere cupientes Iovi supplicant sibi dari Regem; risit Iupiter ad vota Ranarum, illae interim clamant, & coaxare non desinunt, donec earum importunis clamoribus victus, è caelo demisit in earum stagnum immanem trabem, cujus cadentis fragore attonitae, initio siluere, sed postea audaciores, sensim accedere, desuper desultare, garrire, & ludibrio habere coeperunt; redeunt ad Iovem querulae, non trabem se, sed Regem velle, qui cor, os, & sensum habeat. Iupiter fremens mittit loquacibus bestiis Ciconiam, quae paludem perambulans, quotquot obvias habet, vivas devorat. Redeunt iterum ad Iovem, nec sic se velle Regem, alium petunt, sed frustra, non audit importunas loquaces, vt propterea queri & coaxare non desinant, talis est conditio mortalium, vt nemo subjici velit.*

De

Digitized by Google

De Columbis Accipitrem pro Rege recusantibus.

DVm inuicem confligerent Miluus & Columbæ, istæ Milui viribus impares, opem Accipitris implorant, & Regem suum faciunt: ille vero non defensoris, sed tyranni partes agens, eas prædatur, depascit, rapit. Agnoscunt errorem suum Columbæ, sed serò, melius esse vnum, quam duos simul sustinere hostes, maximè si alter eorum sit domesticus. Propterea Accipitri non egere amplius ope sua, renuntiant, ad sua se recipiat. Ostendentes quam grave sit jugum cujuscunque ferre imperantis.

De Asino novos semper Heros quæritante

ASinus Olitoris, ægre sustinens laborem, quo herus eum premebat, conqueritur de eo apud Iovem, supplicat alium sibi dari; exaudit Iupiter, jubet Figulo væneat; mutatur Herus, sed non minuitur labor, imo augescit: semper lutum, tegulæ, lateres, imbrices, dorso portandæ. Iterum ad Iovem; Iupiter, Oratoris importunitate victus, dat Coriarium. Statim expertus eum omnibus quos vnquam habuerat, longe crudeliorem, apud se lamentans dicebat, heu me miserum! vt omnia mihi in deterius cedunt: nam in eum incidi dominum, qui vivo non parcit, nec mortuo, ipse enim vbi corpus meum flagris exhauserit, in fine excoriabit.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

HOMO, TAM MALE SVBIICI, PATIENS; QVAM BENE, IMPATIENS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

SERVVS, servire, servitus, odiosa nomina sunt, quæ tam malè audiunt apud homines, quàm malè capiuntur, & intelliguntur. His opposita, liber, liberè vivere, libertas, tam gloriosa nomina dixero, & cunctis optata, quàm ignota, & raro possessa. Si enim *liber est nemo, nisi qui sibi imperat*, ex sententia Pythagoræ; *aut, cujus animus spe metuque à Philosophia liber & solutus effectus est*, ut Platoni placuit; vel, *qui seipso contentus est, & ex se pendet, non ex alterius arbitratu*, ut voluit Aristoteles. Et aliunde si servus non est, cujus animus à virtute liber est, & sui juris, probabis sententiam Bionis, qui *bonos servos libertate frui dicebat, malos liberos, ea carere, qui multis cupiditatibus servirent.*

Ap. Stob. Ser. 6

ex Laërt. l. 2. c. 8

L. 1. maj. Met. c. 2.

Stobæus ser. 2.

Digitized by Google

Seneca epist. 31

Fac te ipse fœlicem, inquit Seneca: *facies autem, si intellexeris bona esse quibus admixta est virtus; turpia, quibus malitia conjuncta est*, &c. *Quærendum est ergo quod non fiat in dies deterius, cui non possit obstari, quo nil melius possit optari. Quid hoc est? Animus, sed hic rectus, bonus, magnus. Hic animus tam in Equitem Romanum, quàm in Libertinum, quàm in servum cadere potest.*

Philipp. 2

Philip. 10

Permittatur Ciceroni dicere, *mortem servituti anteponendam; malorum omnium esse postremum, non modò bello, sed morte etiam repellendum: pro libertate vitæ periculo decernendum.* Denique ex fastu Romano liceat gloriari, quod *aliæ Nationes servitutem possunt pati, Populi Romani est propria libertas*, & multa similia ventosiùs, quàm veriùs, effutire. Nos uno cum nostro Seneca, solidioris sapientiæ Professore, libenter admittimus, *Equitem Romanum, Libertinum, aut servum, nomina esse ex ambitione, aut ex injuria nata.*

Seneca epist. 31

Epist. 44

Omnes, dicit idem, *si ad primam originem revocentur, à Dijs sunt. Bona mens omnibus patet; omnes ad hoc sumus nobiles; nec rejicit quemquam Philosophia, nec eligit; omnibus lucet: Patricius Socrates non fuit; Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est quòd desperes his te posse fieri parem.* Et infra: *Plato ait neminem non Regem ex servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versavit.*

Et Epistola 47. *At ego, inquis, nullum habeo dominum. Bona ætas est, forsitan habebis; nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Plato, qua Diogenes.* Subdit etiam: *Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus & frænum; sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modò nobis circumdata est, æstimat. Servus est, sed fortasse liber animo. Servus est, hoc illi nocebit, alijs non nocebit.* Deinde probat paucos esse mortalium, qui servitutem non serviant omnium pessimam, vitiorum scilicet. *Ostende*, inquit, *quis non sit?* (supple *servus.*) *Alius libidini servit, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo Consularem, aniculæ servientem; dabo ancillulæ, divitem: ostendam nobilissimos juvenes mancipia Pantomimorum.* Et tandem concludit: *Nulla servitus turpior est, quàm voluntaria.*

Ex his summariè concludas, omnes homines à Deo, à Natura, ab origine, esse æquales; à fortuna, à bello, ab injuria, servos. Sed etiam hos à bona mente, à Philosophia nobiles, & liberos: solum enim corpus servituti obnoxium est.

Certum etiam est, ut supra ex Platone observatum, à servitute ad regnum, à regno ad servitutem, fortuna variante, multos transire.

Ap. Stob. serm. 60

Denique paucos esse verè liberos, ut optimè collegit Stobæus ex sententia Philemonis:

Mihi enim dominus est vir unus;
Istorum verò, ac tui, & plurium aliorum, lex.
Quorumdam Tyrannus; Tyrannorum verò metus;
Sui sunt famuli Regum; Rex autem Deorum;
Et Deus, necessitatis. Denique nihil non, si perpenderis,
Alterius existit; majora minoribus dominantur.
Hæc illis perpetuò serviant, necesse est.

Sed omnium servitutum pessimam, juxta ac turpissimam, esse à vitiis; quam Seneca voluntariam appellat: quia nemini ab alio, sed cuique à se, & perversa libidine inducitur: quæ sola sapienti & fugienda, & probrosa est.

Digitized by Google

Perbellè Poëta Lyricus inducit servum domino suo exprobrantem servitutem probrosam vitiorum.

Horat. L. 2. Serm. Sat. 7

Evasti? credo metues, doctusque cavebis?
Quæres, quando iterum paveas, iterumque perire
Possis. O toties servus! Quæ bellua ruptis
Cùm semel effugit, reddit se prava cathenis?
Non sum mœchus, ais, neque ego Hercule; tolle periclum,
Iam vaga prosiliet frænis Natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum Imperijs hominumque
Tot, tantisque minor? quem ter vindicta, quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet?

Deinde quærit, quis demum liber censendus sit, & quæstioni respondet:

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibique imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent;
Responsare cupidinibus, contemnere honores,
Fortis, & in seipso totus teres, atque rotundus.

Hujusmodi erant, quos Gellius & Macrobius iisdem omnino verbis recensent, ut alter ab altero mutuatus videatur: *Phædon ex cohorte Socratica, Socrati & Platoni persamiliaris fuit, adeò ut Plato ejus nomini librum Divinum de Immortalitate animæ dicaret; servus fuit, forma atque ingenio liberali. Eum Cebes, Socraticus, hortante Socrate, emisse dicitur, habuisseque in Philosophiæ disciplinis; atque is posteà Philosophus emersit, sermonesque ejus de Socrate admodum elegantes leguntur. Alij quoque non pauci servi fuerunt, qui post Philosophi clari extiterunt; ex quibus ille Menyppus fuit, cujus libros M. Varro in Satyris æmulatus est, quas vocavit Menyppeas*: & alij, quos refert; & nominatim Diogenem, & Epictetum; Cujus postremi duo versus de se scripti feruntur.

Gellius l. 2. c. 18
Macrob. l. 1. Satur. cap. 11

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρός,
Καὶ πενίην ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Id est, *Servus Epictetus fueram, qui corpore mancus,*
Pauperie pressus, charus eram Superis.

Et illius, quæ unquam in libero & ingenuo par animi libertas? qui cùm in foro prostaret venalis, & Xeniades volens eum emere, peteret quid artis sciret; *Hominibus*, inquit, *liberis imperare.* Ille responsum miratus emit, & manumisit; & tradens filios suos, dixit: *Accipe liberos meos, quibus imperes. Qui multò potentior*, inquit Seneca, *multò locupletior fuit, omnia tunc possidente Alexandro. Plus enim erat quòd hic nollet accipere, quàm quòd ille posset dare; & qui gloriabatur à nullo se beneficijs victum, à Diogene victus est.*

Sen. lib. 5 de benef.

Iam quæ supra, ad rem nostram, reducendo, dicendum, eam solùm servitutem esse probrosam, & totis viribus fugiendam, excutiendamque, quæ à vitiis, à libidine, à malis moribus, oritur: quam tamen voluntariè induunt & incurrunt innumeri nobiles, verè servi, qui se liberos putant. Illam verò quæ ab injuria & extrinsecus contrahitur, aut quam paupertas aut generis ignobilitas inducit, quam omnes horrent & despiciunt, nulli probro ducendam: scilicet ubi animus à vitiis liber & intactus est. Sed de his consulamus Scripturam.

HOMO, TAM MALE SUBIICI, PATIENS, QUAM BENE, IMPATIENS.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTURA.

HOMO à Deo conditus liber, summa libertate, quæ per gratiam est, donatus; ita ad imperium natus, ut nulli, nisi suo Conditori, serviret, cunctis creatis præesset, dominareturque; nullum supra se, nisi Deum, agnoscens superiorem: extra se, nullam legem, nisi Naturam; intra, ducem, nisi Rationem, eamque originali luce perfusam, sequens; ex quo in Deum rebellavit, & Naturæ, Rationis, officij sui jura perfregit, tam veræ libertatis exsors, quàm falsæ æmulus, peccati jugum subiit, & factus vile mancipium, fortunæ spolium, inconstantiæ ludus, dominari impotens, subjici impatiens, vera libertate amissa, omnium vilissimam induit, durissimamque servitutem, peccati scilicet.

Est enim triplex servitus: Vna summè nobilis, ingenua, & ingenita omni creaturæ, Angelicæ & humanæ, qua Deo servitur. Alia, qua servitur homini; & ista non innata, sed à fortuna; quæ ubi coacta venit, ex vulgi magis opinione, quàm ex rei natura, ignobilis. Tertia denique, omnium durissima & turpissima, est ea, qua vitio, seu peccato servitur; & hæc summè detestanda.

Isaiæ 49. De prima dicitur: *Servus meus es tu, Israël, quia in te gloriabor.* Vnde patet quàm sit nobilis. Et Paulus Servi Dei gloriosum titulum suis præfigit Epistolis: *Paulus Servus Iesu Christi.* Diceret hîc gloriosa Virgo & Martyr S. Agatha: Summa ingenuitas est ista, in qua Christi servitus comprobatur, secundùm illud tam verum, quàm tritum adagium: Servire Deo, regnare est.

De secunda, quæ homines hominum jugo colla submittere cogit, inter indifferentia magis, quàm inter mala, reputanda est: alioquin Deo ipso auctore non diceret Ieremias Israëlitis: *Gens & regnum quod non servierit Nabuchodonosori Regi Babylonis, & quicunque non curvaverit collum suum sub jugo ejus, in gladio, & in fame, & in peste, visitabo super gentem illam. Servite ei & populo ejus, & vivetis.* Et Paulus: *Omnium me servum feci, cùm liber essem, ut plures lucri facerem.*

Ierem. 27

1. Cor. 9

ad Rom. 6

De tertia verò, quæ est servitus peccati, Apostolus dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs ejus; neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis, peccato. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.*

Eccl. 21 Dicat hîc Ecclesiasticus: *Quasi à facie colubri, fuge peccata: dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.*

Et tamen, ò cœcitas humanæ mentis! cùm prima servitus optimè cum vera hominis libertate conveniat, eamque perficiat & consummet: secunda sit ex se indifferens, sæpiùs bona, ut præcepta à Deo: & tertia, quæ à peccato est, sola eam destruat, summo nostro malo & errore fit, ut voluntas falsæ libertatis cupida, Deo derelicto, & ablegato, veram amittat,

Digitized by Google

&in vitia incurrens, duriſſimo ſervitutis jugo colla ſubmittat.

Propterea non abs re Iob dicit: *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum Onagri ſe liberum putat.* Vbi advertas, falſæ libertatis amantem aptiſſimè comparari pullo Onagri, qui eſt Aſinus ſylveſtris, animal indomitum præ omnibus, ſolitudine & libertate efferata gaudens; quo nomine ad literam voluit Iſmaelis filios, homines vagos, diſciplinæ cujuſcunque expertes, rudes, indociles, deſignari, " qui, ut ait hîc S. Gregorius, Naturæ motibus dimiſſi, ut Onagri loris dominantium non tenentur, filij ſcilicet ſæculi, quos aliàs Scriptura *filios Belial* nuncupat, id eſt, abſque jugo; quales deſcribebat Ieremias: *A ſæculo confregiſti jugum, rupiſti vincula, & dixiſti, Non ſerviam.*"

Iob. 11

Ierem. 2

Vnde notant Hebræi, in illis verbis, quæ de Iſmaële prædixerat Angelus, ubi Communis habet, *Hic erit homo ferus*, vertunt illi, *Hic erit Onager*, id eſt, crudelis, indomitus, ſine jugo. Quales erant utplurimùm Hebræi, gens incredula, cervix dura, indocilis animus, nullius aut jugi patiens, aut cultûs tenax. Vel eo tempore, quo de domo ſervitutis egreſſæ, *Dominus ſolus ejus dux fuit. Quoties enim Dominum exacerbaverunt in deſerto? quoties in iram concitaverunt in inaquoſo?* Quoties Moyſen & Aaron inviderunt, murmurationibus & querelis fatigarunt? quoties præpoſitos, ritus, Deum ipſum ſuum exuerunt? Quoties conſilium Altiſſimi irritaverunt, mutantes formam regiminis? Poſt Moyſem, Duces eligunt; poſt Duces, Iudices; poſt Iudices, Pontifices; denique & hos exoſi, Reges inſtar Nationum habere voluerunt. Quid Samuëli tunc Deus? *Audi*, inquit, *vocem eorum: non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Hæc eſt conditio humanæ mentis, ut homo, à Deo averſus, nuſquam in ſe, nec in bono conſiſtat, & libertatis appetens, in duram incidat ſervitutem. Idcirco obſervandum venit, juſtiſſimo judicio, Deum ſæpiùs populum ſuum caſtigaſſe, & afflixiſſe aliena ſervitute, ut Regibus & dominis alienis captivi ſervirent, qui Deo ſuo, liberi, noluerant, & jugum dominationis excuſſerant.

Gen. 16

Pſal. 77

Ea de cauſa Ieremias, Domino jubente, mittit vincula & catenas ad Regem Iuda, & alios Reges vicinos ſuos, quibus monentur ſubjici ad tempus Regi Babilonis, ut jam ſupra attigimus.

Sic etiam propter peccata Roboam, & populi Iuda, mittitur Semeias Propheta, dicens: *Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſag Regis Aegypti.* Et cùm ad hæc verba humiliaſſent ſe, & iram Dei per pœnitentiam temperaſſent, placatus Deus, culpam remittit, ſed non pœnam omnem. Verumtamen, inquit, *ſervient ei, ut ſciant diſtantiam ſervitutis meæ, & ſervitutis regni terrarum.* Explicat Gloſſa, quæ ſit illa diſtantia ſervitutis Dei, & ſervitutis regni terrarum. " Quia ſervitus Chriſti, inquit, ſuavis eſt, & conſolabilis; ſervitus autem humana, dura, & importabilis. " O pœna juſta, ſed lenis, ſuavis, conſolabilis; dulce conſilium, amabile judicium Dei, tradere in captivitatem corpora, ut animas liberet; inducere ſervitutem temporalem, ut æternam evacuet & expungat; mancipare filios ſuos dominis alienis, ut reſipiſcant, & Deum ſuum agnoſcant; denique, *ut ſciant*, inquit, *diſtantiam ſervitutis meæ, & ſervitutis regni terrarum*; diſtantiam nempe dulcis jugi Domini, à duro, & inconſolabili, & importabili, Diaboli.

2. Paralip 12

Gloſſa

Et tamen, proh dolor! hoc jugum, hanc ſervitutem, crudelis hujus tyranni, nemo fugit, averſatur, horret; & illam omnes, cane pejus & angue.

Digitized by Google

1.Cor.7. Quàm benè Apostolus temporalem illam humanamque, quæ utplurimùm ab opinione pendet, servitutem pro nihilo ducit, ut dicat: *Vnusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.* Quibus verbis Apostoli, venientium ad fidem, videtur servi conditio melior, quàm liberi; adeò ut fides exaltet servum, minuat liberum: *Qui in Domino*, inquit, *vocatus est servus, libertus est Domini: similiter, qui liber vocatus est, servus est Christi.* Ita pietas, seu innocentia Christiana, infirmiori compatiens, abjectum relevat; elevatum, Christianæ humilitatis professione contemperat.

Huic non impropriè accedet consideratio Patriarchæ Ioseph, qui cùm primas teneret in aula Pharaonis, & dignitatum regni dispensandarum suis auctoritate polleret, prætulit conditionem humilem atque servilem Pastorum pro fratribus suis, quàm Aulicorum, vel Bellatorum, quibus sibi nobilitatem comparare possent, ne scilicet his artibus, etiam Ægyptiorum vitiis corrumperentur, & ex eorum convictu mores impurissimos contraherent. Propterea Pastoralem, quam maximè abhorrebant Ægyptij, voluit eos exercere.

quæst. 153 in Gen. Observatio hîc S. Augustini non à me prætereunda est in Genesim, sic scribentis afferentisque originem & justam rationem servitutis hominum. "Commendatur, inquit, in Patriarchis, quod pecorum Nutritores erant, & meritò: nam hæc est sine ulla dubitatione justa servitus, & justa dominatio, cùm pecora homini serviunt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim de homine dictum est, cùm crearetur: Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ. Vbi insinuatur rationem debere dominari irrationali vitæ. Servum autem hominem homini vel iniquitas, vel adversitas fecit. Iniquitas quidem, sicut dictum est, *Maledictus Chanaan erit servus fratribus suis.* Adversitas verò, sicut accidit ipsi Ioseph, ut venditus à fratribus, servus alienigenæ fieret. Itaque primos servos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatus, jure belli posset occidi; quia fuit servatus, servus est appellatus. Inde & mancipia sunt dicta; quia manu capta sunt. Est enim ordo naturalis in hominibus, ut serviant; fœminæ, viris; & filij, parentibus: quia & illic justitia est, ut infirmior ratio serviat fortiori. Hæc igitur in dominationibus, & servitutibus, clara justitia est, ut qui præcellunt ratione, excellant dominatione. Quod cùm in hoc sæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diversitatem, ferunt justi temporalem perversitatem, in finem habituri ordinatissimam, & sempiternam fœlicitatem. Nec mirum, pastores fuisse abominabiles Ægyptiis, in quibus utique figura est præsentis sæculi, in quo abundat iniquitas; quoniam abominatio est homini iniquo, vir justus. Hucusque Sanctus Augustinus. Quæ præsenti titulo impræsentiarum sufficiant.

Digitized by Google

TITVLVS XXIX.

DE HOMINE.

FABVLA.

De Vulpe & Capite humano.

VVLPES Sculptoris officinam ingressa, reperit caput humanum ex marmore, singulari artificio elaboratum, quod pedibus anterioribus, quasi manibus amplexans, & curiosius contemplans, exclamavit, ô quale sine cerebro caput! magno cum sensu ac ingenio fabricatum, sensus licet, & ingenij expers. Tales sunt plerumque homines specie externa corporis, aut fortunæ indulgentia, seu munere, sublimes, ingenio autem, ac virtute, hominum larvæ atque umbræ.

De Cane & Asino.

CAnis domesticus, de eorum genere, quos vocant Molossos, bellum gerens cum lupo, cum se viribus imparem crederet, socium pugnæ sibi asciscendum putavit; & contemplatus de vicino Asinum, prægrandi corpore instructum, voce, tonitrui instar, rudentem; clitellis, velut thorace armatum; inde reputans strenuum, & bellicosum, rogavit in consortium pugnæ, & ut sperabat, certæ victoriæ. Acceptam habet invitationem Asinus, promittit se non defuturum. Ergo tali commilitone Canis factus audacior, provocat Lupum, is descendit in arenam, sed ubi eum eminus conspexit Asinus, sine mora, proripit se è licæo, & concito cursu horribiliter rudens, & præ timore crepitans, ac stercorans omnia, fugæ præsidium sumit. Quod advertens Canis, & ipse fugit, dicens, heu me infortunatum! putavi Achillem habere, & inveni Thersitem. Certè à specie externa de quoquam minimè est judicandum.

De Lepore & Vulpe.

ORta est aliquando contentio Vulpem inter & Leporem de nobilitate, & præstantia; Ego te, dicebat Lepus Vulpi, præcello cursu; Ego te, respondebat Vulpes, mente. Ille, sum te velocior pedibus, ista, ego ingenio, quo Venatorum retia, & plagas, & canes, sæpius eludo, quam tu, celeritate pedum. Docet, non à dotibus corporis, sed mentis, metiendum cujuscumque excellentiam.

Digitized by Google

De Vulpe & Pardo.

ALtercabantur Vulpes & Pardus de pulchritudine, qua in re Pardus longo intervallo existimans superare Vulpem, ostentabat pellis suæ varietates, & contra Vulpinæ fuliginem, & fuscum colorem multis deprimebat. Vulpes autem cum ab illa parte se superari cerneret, jactas, inquit, varietates tuas in pelle; Ego majores habeo in mente. Et quanto anima præstat corpore, tanto specie te præcello. Indicans in homine magis attendi pulchritudinem mentis, quam cutis, aut pellis. Plut. hanc fabulam refert, l. an corporis aut animi affectiones sint pejores.

De Equo despecto.

CVm ad proximos Circenses ludos Equi multi adducerentur, & producerentur in medium, iique elegantes, generosi, compti, aureis frænis & phaleris insignes, inter eos unus apparuit inelegans, & male curatus ac pexus, qui ab omnibus idcirco despectui habebatur, & indignus qui cum aliis concurreret; sed cum cursu probandi proluderent, & is cæteros longo post se intervallo relictos superaret, tum demum omnes mirari, & dicere, ab externa specie de rebus minime judicandum, sed à virtute, & generositate, quæ se per opus probat, & innotescit.

De Delectore Militum.

QVidam à Duce suo missus, ut Milites conscriberet, attendebat maximè externam oris & corporis speciem in iis qui sese ipsi offerebant; quos inter unus eminebat, corporis habitudine, & procera statura conspicuus, quem idcircò præ cæteris volebat deligere; & alium rejectare, minus benè natum, quem tamen omnes ut generosum & strenuum militem efferebant; & speciosum illum, ut effœminatum, & ignauum. Vtriusque ergo nomen inscripsit, & effectu probauit quod dicebatur, hominesque haud à specie externa judicandos.

Mens

Digitized by Google

Mens Fabulæ, ſeu *Morale*.

HOMO A SPECIE EXTERNA NON IVDICANDVS.

Probatur primò, & *illuſtratur*, *EX PROFANIS.*

QVIA homo non una res eſt, ſed in vno multiplex, in multiplici vnus, propterea diverſa ratione conſiderandus à nobis eſt, & quibuſdam quaſi gradibus procedendum, ut eum dimetiri poſſimus, & Moralis hujus ſententiæ veritatem comprobare.

Error enim communis eſt hominum, hominem ex alieno, & non ſuo, metientium; aut ſi ex ſuo, non proprio; ſi proprio, non principali; non bono ejus, aut optimo.

Vulgus æſtimabit, à divitiis, & fœlicem reputabit, cujus oculis pretioſi metalli fulgor illudit. Obſtat Seneca noſter: *Vt enim non faciunt*, inquit, *meliorem equum fræni aurei. Aliter Leo aurata juba nitet, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus, aliter incultus, integri ſpiritus; hic ſcilicet impetu acer, ſpecioſus ex horrido, cujus hic decor eſt, non ſine timore aſpici, præfertur illi languido & bracteato. Nemo gloriari niſi de ſuo debet.* (Epiſt. 41)

Alius à faſtigio dignitatum & honorum, quibus ſibi præſtari à populis reverentiam putant, reclamabit Boëtius, nec dignitates, nec Magiſtratus fugare aſſerens, ſed illuſtrare, nequitiam potentium. *Non enim poſſumus*, inquit, *ob honores reverentia dignos judicare, quos ipſis honoribus judicamus indignos.* (Lib. 3. de cóſ. Phil. Proſ. & Met. 5)

> *Quamvis ſe Tyrio ſuperbus oſtro*
> *Comeret, & niveis lapillis,*
> *Invìſus tamen omnibus vigebat*
> *Luxuriæ Nero ſævientis*, &c.

Vtrumque grandi, ut ſolet Seneca, verborum & ſententiarum pondere comprehendit. *Nemo ex ijs*, inquit, *quos purpuratos vides, fœlix eſt, non magis quàm ex illis, quibus ſceptrum & chlamidem in Scœna fabulæ aſſignant, cùm præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati ſimul exierunt; excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt. Nemo iſtorum, quos divitiæ honoresque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt. Quare ergo magnus videtur, cùm baſi illum ſua metiris. Parvus pumilio, licet in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiamſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore; ſic nobis imponitur, quòd neminem æſtimamus, eo quod eſt, ſed adjicimus illi & ea quibus adornatus eſt. Atqui cùm voles veram hominis æſtimationem inire, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice, ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia. Sit ergo pro fixo & rato, In homine nil ad rem pertinet quantum aret, quantum fœneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat, ſed quàm bonus ſit.* (Epiſt. 76)

Digitized by Google

Præclara verò sapientiæ effata, quæ non semel, sed ubivis de thesauro sui cordis expromit, ex innumeris quæ possent afferri, alium locum juvabit exscribere.

Epist. 80

Idem de istis, licet hominibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata fœlicitas est; contemnes illos, si despoliaveris. Equum empturus, solvi jubes stratum, detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant; hominem involutum æstimas? Mangones, quidquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt: itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt; sive crus alligatum, sive brachium aspiceres, nudari juberes, & ipsum tibi corpus ostendi. Vides illum Scythiæ Sarmatiæve Regem, insigni capitis decorum? si vis illum æstimare, totumque scire qualis sit, fasciam solve: multum mali sub illa latet. Quid de alijs loquor? Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus teipsum considera; nunc qualis sis, alijs credis.

Viden ut hominem expolient, personam detrahant, & ea omnia, quæ ejus non sunt, aut forinsecus accidunt, ut æstiment & judicent?

Ergo, judicabimus à corpore, ab ore, à vultu? Quid enim magis hominis est, quam corpus suum? Sed nec ab istis homo æstimandus, aut judicandus est. Animal varium, altum, non penetrabile, frons dolosa, vultus mendax, oculi fallaces: plures formas induit, quàm Protheus, colores quàm Chameleon.

Lib. 9

Occurret enim qui prominenti gravitate pollens te facilè decipiat, qualem describit Gellius: *Palliatus*, inquit, *quispiam, & crinitus, barbaque prope ad pubem usque porrecta, petit æs sibi dari, dicens se Philosophum esse. Responde: Video barbam & pallium, Philosophum non video.*

Epist. 103

Audiamus Senecam. *Erras*, inquit, *si istorum, tibi qui occurrunt, vultibus credis; hominum effigies habent, animos ferarum, nisi quòd illarum perniciosior est primus incursus. Idem ab homine homini quotidianum periculum. Adversùs hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere: nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius: tempestas minatur, antequam surgat; crepant ædificia, antequam corruant; prænuntiat fumus incendium: subita est ex homine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit.*

Ex dictis videtur consectarium, quòd si neque à bonis fortunæ, & corporis homo cognosci queat, & æstimari, inspiciendus sit ab animo, &, ut verbo absolvam, à ratione, quæ animi optimum est, & hominis proprium.

Seneca epist. 76

Quàm benè id eloquitur Moralis sapientiæ Pædagogus noster: *In homine optimum quid est? Ratio. Hac antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est; cætera illi cum animalibus, satisque communia. Valet? & Leones. Formosus est? & Pavones. Velox est? & equi. Non dico, In his omnibus vincitur. Non quæro quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum, & motum voluntarium? & bestiæ, & vermes. Habet vocem? sed quantò clariorem canes? acutiorem Aquilæ? graviorem tauri? dulciorem lusciniæ? Quid in homine proprium? Ratio.*

Epist. 31

Et alibi: *Dedit tibi*, inquit, *quæ si non deserueris, par Deo surges. Parem autem Deo pecunia non faciet, Deus nihil habet: Prætexta non faciet, Deus nudus est: forma non faciet, nec ostentatio tui; nemo novit Deum. Non turba servorum lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina portantium; Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. Ne forma quidem, & vires beatum te facere possunt; nihil horum non patitur vetustatem. Quærendum est ergo quod non fiat in dies dete-*

Digitized by Google

rius, cui non possit obstari, quo nil melius possit optari. Quid hoc est? Animus, sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm Deum in humano corpore hospitantem? Exurge modò, & te quoque dignum finge Deo: finges autem non auro, non argento: non potest ex hac materia imago fingi Deo similis.

Qua sententia pulcherrima palam innotescit unde sit petenda hominis dignitas, unde ejus æstimatio. Sed quàm sublimè potest mentis & rationis beneficio assurgere, tam se profundè ejusdem vitio demittere potest usque ad brutum. Et inde ejus cognoscendi difficultas, quia momento vertitur, adeo ex se fragilis est, & mutabilis. Quo in genere & illud stupendum videtur, quòd quo magis homo ab homine deviat, & accedit ad brutum, instar amentium, licet insaniat, se sanum putet; & quod corpore malè affecti faciunt, hi animo ægri, Medicum nullatenus requirunt.

Plutarc. lib. Bruta ratione uti.

Hoc Plutarchus in tractatu, bruta uti ratione, tangit, introducens Vlyssem à Circe deprecantem, vt socios suos, quos artibus Magicis mutarat in porcos, denuò in homines transformaret. Cui illa: *Minimè verò, ait, sed priùs sciscitare ab ipsis, utrùm consentiant in homines redire, & nolentes suade rationibus, si potes: quod si efficere non possis, & contra accidat, vt te convincant, benè se habere, sequere tu eorum consilium, & exemplum. Accepta conditione, Vlysses unum è socijs, jam suem, frustra precibus & argumentis tentat inducere, vt statum bestiarum ponat, inque formam hominis redeat.*

Quo commento Circes famosæ maleficæ, suis poculis ac veneficiis homines in Monstra & bestias transformantis, & Scyllæ variis lenociniis prætérnavigantes allicientis, illectosque in naufragia & scopulos deturbantis; & Syrenum, suis cantibus homines dementantium; nihil aliud Antiqui, tribus his Monstrorum generibus, nisi illicitas animi corporisque affectiones, vitia & voluptates intelligi voluerunt; in quæ naufragia, pestes, monstra, magna pars hominum sciens & labens, iners, incauta, vecors, incurrit. Pauci cum Vlysse sapientes evadunt: qualis & Æneas, quem Poeta Circem adnavigantem, superantemque Deorum ope describit.

7. Æneid.

> *Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum, &c.*
> *Quos, hominum ex facie, Dea sæva potentibus herbis*
> *Induerat Circe in vultus & terga ferarum;*
> *Quæ ne Monstra pij paterentur talia Troës,*
> *Neptunus ventis implevit vela secundis.*

Superavit & Scyllam Vlysses, suis canibus & Monstris adlatrantem, sapientia & prudentia, sociis in sues conversis, cujus rei habes Emblema Alciati 76. sub hac Inscriptione: Cavendum à Meretricibus.

> *Sole satæ Circes tam magna potentia fertur,*
> *Verterit vt multos in nova monstra viros, &c.*

Superavit idem & Syrenes magna arte, consilio, prudentia, quas ita describit Alciatus:

Emblem. 115

> *Absque alis volucres, & cruribus absque puellas,*
> *Rostro absque & pisces, qui tamen ore canant.*

Et Martialis:

L. 3. Epig

> *Syrenas hilarem navigantium pœnam*
> *Blandasque mortes, gaudiumque crudele,*
> *Quas nemo quondam deserebat auditas,*
> *Fallax Vlysses dicitur reliquisse.*

Digitized by Google

Evadit, inquam, omnia hæc Monstra Vlysses, & sub ejus nomine omnis sapiens, blanda scilicet carnis vitia, Mundi spes dolosas, & pestes aureas, dulcia venena Dæmonis, iisdem artibus, quibus ille Circes pocula abstinendo, Scyllæ scopulos fugiendo, & alio navem flectendo; Syrenum mortiferos cantus, cera aures obducendo, & ad mali navis sese vinciendo, Crucis nempe virtute malorum suggillamenta spirituum fortiter superando. Secus quotquot cedunt, & fœdas voluptates molles ebibunt, evadunt in bestias omnis generis, in porcos luxuriæ, & lupos avaritiæ; in leones sævitiæ, & crudelitatis; ut cum homines putas invenire, feras experiaris.

Ex quo patet, hominem à specie externa minimè judicandum.

Lib. 4. de cós. Phil. Prof. & Met. 4

Hujus rei pulcherrimus locus est apud Boëtium, in quo probat homines improbos desinere esse homines, & induere belluas. *Quidquid à bono deficit, inquit, esse desistit; quo fit vt mali desinant esse quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc ipsa humani corporis species ostendit. Quare versi in malitiam, humanam quoque amisere naturam; & sicut virtus vltra homines, probos evehit, necesse est vt quos vitium ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Evenit igitur, vt quem transformatis vitijs videas, hominem existimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigijs exercet? cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus & fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? vivit asinum. Levis ac inconstans studia permutat? nil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, vt qui, probitate deserta, homo esse desierit, cùm in Divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.*

Deinde exemplum adducit sociorum Vlyssis, quos Circe in bestias transformavit.

Metr. 4

Hunc apri facies tegit,
Ille Marmaricus leo
Dente crescit & vnguibus.
Hic, lupus nuper additus,
Flere dum parat, vlulat.:
Ille tygris vt Indica,
Tecta mitis obambulat, &c.
Iam sues Cerealia
Glande pabula verterant;
Et nihil manet integrum
Voce, corpore, perditis.
Sola mens stabilis super
Monstra quæ patitur gemit.

Quæ præsenti titulo & libro, ex profanis sufficiant.

HOMO A SPECIE EXTERNA NON IVDICANDVS.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

PRIMARIAS inter leges, quas dedit Dominus populo suo, hæc una est: *Non accipietis cujusquam personam, quia Dei Iudicium est.* Quibus verbis ita prohibet ab iis quæ extrinsecus sunt judicari hominem, ut secretum cordis, nulli nisi Deo penetrabile, liceat augurari. Ad quod refertur & illud Ioannis: *Nolite judicare secundùm faciem, sed rectum judicium judicate;* quia quod fit secundùm faciem judicium, utplurimùm mendax est.

Deuter. 1
Ioan. 7

Idem Ecclesiasticus insinuat, cum singulari quadam rerum & verborum expressione: *Non laudes virum,* inquit, *in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus Apis, & initium dulcoris habet fructus illius:* id est, dulcorem habet præcipuum, secundùm Hugonem Cardinalem.

Eccles. 11

Apposité quidem; quis enim tantam dulcedinem ex tam vili secundùm speciem animalculo oriri crederet? Quem locum idem Auctor exponit de Verbo Incarnato, Domino nostro, qui mystice Apis extiterit, tam brevis, assumpta carnis & Crucis humilitate, ut dicat: *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Habens tamen mel in ore, id est, in primo adventu, dulcedinem in prædicatione, qui in secundo sentire faciet aculeum potentiæ. *Initium* igitur *dulcoris, fructus illius;* scilicet, humani generis redemptio, Angelicæ ruinæ reparatio, Ianuæ Paradisi reseratio. Ita fermè ille. Apis verè mirabilis, quæ objiciens aspectibus humanis hominem, servans intus Deum, ut dicit Augustinus, celans formam Dei, in qua æqualis est Patri; & offerens formam servi, qua minor est Patre, extitit Iudæis scandalum, gentibus autem stultitia; ipsis verò vocatis Iudæis atque Græcis, Dei Virtus, & Dei Sapientia. In hoc enim ignorantia detinetur humana, quòd sub deformitate Crucis Dominum gloriæ noluit accipere.

1. Cor. 1

Ergo, *non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo:* id est, secundùm Glossam, " Non judices de valore hominis, secundùm exteriorem apparentiam corporis: nam frequenter ille, qui est minoris apparentiæ, est melioris existentiæ. „

Gloss. hic

Addit ibidem Scriptura: *Multi Tyranni sederunt in throno, qui postea,* dicit Glossa, *dejecti sunt propter suam superbiam.* Et, *Insuspicabilis portavit Diadema.* Gravis & veridica vox.

Exemplum primi, inter fœminas, sit Vasthy, fastosa & tumens illa mulier Assueri, quæ dejecta est è throno. Secundi, Esther humilis, quæ insuspicabilis throno superbæ sufficitur. Inter viros, Tyranni superbientis, sed dejecti, sit Aman, qui cruci, quam proximo paraverat, affixus est. Humilis insuspicabilis, qui portavit diadema, Mardochæus, qui regiis vestibus, equo, diademate, sublimatus est.

Exemplum insuper Tyranni, qui *sedit in throno, & dejectus est*, sit Saül,

Digitized by Google

primus Rex Israël, contumacia in Deum, amaro zelo in proximum, Dæmonis possessione, denique reprobatione, & vitiis quàm regno, famosior; non minus statura, quam regia dignitate, procerus in populo.

Exemplum humilis, qui *insuspicabilis portavit diadema*, sit David; cujus ad regnum electio, quia mirabiliter proposito nostro congruit, quanquam alibi tacta, hîc retractanda est.

Reprobato igitur à regno Saül, mittitur à Deo Samuël, alium in Regem uncturus, quem sibi monstrasset è filiis Isai. Venit igitur Bethleem; mandat Isai ut veniat ad sacrificium cum filiis suis, & incipiens à primogenito, petit à Deo, *Num coram Domino est Christus ejus?* & *dicit Dominus Samuëli: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus; quoniam abjeci eum: nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Præclara sententia, & hîc præmittenda cautio, qua moneretur Sanctus Pontifex, ne Dei munus in personæ & formæ acceptione reponeret. Rejecto ergo primogenito, vocatur secundus; *nec hunc elegit Dominus.* Post secundum substituitur tertius, & sic de septem, altero post alterum oblatis, nullus eligitur. Mirabundus & stupens Samuel, à patre inquirit, *Num alium habeat? Habeo* quidem, inquit, sed *parvulum*, & incomptum, minantem greges. *Mitte*, inquit, & *adduc.* Accersitur puer; & Dominus Samueli: *Surge, & unge eum; ipse enim est.* Sic electus à regno dejicitur ac reprobatur; abjectus coram hominibus, à Deo eligitur, & elevatur in throno, & *insuspicabilis diadema portat.*

1.Reg.16

Quo Moralis hujus loci veritas claret, hominem à specie externa minimè judicandum.

Quid enim? Amicum putasti, probasti inimicum: existimabas hominem, suem experiris: extra ostentat hominem, cælat intus bestiam.

Putabant Abner & Amasa, Principes Israël, vocati à Ioab specie honoris, ac benevolentiæ, cum eo impunè agere, & amicè tractare; & pro civilitate, hostilitatem; pro amico, homicidam, proditoremque trucidati persentiunt, quavis bellua crudeliorem.

2.Reg.3 & 20

Nabuchodonosorem Assyrij pro Deo colebant; sed justo Dei judicio percussum, cùm Regem adire putant, bovem inveniunt, non specie quidem corporis, sed mente, & imaginatione.

Et quis hodie hujusmodi experimenta non facit? Sed consulamus Scripturas.

Missus à Deo Propheta Ezechiel, sermonem ad plebem habiturus, his verbis incipit: *Homo, homo, de domo Israël.* Forma loquendi insolens, non tamen sine mysterio; quod explicat Glossa ordinaria, ut "Interior, inquit, & exterior, significetur: multi enim corporalem hominis faciem habentes, diversarum assumunt imagines bestiarum; unde (dicebat Psalmista) *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*; &, *homo cùm in honore esse non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hi non sunt homines homines, inquit, sed homines jumenta. Et in Evangelio, *Genimina viperarum*, &c. non sunt homines homines, sed homines viperæ. Et alibi, *Vulpes foveas habent, & Volucres cæli nidos.* Et de Herode, *Dicite Vulpi* illi. Hi non sunt homines homines, sed homines Vulpes. Qui verò homines homines sunt, si erraverint, per supplicia corriguntur, ut cognoscant, quia ipse sit Dominus.„ Hucusque Glossa. Præclara doctrina, ad rem nostram accommodatissima.

Ezech.14
Glossa

Digitized by Google

Ex qua liquidò probatur, quòd non omnis homo, est homo homo; id est, homo ut sic, seu reduplicativè, ut Schola loquitur: Scriptura enim, & Mystici, in homine duos homines assignant; Exteriorem, quem Apostolus omni pagina *veterem Adam*, *animalem*, *terrenum* nuncupat; & Interiorem, quem idem *novum Adam*, *spiritalem*, *cœlestem* vocat. Primus homo talis dicitur, respectu ad naturam, & ad culpam: secundus, ad gratiam: qui duo cùm junguntur in homine, tunc dicitur homo, homo; Homo rationalis, spiritualis, cœlestis. Hujus rei ratio est, quòd cùm in homine sint duæ partes principes, Ratio & sensus, & per illam Deo accedat, per hanc bruto; tunc propriè dicitur agere, aut vivere ut homo, denominando eum ab eo quod in eo est optimum, & excellentius; cùm agit aut vivit ex dictamine rationis, qua distinguitur à brutis, & homo est. Agere verò, aut vivere ut brutum, cùm sensûs & carnis impulsu facit, quod ipsi cum bruto convenit, & commune est. Perfectè autem tunc homo agit, cùm perfectissimo suo objecto, Deo, intellectu & voluntate adhærens, unus cum eo spiritus efficitur. A contrario vitiosissimè, cùm relicto Deo, homine, ratione, justitia, bestiarum mores induit. Doctrina tota Angelici Doctoris.

Quòd nisi de præterito in se lugeret David pœnitens, non diceret: *Vt jumentum factus sum apud te.* Et de quolibet peccatore: *Homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Super quo notat Chrysostomus: " Pejus est comparari, quàm nasci. Naturaliter enim non habere rationem, tolerabile est; hominem verò rationalem irrationabili comparari, voluntatis crimen est.,, (Psal. 72; Psal. 48; Hom. in Ascens.)

Non moneret tam sollicitè idem Rex pœnitens: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* (Psal. 31)

Nec Hieremias lascivis diceret: *Equi amatores & emissarij facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* (Cap. 5)

Nec Sophonias Primatibus Israël: *Principes ejus in medio ejus, quasi leones rugientes. Iudices ejus Lupi vespere, non relinquentes in mane.* (Cap. 3)

Nec in persona patientissimi Domini nostri, Propheta: *Circumdederunt me Canes multi, Tauri pingues obsederunt me.* (Psal. 21)

Ex quibus liquet hominem, ex iis quæ extra patent, non esse judicandum, aut æstimandum.

FINIS PRIMAE PARTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

MITHOLOGIA
SACRO-PROFANA,
SEV
FLORILEGIVM
FABVLARVM
IN CLASSES, ET LOCOS MORALES
DIGESTVM:
LOCIS, SENTENTIIS, HISTORIIS, TVM
PROFANIS, CVM SACRIS, EX PVRIS FONTIBVS SCRIPTVRÆ,
ILLVSTRATVM.
Centuria II. Liber II.

Authore P. IRENÆO à S. CATHARINA, BLESENSI,
Ordinis Carmelitarum, Prouinciæ Turoniæ.

Θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος
Καὶ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει κόπος.

Deo dante, nil potest invidia;
Deo non dante, nil potest labor.

FLEXIÆ,
Apud GERVASIVM LABOE Typographum.
M. DC. LXVI.
Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI

PAVCIS te volo, & rogo, Amice Lector, primò, ne succenseas, quòd cùm primus liber clauditur, materiæ prælibatæ series non clauditur; sed secundo vertente continuatur. Cujus rei non alia ratio, quàm quòd in hoc Opere, ordo Centuriæ, non materiæ, libros distinguit. Secundò, quòd cùm initio certis me legibus astrinxerim, V. G. in Annotationibus Profanis non nisi Profanos Authores adducturum, vt non nisi Sacros, in Sacris; contrarium tamen fecisse videar, cùm vtrobique Philonem, Boetium, & Tertullianum, & fortè alios, quanquam rarissimè, referam; quod meo jure citra cujusquam injuriam facere posse sum arbitratus. Quod Philonem spectat, cùm Iudæus sit, mihi profanus est; & idem sacer Author, tum judicio S. Hieronymi, eum inter sacros Authores recensentis; cùm ob egregios Commentarios, quos in sacram Scripturam exarauit. Idem dicas de Boëtio, qui quàm in libris aureis de Consolatione Philosophum egit, tam se fide, vita, morte, Christianum & Martyrem probauit. Quòd si alicubi Tertullianum, aut aliquem alium summis labris degustaui, inter Profanos non Profanum, nil eorum meritis decedit; sed cùm ex professo contra Gentiles depugnent, & idem mihi agendum est, eorum armis vtendum fuit.

Erunt & fortè qui mussitent, quòd cùm in Annotationibus Profanis alio charactere, scilicet Italico, horum locos exscribam, id in Annotationibus ex Scriptura non præstem, nisi in Scripturæ ipsius citationibus: quod de industria feci, tum vitandæ confusionis causâ, cùm aliqua religione ac reuerentia Scripturæ, seu sacræ linguæ, quæ Dei est, & omnium linguarum mater & princeps; qua præsente, vt Sole Stellæ, sic

Digitized by Google

cæteræ diſpareant, ſatis communi cultu, quibuſdam virgulis, hinc & inde, diſtinctæ.

Poſtremò, ne cui ſcrupulus veniat, aut dubium, num ego pro libitu fabulas confingam, & ſic aptas ad manum & opus comminiſcar; ne aliis videar, ex Muſtaceo, quod aiunt, laureolam quærere, aliis minùs bona fide agere, nullam me fabricaſſe aut effinxiſſe, ſatis ſuperque Æſopi Fabulæ, quæ vbique terrarum hoc nomine circumferuntur, quanquam diuerſorum, vt jam monui, Auctorum, fidem facient.

Cæterùm ad aliqualem hujus Operis abſolutionem, mecum deſiderabis, Lector, expreſſas imaginibus fabulas, ſaltem ſingulis titulis, ſingulas. Nil excuſatione opus; quod potuimus, dedimus, amplius, ſi Deus dabit, aut tuus fauor, olim daturi.

Digitized by Google

INDEX
Titulorum, Fabularum, Moralium, Centuriæ II. seu Libri II.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Titulus 51. De Amicis.

Titulus 52. de Amicitia.

Titulus 53. de Inimicis.

Titulus 54. de Inimicis.

Titulus 55. de poena talionis.

FINIS Centuriæ II. seu lib. II.

Digitized by Google

MITHOLOGIA SACRO-PROPHANA,

CENTVRIA SECVNDA.

LIBER SECVNDVS.

TITVLVS XXX.

DE IVVENTVTE.

FABVLA.

De Adoleſcente & Hirundine.

EFFRÆNIS *quidam ac diſſolutus Iuvenis, cum inter Ganeonum greges bona ſua in popinis, & luxuriis, abligurriſſet, vt nil reliqui præter veſtem haberet, viſa Hirundine exiſtimauit actum eſſe de hyeme, ver adventaſſe; confeſtimque veſtem vendidit, & pretium eius ludis & ſolitis compotationibus impendit: ſed cum paulo poſt recrudeſcente frigore, diriſſimè algeret, viſa alia Hirundine, & ipſa pene frigore enecta, ô peſſima avicula, dixit, quam male auguraris! decepiſti me, & ſimul decepta es; oſtendens inconſideratæ iuventutis indolem, temere, & ſine conſilio ſe in errores præcipitem agentem.*

Bos & Iuvencus.

BOvem *ætate iuxta & labore confectum Iuvencus comptus ac petulans, iugi adhuc expers intuens, irridebat, exprobrans ſcabram pellem, cutem rugoſam, & cervicem iugo attritam, plauſtri denique duram neceſſitatem; & contra vegetæ ætatis ſuæ ſtatum, otia, laſcivias effere-*

Digitized by Google

bat; nequicquam respondente, aut mussitante Bove. Non diu post, cum solennes sacrorum dies recursarent, & pro sacrificio quæreretur victima, Bos dimittitur, Iuvencus rapitur immolandus, quem demisso jam capite, & lento gressu cum ad aram duceretur, Bos videns, nolim inquit: ô mi frater, afflicto tibi afflictionem dare, sed cum ita sors tulerit, tuo jam experimento comperi, verum esse quod olim audivi, vecordem esse juventutem, sed ubi petulantia adolescentiæ jungitur, vix è malis emergere, sapuisses forte, si servisses.

Adolescens & Equus.

EQuum rudem & indomitum quidam Adolescens inscenderat, à quo cum non quò vellet, sed quò Equi impetus ferret abriperetur; nec desiliendi facultas foret, rogatus est à quodam sibi noto, quonam iret; & is, non petas, inquit, quò eo, sed quò feror, nec quò tendamus uterque, illum enim effrænis impetus, me cœca ac præceps necessitas agit; uterque præclara juventutis tabella; ubi cursor & ascensor aguntur præcipites, ille fræni, hic consilij, disciplinæ ac rationis impatiens.

Pater & Filius.

PAtri familias erat unicus Filius, eo nomine prædilectus, quem cum studiorum causa in ludum literarium misisset, pecunia & commeatu sufficienter instructum, & vellet ab eo rationem expensarum exigere, petiit quid superesset pecuniarum, neganti sibi quidquam superesse, imo se insuper majoris summæ debitorem esse; Pater stupenti similis, non sic agas Fili tumultuariè, sed per partes, & minutias recense, quid & quomodo expenderis; ille, non recuso, igitur ut à minimis inchoemus, scribe Pater, pro atramento & charta decem aureos nummos; pro calamis & candela, totidem. Tum ille hoc audito, satis superque, inquit, rationum esto, si enim reliqua hoc pede perfeceris, & numeraveris, haud dubie magnæ summæ debitor fiam. Talis est genius petulantis Adolescentiæ, ut nec se ad rationem cõponens, nec ad conditionem familiæ sese dimetiens, temere omnia faciat, & gravis parentibus omnia dilapidet, ac profundat.

De Rustico & Iuuenco.

RVsticus habebat Iuvencum rudem laboris, omnis insuper vinculi, ac jugi impatientem; quem cum stimulo domare nequiret, summitatem cornuum resecat, ne quem feriret; deinde jugo aptat & aratro, sed vel herum pulsabat calcibus, vel excutiebat jugum, vel denique pedibus arenam carpens, os & caput heri spargebat, operiebatque, adeo ut cogeretur eum relinquere, incultumque suæ permittere libertati. Tales sunt plerumque adolescentes protervi, qui nec verbis, nec verberibus parentum emendari possunt, & veluti Iuvenci indomiti lasciviunt.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

IUVENTUS PRÆCEPS, INCONSIDERATA, TEMERARIA.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

PRÆCLARE in hoc argumento Plutarchus. *Intemperans illa*, ait, *juvenum libido, nulli subesse Magistro, quam ignoranter & falsò libertatem vocant, dominis eos subdit crudelioribus, & durioribus, quàm pædagogi omnes, quibus pueri à parentibus traditi fuerant, cupiditatibus scilicet immoderatis, efferatisque affectibus.* Tunc enim id quod mulieribus contingere dicebat Herodotus, ut cùm tunicam exuunt, exuant & pudorem, adolescentibus accidit utplurimum, ut cùm Prætextam posuere, simul omnem metum & verecundiam deponant cum veste, quæ eos cohonestabat, repleanturque illico dissolutione omni & intemperantia. *Tu autem, qui frequenter audisti, idem esse sequi Deum, & parere rationi, seu doctrinæ, habeto sumptionem togæ virilis non esse abjectionem Imperij, sed mutationem; qua homo, pædagogi instar meritorij, ducem vitæ moderatricemque accipiat rationem.* Præclarum documentum.

L. de auditione

A quo non dissentit Seneca, Lucilium suum sic informans: *Tenes atique memoria*, inquit, *quantum senseris gaudium, cùm Prætextâ positâ sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es: majus expecta, cùm puerilem animum deposueris, & te in viros Philosophia transcripserit. Adhuc enim non pueritia in nobis, sed puerilitas remanet; & hoc quidem pejus est, quòd auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantùm, sed & infantium.* Ex quo, quid de illa ætate sentiat, patet.

Epist. 4

Iuvenis, inquit Aristoteles, *non potest esse sapiens; quia Prudentia requirit sapientiam, quæ tempore indiget: nam ex multo tempore acquiritur Experientia.*

6. Ethic.

Idem: *Quod turpia appetit, incrementumque magnum accipit, castigandum est, ac temperandum: hujusmodi autem maximè est Cupiditas, & puer.* Notanda comparatio Philosophi, pueri & Concupiscentiæ; ut sicut hæc effrænis est, turpia appetens, in immensum crescens, nisi coërceatur; ita juventus.

3. Ethic. c. 12

Inde Plato rationem Physicam dat à priori, cur maximoperè oporteat juvenes bonis assuefieri, exemplo bestiarum, quibus custodes regendis dantur. *Puer enim*, ait, *omnibus bestijs intractabilior est: cùm enim sapientiæ fontem nondum compositum habeat, insidiosissimum est, acerrimum, petulantissimum omnium brutorum animalium. Idcirco multis quasi frænis constringendus est puer; & cùm primùm à matribus, nutricibusque sejungitur, pædagogis continuò tradendus est, qui ejus lasciviam regant atque doment.* Ita ille.

Propterea Solon lege sanxerat, ne quis juvenis ad Magistratus, aut Consilia publica admitteretur, quamvis pro ætatis ratione sapiens ac maturus videretur.

Eadem lex vigebat apud Romanos. Nam licet, referente AuluGellio, mos esset ut Senatoribus in Curiam ingredi liceret cum filiis juniori-

AuluGel. L. 1. c. 23

Digitized by Google

bus, seu prætextatis; tamen cùm in Senatu res alicujus momenti tractabatur, dimittebantur. Quo ex more accidit, quòd cùm aliquando Papirius puer interfuisset in Senatu cuidam propositioni, de qua postridiè consultatio habenda foret, & mater ejus curiosiùs à filio percontaretur, quid in Senatu fuisset propositum, & dixisset, se silentij religione teneri; illaque sciendi avidior ex repulsa, magis instaret, festivo puer mendacio matrem delusit. Dixit itaque propositum fuisse, utrùm Reipublicæ conducibilius esset, ut vir duas uxores duceret, an ut mulier duos viros. Quæ res cùm ab ea, ut vera ac seria, ad alias Romanas Nobiles perlata esset, & illæ catervatim apud Senatores instantissimè sollicitarent, ut una potiùs duobus viris nuberet, quàm vir, duabus fœminis; & tandem compertum esset, quomodo puer Papirius, pro servando Senatûs secreto, matri illusisset; laudatà pueri solertià, cautum est Senatûs decreto, ne deinceps Prætextati Curiam intrarent, excepto uno sapiente Papirio, cui honoris causà, Prætextati cognomen, ut proprium esset, inditum est. Quæ res meruit huic inseri, nec à mente Apologi aberrat, si in mentem revocetur, sapientiam, secretique observationem, quæ in uno Papirio laudata fuere, in aliis raro inveniri.

Ap. Anton. serm. de juven.

Vnde Plutarchus tria adolescentibus servanda commendabat; *In animo temperantiã, in lingua silentium, in ore pudorem*, raras in ludicra ætate virtutes.

Certè non absurdè quidam vitam hominis y Græco assimilarunt: quia ut hæc litera ab uno ductu, seu caudice, scinditur in bivium, ex quo utraque pars contrariis progressibus ab altera discedit: sic ubi adolescentiæ metas, ab infantia egressus, puer attigit, ac discretionem boni ac mali, ingreditur bivium, iter lubricum, punctum difficile, ex quo subsequens ætas & fortuna pendet. In hoc enim bivio ancipiti, hinc obviam se ad dexteram virtus facit, adolescentes per iter scabrosum, præruptumque vocans ad gloriam; inde ad lævam vitium abblanditur, trahit, invitat, per declive deliciarum, ad voluptatem, blandam omnium scelerum matrem.

Ex illo igitur puncto ancipiti ac lubrico adolescentiæ, quam quis viam boni vel mali ingreditur, atque eligit, eam fermè ad finem usque vitæ sequetur: quod his versibus, qui Virgilio ascribuntur, explicant.

Inter opera Virgilij

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur:
Nam via virtutis dextrum petit ardua collem;
Difficilemque aditum primùm spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata; sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa, &c.

Quod bivium, sicut initio vitæ occurrit, sic ea decursa, post mortem recursat, & quemque pro ea quam tenuit via suo loco assignat: quod Poëta eleganter expressit:

6. Æneid

Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit.
Hac iter Elysium nobis. At læva, malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Enimverò quanti ab hoc bivio, à recto exerrant, & abeunt in voluptates corporeas, & lata itinera vitiorum, nunquam reversuri! quàm pauci viam virtutis ingrediuntur!

Digitized by Google

Solet itaque Iuventus communiter comparari flori arborum: quia sicut ex floribus præsagium & conjectura capitur fructûs, ita indicium virtutis in homine, quæ, & quanta sit futura, optimè sumitur ex floribus primævæ indolis. *Studia*, ait Cicero, *quæ sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, & quænam fruges industriæ futuræ*: quas licet pulcherrimas, sæpè subsequens pruina exurat, & decoquat, adeò ut nulli fructus, aut rari sint: tamen quamdiu flos est, spes etiam Olitoris manet: sed ubi in viridi nil floris affulget, nequicquam in Autumno fructus expectes.

Orat. pro Cœlio

Talis fuit magno Imperij Romani exitio C. Caligula, optimi parentis dissimillimus filius; *qui licet Naturam sævam, atque probrosam*, ut inquit Suetonius, *incredibili dissimulatione occultaret*, non potuit tamen ferum cælare ingenium, quin sagacissimus senex Tiberius aliquoties prædicaret, *exitio suo, omniumque, vivere Caium, & se Natricem* (serpentis id genus est) *Populo Romano, orbi terrarum Phaëtontem, educare.*

Sueto. in C. Calig. c. 11

Talis Claudius Nero, alterum Monstrum, & cœnum Imperij; *de genitura cujus, statim multa & formidolosa multis conjectantibus*, inquit Suetonius, *præsagio fuit etiam Domitij patris vox, inter gratulationes amicorum, negantis quidquam ex se & Agrippina, nisi detestabile, & malo publico, nasci potuisse.*

Sueto. in Nerone cap. 6

Non errabit, qui utrique nomen, quod primò datum, Phaëtontis assignabit: quia ubi semel efferato juvenis ingenio summa fortuna & dignitas juncta, quid expectandum, nisi ut cuncta sursum deorsumque vertat?

Propterea Alciatus ex fabula Phaëthontis fecit Emblema cum hac inscriptione, In temerarios, id est, In Iuvenes, qui magno suo, & Reip. fato, rerum gubernacula suscipiunt, in quo sic concludit:

Sic plerique votis fortunæ ad sidera Reges
Evecti, ambitio quos juvenilis agit,
Post magnam humani generis clademque, suamque;
Cunctorum pœnas denique dant scelerum.

Alciatus Emblem. 56

Qua fabula, inquit Natalis Comes, *demonstrarunt Antiqui, rerum maximarum administrationem, ac summa imperia rerum publicarum, juvenibus aut adolescentibus non esse concedenda; cùm in cæteros imperium prudentioribus conveniat. Nam qui juvenes rebus publicis, imperitosque præficiunt, ij cum maximo suo, & præfectorum & subditorum periculo, sæpè se erravisse intelligunt.* Ita ille, quam verè omnis ævi experimento probatum est. Quî enim juveni Rempublicam regendam credas, qui seipsum regere nescit? qui ut auriga indoctus efferatissimis affectibus velut equis indomitis abripitur: tunc enim, ut ait Poëta,

Mithol. l. 6. c. 1.

Frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Virgilius Georg. 1

Quod clarè Fabula Adolescentis & Equi indicat, si per juvenem equo indomito insidentem, intelligas juventutem effræni concupiscentia in prærupta & devia abreptam, quæ adolescentes ferat & rapiat cœco impetu, non quò velit ratio, sed quò æstus concupiscentiæ rapit.

Quis igitur non probet docti Plutarchi consilium, in eo libro, cui titulus, An seni sit gerenda Respublica, docentis: *Regimini*, inquit, *non pedum, manuumve opera exigimus, sed Consilij, sed Providentiæ, sed Rationis; non tumultum ac strepitum in turba excitantis, sed prudenter ac tutò consulentis, unde elucescat Canities, & ruga rideri solita, testis peritiæ, auxilium ad persuadendum afferens, gloriamque ingenij concilians. Nam ad parendum juvenilis, ad imperandum senilis ætas*

Digitized by Google

accommodata est; ac maximè salva est civitas, vbi consilia senum, & juvenum arma concurrunt. Hucusque Plutarchus.

A quo non dissonat illud Hesiodi: *Bella sunt juvenum; opera, virorum, consilia, senum.*

Eleganter Horatius juvenum mores & studia describit.

Horat. de arte poët.

> *Imberbis, juvenis, tandem custode remoto*
> *Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi,*
> *Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.*
> *Vtilium tardus provisor, prodigus æris,*
> *Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.*

Sed omnium melius Emblema, quo Antiqui Genium juvenum significabant; Pingebant juvenem nudum, velo quodam obductos oculos habentem, cujus dextra post tergum revincta erat, læva soluta; quem insequebatur tempus, multas occasiones ei subministrans; singulis verò diebus filum vnum de velo, quo facies illius operiebatur, detrahens.

Cujus picturæ hæc est explicatio: Nudus adolescens significat, quòd ætas illa judicio, ratione, experientia, caret, & de malis quæ gessit gloriatur, potius quàm erubescat. Velum habet super oculos, quia cœca juventus per singula momenta offendit, & in vitia præceps ruit, pravos affectus pro ductore sequens. Dextram habet ligatam, & solutam sinistram, vt intelligatur eam nil dextrè & rectè, sed sinistrè, inconsideratè, præcipitanter, ac temerariè operari. Hunc sequitur tempus, cum comitatu occasionum multarum boni & mali. Filum unum quotidiè detrahens, quia dum ejus vita in singula momenta diffluit, & transit currens ad mortem, tempus sensim velum cæcitatis suæ super oculos inductæ, minuit, ejusque tenebras extergit, & inoculat, ac tandem lumen cœli videre facit; quò aliquando evigilans dicat cum Boëtio:

Lib. 3. de consol. phil. Metr. 9.

> *Da, Pater, augustam mentis conscendere sedem,*
> *In te conspicuos animi defigere visus;*
> *Disjice terrenæ nebulas & pondera molis,*
> *Atque tuo splendore mica: Tu namque serenum;*
> *Tu requies tranquilla pijs; Te cernere finis,*
> *Principium, Vector, Dux, semita, terminus idem.*

Expressam habes Iuventutis tabellam in præmissis fabulis; inconsideratæ, in Adolescente & Hirundine; petulantis, in Bove & Iuvenco; præcipitis, in Adolescente & Equo; temerariæ, in fabula Patris & Filij; & indomitæ, in Rustico & Iuvenco.

Digitized by Google

IVVENTVS PRÆCEPS, INCONSIDERATA, TEMERARIA.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

IVVENIS, Iuventus, Adolescens, Adolescentia, nomina vtplurimùm in Scriptura suspecta, aut male audientia. Ætas præceps, inconsiderata, temeraria, &, quod pejus est, ignorantiæ & peccatis obnoxia; cujus vim & pondus in alia vitæ tempora agnoscens Deus, primam videtur iræ suæ temperasse sententiam. *Nequaquam vltra maledicam*, inquit, *terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab Adolescentia sua. Non igitur vltra percutiam omnem animam, sicut feci.* Gen. 8

Hinc est quòd pro miraculo habeat S. Gregorius, si quis ex lubrico illo cœno vitiosæ ætatis emergat, in hæc ipsa verba à Glossa citatus: « Nemo sibi attribuat (inquit) si cogitationes vicerit: quia corruptionis malum, quod quisque ab ortu carnalium desideriorum sumpsit, exercet in provectu ætatis; & nisi hoc citiùs Divinæ fortitudinis manus reprimat, omne bonum naturæ culpa vorat in profundum. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. »

Miror excellētes quosque, ac non vulgaris sanctitatis viros apud Deum deplangere, lamentari ac pœnitere ob ludicræ ætatis suæ peccata, potiùs quàm provectæ. *Scribis contra me amaritudines*, dicebat gemebundus Iob, *& consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Hujusmodi vulneris dolore punctus Psalmista clamabat: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine.* Qua in re hoc maximè luctuosum est, quòd quæ semel imbiberis vitia, non dedisces aut exues. Vt Sapienti abierit in Proverbium, inter cætera celebratissimum: *Proverbium est*, inquit: *Adolescens juxta viam suam etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Idem ante eum perviderat Iob, & magnificis verbis expresserat. *Ossa ejus*, inquit (*supple* peccatoris) *implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* q. d. Tanta est vitiosæ adolescentiæ amarities, vt ossa penetret animæ, ac medullas, penetralia inficiat, in tantum, vt eum comitentur vsque ad sepulchrum. Iob. 13 Psal. 24 Prove. 22 Iob. 20

Hoc sese ætatis blandientis lenocinio exoletorum turba ad stupra incendit. *Venite*, inquiunt, *& fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in juventute, celeriter.* Sap. 2

Propterea monebat Apostolus discipulum suum Timotheum: *Iuvenilia desideria fuge.* Inde de Tobia Scriptura pro magno pendit, quòd *cùm esset junior omnibus in Tribu Nephtali, nil tamen puerile gessit.* Quod verè magna laus est, nec vulgaris. 2. Tim. 2 Tob. 1

Porro hæc ætas ludicra adeò virtutis rudis est, & vitiis prona, vt Aristoteli & S. Thomæ, doctrinæ & ingeniorum apicibus, videatur puer seu juvenis, vel ipsi Concupiscentiæ comparandus. De primo retulimus retro in Annotatione ex Profanis. Vnde S. Doctor ex sententia Aristotelis dicit in sua Summa: « Concupiscentia assimilatur puero quoad tria: S.Thom. 2.2.q.142 a.2

Digitized by Google

Primò quidem, quantùm ad id quod uterque appetit: sicut enim puer, ita & concupiscentia appetit aliquid turpe, &c. (id est, inordinatum) quia puer non attendit ad ordinem rationis, & similiter Concupiscentia non audit rationem. Secundò, conveniunt, inquit, quantùm ad eventum. Puer enim, si suæ voluntati dimittatur, crescit in propria voluntate. Vnde Ecclesiasticus dicit: *Equus indomitus evadit durus*, seu intolerabilis, *& filius remissus evadit præceps.* Ita etiam & concupiscentia: si ei satisfiat, majus robur accipit. Vnde Augustinus: "Dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.", Tertiò, quantum ad remedium quod utrique præbetur: puer enim emendatur per hoc quod coërcetur. Vnde dicitur Proverb. 23. *Noli subtrahere pucro disciplinam. Tu virga percuties eum, & animam ejus ab Inferno liberabis.* Et similiter dum Concupiscentiæ resistitur, reducitur ad debitum honestatis modum. Dicit enim Philosophus 3. Ethic. capite ultimo, quod quemadmodum oportet puerum secundùm præceptum pædagogi vivere; sic & concupiscibile consonare rationi.,, Hucusque S. Doctor, quod nolui omittere hoc loco, ne pulchram Lectori doctrinam viderer invidisse; quod ad meum propositum non minùs conducit, mores juventutis citra disciplinam describens indomitos ac præcipites.

Cap. 30 · l. 7. Confess.

Cujus hierogliphicum graficè fabula repræsentat, quam supra posuimus, in qua visitur adolescens equo indomito insidens, qui Concupiscentiam significet; vt sessor juventutem, à qua hic in omnes partes jactatur & abripitur; cui quidam occurrens ait, quò tam præceps abeat? Respondet eques: Non quæras quò eo, sed quò me iste rapit, equum demonstrans. Nimirùm equus effrænis & indomitus est Concupiscentia, cui si se juvenis permittit & dedit regendum, portandumque, in quæ vel scelera, vel pericula eum conjiciet? Nec roges eum tali equo currentem, quò eat, aut pergat? Respondere meliùs poterit, Quò me Concupiscentia rapit & ducit.

Hæc est enim equus indomitus, vel Onager ferus, juxta illud Ieremiæ: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ, attraxit ventum amoris sui.* Septuaginta vertunt, "In desideriis animæ suæ portabitur, nullus avertet eum.

Ierem. 2

Propterea S. Chrysostomus perpendens jejunia, vini abstinentiam, vitæ austeritatem S. Timothei Discipuli S. Pauli, debiliori suo stomacho malè convenientem, & rationem hujus rei reddens, sic ait: "Sciebat Timotheus quòd difficilis est Iuventus, quòd instabilis, quòd fallibilis & labilis est, vehementioris fræni indigens. Idcirco ipsam undique obstruebat, vt compesceret, & ejus flammam omnino extinguere studebat, & equum effrænem, & vix habenis parentem; multa cum vehementia angebat, donec ipsius lascivias circumcidere, &c. Infirmetur, inquit, corpus, & non infirmetur animus; refrænetur caro, & animæ ad cœlum cursus non impediatur.,, Sic ille.

Inde prudenter sapienterque quidam apud Cornelium à lapide dixit, Quatuor de causis Dæmonem adolescentibus maximè insidiari. Primò, quia scit à Deo pios juvenes impensè amari, & cordi esse; & ideò hunc juventutis florem gaudet ac gestit Deo præripere. Secundò, quia sic, ex illo gressu ac flexu ætatis, viam sternit ad sequentis vitæ peccata. Tertiò, quia adolescentes novit tam facilè falli, quàm difficile falsos, ex Diaboli

In c. 22 Proverb.

boli vinculis se posse expedire. Quartò, quia dum peccant, impotenter peccant. Vnde Augustinus: « O Iuvenes, flos ætatis, periculum mentis. » Specimen hujus rei ac veritatis potest esse famosus ille patris familias filius, paternæ substantiæ devorator, & prodigus, minor natu inter fratres, vt & sapientia, propterea adolescentior, qui effrænis adolescentiæ cursu abreptus, spreto consilio, amore, imperio, patris, abiit in regionem longinquam, vbi momento, sibi & suis tam dissimilis effectus est, quod habitum est pro miraculo quòd rediret ad patrem.

Serm. 148 de temp.

Sicut & ille alius filius vnicus matris suæ, quòd rediret ad vitam, & matri redderetur vivus, quem ætatis intemperantia prostraverat. Propterea ab Auctore vitæ & gratiæ debuit interpellari; *Adolescens, tibi dico, Surge.*

Lucæ 7.

Quid enim boni sperandum est de iis, quos juvenilis impetus in præcipitia agit ac impellit? quod vt in seriis ostendamus; Quale est illud, quod ab ebrietate expergefactus Noë, justo zelo excandescens in Cham, secundum filium suum, qui sibi dormienti & nudo illuserat, quasi dicta sententia eum è suo loco dejiciat, & vltimo ponat? *Cùm didicisset Noë*, ait Scriptura, *quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis. Minor*, hìc, more Hebraico pro minimo ponitur, vt genituræ ordine inverso pœna petulantiæ & irreverentiæ juvenilis in minimum caderet « non natu, non ætate, aut tempore, dicit Ambrosius, sed rudem sensu, & in quadam intellectûs infantia constitutum » pro certo tenentibus Hebræis, Sem esse filiorum Noë natu minimum, qui tamen in sacris Fastis præponitur aliis, prærogativà sanctitatis, & meriti, & generis, quod ab eo populus Dei, Patriarchæ, Reges, Prophetæ traxerunt; vt proinde in primogenituræ honorem transierit, sicut contigit in Abraham, filio Thare, respectu suorum; in Iacob, respectu Esaü; in Iuda, respectu Ruben, &c. & in Moyse, respectu Aaronis; quos omnes, licet posteriùs genitos, seu natu minores, sacra Pagina honoris causà primo loco & ordine vocat, & ponit, ob prærogativam virtutis.

Gen. 9

Equidem cùm siccatis diluvij fontibus dixit Deus Noë: *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines; sensus enim & cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia:* quantò plus excusare visus est hominem, tantò magis ludicræ ejus adolescentiæ detraxit, quod semel hausit ab adolescentia, haud facilè dediscenti.

Gen. 8

Inde est etiam quòd Salomon dicit tria sibi difficilia videri, & quartum penitus ignorare; *viam Aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari:* quartum autem illud sibi ignoratū, est *via viri in adolescentia.* Nec immeritò; quia si ei difficile est tenere viam Aquilæ in cœlo, Colubri super terram, & navis in mari; perdifficile longè, ignotum, impervium fatetur lubricæ ætatis gyros & lapsus, errores & jactationes indagare & assequi, non pedibus dico corporeis, aut sensibus, sed nec vel mente & cogitatione.

Prove. 30

Propheta Isayas vertigines Ægypti describens, & desolationem, dicit: *Non erit Aegipto opus, quod caput, & caudam faciat incurvantem & refrænantem.* Divus Hieronymus, ex versione Aquilæ, legit, *Incurvum & perversum*; per Incurvum, senes curvos & tortos intelligens; per Perversum, juvenes lascivientes, qui omnia perversè & protervè faciunt: vt sensus sit, quòd in Ægypto non solùm caput desit, sed & cauda, id est, senes &

Isaiæ 19.

Digitized by Google

pueri; illi consilio insignes, hi sola intemperantia. Vnde vocantur perversi, & refrænantes; quia aguntur æstibus passionum, quas frænare deberent.

Et quia in mentionem senum, quorum consiliis stant Imperia, Respublicæ vigent, florent familiæ, incidimus, non extra rem fuerit, si retexamus quid Salomone e vivis sublato, Roboam filio ejus, regni successionem assecuto, acciderit, cum senes a se abigere, & advocare juvenes, illorum consilia spernere, horum sequi, contigit.

Is ergo paterni successor & hæres Imperii, pro fœlicibus regni auspiciis init Consilium: quod faciunt optimi Reges. Veteranos ac primarios patris sui Consiliarios, longo rerum vsu probatos, adit, interrogat: *Quid datis consilium?* Illi ad eum: *Levius fac jugum*, inquiunt, *quod pater tuus super nos imposuit: si hodiè obedieris populo huic*, &c. *erunt tibi servi cunctis diebus.* Quo audito, dimissis illis, *vocat juvenes in delitijs secum educatos, dicens: Quid datis consilium vos?* quod faciunt mali Reges. *Responderunt vt juvenes*, dicit Scriptura. Quid est *vt juvenes*, nisi vt inconsiderati? vt petulantes? vt rerum inexperti & rudes? Sic respondebis, inquiunt illi: ***Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Pater meus posuit super vos jugum grave: Ego autem addam super jugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cedam vos scorpionibus.*** Tale fuit juvenum consilium, quo quid petulantius? quid durius? Quid verò inde? Fecit ille vt juvenis, quod juvenes consuluerunt. Malum consilium pœna secuta est, & impleta Prophetia ruinæ domûs David, propter peccata Salomonis; Thronus ejus imminutus est, decurtatum Imperium, & tantumnon abolitum. E duodecim Tribubus decem à Roboam deficiunt; ad alium Regem, sicut Propheta prædixerat, quem sibi assumunt, transeunt.

3. Reg. 12 & 2 Paralip. 10

Propterea non semel Scriptura deplorat sortem populorum, qui juvenili Imperio subduntur. *Væ tibi terra*, inquit Ecclesiastes, *cujus Rex puer est.* Et alibi, pro gravissima pœna, minatur dare pueros Principes populo suo. Sic enim per Isayam dicit: *Auferet à Ierusalem fortem & virum bellatorem, Iudicem, & Prophetam, & senem*, &c. Et dabo *pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

Ecclesi. 10

Isaiæ 3

Quod inpræsentiarùm sufficiat, ad Morale propositum.

Digitized by Google

TITVLVS XXXI.

DE SENECTVTE.

FABVLA.

De Iuvene & Sene.

IVVENIS *quidam petulans, conspicatus Senem grandæuum, instar arcus præcuruum & inflexum, illudens petebat ab eo, vellet ne sibi arcum vendere? cui Senex, arcus hic, nec me volente ignavis, ut tibi, dari, nec Regum opibus valet comparari; ætatis insigne est, non in ocio, & vecordia decursæ, sed jugi labore confectæ. Ad hos canos, & honorem senectutis, tui similes non perveniunt, sed qui modestè, patienter, frugaliterque dies suos exegerunt. Docet honorem deferendum Senibus, & ætatis effœtæ incommoda, haud irridenda.*

De Sene à Iuvene irriso.

I*Nserebant arbores in eodem horto capularis, ac decrepitus Senex, horti Dominus, & de plebe quidam mercenarius, isque Iuvenis, petulans supra modum; qui Senem indesinenter morsicans, præcipuè ut delirum ac fatuum irridebat; quod arbores moriturus insereret, quarum non esset poma visurus: Et tu, infit Senex, earum quas plantas, & seris arborum, scis te fructus decerpturum? aut forte certior es crastino frui, quam sim ego? Mirum! ecce tibi paulò post Iuvenis ex arbore, quam surculos decerpturus inscenderat, decidit, & Senis augurium fracto collo brevis hora implevit. In pœnam temeritatis suæ, ut discant hoc exemplo Iuvenes non annis fidere, aut insolescere, nec insultare Senibus.*

Digitized by Google

Mens Fabulæ, ſeu *Morale.*

SENECTVS VENERABILIS.

Probatur primò, & *illuſtratur*,

EX PROFANIS.

L. 2. Noct. Attic. c. 15

DE honore Senectuti olim exhibito, ſic Aulus Gellius. *Apud antiquiſſimos Romanorum neque generi, neque pecuniæ, præſtantior honos tribui, quàm ætati, erat ſolitus; Majoreſque natu à minoribus colebantur, ad Deum prope, & parentum vicem. Atque in omni loco, in omni tempore, in omni ſpecie honores priores potioreſque habiti. A convivio quoque Seniores à minoribus reducebantur in domum.*

L. 2. c. 1

Addit Valerius Maximus: *Iuvenes Senatûs die aliquem ex P. C. aut propinquum, aut paternum amicum, ad Curiam deducebant, affixique valvis expectabant, donec reducendi etiam officio fungerentur.* Qui mos à Lacedæmoniis & Licurgi legibus ad Romanos traductus erat. Inde Patres & Patricia dignitas, & Senatus à ſenioribus traducta nomina.

Lib. 9. de leg. & 4. de Rep.

Propterea dicebat Liſander, nullibi prodeſſe ſeneſcere, ſicuti Spartæ. Plato ſenes vult appellari Patres, & juvenes coram eis aſſurgere. Ita etiam leges Imperiales, cujus rei rationem affert Calliſtratus Iuriſconſultus l. 5. *Semper in civitate noſtra*, inquit, *Senectus venerabilis fuit: namque Majores noſtri eumdem honorem ſenibus, quem Magiſtratibus, tribuebant.*

Eutrop. lib. 1

Sapienter id quidem Romani fundator Imperij, vndecumque accepiſſet, inſtituerat. *Centum ex Senatoribus*, inquit Eutropius, *elegit, quorum conſilio omnia ageret, quos Senatores nominant, propter ſenectutem.* Quod Iuvenalem non latuit. Sic enim ſcribit:

Sat. 13

Improbitas illo fuit admirabilis ævo:
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat; & ſi
Barbato cuicumque, puer; licet ipſe videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos;
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaque par adeo ſacræ lanugo ſenectæ.

Ratio autem hujus honoris eſt prærogativa Iudicij & Sapientiæ, ſeu Experientiæ in ſenibus. Vnde Ariſtoteles dicebat, *Mentem non contingere homini, niſi in ſenectute*; id eſt, perfoctas defœcatæ mentis operationes. Vnde Menander Comicus:

Quamvis cætera longum tempus à nobis auferre
Soleat, Prudentiam tamen firmiorem facit.

L. de inſtitutione liberorũ.

Quod Plutarchus hac ratiocinatione confirmat: *Sunt*, inquit, *in humana Natura duo præcipua, Mens & Doctrina. Atqui domina eſt Mens Doctrinæ, Doctrina ancilla Mentis, à fortuna inexpugnabilis, à ſycophantarum rapina tuta, à morbis incorrupta, à ſenectutis injuria tuta: ſola enim mens ſeneſcens juveneſcit, & tempus, quod cuncta aufert, addit ſenectuti ſcientiam.*

Digitized by Google

Id de se fatetur Seneca, Lucilio suo sic scribens: *Inter decrepitos me numera, & extrema tangentes. Gratias tamen mihi apud te ago. Non sentio in animo ætatis injuriam, cùm sentiam in corpore; tantùm vitia & vitiorum ministeria senuerunt: viget animus & gaudet, non multum sibi esse cum corpore; magnam oneris partem sui deposuit; exultat, & mihi facit controversiam de senectute; hunc ait esse florem suum.* — Epist. 26

Idem: *Gratias ago senectuti, quòd me lectulo affixit. Quidni gratias illi hoc nomine agam? Quidquid debebam nolle, non possum. Cum libellis nostris mihi plurimus sermo.* — Epist. 67

Et alius: *Quòd à cupiditatibus senes immunes sunt, & nihil ampliùs ab eis turbantur, hoc maximum & pulcherrimum à Dijs donum esse datum reor, per quod Deo quodammodo similes sunt.* — Ap. Stob. serm. 112

Quis gaudium istorum improbet Christianus? aut quis sapiens idem in se non congratuletur, aut optet, sicut omnes cupiunt senescere? *Neque enim cani aut rugæ*, vt dicebat Cato Major, *repentè auctoritatem afferre possunt seni; sed honestè acta superior ætas, vel etiam præsens, fructus ætatis præbet extremos.*

Illa illa est tandem vera seges lætitiæ sapienti, non quòd vivat, & quantulacumque hujus lucis usura, aut particula fruatur; sed quòd benè vivat, quòd, vt senem decet, sapiat; quòd præterita reparet. Neque in Principem Poëtarum lis movenda, quòd dixerit:

> *Optima quæque dies miseris mortalibus ævi,*
> *Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,*
> *Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.*

— Virgilius Georg. 3

Explicat hanc sententiam Poëtæ, Seneca, suoque calculo roborat. *Meliora*, inquit (vitæ scilicet) *prætervolant, deteriora succedunt: quemadmodum ex amphora primum quod est, sincerissimum effluit, gravissimum quodque, turbidum subsidit; sic in ætate nostra, quod optimum, primum est; id exhauriri in alijs potiùs patimur, vt nobis fæcem reservemus.* — Epist. 108

Et Epist. 1. *Non enim tantùm minimum in imo, sed pessimum, remanet.*

Et Antiphanes: *Vita nostra* (aiebat) *persimilis est vino, cùm superest modicum, acescit.*

Igitur non multa serie annorum, aut canis ac rugis metimur senum auctoritatem ac venerationem. Subscribimus ejus sententiæ, qui dixit, *Nihil turpius esse, quàm grandem natu senem, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem.* — Sen. l. de tranquill. animi

Alia scilicet seni laudis & gaudij argumenta sunt, non pauca; qualia primò, Memoria benè actæ vitæ: secundò, quia à tyrannide vitiorum evasisse recogitat: tertiò, à tumultu, imperio, jactatione turbulenta passionum, quæ sicut nebulæ cœlum, obscurant intellectum. Vt enim gaudent, qui à furiosis dominis aufugerunt; sic gaudere debent senes, qui ætatis beneficio, ira, libidine, avaritia, non infestantur. Habet etiam Senectus, sicut maturus Autumnus, fructus suos; ac sicut novella vitis copiosius gignit, vetustior verò melius & fortius: ita plura loquuntur & strepunt juvenes; senes vtiliora, & fortiora agunt, & consulunt.

Tunc verò optimè Reipublicæ cedit, cùm senes inter & juvenes benè convenit, & vicissim concordes suum quique officium præstant. Eos simul jungebat Euripides.

> *O fili! manus quidem juveniles ad agendum robustæ sunt,*
> *Seniorum autem sententiæ sapientiam præstant:*

— In Bellerophonte Ap. Stob. Ser. 112

Digitized by Google

Tempus enim multam & variam doctrinam parit.

L. An seni sit gerēda Respub.

Nam ad parendum juvenilis ætas, inquit apposite Plutarchus, *ad imperandum senilis accommodata est; ac maximè salva est civitas, vbi consilia senum, & juvenum arma concurrunt.*

Ap. Stob ser. 112

Hîc opportunè commendat Plutarchus, juvenes æmulari seniores, juxta Simonidem: *Vt lacteus pullus cursum comitatur Equæi.*

Et vt Plato inquit de mero aquæ miscendo, *Deum furentem ab alio Deo sobrio temperari.* Sic juuenilis ardor senili pondere optat temperari.

In dictis 7. Sapientum.

Neque enim facilè invenias quod optavit apud Ausonium Chilo Lacedæmonius, vnus ex septem Sapientibus.

Grata Senectus homini, quæ parilis Iuventæ.
Illa Iuventus gratior, quæ similis Senectæ.

Aut quod de Agesilao dicebat Xenophon: *Qua juventute illius senecta non præstantior est?*

Epist. 12

Complectamur eam (scilicet senectutem) inquit Seneca, *& amemus. Plena est voluptatis, si illa scias vti. Gratissima sunt poma, cùm fugiunt. Pueritiæ maximus in exitu decor est. Quod in se jucundissimum hominis voluptas habet, in finem sui differt. Iucundissima est ætas devexa jam, non tamen præceps, & illam in extrema tegula stantem judico habere suas voluptates; aut hoc ipsum succedit in locum voluptatum, nullis egere. Quàm dulce est cupiditates fugasse, ac reliquisse.* Ita profanus ille, & benè.

Propterea observat Phavorinus, quòd Platoni & Pythagoræ videatur, senectutem non tam esse juxta finem vitæ, quàm juxta principium benè beateque vivendi.

Quid quod Natura ipsa senio honorem inserere voluit, cùm diutinæ ætati canos dedit. Quid enim illa argentea canities, nisi maturitatem coronet judicij? & longum rerum vsum, vitæque præsertim probitatem, commendet? Vt optimè notavit Plutarchus, in libro jam supra sæpè citato. *Sicut leges ipsæ*, inquit, *& vsus cingunt diademate frontem Regum, & caput corona rediminunt, ad insigne Majestatis, sic Natura senibus, capiti & Mento canos addidit, vt ætatis decorem, lacteo hoc honore conciliaret, & jus publicis consilijs præsidendi firmaret.*

Et Phocilides, Poëta Græcus: *Venerare*, ait, *canis redimita, seu coronata tempora habentes, cedendo senibus in sedendo, & in cunctis officijs.*

Exinde procedit illa senum auctoritas gravitasque, quæ venerationem sui, vel petulantium, extorquet, & obtinet. Inde Augustus Cæsar jam senior, cùm pubem Romanam instituens austeriùs aliquando reprehenderet, dixisse fertur: *Audite, juvenes, senem, quem juvenem senes audierunt.*

Quod cùm ita sit, cùm Natura, & leges, & vsus ipse senio, quasi ex censu ad mensuram annorum, dierumque honorem solvat, non desunt senes, qui se ignorent, & canitiem suam puerilibus vitiis infament.

L. Quòd in sap. nō cadit ira.

Tales Seneca pueris similes dicit. *Senes licet decrepitos, qui paucorum annorum accessionem votis mendicant, minores natu seipsos esse fingunt, mendacio sibi blandiuntur, & tam libenter fallunt, quàm si fata vnà decipiant. Iam verò cùm illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit, moriuntur, non tanquam exeant de vita, sed tanquam extrahantur.* Tales & in quos hanc Epicuri sententiam

Sen. epist 13

vibrat. *Inter cætera mala, hoc quoque habet stultitia, Semper incipit vivere. Considera quid vox ista significet, & intelliges quàm fœda sit hominum levitas, quotidiè nova vitæ fundamenta ponentium, novas spes, etiam in exitu inchoantium, Circum-*

Digitized by Google

spice tecum singulos. Occurrent tibi senes, qui se tum maximè ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum, parent. Quid est autem turpius, quàm senex vivere incipiens? Alibi his ipse dicit: *Incipiamus in senectute vasa colligere; in freto viximus, moriamur in portu.*

Epist. 19

Vt nos omnia admonent senectutis & mortis! & tamen sunt qui rei omnium certissimæ judicium refugiunt; & propriis licet suæ defectionis indiciis, ac testimoniis moniti, convictique, refragantur.

Describit hoc lepidissima narratione noster Seneca, quî in villa sua mœnia, saxa, arbores, servitia omnia, eum senem dicerent. Iuvabit lectorem, non lassabit facetia: propterea eam rescribo. *Quocunque me verto,* inquit, *argumenta senectutis meæ video. Veneram in suburbanum meum, & querebar de impensis ædificij dilabentis. Ait Villicus, non esse negligentiæ suæ vitium; omnia se facere, sed villam veterem esse. Hæc villa inter manus meas crevit: Quid mihi futurum est, si jam putria sunt ætatis meæ saxa? Iratus illi, proximam occasionem stomachandi arripio. Apparet, inquam, has Platanos negligi; nullas habent frondes; quàm nodosi sunt, & retorridi rami! quàm tristes & squallidi trunci! Hoc non accideret, si quis has circumfoderet, si irrigaret. Iurat per Genium meum, se omnia facere, in nulla re cessare curam suam; sed illas vetulas esse. Quod inter nos dictum sit, ego illas posueram, ego illarum primum folium videram. Conversus ad januam; Quis est, inquam, iste decrepitus, & meritò ad ostium admotus? foras enim spectat: unde illum nactus es? quid te delectavit alienum mortuum tollere? At ille: Non me cognoscis, inquit? Ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre: Ego sum Philositi Villici filius, delitiolum tuum. Profectò, inquam, iste delirat. Pupulus etiam delitiolum meum factus est. Prorsus potest fieri, dentes illi cùm maximè cadunt. Debeo hoc suburbano meo, quòd mihi senectus mea, quocunque adverteram, apparuit.* Hucusque ille perquàm facetè, commodè nobis invitandis vt idem faciamus. Interrogemus nos, ex quo in hanc lucem emissi sumus, quot eam amisisse ex charis nostris vidimus, quot tecta dilapsa, quot extructa, quot regna diruta? & intelligemus nos etiam aliquando, hodiè, cras, decessuros. Imitemur eundem, qui dicebat: *Clamo mihi quotidie, numera annos tuos, & pudebit eadem velle quæ volueras puer.* Tandemque restet hoc votum.

Sen. epist 12

Sen. epist

> *Frui paratis & valido mihi*
> *Latoë dones, & precor, integra*
> *Cum mente, nec turpem senectam*
> *Degere, nec cythara carentem.*

Horat. L. 1 Ode 31

Digitized by Google

SENECTVS VENERABILIS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

Levit. 19

PRæCEPTA inter Moralia, quæ Deus Moysi publicanda tradidit, suum Senectuti honorem reddi præcepit. Sic enim in Levitico: *Coram cano capite surge, & honora personam senis.*

Eccles. 8

Idem pluribus sapiens Syrach inculcat: *Non te prætereat*, inquit, *narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Non dissentit Iob: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.*

Iob. 12

Prov. 16

Corona dignitatis, inquit Salomon, *Senectus quæ in viis justitiæ reperitur.* Luculenta sententia ad commendationem Senectutis, non cujuscunque, sed in viis justitiæ ambulantis. Nam Hebræa vertit, Diadema gloriæ canities. Quibus verbis significatur, quòd caput senis cani circumdant, ad instar pulcherrimæ coronæ. Idem enim infra repetit: *Dignitas senum, canities.* Vbi quanta sit cani capitis dignitas, eleganter ostendit Philo Iudæus apud Antonium Monachum in Melissa (quem auctorem inter sacros hîc non ponerem, nisi D. Hieronymi sequerer exemplum, qui ipsi sacros inter Scriptores locum dedit, & inter primos) " Iuvenili, inquit, vitæ succedit senilis ætas præstantissima, & sacratissima, cui, quasi summo gubernatori, Deus gubernacula in manus tradidit, tanquam idoneo, qui possit rerum gubernacula tenere. „ Hæc ille. Ideo coronam illi imposuit, sed quam? Idem Philo huic quæstioni satisfacit, de legatione ad Caium ita scribens: " Ætas ipsa senem, quasi defunctum laboribus, & emeritum militem, canis coronat. Quid enim canities, nisi floridum aut populeum sertum?

Prov. 20

Part. 1 Ser. 17

Mirum, quòd hoc nomine & apparatu Deus videri voluit Senis instar, blanda canitie spectabilis! *Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit. Capilli capitis ejus, quasi lana munda.* Et in Apocalipsi, sic visus Ioanni: *Caput ejus*, inquit, *& capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Appositissimè ad hoc Clemens Alexandrinus: " Hos autem canos, inquit, tanti fecit Deus, vt eos simul cum prudentia jubeat adesse hominibus, atque adeo honestate delectatus gravitatem honoravit veneranda canitie. „ Addit insuper: " Quò magis, inquit, festinat homo ad finem, tantò est verè venerabilior, vt qui Deum solum habeat se seniorem. Nam ille quoque est æternus Senex, qui est iis quæ sunt, antiquior. „

Dan. 7

Apoc. 1

Pædag. l. 3. c. 3

Iam qualis sit illa Senectus, quam Deus jubeat honorari, ex præallatis sententiis satis innotescit, ea scilicet, quam ex multo vsu rerum sapientia, & morum justitia, seu sanctitas cohonestent. Vnde Sapiens dicat: *Senectus venerabilis est, non diuturna*, addit, *neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.*

Sap. 4

Ex quibus verbis liquidò apparet, quòd honorem senectutis non facit sola longævitas, aut canities, sed magis judicij maturitas, & sanctimonia.

Vnde

Digitized by Google

Vnde contingat aliquando decrepitum vitio morum ac levitate mentis puerascere; juvenem contra horum præstantia ac laude, senescere, & prærogativam provectæ ætatis occupare; illum ab ea decidere.

Propterea Isayas senem Centenarium non dubitat puerum vocare, qui pueriliter vixit, " sequens passiones suas, ait hîc Glossa, habens multos annos in vacuum transactos. *Puer*, inquit, *centum annorum morietur*, id est, iniquus. Vnde subdit: *Et peccator centum annorum maledictus erit.* „ Isaiæ 65

Et contra Sapiens, de Iuuene morigerato decedente, qui virtutes senectæ, & merita æquarit, & adeptus sit, non dies, dicit: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa.* Id est, " Consummatus charitate, brevi tempore explevit tempora multa, quia maturitas morum supplevit diuturnitatem annorum. „ ita Hugo Cardinalis. Sap. 4 Hugo Card. in Sap. 4

Ætates enim quædam sunt meritorum, inquit Carolus Paschalius: nam & senectus morum invenitur in pueris, & innocentia infantum invenitur in senibus. Ex quo non spernendus Scripturæ locus sancti senis Abrahæ laudibus vertit, quòd licet Centenario major esset, puer à Domino vocatur. Sic enim D. Ambrosius legit: *Num celare potero Abrahæ puero meo, quæ facio?* Et addit " Officij merito puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium; pueritiæ innocentiam, & obsequium deferebat. Senectus verè venerabilis, in qua senex grandævus, pueri innocentia & simplicitate refulget, & idem puer, senis maturitate ac sanctitate resplendet. „ Gen. 18

Hujusmodi senes, sapientia & sanctitate præfulgidi, sacri custodes sunt, & fortissima munimenta regnorum; adeò vt in familiam aut gentem gravius ira Dei non sæviat, quam dum hujusmodi viros aufert ab eis. Ita enim comminatur Israëli per Prophetam: *Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & à Iuda, fortem, & virum bellatorem, Iudicem, & Prophetam, & senem.* Isaiæ 3

Ita volens Deus ostendere magnitudinem iræ suæ in Heli Sacerdotem, & in vniuersam domum ejus, quî acerbiùs castigaret non habuit, quàm hac pœna: *Non erit*, inquit, *senex in domo tua omnibus diebus, & vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, pars magna domûs tuæ morietur, cùm ad ætatem virilem venerit.*

Contra verò sancto Patriarchæ Abrahæ promissum est: *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Non dixit longa, aut multa, sed bona. Obseruatio S. Ambrosij: " quia diu vivere, inquit, commune est sapientibus & insipientibus; benè autem vivere, speciale sapientis est, cujus senectus venerabilis, & ætas senectutis, vita immaculata. „ L. de Abraham

Obseruat hîc Philò, & cum eo Origenes, & S. Hieronymus, Abraham primum mortalium reperiri in Scriptura appellatum Senem; quanquam ante & post Diluuium multi longè diuturniores extitissent, sed senem hîc nomenclaturam esse virtutis & honoris, vt idem sit quod sapiens. " Quia sapiens, inquit Philo, in humano genere est sicut gubernator in navi, Magistratus in civitate, Imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima, Cœlum in mundo, in Cœlo Deus. „ De Abraham 1. Hom. 16 in Iosue 2. In cap. 3 Isaiæ 3

Confirmatur hæc veritas alia obseruatione Scripturæ, ex libro Numerorum. Volens Deus dare Moysi socios, quibus & partem sollicitudinis, & spiritum regiminis dispertiret, dicit ei: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti quòd senes populi sint ac Magistri.* Quid est hoc, Senes quos tu nosti quòd senes sint, nunquid senes canos mentiri pericu- Num. 11

Digitized by Google

lum est? aut omnes senes non sunt senes? Ita est omnino. " Senes, inquit hic S. Gregorius, non capillis, aut barba tenus, sed vita, sensibus, moribus, senes senectute cordis & mentis, inquit, non corporis. Ita ille, & verè sic, non omnes senes senes sunt. Ab eo numero Peccator excluditur, ait Origenes; non vocatur senior, aut plenus dierum, in Scriptura; quia non est, inquit, provectus dierum, sed deficiens. Non enim se extendit ad anteriora, sed semper retro conuertitur, &c. "

L.19. moral. c.13

Denique Senex nomen est honoris. Inde est, quòd sicut apud Romanos erant Patres & Patricij, & Senatus ac Senatores, nomina à Patribus & Senibus deducta; & sicut apud Lacedæmonios Optimates Γέροντες dicebantur, ita Ecclesia suos habet Mystas, sacrorum Antistites & Interpretes, suos inquam Consiliarios, & Patres, & Iudices, quos communiter Presbyteros nuncupat, id est, Senes; non quòd in eis senium annorum desideret, sed morum; cùm iis sacro charactere initiandis viginti quinque anni sufficiant: communis verò & qualiscunque sanctitas, maturitas judicij, & senectus actuum, non sufficiat, sed probatæ consummatæque virtutis.

Exemplum vtriusque, falsæ à malis moribus, veræ à bonis, habes in Historia Susannæ.

Dani. 13

Cùm duceretur ad mortem Susanna, damnata à lascivis senibus, suscitauit, dicit Scriptura, spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel, qui populum & senes stitit, & ad judicium reuerti fecit. Reuersus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei, scilicet puero, senes: *Veni, & sede in medio nostrûm, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis.* Vides puero, ob sapientiam, senectutem tributam; juuentutem senibus, ob lasciuiam.

Ordinaverat Apostolus charissimum suum Discipulum Timotheum, adhuc juuenem, Episcopum, sed maximis virtutibus, doctrina, indole, præfulgentem; & quia timebat ne ipsius juuentus & facilitas ingenij alicui contemptui subjaceret, seriò eum monet: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Quod ne contingat, subdit: *Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Quasi dicat: Ne sis contemptibilis ob adolescentiam annorum, spectabilis fias ob senectutem morum mediis scilicet enumeratis virtutibus, quæ Presbyterum decent.

1. Tim. 4

Digitized by Google

TITVLVS XXXII.

DE PVLCHRITVDINE.

FABVLA.

De Ceruo suis cornibus capto.

CERVVS dum in limpido fonte biberet, umbram suam in aqua contemplans, non parum delectabatur aspectu arduæ frontis suæ, erectæ ceruicis, & præcipuè decore Cornuum suorum. Inde conuersis ad Tibias oculis, ex æquo tristabatur de exilitate pedum suorum. Hæc dum tacitus animo versat, Leonem trucem videt, prædam quæritantem. Proripit se quàm celeri cursu potest ex aqua, & mira velocitate campos, spatiaque dimetiens, Leone longè retrò relicto, syluam securus ingreditur: sed cùm densissimos saltus peruadit, fortiores latebras capturus, Cornibus ad vepres & dumeta, & ramos arborum implicitis, ita hæsit, vt nec inde euadere, nec vltra progredi posset. Tunc cœpit infœlix laudare Tibias, quas nuper spreuerat, & damnare Cornua, quæ tanti fecerat, iam pondus inutile & noxium: denique execrari, vt causam suæ mortis; suo exemplo, miser, comprobans, multis formæ diuitias, aliasque Naturæ dotes, plerumque exitio fuisse.

De Arboribus pulchris & deformibus.

ARbores multæ, eodem in loco consitæ, altæ, enodes, de sua proceritate ac pulchritudine tumentes, irridebant vicinas aliquas, humiles, curuas, & pronas ad terram; iactantes, se de longè aspectari, & aspectare; cælo puriore gaudere, nubes pertingere, solis & siderum primas afflatu & luce perfundi; cùm illæ humi repentes, velut nanæ, terram manderent. Obmutescebant istæ, suæ humilitatis consciæ; nec contra aut caput attollere, aut vocem, imò nec hiscere audebant; donec dominus loci domum ædificaturus, operis præpositis iussit, optima quæque ligna ad opus exscindere: mox enim excisæ sunt illæ arbores, intactis & saluis aliis. Tunc deformes illæ secum discurrere: De te, Natura mater, nunquam nos conqueri contingat; superbæ illæ & pulchræ arbores ad radicem humiliantur, & decidunt, cum nos humiles stamus, & viuimus. Sic multis Natura ingrata est in salutem. Eius dona plerumque exitiosa sunt. Humilis conditio, & status, tutior.

Digitized by Google

De Capponibus, Pingui & Macro.

QVidam Cappones in Saginario inclusos multo cibo pauerat, vt pinguescerent, ac saginarentur: creuerunt ergo, & pingues effecti, non se tenebant præ adipe, & saturitate; sed vnum ex socijs, qui macilentus & exsuccus languebat, rostro, & pedibus, & conuitijs perpetuò impetebant. Contigit autem vt herus amicis suis pararet conuiuium, lautè excipiendis; juberetque famulis, vt Cappones omnes pingues ad vnum jugularent. Quod cùm fieret, alter alteri mœrentes dicebant: Quid nobis sagina? quid pinguedo profuit? Heu miseri! pasti sumus, & saturati, in nostram perniciem; quantò præstitisset jejunasse, & macilentos fieri, ac deformes. Heu! quot viris & fœminis commodior fortuna, aut saturitas, aut pulchritudo, obfuit, & in eos crudeliùs sæuijt, quò plus fauit?

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

PVLCHRITVDO NOCENS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

NOn est animus in hoc Tractatulo pulchritudini veræ detrahere; &, quod Prouerbio dici solet, cornicum oculos configere, crimen inferre laudi, donum Naturæ in jus vocare, aut gratiam, injuriam facere. Tot haberet ipsa pro se deffensores, quot sapientes, quot homines, pulchri, & boni, & sui, amantes. Occursaret in me vniuersa Schola Philosophorum; Aristoteles inprimis, qui sciscitanti *cur quæ pulchra amarentur, cœci* dixit *interrogationem esse.* Idem pulchritudinem dicebat esse *quauis epistola commendatitia efficaciorem.* Socrates, *exigui temporis tyrannidem.* Plato, *Naturæ priuilegium ac prærogatiuam.* Theocritus, *eburneum detrimentum.* Carneades, ἀδορυφόρητον βασιλείαν, *regnum sine satellitio*; quia formosi, quidquid volunt, imperant potiùs quàm impetrant.

Hoc sciuit & experta est Phryne meretrix speciosissima, quæ cùm in Iudicio Athenis impietatis insimulata postularetur capitis, nec speraret impunè euadere; quod diserti Oratoris lingua obtinere diffidit, ostentatione, & lenocinio suæ pulchritudinis obtinuit. Hyperides enim, nobilis Orator, qui eam defendebat, videns eam damnationi proximam, vt Iudices flecteret, peplum abstulit; vultum, vbera, pectus, nudauit, & Iudices corrupit; & hoc ipso pulchritudo nocens, quò est corruptela Iustitiæ.

Propterea formosa scorta Diogenes Reginas vocabat; quia eis ad nutum obeditur.

L. Apul. de Mag. lib. 1

Moderatius Socratis de pulchritudine Iudicium fuit, suadentis discipulis suis, vt crebrò se in speculo contemplarentur, vt qui sibi formosi

viderentur, oris speciem fœditate morum non deturparent: qui verò minùs se forma commendari putarent, virtute animi, corporis vitium compensarent. Sic formæ illecebram virtuti ancillari volebat.

Non dissimiliter Plutarchus. *In speculo, ait, te contemplare; & si pulcher appareas, fac ea quæ decent pulchrum; sin deformis, id quod faciei deest, honestate morum supple.* L. de Amore.

Inde advertas licet, non tanti faciendam ab homine formæ elegantiam corporeæ, cùm quantaquanta sit, major in brutis reperiatur. *Quid vires corporis*, inquit noster Seneca, *alis & exerces? Pecudibus istas majores ferisque Natura concessit. Quid excolis formam? Cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentia comis? Cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum nodo vinxeris; vel, vt Scythæ solent, sparseris, in quolibet equo densior jactabitur juba. Horrebit in leonum ceruice formosior. Cùm te ad velocitatem parauerus, par lepusculo non eris. Vis tu, relictis in quibus te vinci necesse est, dum in aliena niteris, ad bonum reuerti tuum? Quid hoc est? Animus, scilicet emendatus, ac purus, æmulator Dei, super humana se extollens, nihil extra se sui ponens. Quod ergo in te bonum est? Perfecta ratio.* Epist. 124

Hæc igitur, ex sententia Senecæ, est species hominis, & vera pulchritudo, quam excolere debeat, & multi facere; Ciceroni in hoc optimè concordantis, dicenti, *Pulchrum in homine esse, non qualecunque, sed quod consentaneum est hominis excellentiæ, in eo in quo natura ejus à reliquis animantibus differt.* L. 1. Offic. c. de temperantia

Objectabis forsan hunc versiculum:

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Non placet hoc effatum Senecæ: *Errare*, inquit, *mihi videtur, qui hoc dixit. Nullo enim honestamento eget ipsa, & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat.* Quod probat exemplo cujusdam Clarani hominis, tam deformi corpore instructi, quàm mente diviti & egregia. *Certè Claranum nostrum cœpi intueri, formosus mihi videtur, & tam rectus corpore, quàm est animo. Videtur mihi in exemplar editus, vt scire possemus non deformitate corporis fœdari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari.* Epist. 66

Imò cultior, affectataque formæ ambitio, effœminati animi suspicione non vacat. Nec frustra, vt quidam putant, Homerus de quodam Nyreo dixit: Κάλλιστος ἀνὴρ

Ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν, ἀλλ' ἀλαπαδνὸς ἔην. Iliad. 2

Venit ad Ilium formosissimus: sed statim addit, *Imbellis, & ad res omnino inutilis erat.*

In tales fabula Æsopi quadrat, Vulpis, invento capite hominis in officina fabri: *O bellum*, inquit, *sed sine cerebro, caput!* Vel illud Proverbium: *In vagina aurea ensis plumbeus.* Non modò iners & inutilis animus, sed etiam malus sæpenumerò sub pulchro corpore latet. Vnde Diogenes videns quemdam juuenem liberali ac decora facie, sed moribus fœdum; *O quàm pulchra domus*, ait, *& malus hospes!* Laërt. in Diog.

Et Isocrates: *Si pulchrum tibi corpus est*, inquiebat, *& anima mala, bonam nauim habes, sed malum gubernatorem.* Iam peto, quid prodest bona nauis in mari, vbi est imperitus gubernator? Ant. & Max. ser. de pulchr.

Ne tanti igitur florem pulchritudinis facias, de qua verè Tragicus: Senec. in Hyppol. Actu 2

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,

Digitized by Google

Vt velox celeri pede laberis!
Non sic prata nouo vere decentia
Aestatis calidæ dispoliat vapor,
Sæuit Solstitio cum medius dies,
Et noctem breuibus præcipitat rotis,
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ,
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax. Quis sapiens bono
Confidat fragili?

Hactenus de pulchritudine, vt communi vtrique sexui; quæ si in viro non semper virtuti concors est, at in fœmina tunc maximè periculosa; imò etiam si innocens sit, vix erit innocua, præcipuè egregia & excellens.

Aul. gell. L. 5. c. 11

Iuvat hîc locum ex Aulu-Gellio excerpere præsenti Apologo, & Morali, & loco, oppidò convenientem.

Rogatus, inquit, *Bias, vnus ex septem Sapientibus Græciæ, à quodam, deberetne vxorem ducere, an vitam cœlibem agere, respondit, non esse ducendam propter alterutrum incommodum, quod necessariò ei patiendum erit, qui duxerit: Aut enim, ait, pulchram duces, aut deformem: si pulchram, habebis communem; si deformem, habebis pœnam. Aut κοινὴν, aut ποινήν. Neutrum autem bonum. Ergo non ducenda vxor.* Argumento convertibili: Quod tamen argutè Phavorinus Philosophus malè procedere aiebat; quoniam non necesse est alterum ex duobus: *Est enim quoddam inter ista duo, quod Bias non vidit, scilicet inter pulcherrimam fœminam, & deformissimam, media quædam forma est, quæ & à nimiæ pulchritudinis periculo, & à summo deformitatis odio vacat, qualis ab Ennio*, inquiunt, *stata nuncupatur, quæ neque κοινὴ futura sit, neque ποινή, id est, neque ex libidine communis ac publica, neque ex deformitate fastidiosa; quam formam non ineptè Vxoriam Phauorinus vocabat, quasi mediocrem & modestam. Cujus statæ formæ fœminas Ennius in Menalippa incolumis pudicitiæ esse volebat.* Hæc Gellius, cui, & Profanis, gratiam Dei ignorantibus, liceat donum pulchritudinis in suspicionem pudoris & infamiæ vocare, apud quos dicebat Tacitus: *Prosperior erat formæ elegantia, quàm fama.* Et Seneca: *Argumentum est deformitatis pudicitia. Nunquam inuenies tam miseram, tam sordidam, vt illi satis sit vnum adulterorum par, nisi singulis diuisit horas, & non sufficit dies omnibus, nisi ad alium gestata est? apud alium mansit?*

Lib. 3. de benef. c. 16

Nobis sufficiat, in honestatis schola jam à lustrali vnda receptis, dicere, quòd quamvis eximia Pulchritudo & Pudicitia optimè conveniant, plurimùm tamen illam eximiam, & periculi, & negotij trahere, & facessere. Vnde concludas licet, mediam illam formam in conjugio tutiorem esse. Ita enim Martialis vitabit convitium.

L. 8. Epig 52

O quàm te fieri, Catulla, vellem
Formosam minùs, aut magis pudicam.

Iuvenal. Sat. 10.

Aut illud Satyrici:

Formam optat modicò pueris, majore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater, &c.
Sed vetat optari faciem, Lucretia, qualem
Ipsa habuit; cuperet Rutilæ Virginia gibbum

Digitized by Google

Accipere, atque suam Rutilæ dare: filia namque
Corporis egregij, miseros, trepidosve parentes
Semper habet, rara est adeò concordia formæ,
Atque Pudicitiæ.

Timendum igitur erit, si cui contingat vxor primi generis, formæ scilicet non vulgaris, ne non sit æquè casta; fuerit; ne sit superba; fuerit humilis, ne sit morosa, aut tuis moribus non conueniens; qualis illa Papiria, nobilis Romana, quam Paulus Æmilius post plurimam ex ea prolem susceptam, repudiauit; & amicis diuortium dissuadentibus, porrecto calceo novo, dixit: *Hic calceus novus est, & pulcher, ac concinnus; at nemo vestrûm novit, qua parte me torqueat & lædat.*

Vt vt sit, non minùs verè quàm eleganter dixit aliquis: *Vxor formosa, difficilis Provincia; venenum dulce, compedes aurei, splendida servitus, periculosa possessio. Cui obtigit, habet caducum bonum, velum oculis, offendiculum pedibus, alis viscum, hostem domi, raptorem quietis ac temporis, perpetuum tortorem, laboris materiem, causam discriminum, denique fomentum libidinis, & segetem mœroris.* Petrarch.

Tales fuere Helena & Paris apud Græcos & Trojanos, Cleopatra apud Ægyptios, Semiramis Assyrios, & infinitæ aliæ, sui sæculi naufragia & pestes, belli semina, orbis scandala; quibus enumerandis supersedeo.

PVLCHRITVDO NOCENS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVi pulchritudinem muliebrem inter & castimoniam æternum ponunt dissidium, diuortiumque, vt nunquam vel rarissimè præcellentis formæ mulier sit pudica, insignem Sexui important injuriam, & veritati calumniam, atque Scripturæ, celebranti passim non paucas mulieres, non minùs virtutum, & imprimis pudicitiæ laude insignes, quàm formæ raro decore ac priuilegio illustres, quas inter Sara, Rebecca & Rachel, prioris ævi chorum ducent; Noëmi, Esther, Iudith, Susanna, posterioris, & sexcentæ aliæ, complebunt; quarum illibatus pudor, sollicitari & pertentari potuit, fœdari non potuit: Adeò flori pulchritudinis cum pudicitia benè conuenit! Et quæ, vel quanta opera, facinora, miracula potentiæ suæ operatus est Deus, perfecitque per castissimas æquè ac nobilissimas fœminas, blandimento pulchritudinis ac formæ specialis?

Quis enim Reginæ Esther virtutem & sapientiam non miretur, deprædicetque, quæ suæ gentis ruinæ strenuè occurrit, avertit insidias, & in ipsum auctorem machinatoremque refudit?

Quis ad Iudith pudicissimæ ac pulcherrimæ facinus non obstupescat? quod contrà, vt ire inficias nulli, nisi pudoris & veritatis & fidei jurato hosti integrum est: ita nec dissimulandum, multis haud licuisse esse castis. sine alieno, & suo, periculo: adeò pulchritudo donum est, periculosæ plenum aleæ! & valde mirandum, quî vna & eadem res in proprio fundo sit glacies, & in alieno incendium; illic tota pacifica, hîc turbulenta; intus

Digitized by Google

plena gratiis, extra materia rixarum, & motuum, & bellorum: adeo ut licet in se sit innocens, apud alios sit nocens.

Quæ mulier castior Susanna, aut innocentior? & tamen vrit senes. Quæ pulchra Esthere sanctior? sed quantò Mardochæo & suæ genti salubrior extitit, tantò superbo Aman exitiosa fuit. Quæ pulchrior aut castior Iudith? & tamen suæ speciei illecebris illaqueauit Holophernem, ac decollauit, & sola fudit ac strauit Assyrios. Et si altiùs progrediamur, quid Sara, ac Rebecca castius, aut innocentius? aut quid his formosis perniciosius ac nocentius duobus Regibus, Pharaoni, & Abimelecho? quorum prior flagellis & plagis maximis, alter minis, attritus est, & tantumnon vterque vita & regno priuatus. Tam vera sit Theophrasti sententia, quam citat D. Hieronymus: " Pulchra citò adamatur; difficile autem custoditur quod plures amant: nihil tutum est, in quod totius populi vota suspirant: alius forma, alius artificio, alius facetia, alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod vndique incessitur „ Et infra: " Omnis, quantumuis circumspecta & prudens, custodia luditur. „

l. 1. cōtra Iouin.

Ita periculosa res est, & nocentissima, vel in se innocens, pulchritudo.

Quanquam vni licuit mortalium esse inter mulieres pulcherrimæ & innocentissimæ, & simul nulli nocenti; huic scilicet Fœminæ, cui licuit esse & Matri simul, & Virgini; Deum parere, & Hominem; hujus vnius pulchritudinis istud privilegium est, nulli concessum alteri, vel ipso S. Doctore Ambrosio teste: " Tanta, inquit, erat ejus gratia (Deiparæ scilicet) vt non solùm in se virginitatis gratiam seruaret, sed etiam his quos viseret integritatis insigne conferret. Visitauit Ioannem Baptistam, nec immeritò mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis vnguento Domini Mater exercuit. „ Inter recentiores Alensis: " Beata Virgo, inquit, suo aspectu concupiscentiæ motus extinxit. „ Doctor Angelicus: " Gratia, inquit, sanctificationis in B. Virgine non tantùm repressit in illa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit; ita vt quamuis esset pulchra, à nullo vnquam potuit concupisci. „

L. de instit. Virg. cap. 7

3. p. q. 9 n. 2

In 3. p. dist 3. q. 1 a. 2 quæstiuncula 1. ad 4

Propterea eam pulchritudinem commendat Sapiens, quam timor Dei ornat & munit: *Fallax*, inquit, *gratia, & vana est pulchritudo. Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.* Quibus verbis, quantum formæ detraxit, virtuti tantum refudit.

Prov. 31

Audiant speciosæ illæ, formæ suæ idololatræ, quæ videri, & adorari cupiunt, occlamantem Prophetam. Iussus est Isayas clamare. *Quid clamabo*, inquit Deo? *Clama, Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Heu! quæ opinio! quod judicium, non hominis, sed Dei, pulchritudinis & formæ, mortalibus annunciandum! quasi dicat: O fatuæ mulieres! quid fœno ornando, poliendo, comendo, tantum laboratis? O fatui homines! qui fœno tantum impenditis; quid in re tam fluxa & ancipiti operamini, aut gloriamini, in malos vsus tam facilè conuerti?

Ad hoc propositum, mirantur non pauci, quæ res in serpente, quæ illecebra cepit Evam & decepit? aut quomodo non exhorruit serpentis aspectum? accessum non expauit? colloquium sustinuit animalis, homini naturaliter horrendi? Respondetur vno verbo: Illecebra speciei & for-

mæ

Digitized by Google

mæ capta est. Sed quærunt quodnam fuerit serpentis genus; quis habitus? Quidam in Basilisco Dæmonem locutum volunt, & nomine & capite alba Mythrula, quasi regio diademate fulgentem, qui media sui parte serpit, altera arduus & rectus incedit: sed minus ad fidem, illapsum Dæmonem in animal adeo pusillum, veneno pestilens, quod flatu suo aerem, terram, arbores, alites, homines, inficit, polluit, necat; aut quod mulier cum eo colloqui non dubitauerit.

Eugubin.

Alij putant Dæmonem viperæ corpus assumpsisse; alij, aliud. Verosimilius alij assumpsisse conjiciunt formam cujusdam serpentis majusculi, " nomine Scithalis, quem scribunt tanta tergi & notarum varietate præfulgere, vt videntes se retardet; & quoniam reptando pigrior est, quos assequi cursu nequit, miraculo sui capiat stupentes. „ Ita Solinus.

Delrio
Pererius in Gen.

Porro in re solius conjecturæ, magis accedit ad fidem, quod ex Beda Auctores nominis exscribunt, elegisse Dæmonem genus serpentis, virgineum vultum & speciem ore præferentem: cui rei passim Interpretes consentiunt, vt non modo non terreretur Eva, sed ejus oblectaretur aspectu. Sic Beda.

Perer.

Quidquid sit, in hoc omnes conueniunt, & ad propositum meum facit, pulchro quam potuit in corpore Dæmonem artis suæ & fraudis machinamenta complicasse, lenocinio pulchritudinis incautam fefellisse. Cujus sententiæ est Glossa: " Ille serpens prius habebat formam & faciem gratiosam super omnes bestias, & factus est horribilior omnibus. „ Hac conciliatricula Euæ mortem per serpentem, per Euam homini, per hominem mundo, propinatam esse.

Ab hoc principio quanta damna illecebra pulchritudinis Sanctitati, & toti intulit mundo! *Videntes*, dicit sacer Textus, *filij Dei filias hominum, quod essent pulchra, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.* Et " Inde, ait Glossa, Diluuium vitiorum. Species quippe filiarum Cain, stirps lubrica, radix peccatrix, decepit filios Dei, id est, Seth, viri sanctissimi; homines à patre, Dei cultum edoctos, Clericos ac Religiosos „ ait Glossa, quibus præceperat de voluntate Dei, ne cum eis conjugio miscerentur: illi tamen forma lasciuientium puellarum deliniti, & concupiscentia trahente victi, patris & Dei mandata posthabuerunt; ex quo vides, quam ex tunc pulchritudo fuerit nocens.

Gen. 6

Hic etiam obseruandum venit, in quot vitæ, honoris, & salutis pericula Abrahamum injecerit Saræ conjugis nimia pulchritudo, pudica licet, tamen nocens.

Grassante fame compulso exire sancto Patriarchæ dissimulandum fuit dulce mariti nomen, ne ob ejus pulchritudinem interficeretur. *Noui*, inquit, *quod pulchra sis, mulier.* Ecce timoris grandis occasio; & quanti timoris! *&*, quod ait, *cum te viderint Aegiptij, dicturi sunt; Vxor ipsius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro, quod soror mea sis*, &c. Conjecturam res secuta est. Vix ingressa est Sara Ægyptum; hausta oculis ejus species Pharaoni annunciatur, rapitur, & jam pudori vis inferebatur, nisi flagellasset Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus, propter Sarai vxorem Abraham.

Gen.

Iterato Abraham exulare cogitur, ac peregrinari ad Austrum, noua annonæ penuria cogente. Eodem modo suæ vitæ, ac securitati prouidit, quo primo. Et quamprimum visa est Sara in Geraris, tollitur à Rege; &

Gen.

Digitized by Google

nisi à Deo sancti Conjuges protecti fuissent, eorum honori fuisset illusum.

Idem negotium Rebeccæ pulchritudo Isaac facessiuit in Geraris, ab altero Abimelecho, prioris filio, etiam pari successu. Quod considerans D. Ambrosius, salubre hoc consilium literis mandauit; "Non magnopere quærendam sapienti eximij decoris conjugem, qui viro plerumque noxam accersat. Non enim, inquit, tam pulchritudo mulieris, quam virtus & grauitas, delectat virum."

Postremò, Dina, filia Iacob; Thamar, Dauidis; Bersabee, vxor Vriæ, mulieres suo ævo nullis secundæ, quod formam spectat, sed malè prouidæ & cautæ, notantur in Scriptura, & cunctis sæculis memorabuntur, in exemplum infortunatarum, & peccatricum. Adeo speciositas flos est difficilis custodiæ, fortunæ ancipitis, thesaurus fastidiosus, periculosa fœlicitas, & sæpè nocens.

Sunt hæc pulchritudinis muliebris inauspicata exempla. Iam quod viros spectat, quos hujus rei minùs ambitio tenet, & decet, licet in eis suum pretium sit, referam de Absalone, Dauidis filio summè dilecto, quòd Scriptura tam specialissimam facit formæ ipsius commendationem, quàm calamitosi ac deplorati finis narrationem. *Porro*, inquit, *sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis à vestigio pedis vsque ad verticem, non erat in eo vlla macula; & quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.* Quæ verò, & quanta fuerit ista speciositas, ad gustum illius temporis, non hic inquiro, aut laboro. Quantùm Principem virum deceat, & ornet species, & pulchra cæsaries, non dubito: sed in homine vano, & vanitatis mancipio, quàm sit nocens, & rea, exemplum infortunatus Absalom. Is enim formosus juxta & impius, dum patri necem intentat, cæsarie, quasi proprio laqueo, quercui adhærescens, cœlum inter terramque suspensus, captus confossusque est, cùm persequeretur in armis patrem, persequente eum ira Dei, & capiente funibus vanitatis, vnde capiebat oculos hominum. Ex quo fatearis, quòd quædam pulchritudo est valde nocens.

2.Reg.14

Digitized by Google

TITVLVS XXXIII.

DE PRINCIPE.

FABVLA.

De Pavone.

VIDEN confertam volucrum omnis generis coronam, suas certatim Naturæ divitias explicantium? Pavonem in medio, cæteris longo intervallo pompofius fulgentem? Concilium avium est, de Rege sibi eligendo deliberantium. Multæ aspirant, & ambiunt Regnum; nulla ambitiosius Pavone. Si de pulchritudine res est; jam ipsi Natura imperium in pennis ascripsit; ditavit gemmis, & Regio ornatu ampliavit; quod in Rege, non exigui momenti. Quis contendat, aut calculum suum ei neget? Ita est, & jam ferme omnes in hanc sententiam cursu ibant, & pro Rege adsalutabant. Cum Pica in medium impetrato silentio, dixit: Equidem, si genti avium nihil aliud incumbit, si nil pensi, aut curæ est, quam ostentare pennas, & colores, & videri, non abnuo Pavonis Imperium; sed cum nobis tot hostes insidientur, tot bella instent, quæso, quid sub Pavone faciemus? Nunquid nos sub alis operiet? & si Aquila infestat, ut assolet; quis populum, & ipsum Regem tuebitur? His auditis, omnes mutato consilio, de alio Rege eligendo cogitare cœperunt. Quo ostenditur in Principe, non tam formam, quam fortitudinem, industriamque spectandas esse.

De Vpupa.

REx avium Aquila, invitarat fermè omnis generis aues ad nuptias suas, & præcipuè Vpupam, utpote sanguinis Regij, quod corona quam gestat in capite, & pennarum versicolor species, satis indicant; cumque eo nomine ipsa cæteris præferretur, indignatæ sunt reliquæ, & abiere mussitantes; indignum ratæ, sibi honestis moribus ornatis, præhaberi Vpupam, fœtens animal, quod semper sordes inter & stercora volutatum, sordesceret. Ex quo non obscure concludas, non tam coronam & purpuram in Rege, quam virtutum decora, & ornamenta spectari.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

PRINCIPEM COMMENDAT PRÆSTANTIA CORPORIS, SED MAXIME MENTIS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVICVMQVE perfecti Principis ideam effingere ac efformare conati sunt, tria in eo maximè præfulgere voluerunt; venustatem, seu majestatem in ore & corpore; innocentiam in moribus, sapientiam in consiliis. Sapientiam, qua regnum rectè administret; innocentiam morum, qua populos suo exemplo, quasi fræno, contineat; Majestatem & speciem oris, qua animos & corda sibi conciliet, ac alliciat.

Quod hanc spectat, ea magnæ menti splendorem non modicum afferre liquet; vt non immeritò Carneades Pulchritudinem, *regnum sine satellitio* vocitarit; quia hæc qualitas nata est, imperare.

Ea de causa Princeps Poëtarum Græcorum, Homerus, Heroas præstantissimos quosque, Priamum, Hectorem, Achillem, & alios, facit semper formæ dignitate præstare. Quem videtur imitatus Virgilius, Anchisen sic describens: *Et cunctis altior ibat.*

Sed præcipuè Æneam, Didonem Reginam salutantem:

1. Æneid

Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque Deo similis. Namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, pariusve lapis circumdatur auro.

Non secus Regem Latinorum, Turnum:

7. Æneid

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est.

Idem Historici omnes non segniter prosecuti sunt, in vita virorum Principum, vbi se quantulacumque occasio obtulit, exornanda; sed nullus ab ea sola laudauit Principem, nisi cùm comes fuit corporis species, pulchræ mentis; qua deficiente, quis eum *Peculem auream* nuncupanti succenseat?

Id solum attendens in Imperatore Commodo Herodianus, sic juuenem describit: *Hoc editus genere Commodus est, cui quidem præter ætatis florem, etiam formæ dignitas suffragabatur, congruens corporis modus, pulchra virilisque facies, tranquillæ faces oculis micantes, flaua & crispa cæsaries.* Sic ille, benè quidem, si corruptissimi animi mores & vitia, eas formæ dotes subitò non deturpassent.

Certè vbi regiarum qualitatum & virtutum choragium implet & perficit corporeæ species Majestatis, mirum quantum Principi honoris accedit.

Digitized by Google

Eleganter & scitè Pacatus in Panegyrico Theodosij dixit: *Virtus tua meruit Imperium, sed virtuti addidit forma suffragium: illa præstitit vt oporteret te Principem fieri, hæc vt deceret.*

De Scipione Africano fertur, quòd tanta oris Majestate polleret, vt Barbaris in Hispania ad eum visendum confluentibus, ipsa formæ dignitas ipsis admirationi esset. Quod & de Carolo Magno Francorum Rege, & primo Occidentis Imperatore, nostri Annales referunt.

Non erit extra propositum huic loco attexere rem consideratione haud indignam, quam refert Plutarchus, Archidamum Regem Lacedæmoniorum, ingenti summa pecuniæ aliquando à Republica mulctatum fuisse, ea de causa, quod vxorem perpusillam ducere voluisset, vnde Reipublicæ daret, non Reges, sed Regulos. Quæ res si in Rege animadversione digna visa est, profectò inde liquet, quanti momenti foret in Principe formæ majestas & dignitas.

Propterea, inquit Seneca, *Natura, cui mos est exer ere se in paruis, & ingentium rerum documenta minima agere, hoc nos docet in rege apum, ob multa, sed inter illa, quia insignis Regis forma est, dissimilisque cæteris, tum magnitudine, tum nitore.* Confirmat alibi quod jam dixit, exemplo Elephanti: *Naturæ est enim*, inquit, *potioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus, aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit. Elephantorum gregem excelsissimus ducit.* Claudit comparationem, his verbis: *Inter homines pro summo est optimus.* Et meritò: nolim enim ex gigantea mole, aut fortitudine, Principem metiri, qualis à Iulio Capitolino, in Maximino patre narratur, quæ sola ipsum regno aptasse visa est; *statura octo pedum altior, calceamentum ejus constat pede majus fuisse hominis vestigio; Caliga adeò enormis, vt in Prouerbium aliret, pro monstrosa, Caliga Maximini.* De hoc dicitur, quod adolescens semibarbarus, è pastore miles ob magnitudinem corporis Seuero Imperatori conspicuus, sexdecim lixas vno sudore devicit; Seuerum equo currentem, cursu superauit; septem fortissimos milites vno sudore devicit: inde factus Imperator, crudelitate Cyclopes ac Busyrides superans, documento fuit, aliud præter dotes corporeas in Principe requiri.

Lib. 1. de Clem. c. 19

Epist. 90

Hist. Aug

Vt non abs re Marcellinus dictum Iuliani Imperatoris, quem nos Apostatam vocamus, memoret & celebret; *Turpe esse sapienti, cùm habeat animum, captare laudes ex corpore.* Verè enim Commentator in Alciati Emblemata dixit:

Marcellinus in Iuliano

Sordet honos formæ, nisi cui sapientia juncta est.

Sed vbi & formæ dignitas, & probitas morum, & sapientia in Principe conveniunt, quæ in eo initio desiderauimus, tunc publica fœlicitas, & beata tempora sub tali Imperio expectanda.

Hæc regiarum complexio dotium in nullo vnquam copiosiùs emicuit, quàm in Antonino Pio, qui idcirco à Iulio Capitolino meruit pleno Elogio commendari. *Antoninus Pius*, inquit, *vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus elegans, nobilis vultu, placidus ingenio, singularis eloquentiæ nitidæ literatura, præcipuè sobrius, largus sui, abstinens alieni, & omnia hæc cum mensura, & sine jactantia.* Præclara sanè laus, & tantò clarior, quantò rarior. Paulò post addit: *Statura eleuata decorus, cùm esset longus & senex, incuruareturque, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur.* Adeò venerabilis Princeps seruandæ formæ erat sollicitus.

Hist. Aug

Digitized by Google

Hinc vides primas absoluti Principis partes bonæ mentis dotibus assignari; secundas, corporis.

Plin. in Panegyr. Trajani

Non dissimile Elogium habet Plinius junior in Panegyrico Trajani, sic in eo Principe commendans corporis Majestatem, & oris elegantiam, vt tamen animi præstantiam antistare faciat. *At Principi nostro,* inquit, *quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit? Vt nihil seueritati ejus hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil Majestati humanitate detrahitur. Iam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas.*

Plutarc.

Vtrumque nullus meliùs complexus est Plutarcho, qui in Tractatu, quem inscribit, Doctrinam in Principe requiri, sic habet: *Iustitia,* inquit, *est finis legis, lex autem Principis opus, Princeps autem Dei simulachrum, vniuersa administrantis, non egens Phidia, nec Polycleto, aut Myrone, qui ejus effigiem faciant, cùm ipse se virtutis beneficio juxta perfectissimum Diuinitatis exemplar effingens, ostendat mortalibus absolutissimam, quæ videri possit, figuram. Quemadmodum enim Deus pulcherrimum in cœlo suiipsius simulachrum affixit, Solem & Lunam; talis est in Republica Princeps, viua & lucens imago, quamdiu in pectore Dei reuerentiam, & in opere justitiam gestat & colit.* Quibus verbis nihil grauius, nihilque ad rem præsentem accommodatius, in qua majestatem corporis in Principe asseclam, comitemque volumus præstantissimæ mentis; vtrumque instar pulchrorum luminum Solis & Lunæ, supremi Regis, Dei personam, delineantium.

In Thyeste, Actu 2.

Hæc omnia eleganti versu complexus est Poëta Tragicus:

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes:
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris;
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet, &c.
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalibs,
Qui toto positus loco
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens
Fato; nec queritur mori, &c.
Rex est, qui metuit nihil:
Rex est quique cupit nihil:
Hoc regnum sibi quisque dat, &c.

Requiritur ergo pulchritudo corporea in Principe, ne forma deroget Majestati; ne populorum contemptui subjaceat, quibus præest auctoritate; denique vt non minùs amore, quàm potentia, regnet; sitque Rex cordium, vt & corporum.

Æl. Lamprid. in vita Aug

Pulchritudini adjungenda morum suauitas & probitas; quia meminisse debet præclari effati optimi Principis Alexandri Seueri, dicentis, *Imperium in virtute esse, non in decore*: quia, vt dicit quidam, *Potestas Malitiæ conjuncta neruos ac robur affectibus addit. Quamobrem ingens est periculum ei, ne malè*

Digitized by Google

faciat, qui facere possit quæ voluerit. Si Malitia Potestatis cursum adipiscatur, celeriter affectum quemuis prouocat, ex ira cædem, ex amore adulterium, & ex auaritia publicationem faciens, nisi rationis grauitas & pondus coërceat, reprimatque potestatem.

Requiritur etiam Probitati comes Sapientia, quæ eam inoculet & dirigat; vnde non ineptè Momus Tauri artificem arguebat, quia cornua non suffixisset oculis, re vera enim Potentia sine oculis Rationis & sapientiæ, est Taurus cornutus sine oculis furens. Quorum omnium ratio est, quòd Princeps non sibi ad delicias, sed populis ad curas datur. Vnde Marcellinus Ammianus dicit, *Imperium curam esse salutis alienæ. Principes enim debent habere perspectum, se sibi minimè natos esse, sed ad publicam omnium quietem.* Vt optimè Seneca: *Omnium domos illius diligentia defendit; omnium otium, illius labor; omnium delitias, illius industria; omnium vacationem, illius occupatio.*

Lib. 29

Quæ quia raro coëunt, etiam boni Principes rari sunt, nescio an illud Mimici & Scurræ verum sit hoc tempore, quod de suo ausus est affirmare, *In vno annulo omnes bonos Principes posse perscribi.* Quia, vt quidam;

Hist. Aug. in Aurel.

Claudian.

Quem vultus honestat,
Dedecorant mores. Animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit: bellis insignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis.

Hîc pedem sistamus, vt transeamus ad Scripturas.

PRINCIPEM COMMENDAT PRÆSTANTIA CORPORIS, SED MAXIME MENTIS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

PSALMISTA Rex, magni Regis, Sponsi Ecclesiæ, Encomia eructaturus, Psalmo 44. qui est carmen Nuptiale, seu Epithalamium Sponsi & Sponsæ, ductante ejus linguam Spiritu, instar calami scribæ velociter scribentis, tres illi specialiter virtutes addicit, quæ maximè Regem deceant; quarum ordine prima est Pulchritudo, seu Majestas oris & corporis, his verbis: *Speciosus forma præ filijs hominum.* Secunda, Facundia, seu gratia sermonis: *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Tertia, Fortitudo, his verbis: *Accingere gladio tuo super fœmur tuum, potentissime.* De prima addit: *Specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè*: de secunda, *procede*: de tertia, *& regna.*

Super quæ verba Glossa, de prima, ait: « Speciositas optimè sedet in Principe. Fuit autem Christus non tantùm *speciosus formâ præ* multis aliis, sed etiam *præ* cunctis *filijs hominum*, primò ex parte Dei, principalis agentis; quia corpus ejus formatum fuit Spiritûs sancti virtute; cujus in opere non potest esse defectus, neque error. Secundò, ex parte Matris, quæ & ipsa pulcherrima fuit inter mulieres. Tertiò, ex parte animæ; quia ab instanti creationis fuit repleta omnibus gratiis, virtutibus & scientiis. De secunda, Glossa: In Principe sedet optimè eloquentiæ claritas, &

Digitized by Google

Lucæ 2 de Christo dictum est: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus.* Et alibi: *Nunquam sic locutus est homo.* Ioan. 7

Quoad tertiam, fortitudinem scilicet nostri Principis, debebat in Christo Capite nostro relucere, ex sententia Iacobi de Valentia, in hunc locum, dicentis, Tria esse quæ decorant Regem, & faciunt eum dignum Imperio; primò, speciositas; secundò, vt sit gratus in loquendo; tertiò, vt sit fortis & potens, vt omnes eum venerentur, & timeant; scilicet, vt subditos ac populos suos pulchritudo ad se suauiter trahat, alliciatque; facundia instruat, potentia contineat. Quæ tria Divinus Vates sequenti versu conclusit: *Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam, deducet te mirabiliter dextera tua*; veritatem loquelæ, mansuetudinem formæ, justitiam potentiæ ejus attribuens. In Psal. 44

Et re vera talis esse debebat *Rex Regum & Dominus dominantium*; seu qua Filius Virginis, seu qua Sponsus Ecclesiæ, & animarum nostrarum. Illius, speciosissimæ inter filias hominum, supergressæ in gratia vniuersas. Hujus, mundæ & gloriosæ, *non habentis maculam neque rugam*; vt hinc Mater posset ei dicere: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Pulcher Divinitate, decorus humanitate; pulcher in Natura, decorus in gratia; pulcher in Cœlo, decorus in terra; pulcher in stellis, decorus in filiis. Ephes. 5

Seu, vt diuiniùs Augustinus: " Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in vtero Virginis, vbi non amisit Diuinitatem, & assumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum; quia & cùm esset infans, & sugeret; cùm manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi. Pulcher ergo in Cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro. „ Hæc S. Doctor. In Psal. 44. to. 8

Inde Sponsa acclamaret: *Ostende mihi faciem tuam.* Ecce vt specie delinita desiderat videre hominem: *Sonet vox tua in auribus meis.* Ecce vt desiderat habere Doctorem: *Vox enim tua dulcis*, suauitate eloquij, *& facies tua decora*, plena illecebris Diuini amoris.

Talem de facto fuisse Dominum nostrum, scilicet pulcherrimum, tradunt antiqui Scriptores, sanctissimæ suæ Matri simillimum, incomparabili specie ac decore coruscanti, humana omni majore, quæ qualis & quanta fuerit, certiùs conjici non potest, quàm ex Epistola ipsa S. Dionysij Areopagitæ, Galliarum nostrarum Apostoli, & Discipuli S. Pauli, sic ad eum scribentis; quam hîc nec grauabor exscribere, nec opinor Lector invenire.

" Ductus fui (inquit) ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, & tantus me immensus Diuinus splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irradiauit interiùs; tanta etiam in me odoramentorum superabundauit fragrantia, vt nec corpus infœlix, neque spiritus posset totius ac tantæ æternæ fœlicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit & spiritus tantæ gloria majestatis oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, Deum, si tua Diuina concepta mente, non me docuissent, hanc ego verum Deum esse credidissem; quoniam nulla videri major esse posset gloria Beatorum, quàm fœlicitas illa, quam ego infœlix nunc, tunc verò fœlicissimus, degustaui. Ex quo colligas, quàm vel naturaliter Christus Ap. Christof. à Castro, in hist. Deip. c. 19

Digitized by Google

ea ex parte fuerit decorus; *Speciosus forma præ filijs hominum*, absque eo quod latebat intrinsecùs.

" Certè fulgor ipse & Majestas Diuinitatis occultæ, inquit S. Hieronymus, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in Magnete lapide & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulas, & festucas sibi copulent; quantò magis Dominus omnium creaturarū (addamus nos) *Speciosus formâ præ filijs hominum*, de quo dicitur, *Diffusa est gratia in labijs tuis*, ad se trahere poterat quos volebat. Quod si in Creatura pura, si in Virgine, si in Matre Dei, ita erat, quid dicendum de Christo? in quo, vt loquitur Apostolus, *inhabitat plenitudo Diuinitatis corporaliter. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Quòd si *omnis gloria filiæ Regis ab intus*, & inde, vt diximus, extra exundabat, quis fulgor in Christo de thesauro cordis radiabat in vultu? quæ pulchritudo? quis decor? vt etiam Gentiles, nondum credentes, ipsum videre, & contemplari faciem ejus, percuperent, & summi beneficij loco haberent; vt propterea diceret aliquando, conuersus ad suos: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.*

Ad Colloss. 2

Lucæ 10

Nec immeritò, si tria inter vota quæ S. Augustini feruntur: Peroptasset videre primo loco Christum in carne; secundò, Paulum prædicantem; & tertiò, Romam triumphantem. Quia si tanti viri votis res digna visa est Roma triumphans, aut Paulus prædicans, quantò magis videre in carne Deum, Filium Dei, Verbum Caro factum.

Non dissimiliter, seruata tamen proportione, de primo homine, Adamo videtur philosophandum; quippe cùm primum in vnoquoque genere sit regula cæterorum, haud dubiè radiabat in illo perfectissimo Exemplari Divinæ species Majestatis, & Capitis dignitas præstabilis super cæteros homines, propriis Dei digitis efformata, vt qui esset ab eo ad Dei imaginem proximè, & propriè factus, cæteri ab hominibus, ad imaginem hominis.

Obseruo huic loco pulchritudinem Moysis infantuli fuisse causam, & vitæ ipsius, & fortunæ. Dicit enim Scriptura, quòd *pater ejus videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus*, eo scilicet tempore, quo masculi Hebræorum, ab vtero suscepti, crudelis edicti vigore rapiebantur ad necem. Eadem illecebra speciei infantilis, quæ mouit patrem, vt caput proprium morti exponeret, dum vitam filio seruaret, mouit etiam pietate cor Reginæ Principis, vt puerum tam elegantem, cui jam legum & vndarum inclementia pepercisset, non solùm seruaret ad vitam, sed etiam ad coronam; nisi alteri regno pararetur, vbi, suo extinguendo, adoleuisset.

Exod. 2

Scilicet flos ille venustatis ad alia officia ex Diuina dispensatione reseruabatur. Quod ad rem præsentem facit, vbi in Principe volumus præstantiam corporis, sed maximè mentis. Faciebat, inquam, ad Diuina consilia rara species in puero refulgens, quæ hominum admirationi esset, vt cùm creuisset, Liberatoris populi Dei, Ducis in deserto, & summi Legislatoris Majestatem adornaret; Majestas faceret, vt apud suos suorum conciliaret affectum; apud Ægyptios, vt pro Deo Pharaonis haberetur.

Digitized by Google

Sed enim tanto muneri deerat lingua, & ipse minus eloquens videbatur: propterea ascitur Aaron frater Moysis, non impare præsentia corporali, ætate major, sed auctoritate & vocatione minor: *Ipse loquetur pro te ad populum*, dicit Dominus, *& erit os tuum; & tu eris ei, in his quæ pertinent ad Deum.* Ex quo apparet vel Deo dispensante publicis oneribus Reipublicæ, seu regiminis Ecclesiastici, homines præfici tam corporis majestate, quàm mentis dotibus præfulgentes.

Exod. 4

Idem videre est in primis Regibus Israël, Saüle & Dauide, quos voluit Deus singulari corporis prærogatiua decorari, vt regiæ Majestatis splendorem oris & mentis dignitas ampliaret. De Saüle, quoad mentem, dicitur *electus & bonus*, nec hoc tantùm, sed etiam, *Non erat de filijs Israël vir melior illo.* Quoad præstantiam corporis: *Ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Vnde Samuel de Diuina Electione exultans, dicebat ad populum: *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* De Dauide verò, sic Saüli de eo referunt: *Ecce filium Isaï Bethleemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum*; qualitates Principe viro dignissimas.

1.Reg.9

1.Reg.10

1.Reg.16

Cujus rei non vna ratio est, sed multiplex; primò, vt defixos in se subditorum omnium oculos & animos teneat Princeps; secundò, vt in prolem regiam transiret species, & similitudo parentum. Ex quibus secundùm carnem nasciturus erat *Speciosus formâ præ filijs hominum*, Dominus noster Iesus Christus, cui soli sit honor in sæcula sæculorum.

Quæ sufficiant proposito Morali.

Digitized by Google

TITVLVS XXXIV.

DE NVPTIS, SEV CONIVGATIS.

FABVLA.

De Viro & Vxore Digamis.

QVIDAM, defuncta Conjuge, Viduam duxit linguacem, morosam, querulam, quæ mariti aures importuna loquacitate obtundebat, prioris sui virtutes nullo non angulo domûs decantans. Cujus dicacitatem vt retunderet, etiam ipse primæ suæ Conjugis modestiam, laudesque perpetuò objectabat. Animis ita vitiligantibus, nec vnquã sibi conuenientibus, accidit, vt quadam die pauperi ante ostium transeunti, illa medium Capponis, quem integrum vtriusque cœnæ parauerat, partem, eleemosinæ nomine, præsente, & audiente marito, daret, dicens: Habe tibi hanc meam cœnam, & ora pro defuncto meo Marito. Quod videns Maritus, abeuntem Mendicum jam lætum, lætiorem facturus, ad se redire jubet; sumptamque alteram Capponis partem, ipsi tribuit, aduertente vxore, dicens: Accipe & hanc meam; & bene pransus, ora pro Conjuge mea defuncta. Sic alter ab altero dum vicissim dissentiunt, & vindicant, ambo malè cœnati, exemplum fiunt primos amores & Nuptias, secundis longè meliores.

De Viro duas Vxores habente.

QVidam ad mediam & ampliùs ætatem cælebs vixerat, & tum cùm cani capite jam fundi cœperant, cœpit de Nuptijs cogitare; & ne conjugatus ociosiùs vacaret, duas accepit Vxores, vetulam alteram, alteram juniorem. Istæ dum mutuis in Maritum contendunt officijs, etiam odijs dissentiunt, vtraque totũ eum sibi volente. Iunior igitur, quotquot canos inuenit in viri mento & capite, euellit. Senior similiter, nigros. Et ita breui glabrum, depilatumque efficiunt, vt cujus ætatis aut sexûs esset, dictu facile non esset. Ostendit ridendam hominis vxorij conditionem, præcipuè digami, qui alieno viuens ac pendens arbitrio, juuenis cogitur senescere; senex, juuenescere.

Digitized by Google

De Dæmone abhorrente secundas Nuptias.

DÆmon probare volens omnem fortunam, Vxorem duxerat, eamque morosissimam, ac perdifficilem, ipso suo, vt querebatur sæpius, Inferno amariorem. Hæc tandem aliquando decessit, eodem momento vouit Dæmon viduus, in perpetuo cælibatu victurum, idque jurejurando promisit. Cùm autem lapsu temporis cujusdam corpus inuasisset, infestassetque, & tam fortiter adhæreret, vt nullis adjurationibus aut Exorcismis expelli posset; Exorcista sciens quo odio secundas Nuptias detestaretur, tentatis frustra omnibus alijs, minatur Spiritui immundo, vt ni citò decedat & abeat, eum secundo conjugio liget. Quo audito, indilatè Dæmon excessit, dicens: Egredior, egredior; nolite me jugalibus amplius vinculis irretire. Et possessum, liberum sanumque reliquit. Ex quo videre est, quantum malum sit retentare Nuptias, cui primæ tam malè, vt plurimùm, cesserunt.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

PRIMI AMORES, SEV NVPTIÆ SECVNDIS MELIORES.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

HIc Titulus, etsi non improbat duos amores aut Nuptias, simul, quod aliquando licuit; aut successiue, quod semper; at certè vnis non æquat. Cor humanum, vt hic orbis duos soles, duos amores ferre non potest; & instar magni fluminis, vt quidam ait, quò se in plures riuos diffindit, minus fit in se, deficitque pene; sic Amor connubialis & castus non amat diuidi in partes, aut minutias.

Plutarc. L. de Amicit. multorum.

Vnde cùm Romanas inter nobiles vigeret initio disciplina pudoris seuerior, minùs probabantur retentata conjugia, aut certè vnicis longè posthabebantur. Inde rerum Romanarum vetus Scriptor scribit: *Quæ vno fuerant contentæ matrimonio, corona Pudicitiæ honorabantur: existimabant enim, eum præcipuè Matronæ sincera fide esse animum, qui depositæ Virginitatis cubile pudicum egredi nesciret; multorum matrimoniorum experientiam, quasi illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.*

Val. Max l. 2. c. 1

Ex Pausania se accepisse scribit Natalis Comes, quandam Gorgophonem, Persei & Andromedæ filiam, primam fuisse omnium mulierum, quæ ad secundas Nuptias transierit, mortuo priori viro, cuidam Oebalo nubens, *cùm esset* (inquit) *priùs mos fœminarum mortuo primo viro, vt à secundis Nuptijs abstinerent.*

Mithol. l. 7. c. 8

Quæ si Nuptiarum repetitio intemperantia est, ex quo cœpit, in eam confusionem, ac prostitutionem excreuit, vt Matrimonia repudiis, repudia matrimoniis inuicem succederent.

Nunquid jam vllo repudio erubescit? inquit Seneca, *postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ, non Consulum numero, sed Maritorum, annos suos computant & exeunt Matrimonij causâ, nubunt repudij?* Hinc dicit alibi: *Decentissimum sponsaliorum genus est adulterium, & in consensu vidui cœlibatus, nemo vxorem duxit, nisi qui abduxit.*

Lib.3. de ben. c.16

Lib.1. de benef.c.9

Inde Matrimonium prepudiosum carpit Martialis in quibusdam nuptis, in quandam Lectoriam:

Lib.6 Epigr.45

Lusistis, satis est; lasciui nubite, nuptis
Permissa est vobis, non nisi casta Venus.
Hæc est casta Venus? nubit Lectoria Lygdo,
Turpior vxor erit, quàm modò mœcha fuit.

Idem, in Epitaphio cujusdam nobilis Matronæ, pro insigni laude refert, quòd vnico viro nupserit. Sic enim concludit Epigramma:

Mart.l.10 Epig.61

Contigit & thalami mihi gloria rara, quòd vni
Vna Pudicitiæ copia facta meæ.

Hinc est quòd Martia, Catonis filia, interrogata, quare post mortem mariti, alij se conjugio copulare nollet? Quia, respondit, *Seruius meus, alijs defunctus, apud me adhuc viuit, viuetque.*

Eras. in Apophte. lib.8

Non dissimilis genere, nec proposito, Portia, Bruti vxor, cùm apud eam quædam mulier, vt benè morata laudaretur, quæ iterarat connubium, dixit: *Sapiens & pudica mulier non nubit, nisi semel.*

Annia quædam, vidua, ab amicis tentata vt alteri nuberet, cùm ætatis adhuc integritate, & formæ præstantia polleret, quorum alterum præberet spem prolis, alterum, amorem viri; *nullo id pacto se posse* respondit: *si enim bono viro nupsero*, ait, *iterum timorem ejus amittendi incurro: sin malo, in quos labores & tædia? & qualis dementia, si post optimum talem admittam?* Et meritò: nam quis, si semel euasit ex vinculis, nisi stultus, iterum compedes quæret? Ita est conjugium, etsi quibusdam dulce, optimis etiam tamen, jugum est. Et hodiè eò solutæ libertas pudicitiæ deuenit inter fœminas, vt vix elato, ac defosso priori marito, in bina, & terna, vel etiam quaterna conjugia irrumpere cogitent, qualecunque expertæ conjugium. Si bonum ac dulce, simile aliud se spondent inuenturas, aut facturas. Sin malum, de fortunæ semper variantis natura sperant aliquando auspicatiùs nupturas.

In hanc rem accommodatè quidam Syrus dicebat, *Neptunum improbè accusare eum, qui semel ex naufragio liberatus, mare retentaret.*

Bruso L.4. c.25

Id apposita comparatione significabat Socrates quibusdam adolescentibus, cum de re conjugali consulentibus. *Perinde est*, ait, *quod contingit in piscibus: sicut enim ij, qui nondum intra napsas & retia sunt, quærunt & rimantur vt intrent; capti, vnde egrediantur & exeant. Non aliter de conjugio: qui intus sunt, cuperent exire; qui foris, intrare.*

Laërt. in Socrat

Non sic Cicero: Rogatus enim, vt post Terentiæ repudium, sororem ejus duceret, excusauit se, dicens, *non posse vxori & Philosophiæ simul operam dare.*

Senecæ nequicquam placent crebræ nuptiæ: *Habent locum maledicti*, inquit, *crebræ nuptiæ: quæ multis nubit, multis non placet.*

Digitized by Google

Eapropter Socrates ille, sui æui sapientissimus, an hac in re is fuerit, nescio; at certè infœlicitate non caruit. *Tria mala se dicebat assecutum, Grammaticam, Paupertatem, & malam Conjugem; quorum priora duo jam arte effugisset; postremum euitare, scilicet perniciosam Coniugem, non potuisset.* Duplici titulo, quia duabus nupserat, infœlix, tamen nulli lugendus; geminatum domi tormentum volens nolens, patiens: quamquam domesticæ infœlicitatis occasionem (fictène, an verè?) in sapientiæ verteret argumentum. Nam demiranti cuidam, quem in vsum duas vxores aleret, easque rixosas ac difficiles; *Hæ*, inquit, *me domi docent Tolerantiam, qua in publico mihi vtendum est, domestico exercitio paratiori.* Is huic dispari modo sapiebat sentiebatque, qui nullam domi volebat, de quo ita Martialis ad Fabullum:

Lib. 12 Epig. 20

Quare non habeat, Fabulle, quæris
Vxorem, Themison? Amat quietem.

Fertur hoc Catonis dictum: *Si sine vxoribus mundus esse posset, vita nostra non esset absque Dijs*; sentiens fœlicissimam vitam hominum fore, si datum esset a conjugio liberos viuere. Sed, vt idem ait apud Gellium, *Cum illis incommodè viuitur; sed sine illis omnino non viuitur*: vt meritò dici possit, *Vxor, necessarium malum.* Iam infero: Si malum vnum necessarium est, & si cum vno malè viuitur; quid tibi duo mala necessaria facis?

Aul. gell. id dictum attribuit Metello Lib. 1. c. 6

Insuper qui ex conjugio prolem habens, Nouercam superinducit, quid nisi in suam domum incendium mittit? inquit Petrarcha. Potes id quidem secundùm leges humanas, Diuinis quidem legibus patientibus id magis, quàm laudantibus. Certè apud ipsos Gentiles, quibus laxior talium libertas, permissam rem potiùs, quàm probatam, intelligere est; siquidem multorum matrimoniorum experientiam, quasi cujusdam intemperantiæ signum esse crediderunt; quæ quamuis in fœminas magis, quàm in viros dici videantur, quòd sexus ille majoris sit debitor castitatis, ac pudoris; plus tamen Prudentiæ ac Constantiæ in viris reperiri æquum esset.

Dial. 76

Quidquid sit, plures nuptias, saltem in fœminis, Poëtæ non leuiter carpere solent. Vnde Plautus:

Vxor contenta est, quæ bona est, vno viro.

Acutè Martialis in quandam, quæ decimo nupserat, sic ludit:

L. 6. Epig 7

Iulia lex populis ex quo, Faustine, renata est,
Atque intrare domo jussa Pudicitia;
Aut minus, aut certè non plus trigesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit; adultera lege est:
Offendor Mœcha simpliciore minus.

Dionysium Tyrannum matri suæ extra ætatem nubere volenti feruntur obstitisse, & dixisse: *Ciuilia, ô mater, jura violari possunt, Naturæ nequaquam*: quia ætatem pariendi excesserat. Et inde colligitur, fuisse tunc legem plures nuptias prohibentem.

Plutar. in Apopht Regum, & Bruso L. 4. c. 1

Inde Poëta Parthenicus Reginam Didonem, licet amore Æneæ jam accensam, sic loqui facit sorori suæ.

Virgilius 4. Æneid

Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit, &c.

Digitized by Google

Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit, agnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat;
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad Vmbras,
Pallentes Vmbras Erebi, noctemque profundam;
Ante, pudor, quàm te violem, aut tua jura resoluam.
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Sustulit; ille habeat secum, seruetque sepulchro.

Optimè quidem illa, & decenter, si mulieri fides in materia castitatis habenda, quam primus Proci aspectus euertit; vt in ipsa Didone Poeta facit exemplum. Statim enim post ea concepta vota, quassatæ mentis sic furorem describit, ebibito sororis consilio, notæ infamiæ lenocinantis.

Est mollis flamma medullas,
Interea & tacitum viuit sub pectore vulnus.
Vritur infœlix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens; qualis conjecta Cerua sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius.

Is enim mos est fœmineæ leuitatis, vt nulla juratæ constantiæ, nulla pietatis alienæ, aut suæ, nullius incommodi ratio eas impediat, quin concepto furore nupturiant. Hujus rei exemplum habet Plinius de vxore Domitij Tulli. *Mulier*, inquit, *natalibus clara, moribus proba, ætate decliuis, diu vidua, mater olim, parum decorè secuta Matrimonium diuitis senis vita perditi morbo, vt esse tædio posset vxori, quam juuenis sanusque duxisset: quippe omnibus membris exhaustus & fractus, tantas opes solis oculis obibat, ac ne in lectulo quidem, nisi ab alijs, mouebatur. Quinetiam, fœdum, miserandumque dictu, dentes lauandos fricandosque præbebat. Auditum est frequenter ab ipso, cùm quereretur de contumelijs debilitatis suæ, se digitis seruorum suorum quotidie lingere. Viuebat tamen, & viuere volebat, sustentante maximè vxore,* QVÆ CVLPAM INCHOATI MATRIMONII IN GLORIAM PERSEVERANTIA VERTERAT.

Lib. 8 Epist. 18

Preclarus locus, quo nolui fraudare Lectorem, in quo repetiti Conjugij infœlicitas insigni Vxoris virtute eluitur; raro exemplo fœminis secundas Nuptias non tentandi; quod si faciant, quæcunque incurrerint, patienter ferendi.

Quo in genere Grecia non immeritò suam Penelopen, Vlyssis vxorem, gloria Pudicitiæ jactat & celebrat; quæ, absente per viginti annos continuos marito, juuenis, nullis aut parentum precibus, aut procorum sollicitationibus adduci potuit, vt fidem, quam viro dederat, secundis nuptiis temeraret: quæ Procos etiam acriùs instantes, & jam vim illaturos, hac fertur arte fefellisse, ea mora ab eis pacta, quæ telæ, quam inchoauerat, perficiendæ sufficeret; quam ne absolueret, ingeniosus pudor ostendit, quí fidem seruaret integram, & nunquam telam: quod enim interdiu texuerat, noctu retexebat: adeò castus Amor solers, & industrius, & pudoris tenax est, vbi est. Inde illud Propertij:

Fœlix Admeti Conjux, & lectus Vlyssis,
Et quæcunque viri fœmina limen amat.

Inde illud Horatij votum:

L. 1. Car. Ode 13

Fœlices ter & ampliùs,

Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citiùs soluet Amor die.

Propterea Corniceem certi populi in conuiuiis nuptialibus circumferebant, quòd id animal maximæ fidei, & inuiolati fœderis indicium ferat, inquit Alexander ab Alexandro. *Ea enim Cornicum societas est*, inquit, *vt ex duabus socijs altera extincta, vidua altera perpetuò maneat. Quod & de Lyncibus proditur, vt post amissam conjugem alij non jungantur.*

L. 2. Gen di. c. 5

Ex dictis concludas, quòd si reiterata bis aut ter coniugia vel ipsis Gentilibus probrosa fuere, & intemperantiæ signa; quantò magis Christianis pudenda! Sed de hoc audienda Scriptura.

PRIMI AMORES, *seu* NVPTIÆ, SECVNDIS MELIORES.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

PRIMI Hymenæi auctor Deus, Vnici Vnicus; Amoris conjugalis, societatis indiuiduæ, perfecti regiminis exemplar & prototypus, idem ipse esse voluit, cum æterno fœdere Ecclesiam sibi vnicam vnus, Virginem Virgo, in carne Sponsam, sibi copulauit. Vnde Apostolus meritò exclamet: *Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

" Plures erant costæ in Adamo, infatigabiles manus in Deo, sed non plures vxores apud Deum, & ideo homo Dei Adam, & mulier Dei Eua, vnis inter se nuptiis defuncti sunt," ait Tertullianus.

Tertul. l de exhort. castit. c. 5

Inde Adam ab extasi euigilans, tam grandis visionis intelligens mysterium, consensit in nuptias, Euam vt aliquid sui, vt carnem suam deamauit, dicens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propterea relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Nota, duos vnam carnem dixisse, non tres, aut plures, sicut ante, Deus fœminam facturus. *Faciamus*, inquit, *adjutorium simile sibi.* In singulari dixit, non adjutoria, aut adjutrices.

Quale Sacramentum! quod sola mors dirimit: Conjunctio! quæ filium propriis genitoribus subducit, & vxori addicit: Amor! qui natura similes, & fide consortes, solo sexu distinctos, duos vnam carnem, & vnum spiritum facit: Conjugium! cujus sit exemplum, & forma, Connubium Christi cum Ecclesia; quam vnicam Sponsam, nunquam dimittendam, in tantum dilexit, quòd *tradidit seipsum pro ea*: pro liberanda, seruum; pro ditanda, pauperem; pro emaculanda, fœdum; pro sananda, languidum; pro justificanda, peccatorem; denique pro viuificanda, mortuum.

Iam autem hîc obseruandum venit, quòd ante Diluuium solus Lamech duas habuisse vxores legitur. Primus diuisit vnitatem, inuexit in conjugio numerum, legem Monogamiæ soluit, Naturam turbauit; vt meritò

quidam

Digitized by Google

quidam dixerit: « Numerus Matrimonij a maledicto incœpit. » Tertullianus, item: Primus Lamech duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit. » Quem propterea Gregorius vocat primum mundi adulterum, ob violatam monogamiæ legem.

Vbi supra

Non dissimiliter S. Hieronymus: « Etiam de Paradiso expulsus Adam vnam vxorem habuit: primus Lamech maledictus, & sanguinarius, & de Cain stirpe descendens, vnam costam diuisit in duas, & plantarium digamiæ protinus diluuij pœna subuertit. »

l. 3. Epist. ad Saluinam.

Eumdem Nicolaus Papa vocat Polygamum, & adulterum, adjicere poterat, Homicidam, vel Parricidam. Dixit enim: *Occidi virum in vulnus meum.*

In Arca Noë, in qua Deus Mundi seminarium reseruauerat, quot viros inuenies, tot etiam fœminas, non plures, singulis, singulas.

Post Diluuium quidem S. Patriarcha Abraham, laxatis generationis habenis, legitur Polygamia vsus, sed Deo dispensante, sed Sara primaria Conjuge postulante, & pronuba, vt ex Agar ancilla sua, quasi sui Vicaria, prolem susciperet. Tamen quanta inde rixarum & domesticarum litium semina inter Sanctos? quot interna jurgia? Insurgit quippe in Dominam serua, vbi se grauidam sensit. Sara despecta contristatur, & queritur; turbatur Abraham; exinde fugit mulier prægnans, magno sui, & fœtûs periculo, tota domus concutitur; & rebus vtcunque compositis, vbi adolescet filius, crescet animus, & audacia, vtrique; Nothus vexabit legitimum; & recrudescentibus injuriis, vt pax reducatur, expellentur ambo, mater & filius: quod licet ægrè videat Abraham, de Cœlo audit: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Hi sunt fructus Digamiæ perennes, quos videre est, etiam apud Sanctos, etiam inter affines, & necessarios. Quod in familia Iacob præcipuè conspicuum est, sororibus ipsis se inuicem æmulantibus, ac dissidentibus pro puerperio, pro amore ac zelotipia Mariti, pro filiis etiam pro Mandragoris.

Inde satis, vnici tori ac connubij fides, quàm longè antecellat iterata conjugia, abundè conspicitur, & ampliùs, ex honore quem Ecclesia defert primis Nuptiis. Primas enim honorat, iteratas longè posthabet, & aliquo dedecore mortificat, ad Episcopatum & Presbyteratum post primas nuptias vltro recipiens, post secundas rejiciens. *Oportet Episcopum,* inquit Apostolus, esse *vnius vxoris virum.*

1. Tim. 3. & ad Tit. 1

Cujus rei rationem reddit S. Thomas: « Quia habuisse plures, est signum incontinentiæ, & contra significationem Sacramenti; & inde est, quòd Dominus instituit Matrimonium vnius ad alterum: vnde & prima vxor benedicitur, non secunda. » Ita S. Doctor, in hæc verba.

Loco citato

Hîc igitur referenda Monogamiæ prærogatiua ac excellentia singularis, ad primordialem suæ institutionis & significationis originem, de qua Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est, Ego autē dico in Christo & in Ecclesia.*

Ephes. 5

Inde disciplina Ecclesiæ, digamos nec ad ordinem olim vnquam admissos, nec in Ordine toleratos. Quod & in veteri lege jam olim cautum est. *Sacerdos maximus virginem ducet vxorem* (ait Scriptura) *viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo,* &c. *quia ego Dominus, qui sanctifico eum.* De quo Tertullianus: In veteri lege animaduerto castratam licentiam sæpius nubendi. Transiit hæc temperantia in legem, ex quo Apostolico ore promulgatum est, *Oportet*

Levit. 21

l. de exhort. ad castit. c. 7.

Digitized by Google

Episcopum esse Vnius Vxoris Virum. Quod statuit Paulus, Nicænum Consilium amplexatum est, dicente S. Ambrosio: " Cognoscamus, inquit, non solum hoc Apostolum de Episcopo & Presbytero statuisse, sed etiam Patres Nicæni Concilij addidisse, Neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.,,

Etiam in viduis Christianis, quamvis nulla esset Sacramentalis ordinatio, erat tamen aliqua Sacerdotalis Ordinis adumbratio. Vnde tam fœminis, quàm viris, leges eædem à Paulo statutæ, pares cautiones adhibitæ: Viri vnam, imò vnicam vxorem habeant, fœminæ virum vnum, & vnicum. Si enim mutauerint, excludantur & à statu Sacerdotalis dignitatis, & à gradu Ecclesiasticæ viduitatis; tum quòd non vacent incontinentiæ probro, aut saltem inconstantiæ; tum quod rem domesticam malè gesserint. Ita nouus Scholiastes in Tertullianum.

Obseru. 2 sect. 1. in c. 7. de exhort. cast.

Nesciat igitur, dicit S. Hieronymus, vidua Digamiæ indulgentiam, nec nouerit illud Apostoli, *Melius est nubere, quàm Vri.* Tolle quod prius est, Vri, & per se bonum non erit nubere. Et in Ieremiæ Commentariis de Iouiniano loquens, ait: " Laudat terna quaternaque conjugia, quæ ego non tam conjugia dicam, quàm miserarum solatia, & extremam tabulam naufragorum.,,

L. 3. epist ad Saluinam

In c. 16 Ierem.

Huic proposito non erit absurdum referre quod idem D. Hieronymus scribit se Romæ vidisse, & nosse, fœminam tempore Damasi Papæ, quæ viginti duobus nupserat, & vidua erat. Fuisse etiam eodem tempore hominem, qui viginti fœminis, seu vxoribus suis, superfuerat; infimæ conditionis ambo, qui cùm soluti essent, omnium votis, & suis, nuptias simul inierunt, magna ambitione, spectante Roma vter amborum alteri superesset. Obiit autē diem prior mulier, cujus obsequiis vniuersa Roma concurrit; maritoque, quasi victori, congratulans, capiti coronam lauream, manu palmam tradidit, in signum victoriæ, populo sine numero pręsente & applaudente. Quæso te, quorumnam fuerit talium Nuptiarum & nupturientium applausus? procul dubio Paganorum, fidei & modestiæ Christianæ nimisquam indignus & abhorrens.

L. 2. Epist Epist. 19

Eapropter S. Doctor, Furiam nobilem Romanam, quæ virum suum florenti adhuc ætate amiserat, vt in viduitate perseueraret, nec in secundas Nuptias transiret, exhortans, quasi avitam familiæ virtutem ponit ante oculos Majorum castitatem, vsumque matrimonia non retentandi. Habes, inquit, præterea generis tui grande priuilegium, quòd exinde à Camillo vel nulla, vel rara, vestræ familiæ scribitur secundos nosse concubitus; vt non tam laudanda sis, si vidua perseueres, quàm execranda, si id Christiana non serues, quod per tanta sæcula Gentiles fœminæ custodierunt.

Quod fuerit satis, probandæ stabiliendæque huius Gnomæ veritati: PRIMI AMORES, SEV NVPTIÆ, SECVNDIS MELIORES.

Digitized by Google

TITVLVS XXXV.
DE NVPTIS, *SEV* CONIVGATIS.

FABVLA.

De Carduo & Cedro Libani.

CARDVVS Libani misit ad Cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano & conculcauerunt Carduum.

Hic Apologus est Scripturæ lib. 4. Regum, hîc transcriptus, & honoris causa in capite præfixus, quo vsus legitur Ioas Rex Israël aduersus Amasiam Regem Iuda, prouocantem eum ad prælium, hac Parabola perstringens ejus temeritatem, & virium disparitatem, vt de facto contigit cæso, captoque prouocante. Literaliter, vt sonat, docet imparia conjugia, vt plurimum infausta, absurda, & noxia.

De Mure, nupturo filiæ Leonis.

LEo in venatorum plagas & retia aliquando incurrerat, vnde se cum extricare & euadere non posset, videt non longe Murem, vocat, rogat, vt sibi in tam grandi vitæ discrimine occurrat, & corrosis laqueis liberet, quod si faciet, tanti se beneficij nunquam immemorem aut ingratum futurum. Annuit Mus, & præsto corrosis funibus educit Leonem, ac libertate donat; qui gratias agens, promptum esse se dixit quidquid vellet, & posset, rependere. Mus occasionem arripit recentis gratiæ, & gratitudinis Leonis, dicit se ejus filiæ amore teneri, rogat sibi eam in sponsam tradi. Stupet hac prece Leo, respondet tamen, libenter id se facturum, si sibi conducere credat; instat Mus, concluduntur Nuptiæ, introducitur sponsus cum sponsa in caueam Leonis, ad eas celebrandas, sed cum noua sponsa Leonino more, nunquam jacendi, per antrum obambulat, quærens sponsum, inaduertenter pedibus proterit & conterit, heu tam male prouidum & conscium sui, quam suæ temeritatis juste pœnas luentem.

Digitized by Google

De Turdo nupturo Hirundini.

Dixit aliquando Hirundo ad matrem suam. O quam elegantem, mater, nacta sum maritum! quis tandem est ille? inquit. Turdus est, ait Hirundo. Tum mater. Non diu tibi conueniet cum illo, filia, nec simul conuiuere, aut concordes esse poteritis; tibi enim ver, herba & flores, illi bruma placet, & niues. Tu frigoris & hiemis impatiens, ille caloris.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

PARITAS CONIVGIA BEAT, DISPARITAS INFESTAT.

Probatur primò, & illustratur, *EX PROFANIS.*

HVIC sententiæ omnis sapientia, Ciuilis & humana, consonat, dicente apud Valerium Maximum Socrate: *Splendida conjugia vt aliquando illustrant, ita nonnunquam domos euertunt.* (l.7. c.710)

Propterea Soloni illud Adagium tribuitur: *Par pari nubito conjux; quod impar est, dissidet.* Et Pittaci: *Vxorem tibi ducito æqualem.* Iuxta illud Arelij Fusci dictum apud Senecam: *Insolens malum est, beata vxor. Cùm immensum pondus auri orba attulerit, cùm pecunia areas nostras onerauerit, quid aliud quàm beatè seruiemus?* Et ibidem alterius: *Omnes vxores diuites seruitutem exigunt. Crede mihi, volet in suis regnare diuitijs.* (L.1.Controu. Cótro. 6)

Ea haud dubiè de causa volebat Licurgus Virgines sine dote nubere, vt vxores non nobilitatis, aut pecuniæ, ac censûs, causâ eligerentur; sed earum pretium studiumque ambiendarum virtus, & solus amor, ac propensio faceret. (Plutar.)

Inde etiam illud Aristotelis: *Mulieris dotem meliùs esse modicam, vel mediocrem, quàm magnam, ne aduersùs maritum insolescat, eumque fastidiat.* (Politic. 2)

Eapropter vnicæ filiæ pater Themistocles, duobus procis eam in matrimonium postulantibus, quorum alter diuitiis, non ingenio polleret, alter ingenio, sed pauper esset; pauperem diuiti in generum prætulit, dicens *Malle se virum pecunia indigentem, quàm pecuniam viro indigentem.*

Etenim virgo formosa, etsi sit oppidò pauper, tamen abundè dotata venit, dicebat Apuleius, *si affert pudorem ad maritum, animi indolem, pulchritudinis gratiam, florem ætatis.* Nam quodcunque aliud in dotem acceperit, potest, cùm libuerit, restitui, pecunia, mancipia, domus, &c. *sola virginitas accepta reddi nequit, sola apud Maritum ex rebus dotalibus remanet.*

Sed ad rem nostram accommodatiùs concinentes audiamus Poëtas, & in primis Plautum: (In Aulular.)

Dummodo morata rectè veniat, dotata est satis.

Digitized by Google

Ouidius in Epistola Deianiræ ad Herculem:

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juuenci,
Tam premitur magno conjuge, nupta minor.

Et concludit:

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Quod de Maritis dixit, æquè his cauendũ à mulieribus monet Martialis: L.8. Epig.

Vxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis, Vxori nubere nolo meæ.
Inferior Matrona suo sit Prisce Marito,
Non aliter fiunt, fœmina, virque, pares.

Idem Poëta Satyricus: Iuvenal Sat. 6

Quis feret vxorem, cui constant omnia, malo
Malo Venusinam, quàm te, Cornelia Mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus afferis
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Plutarchus in eo libro, quem de pueris instituendis conscripsit, sic monet parentes: *Vxores*, inquit, *filijs despondebunt, quæ neque nobilitate generis, neque diuitijs multùm eos superent: sapienter enim dictum est, Tibi congruentem versa; & qui multò se præstantiores ducunt vxores, non mariti earum, sed dotis serui sua imprudentia fiunt. Argentum*, inquit, *qui accipit, imperium vendidit.* L. de educat. puer. circa finẽ

Idem ferè habet Plato in suis Legibus, vt & in deligenda vxore, paria cætera si extiterint, tenuior semper diuiti anteponatur, eò quòd & ad Rempublicam, & ad familiarum vtilitatem illud faciat; id quod est æquabile, ac moderatum, immoderato præstet. Plato 6. de leg.

Ita etiam ad Gallionem rectè noster Seneca: *Inuenies*, inquit, *vxorem bonam, si nihil quæris nisi bonam. Tu modò ne imagines, proauosque respexeris, nec patrimonium, cui jam ipsa Nobilitas cessit. Duc benè institutam, nec maternis inquinatam vitijs, non cujus auriculis vtrinque bina patrimonia dependeant, non quam margaritæ suffocent, cui minus sit in dote, quàm in veste*, &c. Inter excerpta.

Latinis concordant Poëtæ Græci. Sic enim Comicus:

Proba vxor, ô Nicostrata, marito suo
Non debet esse superior, sed obsequens.
Nam graue malum vxor est superans virum suum.

Item:

Qui ducere vxorem cupit prædiuitem,
Pœnas vel ille pendit iratis Dijs;
Vel dum beatus audit, esse vult miser.

Propterea Euclio apud Plautum Megadero diuiti postulanti filiam suam tenuis fortunæ, in conjugem, respondet, *nolle se vt filia, apud ipsum velut bouem, Asinam agat.*

Connubialis vinculi longè major est in hominibus ratio, quàm conjunctionis corporeæ in animalibus irrationabilibus: hæc enim in istis est tantùm prolis gratia procreandæ; in hominibus autem, non solùm istius gratiâ, quæ Reipublicæ & speciei seminarium est, sed etiam multiplicis alterius vtilitatis; tùm vt alteruter ab altero curetur foueaturque, cùm vt juuentur à filiis parentes; vt quæ parentes potentes existentes fecere, filiis impotentibus; recipiant à potentibus, senio affecti & impotentes.

Alia ratio est, societas, Amor, mutuaque concordia Conjugum; qua stante, an in vita major sit fœlicitas, dubium; aut deficiente, infœlicitas.

Digitized by Google

Inde est quòd Plato interroganti, quando homini esset ducenda vxor; juueni, respondit nondum; seni nunquam. Græcè melius sonat μηδέ πω & μηδεπώποτε. Indicans prorsus abstinendum a Matrimonio, ob rixas & jurgia in iis perpetua, & quòd rarò vir & vxor bene conueniant, alioquin eas consulens & statuens.

Laërt. in Plat.

Hanc infœlicitatem testantur cineres ipsi, & monumentum certorum conjugum, quod Romæ ipse inspexi; cujus Iouinus Pontanus, & Volaterranus meminere; quod in via Tiburtina in marmore sculptũ sic habet: HEVS, VIATOR, MIRACVLVM! HIC VIR ET VXOR NON LITIGANT. QVI SVMVS, NON DICO. AT IPSA DICAM. HEI, BABIVS, EBRIVS, EBRIAM ME NVNCVPAT. HEI, VXOR, ETIAM MORTVA LITIGAS.

Hujusmodi monumenta, si cineres loquerentur, etiam apud Christianos nimis crebra viserentur, Conjugatorum, qui tota vita nihil nisi lites & rixas exercentes, etiam dum mortui silent, odia viuunt, & loquuntur.

Inde quanti referat paria tractare conjugia, vel hinc constat, quòd sors bona vel mala nubentium in hoc vertatur. Propterea in omnibus, quantum fieri potest, paritas quærenda est, sed præcipuè animorum & morum, quos idem cultus pietatis, seu Religio consociet.

Ita de re vxoria antiqui senserunt, ita sapientes omnes, paritate Conjugium beari, ac fortunari conjugia; disparitate infestari, ac inauspicata reddi: hodie tamen tam raros inuenies, qui aliud quàm censum, pecuniam, diuitias quærant in Conjugibus, quàm rarum est bona & fausta inuenire conjugia.

Nolim tamen in qualicunque paritate beatitatem Conjugij ponere: ea solùm quæ bonorum est, bonos facit, faustosque conjuges, non quæ inter malos reperitur. Vnde festiuè ludebat Martialis de duobus conjugibus nequam.

Lib. 8 Epig. 35

Cùm sitis similes, paresque vita,
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror non benè conuenire vobis.

Fausta illa, quæ habent in re, quæ in votis idem expressit de Nuptiis Pudentis & Claudiæ:

Lib. 4 Epig. 13

Claudia, Ruffe meo nupsit peregrina Pudenti;
Macte esto tædis, ô Hymenæe, tuis.
Tam benè rara suo miscentur Cynnama Nardo,
Massica Thesæis tam benè vina fauis.
Nec meliùs teneris junguntur vitibus Vlmi,
Nec plus Lothos aquas, littora Myrtus amat.
Candida perpetuo reside Concordia lecto,
Tamque pari semper sis Venus æqua jugo.
Diligat ipsa senem quondam; sed & ipsa Marito,
Tunc quoque cùm fuerit, non videatur anus.

Vel noster Horatius, his versibus:

L. 1. Ode 13

Fœlices ter & ampliùs,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citiùs soluet amor die.

Vel denique par fœlicitas contingat Nuptiis, qualem sui & vxoris optat, vel describit Ausonius.

Epigr. 18

Digitized by Google

Vxor, vivamus, quod viximus, & teneamus
Nomina quæ primo sumpsimus in thalamo.
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in æuo,
Quin tibi sim iuuenis, tuque puella mihi.
Nestore sim quamuis prouectior, æmulaque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphobem;
Nos ignoremus quid sit matura senectus:
Scire æui meritum, non numerare, decet.

Consulamus Scripturas.

PARITAS CONIVGIA BEAT, DISPARITAS INFESTAT.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

CONIVGVM inter se, quàm fieri potest, arcta æqualitas, mutuæ societatis & amicitiæ perpetua comes, altiùs repeti, aut præstrui non potest, quam ex verbis magni Naturæ, & ipsiusmet Adæ, Opificis, ad formationem sui comparis Euæ, sese accingentis.

Faciamus, inquiunt tres Diuinæ Personæ, *Adjutorium simile sibi*, id est, homini. Notanda sunt verba. Vbi enim Diuinæ mentis sententia stat fixum ratumque, *Non esse bonum hominem esse solum*; & abundè jam creata inter animantia *non inueniebatur Adæ adjutor similis ejus*; Tunc eædem manus, quæ hominem è limo finxerant, ex eodem Archetypo, materia, plasmate, fœminam formauerunt. Gen. 2

Et si dubitas, an perfectè viro æqualem ac similem in Natura, ætate, innocentia, animi vigore, & formæ illecebra? " recogita totum illi, non secus ac viro, formandæ, Deum occupatum, ait Tertullianus, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, Prouidentia, & ipsa imprimis affectione, quæ lineamenta ducebat. „ Denique attendamus quasi ex condicto dicentem: *Faciamus*, tota simul Trinitas, *Adjutorium Adæ*, non simpliciter, sed simile sibi: portantem ex æquo Imaginem nostram, Imaginem Dei. L. de resur. carn.

Nam licet Apostolus dicat, *Vir Imago & gloria Dei est. Mulier autem gloria viri est*, conditionis prærogatiuæ non detraxit, qua tam mulier, quam vir, Conditoris imagine insigniti sunt; sed legem conjugij attendit, comparatis alterius ad alterum juribus. 1. Cor. 11

Propterea formauit eam ex latere, non ex pedibus, notat S. Thomas, vt vir eam collateralem sciret, reuereretur æqualem, sociam non seruam agnosceret, deamaret vt partem sui, vt aliquid sui, vt carnem suam. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* 1. q. 92. a. 2. ad 3 Gen. 2

Imò fœminam condendo Deus, quam per conjugium viro subdere volebat, supra hominem in tribus videtur ampliasse ac præposuisse; Nobiliore loco, materia, opere. Loco nobiliore, quantò Paradisus volupta-

Digitized by Google

tis præstat terra communi. Materia, quantò costa Adami limo antistat. Opere, quantùm ædificatio dicit ampliùs, plasmatione. Creauit enim Deus Euam in Paradiso, non extrà. De costa, carne hominis circumvestita, non de limo. Ædificauit, grandi artificio & labore, non simpliciter finxit.

Hæc, inquam, fecit, vt eam quam Nuptiarum conditio homini debebat subigere, & inferiorem facere, Natura æqualem, ars aliquo modo faceret superiorem, & hac ratione magis commendabilem.

Glossa

Huic proposito non incongruè jungitur obseruatio Glossæ, pro connubialis vnionis commendatione, notantis productionem totius hominis initio Genesis tribus verbis designari: *Formauit, genuit, ædificauit. Formauit hominem de limo terræ; genuit ad Imaginem, & similitudinem suam; ædificauit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Prima dicitur Formatio; quia homo de humo & limo efficitur, per nouam formam. Secunda, Generatio; quia in similitudinem Naturæ Adam genuit. Tertia dicitur Ædificatio, scilicet productio fœminæ futuræ sponsæ Adam. Quo elucet hujus structuræ perfectio, quatenus à termino à quo, ad terminum ad quem remanet identitas quasi indiuidualis. Vt cùm domus fit ex lapidibus & lignis, ipsa in domo ædificata remanet, sic Eua ex osse & carne Adami.

Quod optimè littera expressit, dicente ipso: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Mira vtriusque identitas, viri & vxoris, major quippe quàm patris & matris cum filio; quàm formæ & materiæ in composito; quæ inter, tantum discrimen intercedit. Hæc autem connubialis, similitudinem habet cum structura Ecclesiæ, Corpore omnium perfectissimo, de quo dicit Diuinus Artifex, *Ædificabo Ecclesiam meam*, sponsam meam, indissolubile matrimonium, æternam structuram. Vt enim de Ecclesiæ perpetua stabilitate dicit, *Portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam.* Sic de ædificio connubiali. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Ita eodem verbo vsus in ædificanda Ecclesia sponsa sua, & ædificanda Eva sponsa Adami prioris, ostendit vtriusque similitudinem.

Math. 16

Math. 19

Nec verò absurda, aut inepta ædificij & conjugij comparatio videatur. Vt enim vir & vxor simul amore cohærent, & compaginantur; sic in ædificio lapides. Audi Augustinum, hæc Psalmi verba tractantem: « Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, &c. Ligna ista, inquit, & lapides, si non sibi certo ordine cohærerent, si non se inuicem cohærendo sibi, quodammodo amarent, nemo huc intraret. Denique quando vides in aliqua fabrica lapides & ligna sibi cohærere, securus intras, ruinam non times. Volens ergo Christus intrare, & in nobis inhabitare, tanquam ædificando, dicebat: *Mandatum nouum do vobis, vt vos diligatis inuicem.*

S. Aug. In Psal. 121

Quod de structura, seu ædificio Connubiali potiori jure intelligendum, cujus vir & mulier fundamenta, parietes & trabes sunt; quæ sicut in fabrica nutante & caduca si exorbitant, si malè cohærent, si non se amant, si rixis dissentiunt, vt labanti, ruinosæque structuræ ne te fidas, securus non intres, ne rixantibus te misceas, ne ruinæ te opprimant; secus si benè conueniant. Hoc consilium ex comparatione sancti Doctoris non absurdè deducitur.

Idem omnino est quod per Ecclesiasticum Spiritus Dei ait sibi placere. *In tribus*, inquit, *beneplacitum est Spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, Amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consen*

consentientes. Et jure merito: nam quid habet terra jucundius consensione mutua sanctorum Conjugum? Et quis cum Apostolo non id vocitet *Honorabile Connubium in omnibus, & torum immaculatum*? Nota Apostolum, appellando Honorabile Connubium, non ociose subjunxisse, *In omnibus*, vt eorum nihil, quæ Nuptias honorabiles reddunt, obliuioni dedisse videatur. Duo autem precipuè sunt, quæ honori conducunt Connubiali, & conferunt; Si nulla sit voluntatum inter eos animorumque discordia, si nullum sit discrimen Fidei ac Religionis.

Ad Hebr. cap. 13.

Hæc enim perfectam constituunt inter Conjuges æqualitatem quam requirimus, societatem perennem, æternam fœlicitatem, si animi & mores in bono consonantiant, & coëant vltro in eumdem cultum pietatis ac Religionis: animi pares, & mores, eadem fides, cultus, Religio.

Eapropter S. Patriarcha Abraham senio grauatus adjurat Eliezer domûs suæ præpositum, vt de cognatione sua, ac Religione, vxorem filio suo Isaac procuret ac prouideat, minimè verò de genere Chananæorum, quibuscum habitabat, ne eorũ vitiis & sacrilegiis nepotes sui imbuerentur.

Gen. 24

Contra primum hoc sancti Patriarchæ, & patris familias preceptum, & exemplum, quod paritatem cultûs spectat, peccauit Esaü, & grauiter læsit piorum corda parentum, in conjuges assumens & eligens Chananitides, Gentiles. Quanti inde gemitus & lamenta piæ matris Rebeccæ in sinum Isaac? *Tædet me vita mea*, inquit, *propter filias Heth. Si acceperit Iacob vxorem de stirpe hujus terræ, nolo viuere.* In quas angustias conjiciuntur miseri parentes, sæpius ob Nuptias filiorum crudas, aut inhonestas?

Gen. 27

Eodem modo peccauit Achab, Rex Israël, conjugium celebrans cum Iezabele impia, crudeli, Idololatra, quæ ipsum, veri Dei cultum ejurare, & Israëlitas peccare fecit, super omnes Reges qui fuerant ante eum. Et causam vitæ ejus profligatissimæ, & tot scelerum, quibus se infamauit, vnam ascribit Scriptura, pessimæ suæ conjugi. *Fecit*, inquit, *Achab malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum. Nec suffecit ei vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat, insuper duxit vxorem Iezabel, filiam Regis Sidoniorum, & abijt, & seruiuit Baal, & adorauit.*

3. Reg. 16

Denique Epitaphium pessimi Regis omnium, qui retro fuerant, Regum, ita concludit, vt omnium ejus scelerum causam in pessimam vxorem refundat. *Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est vt faceret malum in conspectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor sua.*

3. Reg. 21

Defecerunt in secundo, scilicet in disparitate morum, & animorum Conjugia Abigail, cum Nabal Carmeli, & Iob cum vxore sua. Quorumnam vitio, incertum; nisi quòd in primo prudentissima, juxta & formosissima mulier, juncta erat homini, prediuiti quidem, sed stulto, ebrioso, & pessimo. In secundo è contra, piissimo viro dura & inhumana vxor obtigit; patientissimo, morosa, ac difficilis, adeò vt quo auctore, Diabolo scilicet (Deo ita permittente) bona omnia erepta sunt, serui occisi, filij sub ruinis oppressi, elongati amici ac proximi, eodem inquam instigante ac procurante, vxor ei relicta sit in pœnam, quæ nudo illuderet, patienti conuitiaretur, dolenti fieret ipsa perpetuus dolor, pœna, tormentum, vt ad impatientiam desperationemque, si posset, induceret. Tam mala res est, Mulier viro suo, animo, moribus, affectu dissentiens, vt de ea pronuntiet Sapiens: *Tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.* q. d. Non secus ac stillæ jugiter cadentes excauant lapides, & exedunt trabes,

1. Reg. 25

Iob. 2

Digitized by Google

tabulata, tecta, & ipsam tandem domum destruunt; ita mulier rixosa cor, vitam, fortunam, mariti suis litibus & quiritationibus perpetuis exedit, & interimit.

Eccl. 36 Apposite dixit Ecclesiasticus: *Est filia melior filia*: q. d. Si qua in re dispiciendum, maximè in deligenda vxore, vt præcedenti versu 20. dixit: *Est cibus cibo melior*: & Apostolus ait, *Stella differt à stella in claritate*: sic viro aptior erit vna fœmina, magis quàm alia. Sequitur, & dicit: *Species exhilarat faciem viri sui*: quod de specie tam interna, quam externa, intelligendum est. Pulchritudo enim externa amoris conjugalis illex est, & conseruatrix; cui si accedat quod subjungit, *si est lingua curationis, & mitigationis, & misericordiæ, non est vir illius secundùm filios hominum*. q. d. secundum Cornelium, & alios Interpretes, Si ad speciem accedit lingua blanda & prudens, quæ sciat sua discretione curare familiæ molestias, & iras, mœrores, acerbitatesque condire, hujusmodi marito non est in filiis hominum vllus comparandus.

Cornel. à lapide Hinc sacri Interpretes tres hîc insignes dotes & virtutes in fœmina requirunt; primò, speciem oris, decentemque corporis compositionem, quæ virum alliciat ac teneat: secundò, lenitatem mentis, seu mansuetudinem, in filios, seruitia, afflictos, pauperes, vt eorum infirmitates toleret, soletur, sustentet: tertiò, gratiam sermonis, qua viri & familiæ molestias, curas, & rixas, leniat, curet, conciliet; vt possit dicere cum Propheta:

Isaiæ 50 *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est, verbo.* Beatus talis fœminæ vir; quia inueniuntur speciosæ mulieres, sed morosæ, superbæ, rixosæ.

Hasce virtutes habebat Abigail, quibus & marito suo Nabal vitam, & Dauidi conscientiam, ne Nabal occideret, conseruauit, dum hujus justas iras humili, gratioso & efficaci sermone mitigauit. Talis Esther, quæ

2. Reg. 14 Assuerum Iudæis infensum placauit, & Iudæos omnes à morte eripuit, & Aman eorum hostem cruci affixit. Et mulier illa Thecuitis, quæ Daui-

2. Reg. 20 dem Absaloni reconciliauit: & illa, quæ Abelam vrbem ab excidio Ioab seruauit.

Super omnes fœminas, Beata Virgo virtutes has eminentissimo gradu habuit: primò, gratiam oris, ipsa enim specie super fœminas excelluit. *Multæ filiæ*, inquit, *congregauerunt diuitias.* Intellige dotes muliebres, & gratias. *Tu supergressa es vniuersas.* Secundò, lenitatem & mansuetudinem, humilitatem: dicit enim: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, &c. Vnde omnium se inuocantium mœrores abstergit, dolores lenit, preces exaudit. Tertiò denique, gratiam sermonis habuit singularem, dicente Scriptura: *Diffusa est gratia in labijs tuis*; qua Domini nostri, Deique iras mitigat, & miserorum plagas sanat.

Digitized by Google

TITVLVS XXXVI.

DE NVPTIS, SEV CONIVGATIS.

FABVLA.

De Viro quotannis vxorẽ suam verberante.

ALIQVIS emerat in foro Merulas, quas vxori coquendas deferens vir facetus, ait, præpara mihi hos Turdos. Turdos illa, non, sed Merulas. Turdos replicat Maritus tibi do, illa pernegare ac contestari, hic asserere. Illa pertinaciter obstrepens; jocis in rixas versis, à marito egregiè vapulat. Vertente anno meminit mulier Tragœdiæ præteritæ, quo die aduenerat, quî vapulauerat, nec tenere os, aut suspiria potuit, quin Mariti bilẽ refricaret. Recordaris, inquit, mi Marite, anni præteriti, hodie annus est, quo me immerentem indignissime tractasti, propter maledictas Merulas tuas, quas turdos esse volebas; ille initio subridens, & isto adhuc anno, inquit, vis esse Merulas, non turdos; & in insania tua perseueras; non in insania, sed in veritate, hoc anno, & die, sustineo fuisse Merulas; & nego, & pernego turdos fuisse. Vis ergo & hoc anno & die vapulare? Vt anniuersarium celebremus? Imo ait prius è vita quam è sententia decedam. Quid plura, eam pugnis & calcibus optimè excepit; factumque est, vt quolibet anno quasi censu recurrente, jocus & rixæ; verba, & verbera, recursarent. Communi vtriusque vitio, illius nolentis obedire, alterius male præcipientis, aut compatientis.

De Vrso, Vrsæ suæ oculum effodiente.

VRsus natura ferox, in suam aliquando Vrsam sæuiens, oculum illi effoderat, & facti mox tantopere pœnituit, vt sibi dentibus vngues præmanderit; vnde volens in concordiam redire cum fœmina, blandiendo ipsi dicebat, vides amica mea quanto te amore prosequor, qui propriis me armis exui. Illa, quid mihi luscæ prodest, jam oculum perdidi, tu vngues; aut non mihi debuisti oculum eruere, & tu haberes vngues tuos; aut prius oportebat te mandisse vngues, & ego oculum meum adhuc haberem. Arguit maritorũ ferociam in proprias aliquando vxores furentium.

Digitized by Google

De Fœmina Virum suum verberante.

Fœmina quædam virilis animi, Virum habebat, adeo vecordem, ut pullos gallinaceos custodire cogeret, si quem perderet fuste exciperet; hic Miluum sursum volitantem videns, omnes simul filo alligauit, ratus eorum securitati, sic melius prouisum. Accidit autem, ut cum aliò intenderet, Miluus aduolans unum ex pullis ungue arriperet; & una cum eo, alios colligatos per inane portaret; ille tanto casu perculsus, & sibi ab ira uxoris extrema timens, cogitauit sibi satius esse semel mori quam toties uxori pœnas dare. Aberat illa à domo, ea mente armarium aperit, & vas quoddam futile, in quo credebat esse venenum: (re vera autem erant ficus succaro conditæ) depromit; quas si attingeret moriturum illicò minata erat uxor, comedit quotquot inuenit, & quamuis dulces, & gustui sapidas, venenum tamen esse credidit. Interim redit Mulier, scit deperditos pullos, & solito plus furens, cum viri latera tundere, pro grauitate culpæ parat, Maritus veneno satur occurrit, fatetur culpam, & jam pœnam luisse addit, hausto quidquid intra vas erat, veneno, orat ne in moriturum amplius sæuiat, tum bona Mulier in risum effusa, pro hac vice pepercit. Ridicula narratio, perridiculos quorumdam mores innuens.

De Facula quam nouæ Sponsæ in ædes Sponsi inferunt.

Qvidam non infimæ sortis & ingenij, interrogatus quid sibi vellet Facula illa quam nouæ sponsæ accensam inferebant, in ædès mariti, respondit; si de bonis & sapientibus sermo est, signum est casti amoris conjugalis, quo simul conjuges ardere debeant, si de rixosis ac male feriatis, signum est, rixosas mulieres in tecta maritorum inferre incendium, quo miseri infœliciter ardeant perpetuis odiis & rixis.

De Muliere morosa & rixosa.

Qvidam sortitus erat uxorem perdifficilem, cum omnibus perpetuo litigantem. Is experiri volens quomodo se cum domesticis in paterna domo habuisset, prætextu rei familiaris, eam mandauit ad patrem. Reducem interrogauit; quomodo à famulis accepta fuisset, illa, de cunctis viritim, & de ipsis parentibus conqueri cœpit. Tunc ad eam Maritus, jam, inquit, minime miror, quod apud me cum omnibus litiges, quando etiam tuis odiosa sis, & insuportabilis. Innuit rixosam mulierem vbiuis lites, & jurgia, & rixas suscitare.

Digitized by Google

De Cata & Venere.

QVidam Adolescens felem habebat in amoribus, ac delitiis, in tantum ejus amore flagrans vt Venerem rogaret, vt eam in fœminam transformaret; audiuit Dea stultas iuuenis preces, conuersamque felem in formam speciosissimæ puellæ, in sponsam ei dedit. Aliquantò post, probare volens vtrum sponsa cum forma bestiæ etiam mores exuisset, nocte concubia decumbentibus adfuit in cubiculo, & videntibus illis murem emisit in medium, quo viso mulier confestim e lecto desilit, & prioris conditionis memor, ac in eam quasi tota conuersa, Murem venatur, capit, alludit, tandem dentibus discerpsit, quo viso indignata Dea, eam muliebris formæ honore priuauit, & in bestiam vt erat antea, transmutauit. Hic Apologus carpit plerosque, qui ob fluxæ cutis & pellis florem, puellarum amore inardescunt, & bestiolas tandem experiuntur, quæ nil nisi simiarum more sciunt quam dentes & vngues scalpere, saltare, ludere, insanire. Puellas docet pluris facere dotes animi quam cultum carnis, & apud viros se bonis moribus commendare.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

AMORE PRÆESSE, ET SVBIICI, OFFICIA CONIVGVM.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

CONIVGIORVM malorum vtplurimùm causa & radix est error malè initorum seu nubentium, qui inuertunt sortes & vices suas. Ignorant quid alter alteri debeat. Mulier suarum partium esse nescit obedientiam marito. Iste se ligatum ignorat, & putat nullis legibus teneri. Illa vult imperare ac dominari, memor blanditiarum antenuptialium, quibus solent sponsi puellas delinire, & in amorem pellicere, vocando eas dominas, ac reginas suas. Isti sancta fœdera promiscua libidine infamant, honorem toro nullum habent, nec verbis, nec factis. Inde rixæ, & lites, & repudia, & propudia, & scandala.

Illæ mulieres, inquit Plutarchus (l. de præceptis Connubialibus, ex quo hîc summatim quædam decerpimus) *quæ pluris faciunt dominari in viros vecordes & stolidos, quàm gnauis & sapientibus obtemperare, similes sunt ijs, qui viarum ignari, duces cœcorum esse mallent, quàm sequi probè occulatos, & peritos itineris. Imitari debent*, inquit, *specula sua, quæ nullus sapiens æstimabit ab ornatu extrinseco, putà margine, auro & argento incrustata, aut gemmis intexta; sed si intuentium se in eis oris & corporis habitus gestusque ad Naturæ similitudinem refe-*

Plutar. l. de præcept. connub.

rant. Non secus vxor genere clara sit, censu & opibus affluens, formâ conspicua, parum conducit, & juuat, nisi vitæ suæ rationem, & mores suos, ad viri mores componat. Perinde enim ac si speculum vultum referat subtristem, ac depressum, ejus qui lætum ac jucundum habet; si jucundum, qui tristem; malum esse, falsumque conuincitur. Ita vxor mala & improba ea censenda est, quæ se mariti affectibus conformare non studeat, ac nisi cum ridente rideat, aut cum flente, fleat. Ita enim morosæ ac difficilis notam, aut irreuerentis, ac superbæ maculam meritò incurret.

Sciant igitur mulieres cordatæ obedire Maritis: hoc omnium gentium legibus cautum, licet quædam barbaræ nationes hunc aliquando Naturæ ordinem confuderint, & eo sint supercilio, quo illa, de qua Lucanus: (Lib. 10)

Non vrbes prima tenebo
Fœmina Niliacas? Nullo discrimine sexûs
Reginam scit ferre Pharos.

Meminisse debent, quòd qui olim novæ sponsæ, aut nupti, Iunoni Conjugali ac Pronubæ sacra faciebant, fel animal non offerebant, sed seorsùm à victima ad crepidinem altaris dejiciebant; quod documento esset, in Conjugio fel amaritudinis & discordiæ quàm longissimè ablegandum; iisque maximè curandum, vt semper in conuictu verbis sit honos.

(Lib. 2. c. 6) *Babyloniis,* inquit Alexander ab Alexandro, *vir & vxor non jungebantur, nisi prægustato thymiamate. Solon verò, nisi malo Cydonio, quod odoriferum est, & suaue, epulis adhibito, viri thalamum sponsam ingredi vetuit.* Quo innuerent voce & ore inter conjuges bonum odorem afflandum. Et quod Plato Xenocrati, viro alioqui bono, honestoque, sed seuerioribus moribus, consulebat, vt Gratiis sacrificaret; idem Conjugibus faciendum; Gratiis sacrificent, studeant mutuis sese honoribus preuenire, abstinere à rixis, offensiones deuitare; & si quid amaritudinis intercidat, imitentur priscos Romanorum ritus, qui quoties aliquid jurgij intercederet, in Sacellum Deæ Viriplacæ conueniebant, vbi inuicem locuti quæ volebant, redibant concordes, & placatis vtrinque animis. (Val. Max. L. 2. c. 1)

Ad id quoque eorumdem non inutilis cautio, de qua sic idem Auctor. (Ibidem) *Conuiuium,* inquit, *solenne majores instituerunt, idque Charistia appellauerunt, cui præter cognatos & affines, nemo interponebatur; vt si qua inter necessarios querela orta esset, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.* Ita ille. Egregia disciplina Christianis, quibus sacra Eucharistia, loco prophanæ mensæ, & Charistiæ, succedit; in qua, quasi in ardenti Diuinæ Charitatis camino, quidquid humanitas amaritudinis asperserit, decoquant, ac consumant.

Vno verbo dicam, si vxores cupido subeat aliquando in viros dominari, amore casto id faciant, licet; sic sapientes mulieres re vera perfectè subjectæ, perfectè etiam dominantur. Quamuis enim id seuerus Cato pro insolenti suo seculo exprobret apud Liuium: *Omnes homines vxoribus dominantur, nos Romani omnibus hominibus; nobis autem vxores*: quod per Ironiam videtur asserere, seriò licet vsurpare. Prudentes fœminæ viris suis parendo, imperant. (Decade 4 lib. 4)

Sic Liuia Augusti vxor, interrogata, quibus artibus Augustum sibi subegisset? modestè sapienterque respondit; *Quæ placerent Augusto, faciens.*

Hìc potest inseri, quòd vbi debitus seruatur ordo conjugij, etiamsi summa rerum penes virū sit, profuisse tamen viris sapientibus vxorum consilia audire & sequi. Sic Augusto Liuiæ consilium, de reconciliando

Digitized by Google

secum Cynna, benè cessit. Et sic de multis aliis.

Quid enim vir mulieri neget, qui fidem amoremque ejus probauit?

Quà in re & argumento conjugalis fidei & amoris nil illustrius visum est, quàm quod tẽpore Conradi tertij Imperatoris, cognomento Gibelini, gestum memorant; qui cum Guelphum Bauariæ ducem Marievvimberg, alij dicunt Moninch, obsidione diuturna fregisset; nec vllis conditionibus à proposita susceptaque vrbis, & omnium qui reperirentur, ferro & flammis vastatione diduci posset; ad extremum, nobilium fœminarum precibus victus permisit, vt inuiolatæ abirent, ea lege, vt nil ex vrbe, nisi quod humeris possent, exportarent. Tum illæ, memoranda omnibus sæculis pietate, Ducem Ducissa, singulæ maritos, liberos, parentes, ab humeris suspensos gestare cœperunt, & eo apparatu exire. Quo spectaculo Imperator adeò motus est, vt effusis præ gaudio & commiseratione lachrimis, non modò vrbi pepercerit, sed & deposita iracundia, ex animo cum hoste amicitiam contraxerit.

Castus & verus amor Conjugalis plus sentit & dolet injurias, dolores, mortem, alterius, quàm suam. Exemplum mulieris insigne expressit Martialis de Arria, Matrona Romana, genere & pudicitia, sed magis amore in maritum insigni. Is, Pætus dicebatur; quo proscripto, illa prior se gladio confodit; quem deinde è vulnere eximens, viro tradidit, ne superuiueret alter alteri. Sic Martialis.

L. I. Epig 14

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis;
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Sed ne virilis Amor à muliebri superatus videatur, ejus exempla non desunt. Vnum suffecerit, quod ex Plinio desumo. *Gracchorum pater*, inquit, *anguibus prehensis in domo, cùm responderetur ipsum victurum, alterius sexûs interempto. Imò verò, inquit, meum necate; Cornelia enim juuenis est, & parere adhuc potest. Hoc erat vxori parcere, & Reipublicæ consulere. Idque mox consecutum est.*

L. 7. c. 36

Duo jam Conjugum munia confecimus, & probauimus, respectu maritorum, subjectionem scilicet, & Amorem; tertium restat, Conuictio, seu cohabitatio.

Hoc significabant antiqui per effigiem illam Iunonis cœlestis, quæ visebatur in Æliacis, opus magni Phidiæ, testudinem pede calcantis: tacitè innuentes, vxori domi manendum, non excursandum, silendumque. Qua imagine vsus est doctissimus Alciatus Emblemate 195. sub hac inscriptione, Mulieris famam, non formam, vulgatam esse oportere. Quidam fortè melius, nec famam, nec formam, mulieris vulgandam. Sic autẽ habet

Alma Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa
Testudo, molli quam pede Diua premit.
Me sic effinxit Phydias, sexumque referri
Fœmineum, nostra jussit ab effigie:
Quodque manere domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

Hac etiam de causa olim apud Bœotios, currûs axem, quo in ædes sponsi noua nupta delata erat, in limine domûs concremabant; quò indicarent, ex quo vxor limen mariti & tectum est ingressa, jam ipsi redeun-

Digitized by Google

di facultatem ablatam.

Laërt. .6. c.7

Quædam puella nobilis, Hipparchia nomine, adamabat Cratetem Cynicum, Diogenis discipulum, minitans apud parentes suos, sibi conscituram mortem, nisi Philosopho nuberet; à quo proposito cùm nec parentum verbis, nec ipsius Cratetis persuasionibus dimoueri posset, Crates surgens, detracto quo operiebatur pallio, nudauit tergum, gibbo deformatum. *Ne quis circumueniatur*, inquit, *Hic est sponsus*; & projecto in medium baculo, & pera, *Hæc*, inquit, *dos est. Super his delibera; neque enim mihi conjux esse potest, nisi cui idem institutum placuerit.* Accepta conditione à puella, illico nuptias more Cynico celebrauit; festiuo simul conjugio, dans intelligi, ex quo Nuptiæ contractæ sunt, acceptis quibuscunque conditionibus, nullam superesse detrectandi rationem.

Sed ne videamur solis fœminis sua munia præscripsisse, paucis Plutarchus mihi videtur perutile consilium Maritis suggessisse, cùm dixit, *Imperium viri in vxorem, non esse cujusmodi est domini in seruum, aut in rem possessam; sed cujusmodi est, animi in corpus.* Digna Plutarcho sententia, nec Apostolo indigna, vt sequens pagina ex sacra Scriptura monstrabit. Quis enim suo corpori non pepercit? quis non fovit infirmum? quis non amauit vel mutilum? aut quid quis non sustinuit, quod putauit suum?

Huic documento & loco sequens doctissimi Varronis consilium in Satyra, quæ Menippæa inscribitur, subnecto:

Vitium Conjugis aut tollendum, aut ferendum est.
Qui tollit vitium, commodiorem conjugem præstat.
Qui fert, seipsum efficit meliorem.

Lib. 10 Epig.35

Denique concludam hanc materiam doctæ Sulpitiæ, & Caleni, conjugum, mutuo Elogio Martialis:

Omnes Sulpitiam legant puellæ,
Vni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpitiam legant mariti,
Vni qui cupiunt placere nuptæ, &c.
Non hæc Colchidos asserit furorem
Diri prandia nec refert Thyestæ
Scyllam, Biblida nec fuisse credit;
Sed castos docet, & pios amores,
Lusus, delitias, facetiasque, &c.
Frustra namque ea nec Tonantis vxor,
Non Bacchi, nec Apollinis puella,
Erepto sibi viueret Caleno.

Epig.38

Et infra sic de Marito, Ad Calenum.

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpitia tua jugales
Indulsit Deus, & peregit annos.
Vixisti tribus, ô Calene! lustris
Aetas hæc tota tibi computatur,
Et solos numeras dies Mariti
Ex illis; tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos, vel vnam,
Malles, quàm Pyliam quater senectam.

AMORE

Digitized by Google

AMORE PRÆESSE, ET SVBIICI, OFFICIA CONIVGVM.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

HÆc tria Conjugalis vinculi supra enumerata officia Apostolus paucis complexus, paucis absoluit, sed magnificis verbis.

Primum, dominationem virorum, & mulierum subjectionem, quæ duo cùm relatiua sint, & vnum ex alio inferatur, pro vno habeo; ad Ephesios. *Mulieres,* inquit, *viris suis subditæ sint, sicut domino; quoniam vir caput est mulieris.* Vtrumque Natura ab initio, vtrumque ratio volebat, etiam ante peccatum; vt vir præesset, vxor marito subesset, non conditione, sed amore. Postea, quod erat Natura, & inclinatio, pœna factum est: dictum est enim Euæ post culpam: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

Repetit Apostolus hoc præceptum Timotheo Discipulo suo, vt fecerat Chorinthiis, & Ephesiis. *Mulieri dominari in virum non permitto* (addit, quod statim perpendemus) *nec docere, sed esse in silentio.* 1.Tim. 2 Ephes.5 1.Cor.11

Hujus autem multiplicem rationem assignat. Primam; *quia Vir prior formatus est, deinde Eua.* Secundam; *quia Eua fuit prior in culpa.* Propterea subdit: *Et Adam non est seductus; mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Vnde infert: *Vir caput est mulieris, sicut Christus Caput est Ecclesiæ.* Ex quo illa sequuntur: *Docere mulieri non permitto, sed esse in silentio.* Quod sic explicat Glossa: "Quia docere, est opus sapientiæ; sapientia verò non viget in mulieribus. Neque dominari in virum; quia vir est perfectior ratione corporis: fœmina enim est mas occasionatus, vt dicit Philosophus. Est etiam perfectior ratione animæ; quia viuacitas Prudentiæ magis viget in viro, quàm in muliere, &c. Et in Epistolam ad Ephesios. Naturaliter imperfectiora subduntur regimini perfectiorum. Mulieres verò sunt imperfectiores viris, quantùm ad sexum. Vnde dicitur, *Caput mulieris vir:* quia sicut in capite vigent omnes sensus, & caput cæteris membris imperat; sic & ratio in homine viget." ad Ephes. 5 Glossa in 1.Cor.11 2.de gen. anim. Glossa [illegible]

Quod spectat alteram Apostoli rationem; Quòd *Adam non est seductus, sed mulier,* "Ordo generationis (ait S. Thomas hîc) & corruptionis est contrarius; quia quod est primum in generatione, est vltimum in corruptione. Peccatum autem est corruptio Naturæ; & ideò generatio incœpit primò ab Adam: nam factus est de limo terræ, & postea mulier ex costa Adæ. Corruptio verò est à muliere. Propterea dicit, quòd Adam non est seductus, scilicet primò, quia fortior erat; sed incœpit à debiliori, vt faciliùs seduceretur fortior." 1.cap. 2 1.ad Tim

Sed non solùm Adam fuit posterior in culpa, sed nec seductus vt Eua dicitur in præuaricatione: quia dictum serpentis verum esse illa credidit, quod non Adam. Præuaricatus est tamen, comedendo de ligno, triplici ratione. Primò, intentione Euam suam consolandi, ne scilicet suas con- Sic Gorran. in hunc locũ Pauli

Digitized by Google

tristaret delicias; sicut Salomon vxorum suarum Idola adorauit, ne suos contristaret amores. Secundò, peccauit curiositate experiendi, si aliquid veritatis haberet, quod serpens dixerat. Tertiò, spe facilè veniam impetrandi.

Concordant Legi Diuinæ Edicta Principum, quibus cautum sanctumque Scriptura commemorat, imperium dominiumque virorum in mulieres. Regina Vasthi detrectat Regis Assueri imperium. Dicta sententia, post maturam Primatum regni consultationem, priuatur corona & dignitate, eiusque loco Esther sufficitur, & regio nomine per vniuersas regni Prouincias publicatur decretũ, *Esse viros principes ac majores in domibus suis.*

Fortè propterea non Adam de Eua, sed Eua de Adamo producta est. « Nec de capite, inquit S. Thomas, sed de costa, Adami formata, seu de latere, subtus brachium & manum; vt aduerteret se viri imperio ac dominationi subjacere. »

Nec de capite, nec de pedibus viri, sumptum est id vnde fieret mulier; ne aut domina, si de capite; aut ancilla, si de pedibus, putaretur. Ideo de medio, id est, de costa, sumi decuit, vt socia intelligeretur, inquit Hugo à S. Victore.

Imò *Vir caput est mulieris*, ex sententia Pauli; quia fuit ei principium essendi, & finis. *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro est*, ait idem Apostolus. *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum* « Qui nisi seruabitur ordo, ait Augustinus, deprauabitur ampliùs Natura, & augebitur culpa. »

Ex eodem Diuinæ ordinationis fonte, mulieres virorum imperio mancipantis, tria alia in eam deriuant præcepta negatiua. Primum, in Ecclesia tacere. *Docere*, inquit, *mulieri non permitto.* Secundùm, *nec loqui.* Tertium, *nec prophetare, aut orare, nisi velato capite. Mulieres*, inquit, *in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Ordo Hierarchicus, vt Diuina Imperia Angeli à Deo, homo ab Angelis, mulier ab homine recipiat. Sic præceptum non edendi de ligno vetito Adamus ab Angelo accepit, Eua ab Adamo. Sic ordinem fugiendi in Ægyptum cum puero IESV, standi, redeundi, non sanctissimæ Virgini Matri, sed ejus Sponso S. Iosepho, denuntiat.

1. Cor. 14

Prohibetur, inquam tertiò, mulieri publicè orare, aut prophetare, non velato capite. *Mulier orans, aut prophetans*, ait, *non velato capite, deturpat caput suum.* Contrà, virum vult orare erecto & nudo capite; quia sicut caput cæteris membris imperans, supereminet, ita homo, vt caput mulieris, erecta ceruice honorabiliter pateat ante Deum, quem repræsentat.

1. Cor. 11

Hinc colligas, eos Deo resistere, & sibi damnationem acquirere, qui Diuinæ huic ordinationi resistunt; veluti si mulier loco viri sedeat, doceat, loquatur, imperet; & viro fusum & colum relinquat. Quæso quod monstri genus, si aut corpus sine capite, aut duo in vno corpore capita videas,

Apage à sanctis Connubiis tale portentum. Non sic Patriarcha Abraham, & vxor ejus Sara, Marito in omni fortuna, periculo, euentu, sic fidelis, sic adhærescens, sic suauiter obediens, sic ad nutum inseruiens, vt domino, vt mereatur à Principe Apostolorum Petro, in exemplum cæteris proponi. *Mulieres subditæ sint viris suis*, inquit, *sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cujus estis filiæ benefacientes.*

Digitized by Google

Sic noua sponsa Rebecca virgo, pulchriorne, an verecundior, non facile dictu? quæ viso eminus Isaac futuro sponso, de camelo, cui insederat, citò descendit, ne sponsum, quem vt caput suum dominumque sibi colendum sciret, è superiori loco, & sedens, minùs honestè exciperet, salutaretque.

Et fortè non fuerit extra rem observare hìc sanctissimis Conjugibus Abrahamo & Saræ Deum nomina immutasse. *Non vocabitur vltra nomen tuum Abram*, inquit, *sed appellaberis Abraham.* Item: *Non vocabis vxorem tuam Sarai, sed Sara.* Grande Mysterium! insigne documentum! Abrahamo additur vna littera, Saræ detrahitur: minuitur vxor, vir augetur. Quid est hoc? nisi vt inter sanctos Conjuges tollatur æqualitas, confusionis origo: subsit vxor, vir præsit; minor sit illa, & iste præstet in omnibus. Gen. 17

Subtiliter S. Augustinus in hæc verba Apostoli, *Qui diligit carnem suam, vxorem suam diligit*, ait: « Ponitur ergo caro pro vxore, quomodo & aliquando spiritus pro marito. Quare? Quia ille regit, hæc regitur; ille imperare debet, hæc servire. Nam vbi caro imperat, & spiritus servit, peruersa domus est. Quid pejus domo, vbi fœmina habet imperium super virum suum? recta autem domus, vbi vir imperat, fœmina obtemperat: Et alibi: Grave bellum est, cùm caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem; sicut in domo maritus & vxor, si aduersùs se dissentiant, molestus labor: si Maritus vincatur, & vxor dominetur, pax peruersa. Caro tua, conjux tua, &c. » S. Aug. Tract. 2 in Ioan. Serm 166 de temp.

Præstructo jam ad sufficientiam primo sancti Connubij officio, quî ad inuicem habere se debeant, quis præesse, quis obsequi, sequitur secundū, idque non minoris momenti, præceptum, Indiuiduæ societatis ac cohabitationis.

Audiamus Apostolum: *Iis autem qui in matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.* Auctoritatem Dominici præcepti commendat Apostolus, cùm dicit: *Præcipio, non ego, sed dominus.* Nouerat enim dixisse apud Mathæum: *Non legistis, quia qui fecit hominem masculum & fœminam, fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suo, & erunt duo in carne una*, &c. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Paulò post: *Dico autem vobis, Quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* In quæ verba S. Thomas. « Hanc solam excepit Dominus, cæteras omnes molestias jubet pro fide conjugij fortiter sustineri (quanquam soluitur tunc matrimonium quoad torum, non quoad vinculum, dicit S. Augustinus) obseruatque triplicem citatis supra verbis Apostoli, conjunctionem viri ad mulierem designari. Primam, per affectum dilectionis, qui tātus est, vt parentes relinquant. *Propter hoc relinquet homo*, &c. Secundam, per conversationem: *Et adhærebit*, &c. Tertiam denique, per conjunctionem carnalem: *Et erunt duo in carne vna.* » 1. Cor. 7 Math. 19 In ep. ad Ephes. 5

Non dissimiliter Glossa super eadem verba, *Propter hoc relinquet homo patrem*, &c. ait: « Non relinquet, quantùm ad dilectionem; quia filius non potest denegare parentes: sed quantùm ad cohabitationem; quia filius, cùm est vxoratus, est emancipatus, & habet prouidere sibi, & vxori, & familiæ. » Et Apostolus Petrus, idem commendans, vbi subiectionem mulierum præscripsit erga viros, addit: *Viri similiter cohabitantes secundùm* 1. Pet. 3

Digitized by Google

scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.

Quod exempla Sanctorum, magis quam verba, nos instruunt, quòd neque difficillimæ peregrinationes, neque pericula, neque longinquæ transmigrationes, neque patrij soli mutatio, neque charorum amissio, Noë & filios ejus ab vxoribus, aut Saram à latere Abraham, aut Rebeccam à societate Isaac, aut Rachelem & Liam, à consortio Iacob, diuiserunt, quin fortunæ,& consiliorum, & vitæ omnis participes essent; imò & quantùm licuit, ipsa communione sepulchri, Imò ipsa eos vocabula prohibent dissociari: Conjuges enim & conjuncti vocantur, quasi vno sub jugo & vinculo illigati.

Glossa Lyrani. In cap. 8 Gen.

Et quoniam in commemorationem Noë incidimus, haud absurdum erit obseruationem Glossæ hîc attexere, advertentis quòd in ingressu Arcæ dixit Deus: *Ingredere tu & filij tui*, separando viros à mulieribus. " *Ingressus est autem Noë & filij ejus; vxor ejus & vxores filiorum suorum.* In egressu verò, vxorem cum viro conjungens, *Egredere de Arca, tu, & vxor tua; filij tui, & vxores filiorum tuorum*: vt ex modo loquendi ostendatur, quòd sicut in ingressu Arcæ concubitus fuit prohibitus, ita in exitu fuit laxatus. Vnde sequitur, *Crescite & multiplicamini.* " Ex quo apparet, quòd habitatio Arcæ, illis vt Ecclesiæ fuit; primò, quia sicut per obedientiam in eam intrant & Religionem, Deo mandante; ita & exeunt. Secundò, per Castitatis obseruantiam Deo placent, nullus vsus fœminarum, loci, periculi, temporis ratio id jubet. Tertiò, orationi vacant, vt fortè conjugatis indicent, aliquando proficere, ac decere, quod S. Paulus consulebat Corinthiis, vt se ad tempus à toro subducant, vt orationi vacent, deinde in idipsum reuertantur.

1. Cor. 7

Nec fortè malè quis dixerit, è re esse, & vtile Conjugatis, si reputent se in Matrimonio quasi in Arca esse conclusos, mediis in fluctibus, ac periculis laborare, in qua loci, & temporis, & naufragij imminentis ratio eos moueat, quasi in Sanctuario, Deo præsente castè, & sanctè, & sobriè viuere, intus bestias immanissimas reprimere; extra sic vitare Syrtes & Charybdes, vbique frementes, vel modo Syrenum cantus surda aure pertransire, vt portum teneant, memores hujus Paulinæ sententiæ: *Hoc itaque dico, fratres. Tempus breue est, vt et qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura hujus mundi.*

1. Cor. 7

Probatis ex Scriptura duabus sacri Connubij primigeniis legibus, viri dominatione, ac prærogatiua, Mulieris subjectione; tertium restat vtriusque, idque præcipuum officium, Dilectio, Amor, Charitas, quæ & virilis dominationis temperamentum est, & muliebris subjectionis condimentum. *Mulieres*, inquit Paulus, *viris suis subditæ sint sicut domino.* Item: *Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Hæc est forma vestri officij, amabilis & tolerabilis subjectio; quæ Dei seruitute conditur. *Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam.* O suaue temperamentum potestatis, quæ tam sancto charitatis glutine coalescit!

ad Ephes. 5

Deinde subdit: *Viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam* Digna vtraque comparatio, obseruanda præscriptio. Videant viri in prima, cui amori, quanto, quàm sancto, suum erga spon-

Digitized by Google

sas suas conformare teneantur? In secunda, quid, quousque de illis pati, ac compati, quas vt membra sua, vt carnem propriam, vt corpora, vt seipsos amare, ac fouere debent; deformes licet, rixosas, pauperes, memores præclari effati S. Petri. *Quasi infirmiori vasculo muliebri*, inquit, *impartientes honorem*, &c. Vides qua cum cautela, honore, reuerentia, vxores vult Apostolus tractari & haberi; quasi vasa vitrea, figlina, crystallina, vt splendida & pretiosa, sic fragilia, sic caduca, labi, frangi facilia & prona.

1. Pet. 3

TITVLVS XXXVII.

DE NVPTIS, SEV CONIVGATIS.

FABVLA.

De Vulpe, & Leæna.

IACTABAT Vulpes fœcunditatem suam, quòd vna fœtura & partu quinque aut sex Vulpinos ederet; & eo nomine suprà modum tumens, Leænæ ex aduerso stanti exprobrabat, quòd vnicum pareret. Vnicum quidem pario, respondit, sed Leonem. Ostendens in rebus ritè æstimandis, Non tam molem aut multitudinem operis, quàm nobilitatem & præstantiam, attendi debere. In quo etiam raritas sæpenumerò pretium facit.

De Columba & Cornice.

COlumba domestica singulis mensibus pullos aut oua excludens, de fœcunditate sua insolenter gloriabatur, audiente ac vidente de proximo Cornicula, quæ non inscitè ad eam: Desine, soror, ait, gloriari: quantò enim fœcundior es, tantò mihi videris infortunatior, alijs pariens, non tibi.

Sus & Canis.

CErtabant Sus & Canis de fœcunditate, vtraque eius palmam & laudem supra alteram sibi vindicante. Canis dicebat se pedestrium animalium fœcundissimam. Negabat Sus, exprobrans Cani, quòd Catellos suos cæcos ederet, & quousque adoleuissent, infirmos, & inualidos; sui verò currerent. Innuens non tam prolis quantitatem, quàm perfectionem, attendi debere.

Gallina & Hirundo.

Gallina cupiditate incubandi, oua serpentis fortè inuenta fouebat: quod aduertens Hirundo, dixit ei: O demens, quid hîc agis? Fortè pullos excludis, qui cùm adoleuerint, te primam suo veneno inficient. O quot parentibus prolem in propriam ruinam, quasi tot oua serpentina excludentibus & fouentibus idem dici posset!

Lunæ Nuptiæ.

Lvnam ferunt, Luciferi amore arsisse, & ejus Nuptias à Ioue postulasse; qui veritus, ne si gignerent, Luminum cœlestium aliqua confusio oriretur; ea conditione cupitas concessit Nuptias, vt cujus animalis ope ac vsu maximè indigerent Mortales, ejus generis sobolem, non alterius, generarent. Eo autem tempore Deucalionis diluuio & imbribus proximo, cùm è limo infinita vis Murium orta esset, segetes omnes deuastantium, & aliis animalibus bella inferentium, vt & ranis, quæ Homerus suis versibus celebrauit; placuit Ioui, vt si nuberent, feles generarent, coërcendis extirpandisque Muribus. Conditione accepta, celebrato consummatoque conjugio, Luna grauida, feles multas primo puerperio enixa est. Quæ proles, licet alicui Mortalibus vsui & commodo foret, non leui tamen parentibus opprobrio fuit. Neque enim quæcunque proles honori est parentibus. Inde est quòd crescente Luna pinguescant feles, & oculi eorum crescant; decrescente, decrescant.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

PROLES NON BEAT CONIVGATOS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVANTO in honore fuerit in Republica procreatio sobolis legitimæ, sapientissimus Licurgus ostendit, cùm eos qui cœlibes viuerent, arceret à spectaculis, & honore senibus impertito priuaret; insuper etiam ignominia afficeret: volebat enim vt omnes nuberent, & filios Reipublicæ procrearent.

Plutar. in Lacon.

Vnde cùm mos esset apud Lacedęmonios, vt juniores senioribus assurgerent, & honorem pręstarent; & quidam Dercilides, dux belli insignis, in quodam conuentu accederet, eique aduenienti quidam juuenis non as-

Digitized by Google

surrexisset, cui cum stomacho dixit: *Quid mihi, ò iuuenis! non assurgis? Quia nec tu, cùm senuero, qui mihi assurgat, non genuisti*; respondit: adeo contempui erant, qui patriæ filios non parerent, vt etiam parum interesset inter eum qui ciuem occideret, & eum qui ciuem Reipublicæ, dare cùm posset, nollet.

Propterea Anna, soror Didonis Reginæ, suadet nuptias cum Ænea, prolis habendæ causâ.

Solane perpetua mœrens carpere juuenta?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?

Sed de bono prolis Plato loquens, *hanc consolationem oriri dicebat ex Nuptijs, quòd Naturæ perpetuitas inde promoueatur; & quòd filios filiorum relinquendo, semper Deo ministros pro nobis relinquimus; vitam seu lampadem alios post alios relinquentes; vt semper sint aliqui colentes Deum, juxta ipsius legem.* Dignam certè Diuino Platone sententiam, quam si nupturientes attenderent, non tam, vacando liberis, intelligerent sui nominis & rei perpetuare successores, quàm Diuini Numinis perennare cultores ac ministros.

L. de leg.

Quod licet ita fuerit, nunquam tamen adducar, vt credam multæ sobolis propagationem, vt Statuum, & Rerum publicarum, sic familiarum particularium, bonum esse. Euentu enim multiplici hactenus comprobatum est, anceps bonum, & dubium, esse prolis generationem; imò multis & magnis viris, ea caruisse, partem fœlicitatis extitisse.

Honestißima quidem Conjugis foret liberorumque jucunditas, inquit Boëtius, *sed nimis è Natura dictum est, nescio quem filios inuenisse tortores. Quorum quàm sit mordax quæcunque conditio, neque aliàs expertum te, neque nunc anxium, necesse est admonere. In quo Euripidis mei sententiam probo, qui carentem liberis, infortunio dixit esse fœlicem.*

Lib. 3. de cōs. Phil. Prosa 7.

Et vero Marcus ille Antoninus Imperator, delitiæ & amor Populi Romani, cùm per totam vitam fœlicissimus extitisset, vna re infœlix fuit, quod moriens Commodum filium dereliquit successorem. *Fœlix fuisset, si filium non reliquisset*, ait de eo Iulius Capitolinus. *Nam tam sancti patris filius, his moribus fuit, quibus nullus Lanista, nullus Scenicus, nullus Arenarius, nullus postremò ex omnium dedecorum ac scelerum colluuione concretus.* Addit: *Fertur illum voluisse mori, cùm filium talem videret futurum, qualis extitit post ejus mortem, ne*, vt ipse dicebat, *similis Neroni, Caligulæ & Domitiano esset*, si non pejor.

Hist. aug in V. M. Antonini Philos.

Non probo liberorum propagationem, dicebat Democritus. *Nam in ipsorum possessione multa magnaque discrimina inesse video, & molestias plurimas; pauca verò jucunda, eaque tenuia, & exilia.*

Laërt. in Democ.

Palam est ignauos sæpè filios claris ortos esse ex parentibus, juxta Prouerbium; Heroüm filij, noxæ; vt de Scipione legimus, Cicerone, & alijs. Contra verò claros ex ignauis, ex improbis bonos, ex temperantibus ebriosos; auaros ex munificis; ex auaris, liberales; ex adulteris, castos.

Ælius Spartanus in Seuero Cesare multis declarat exemplis, ita ferè vsu venire, vt viri seu virtute, seu literis, seu fortunæ indulgentia insignes, aut nullos omninò liberos habuerint, aut tales reliquerint, vt magis ipsis optandum fuerit nunquam habuisse. Ejus verba non pigebit exscribere; nec prolixitas, vt spero, Lectori tediosa erit. *Reputanti mihi*, inquit, *Diocletiane Auguste, neminem propè magnorum virorum optimum, & vtilem filium reliquisse, satis claret. Deniquè aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt,*

Hist. aug

Digitized by Google

plerique; vt melius fuerit de rebus humanis, sine posteritate discedere. Et vt ordiamur à Romulo, nihil liberorum reliquit; nil Numa Pompilius, quod vtile posset esse Reipublicæ. Quid Camillus? Num sui similes liberos habuit? Quid Scipio? quid Catones, qui magni fuerunt? Iam verò, quid de Homero, Demosthene, Virgilio Crispo, Terentio, Plauto, cæterisque alijs loquar? Quid de Cæsare? Quid de Tullio? cui soli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit, cùm illi eligendi potestas fuisset ex omnibus. Falsus est Trajanus in suo municipe ac nepote deligendo. Sed vt omittamus adoptiuos, ne nobis Antonini, Pius & Marcus, Numina Reipublicæ, occurrant, veniamus ad genitos. Quid Marco fœlicius fuisset, si Commodum non reliquisset heredem? Quid Seuero Septimio, si Bassianum non genuisset? &c.

Ita ille. Et hujus rei sufficiendis exemplis non moror ampliùs. Alexander, Iulius Cęsar, Augustus, nullam saltem masculam prolem reliquerunt. Et quod attinet postremum, Augustum scilicet, quo Principe sicut Romani nominis magnitudo nil maius tulit; sic eo patre, nil infœlicius.

Scitur qua de causa Iuliam filiam suam & neptem relegarit; deinde Agrippam priùs adopratum, postea abdicarit; quorum ad omnem memoriam hunc versum Homericum exclamando vsurpabat:

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεναι ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

Id est, *O vtinam cœlebs vixissem, orbusque perijssem*

Sueto. in V. Aug. c. 65.

Non aliter illos appellare solitus, quam *tres vomicas, aut tria carcinomata sua.* Quin & testamento cauit, ne quis eorum suo sepulchro inferretur, eos vt pestes, sui etiam societate sepulchri indignos iudicans; vt iure meritò elegantissimi Petrarchæ ex Dialogis id mutuari liceat, cuidam sib ablandienti de multa prole: *Geminatum malũ, pondus domesticum, dulcedo amarissima, fel melle circumlitum. Nunc disces tuo periculo parentes orbos miserari: disces in breui vita longas curas texere. Filios procreasti; si boni, jugis timor; sin mali, sempiternus dolor. Interim solamen ambiguum, certa cura, fœlicitas anxia. Habes vnde viuus doleas, mortuus agnoscaris: habes & vnde mori sæpiùs possis.*

De remed fort. Dial. 70

Hìc prætermitti non debet festiua narratio Solonis, quam in ejus vita refert Plutarchus; qui cùm aliquando Miletum venisset, Thaletis inuisendi gratià, & omnem ejus viuendi rationem, mores, sapientiam, dictaque vehementer admirari probareque diceret, vna excepta, quòd cœlebs viueret; Thales plebeium quemdam adornauit, qui se eadem hora Athenis venisse fingeret, & sibi cum Solone accumbenti, aliquid nuntiaturus accederet. Quod cùm faceret, intellecto Solon hominem Athenis advenire, petit, num quid ibi noui esset? Nihil, inquit ille ad hoc factus, nisi quòd filius vnicus cujusdam Magnatis diem obiisset, quem tota ciuitas immanè lugeret. Quo audito valde commotus Solon, interrogat num sciret, quis pater illi esset? Minimè verò, inquit, nisi quòd ab aliquo tempore ab vrbe abesset, essetque magnæ vir inter ciues cùm sapientiæ, cùm dignitatis, Ille turbari, & tremere, & magis ac magis pauescere. Audisti nomen ejus? Audiui, inquit, sed fugit è mente, quanquam si nominaretur, agnoscerem. Nunquid Solon? Solon, inquit, ipse est. Et ille è mensa surgere, ejulare, crines barbamque euellere, & alia agere, quæ homines extra se acti faciunt. Tunc Thales: Satis est, inquit, ò Solon! compesce dolorem, & lachrimas; saluus est filius tuus. Conficta est de industria hæc narratio, vt per te scires & probares, cur vxorem & filios suscipere nolui, ne sæpiùs opinione sola miser essem, & sine causa insanirem,

Digitized by Google

vt tu modò.

Propterea sic Terentius:

Duxi vxorem, quam ibi miseriam vidi, nati filij
Alia cura: porro dum studeo illis vt quàm plurimùm
Facerem, contriui in quærendo, vitam atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium.

Adelp. 5

Et Poëta Menander:

Nihil est miserius patre,
Nisi quis alius fortè plurium liberorum parens.

Et Euripides:

In Orest.

Dubius equidem sum, neque dijudicare possum,
Vtrùm melius sit progigni liberos
Mortalibus, an sterili vita frui.
Istos enim, quibus liberi nulli sunt, miseros esse video;
Et contra illos, qui prolem genuerunt, nihilo fœliciores.
Nam si mali fuerint, extrema calamitas est.
Rursus si probi euadant, magnum pariunt malum:
Affligunt enim genitorem, dum ne quid patiantur,
Mœrent.

Porrò si proles vnica sæpè parentes efficit miseros, quid numerosa? quæ in tot partes & curas cor parentum distrahit & lancinat, quot filios genuerunt? Quod præclaro Emblemate expressit Alciatus, Nucem arborem sic loquentem introducens, cum hac inscriptione, IN FOECVNDITATEM SIBIIPSI NOXIAM.

Emblem. 193

Ludibrium pueris lapides jacientibus, hoc me
In triuio posuit Rustica cura Nucem;
Quæ laceris ramis, perstrictoque ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid sterili posset contingere turpius? Eheu
Infœlix! fructus in mea damna fero.

Quot quæso Patres & Matres familias sibi hoc Emblema, & hæc verba arripiunt? quos sua proles exsugit & exedit.

Non ineptè quis animaduertat Poëtam Latinum introducentem Iunonem Deum ventorum sollicitantem vt in Trojanorum classem ventos immitteret, pelagoque immergeret, pro mercede promittentem ei Nympharum pulcherrimam, Deiopeiam, in vxorem.

Virgilius 1. Æneid.

Quarum quæ forma pulcherrima Dejopeiam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo,
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Pulchra dixit, non multa, prole beaturam, quòd in multa prole, non multa sit fœlicitas.

Quæso enim te, cui hominum retro, vel Regum, fœliciter cessit numerosa propago filiorum? Fortè nomen & regna perennauit? Minimè verò. Priamo fuere 50 filij; sufficiebat vnus Paris, vt eum vita & regno priuaret, & ipsum regnum euerteret: 30 Orodi Persarum Regi; 115 Regi Persarum Artaxerxi; septingenti Erothinio, Regi Arabum; qui omnes inglorij, & ipsis parentibus oneri fuerunt.

Digitized by Google

Quis verò inter fœlices ac fœcundas numeret Comitissam illam Margaretam, Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filiam, Hermanni Comitis Hennerbergiæ vxorem? quæ annos nata 42. ipso die Parasceues, circa horam 9. anno 1276. 365 enixa est filios, qui à Guidone, Suffraganeo Trajectensi, omnes in duobus ex ære peluibus Lustralibus vndis aspersi, masculi Ioannes, puellæ Elizabethæ vocati sunt; & eodem die cum Matre obeuntes, in Templo Laudunensis Cœnobij sepulti sunt, prope Hagam. Quod accidisse ferunt; quia ipsa pauperculam, duos gemellos in vlnis gestantem, malè tractauerat: vnde illa indignata, ipsi imprecata est, tot posse ipsam parere, quot dies in anno forent: quod ita Diuino nutu euenit.

PROLES NON BEAT CONIVGATOS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

Gen. 3 vers. 16.

INTER multiplices pœnas, quas in caput Mulieris Sententia Diuina distrinxit, hæc vna est: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Quibus verbis ita junxit conceptus, & ærumnas, vt multiplicatio conceptuum, sit multiplicatio ærumnarum, & vtrumque carnalis concupiscentiæ, & vitiatæ stirpis pœna sit.

Quod quì verum sit, cùm numerosa propago sacri connubij benedictio deprædicetur, dicente Psalmista:

Vxor tua, sicut vitis abundans, in lateribus domûs tuæ.
Filij tui, sicut Nouellæ Oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.
Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Lib. 3. in Gen. c. 22

Rupertus explicat. " Hæc multiplicatio, inquit, non Benedictionis, sed damnationis, est; non gratiæ, sed iræ; non Clementiæ, sed vindictæ. "

Rationem dicti subdit (cujus verba, vt Scripturæ Interpretis, subjicio; quanquam à Patrum sententijs in hac Opella abstineo.) " Quanta, inquit, putas hæc ira? quanta vindicta? Concipi vel nasci tot homines, qui numerum excedant, qui ad Dominum vel ad vitam æternam non pertineant? quibus perinde melius erat si nati non fuissent. Nempe, si incorrupta Naturæ nostræ terra permansisset, solas bonas arbores, bonos homines germinasset, non ligna agrestia, ad hoc nata, vt exscindantur, & in ignem mittantur. " Hæc ille subtiliter & verè. Quis enim inter Mulieris pœnas sensatus non reputet, pro maxima, filios reprobos parere? Vnde mulier, vt ibidem dicit, quantò fœcundior, tantò ærumnosior sit. Inde enim colligas, quotquot in partem reprobationis secernuntur, tot esse Naturæ luxuriantis perdita & damnata germina.

ad Gal. 3

Huic proposito non malè quadrat quod Abrahæ Deus dicit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod ne genericè ad plures extendas, cùm Abraham non vna proles fuerit, opponit Apostolus, ad singularem numerum restringens. *Abrahæ factæ sunt*, inquit, *repromissiones, & semini eius.*

Digitized by Google

Non dicit, seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Considerauit namque, quod ex illa filiorum colluuie, Ismael ex Agar, & Cethuræ filiis, cunctis ad ritus Gentilium abeuntibus, vnicus Isaac, & ejus progenies, in partem Dei cederet, & cultum veri Dei profiteretur. Vt ea de re Prophetæ illud possit applicari: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.*

Peroptauerat Rebecca prolem, concipit: sed dum sentit in vtero clausos jam belligerare & confligere, non natos, optat non concepisse. *Si sic,* inquit, *mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?*

Idem ardentiùs Rachel: *Da mihi,* ait Marito, *liberos; alioquin moriar.* Potitur votis; sed secundo partu vitam cùm dat filio, amittit; & præ dolore moriens, laborioso fœtui enixa nomen *Benoni* indidit, quod est, *filius doloris mei.* Ita plerisque fœcunditas, aut pœnæ, aut infœlicitatis loco numeranda.

Paucis numerosa soboles, tota parentum fœlicitati & gaudio cessit. Vnica videtur magis in Scriptura laudari.

Probaturus Deus fidem serui sui Abraham, dicit illi: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac.* Admirationi mihi est, quod eum vocat *vnigenitum*, cùm secundò genitus esset, & haberet fratrem Ismaël. Exinde patrato illo facinore immolationis filij sui, quantum erat ex se, Deus Abraham præmiaturus dicit; *Quia non pepercisti vnigenito tuo propter me*, iterum vocans eum vnigenitum. Cujus rei hæc mihi probatur ratio, quod vbi Scriptura in filiis aliquem eximiè dilectum, aut virtute insignem, vult significare, vnigenitum appellet; aliis prætermissis. Ita Salomon de se loquens: *Ego,* inquit, *filius fui patris mei, tenellus & vnigenitus coram matre mea.* Quì verò id rectè dici possit, non video, cùm certò constet, Dauidem ex Bersabee alios filios suscepisse, Symmaasobab, & Nathan; nisi quia singulari amore, singulari virtute commendaretur; quæ singularitas in prole parentibus summè amabilis existit. Vnde Ioannes vt gloriam Filij Dei supra cæteros, communicata *potestate filios Dei fieri,* extollat; *Vidimus,* inquit, *gloriam ejus, quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.*

Gen. 22

Ioan. 1

Porro talem plerumque ludum ludit Diuina Prouidentia in familiis hominum, vt vbi numerosa est soboles, ad vnum tandem deueniat, & in vnum, elusa spe & ambitione parentum, transfundatur & benedictio Dei, & claritas nominis, & successiuæ hereditas posteritatis.

Patuit hoc ad miraculum in Dauide. Reprobato Saüle à Deo ob inobedientiam, mittitur Samuël alium Regem vncturus, de filiis Isai Bethleemitæ, quem ex tempore Sors Diuina indicaret. Propheta jussis Dei obtemperans, venit Bethleem, in speciem quasi Domino immolaturus. Iubet inter primos Isai adesse Sacrificio, cum filiis suis, nemine secreti consilij conscio. Adsunt. Vt vidit Propheta primogenitum Isai, Heliab, putauit inaugurandum in Regem; & conuersus ad Dominum, petit, *Num coram Domino sit Christus ejus?* Respondetur: Non iste, sed alius. Secundus venit, sed nec iste; & sic, succedentibus aliis per ordinem, interrogatur de septem, & respondetur, *Nec hunc elegit Dominus.* Stat attonitus Samuël, & petit: *Nunquid jam completi sunt filij tui?* Respondet Isai: Completi, *excepto paruulo; sed is pascit oues.* Accersitur, & dicit Dominus: *Surge, & vnge eum; ipse est enim.* Mira res! despectus ille paruulus, natu minimus octo filiorum, inter fratres vocatos non vocatus, non computatus, nullo in pretio habitus; ille, ille vltimus, vnus eligitur, de post fœtentes ad regnum

1. Reg. 16

Digitized by Google

assumitur, ad Imperium, ad coronam; fit gener Regis, domum paternam tributo absoluit, breui Rex futurus. Si dubitatis quanti valeat? Petite à Philisthæis. Paruulus iste, inquiunt, superauit exercitum Philisthæorum; superauit Goliath, Gigantem nostrum interemit; pastor, militem; inermis, armatum; rudis, veteranum; solus, exercitum. Quanti valeat? Respondet nobilis fœminarum Israël chorus. *Percussit Saül mille, & Dauid decem millia.* Si parum videtur à fœminis æstimari, interrogate Duces Israël; computatur pro decem millibus. *Tu Vnus,* inquiunt, *pro decem millibus computaris.* Ergo quæ Mater non super matres fœcunda tanto filio?

2. Reg. 18

Vt discant Patres & Matres familias, non spes inchoare longas in filiis; sed eorum sortem, & curam vni Deo committere, exemplo nobilis illius Annæ, ex sterili, factæ matris magni Samuëlis, nobili Cantico claræ.

1. Reg. 2

Nolite, inquit, *multiplicare loqui sublimia gloriantes.*
Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.
Sterilis peperit plurimos; & quæ multos habebat filios, infirmata est.
Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad Inferos, & reducit.
Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & subleuat:.
Vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.

Porro prolis bonum inter Conjugij bona non vltimum, non est tamen faciendum tanti, vt si subsit, fœlix fortunatumque sit; si desit, infaustum habeatur: habet enim alia conjugalis societas, quibus aut illud suppleri, aut etiam superari possit. Pulchræ Noëmi non supererant ex filiis, nisi vnius vxor vidua, Moabitis, nomine Ruth; quæ cùm Boos propinquo in matrimonio accepta esset, & filium peperisset, congratulantes vicinæ Noëmi dicebant: *De Nuru enim tua natus est, quæ te diligit, & multò melior est quàm decem filij.* Sic amorem Nurûs, numerosæ soboli, ex propriis, præferentes.

Lib. Ruth cap. 4.

Eodem modo Elcana Annam, alteram vxorum suarum prædilectam, cùm esset amaro animo, eò quòd esset sterilis, sic consolabatur: *Anna, cur fles, & quare non comedis, & quam ob rem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum quàm decem filij?* amorem Mariti generationi anteponens.

1. Reg. 1

Quidquid sit, quæ Matres Sara, Elizabetha, Maria? Quis eas supra omnes sacræ Scripturæ matres non deprędicet? singulas licet singulorum matres? Sed quorum filiorum? Isaac, Ioannis, Christi. Quis eas cęteris omnibus fœcundiores & fœliciores non dicat? & supra omnium retro aut post sęculorum Beatissimam Virginem fœcundissimam & fœlicissimam? quam idcirco S. Epiphanius Leænam vult nuncupari; tum quà mystici Leonis Parentem; cùm etiam quà vnici Filij Genitricem, secundi partûs, vt Leæna, inquit idem Sanctus, nesciam.

L. aduers. hæres.

Et verò, si fas sit in illum æterni Patris sinum intueri, omnis generationis Archetypum, *ex quo omnis Paternitas in Cœlo & in terra nominatur*, & omnis fœcunditas procedit; ex eo vna Soboles, vnus Filius, Vnigenitus generatur, tam necessariò vnus, quàm impossibile alius.

Imponet coronidem, & probationem absoluet sapiens Syracides. *Ne jucunderis*, inquit, *in filijs, si multiplicentur; nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Melior est enim Vnus timens Deum, quàm mille filij impij, & vtile est mori sine filijs, quàm relinquere filios impios.*

Eccl. 16

Ejusdem sententiæ est Augustinus, his verbis: " Non pro magno &

Hom. 10 in Ioan.

Digitized by Google

vero bono habendum est, inquit, habere filios; filios enim Deus dat leonibus, & onagris, & serpentibus. „Confirmante Apostolo, cùm de officiis Conjugum disserens, Timotheum suum docet, Mulierem *saluari per filiorum generationem.* Quod S. Apostolus non diceret, nisi virtutes inter & merita Matronarum, sobolis procreatio penderetur: quod qui labores partûs, & pericula, ærumnasque conceptuum pensabit, non negabit.

1. Tim. 6

TITVLVS XXXVIII.

DE EDVCATIONE FILIORVM.

FABVLA.

De Filio & Matre.

QVIDAM à teneris annis assuetus furto, res parui aut nullius momenti, puta nuces, libellos, crepundia sociis furabatur, quæ Matri deferebat. Cumque ab ea minime reprehenderetur, à minimis ad majora progrediens, breui ita vsum furandi contraxit, vt insignis latro effectus sit. Vnde contigit aliquando, vt in furto deprehenderetur, & capitis damnaretur: cumque ad patibulum duceretur, Matrem gemebundam aduertens, vt eam posset secretò alloqui, rogauit & obtinuit. Accessit ad Filium Mater, & is quasi ad aurem ipsi locuturus, ejus auriculam dentibus præcidit, præcisamque expuit; exclamante illa præ dolore, & Filio dira imprecante, exclamauit & ille, abeas, inquit, in malam rem mala Mater, hoc à Filio merebaris, nam si me puerum minuta furantem seuerè correxisses, nec crudeli indulgentia perdidisses, non me damnatum ad furcam, nec tuam aurem morsu amputatam doleres. Innuit fabula parentes malè educantes filios suos, auctores esse perditionis ipsorum.

Culex & Apes.

FRigore & fame laborans Culex, ad alueare Apum accessit, rogans intrò admitti, & cibum famelico ministrari, pollicens pro mercede canendi artem suam se prolem edocturum, cui vna de proceribus, tam malo educatore non eget, inquit, nostra iuuentus, qui artem vnde viuas ipse non habes, & præter quam canere, & ociari; pungere, ac elicere sanguinem, nihil nosti, nostra pubes melius edocta, his artibus imbuitur,

Digitized by Google

quæ & nobis vtiles, & homini salubres ac proficuæ commendantur. **Innuit multum interesse Reipublicæ prospicere, ne iuuentus male educetur, sed optimis artibus & moribus instituatur.**

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

BIS PATER EST, QVI FILIVM BENE EDVCAT; QVI MALE, NECAT.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

NVLLIBI grauior, aut disertior Plinius, quàm in describenda hominis miseria. Diceres ejus conditionem & dignitatem, qua cæteris antistat, ignorasse, & bruta ei prętulisse: pręcipuè in duobus: quod bruta pręsentiant tempora, & mutationes proximas. Imò & morbos, eorumque medicinas naturaliter aduertant, & nullo alio adjutore ac Medico se sanent, adeò vt in hoc genere multarum rerum virtutes, & Medicinam docuerint hominem, de se ignarum, cœcum, improuidum, suique ipsius nescium, nisi à multo tempore, studio, & labore. Sic enim de eo scribit: *Cætera animantia sentire Naturam suam, alia pernicitatem vsurpare, alia præpetes volatus, alia ire, alia nare: hominem scire nihil, sine doctrina, non fari, non vesci, breuiterque non aliud Naturæ sponte, quàm flere. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pauor confusior, nulli rabies acrior, vt difficile sit æstimare, an Natura parens melior homini, an tristior Nouerca fuerit.* Alibi: *Pudendum, ait, omnia animalia, quæ sunt salutaria ipsis, nosse, præter hominem.* Sic ille.

Lib. 18 cap. vlt.
L. 8. c. 27
Proleg. lib. 7
L. 27. c. 3

Hanc litem Naturæ intentatam à Plinio & aliis, relinquens, sufficeret illud Sallustij. *Falsò, inquit, queritur de Natura sua genus humanum, quòd imbecillè atque æui breuis, forte potiùs, quàm virtute regatur. Nam contra reputando, neque majus aliud, neque præstabilius inuenias, magisque Naturæ conueniens, industriam hominum, quàm vim, aut tempus, deesse.*

In Iugurt

Sed præstat ex Seneca nostro reponere: *Omnia suo bono constant, vitem fertilitas commendat, vinum sapor, & velocitas Ceruum. Quare dorso fortia sunt jumenta, quæris? quorum hic vnus est vsus, sarcinas ferre. In Cane sagacitas prima est, si feras inuestigare debet; cursus, si consequi. Id quoque optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum, Ratio. Hæc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est; cætera illi cum animalibus, satisque communia. Hæc recta & consummata, fœlicitatem hominis impleuit.* Hucusque Seneca, Plinio abundè satisfaciens.

Epist. 56

Frustraneum, inquies, donum, si vnde consequatur suam perfectionem non habet: sed ex quo homo societatis capax est, quod non animalia, habet ex societate, quòd ab alio institui, formari, edoceri potest; vno verbo, Educationis bonum. Hæc perficit quod Natura, seu Ratio inchoauit.

Digitized by Google

Natura enim, inquit Plutarchus, *citra disciplinam cæca est; sine Natura, manca disciplina; Exercitatio sine ambabus, rudis. Hîc autem vt in agricultura, primum suppeditet solum bonum oportet, inde peritus cultor, mox semen probum. Ita æmulatur solum indoles; præceptor, agricolam; proba semina, doctrinæ præcepta.*

Plut. l. de educ. pueris

Pulcherrima & appositissima comparatio, quæ vim institutionis ostendit; vt sicut Naturam Ars perficit; ita Indolem, Educatio. *Nam bona Natura*, inquit idem, *si non rectè instituatur, inter bonos fructus multa etiam vitia profert; perinde atque bonus ager, si non accuratè colatur.* Addidero, quòd mala nulla est tam procax, quam assidua ac pertinax disciplina non vincat; vt canit Poeta Lyricus:

Plutar. in Coriol.

Hor. l. 1 Epist. 1

Inuidus, Iracundus, Iners, Vinosus, Amator,
Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Fuerit partus Vrsæ, qui Plinio dicitur, *Informis caro, paulò muribus major, sine oculis, sine pilo; vngues tantùm prominent: hanc lambendo paulatim figurat.* Etiam hic Vrso immanior ac rigidior, educatione domabitur, modo initiis occurras, & malas consuetudines optimis præceptis anteuertas. Eadem enim ratio hominum, quæ animalium. De quibus Poeta:

Plin. l. 8 c. 36

Virgilius Georg. 3

Tu quos ad studium atque vsum formabis agrestem
Iam Vitulos hortare, viamque insiste domandi;
Dum faciles animi, iuuenum dum mobilis ætas.

Vnde Seneca inter remedia Naturæ feruidæ & iracundæ, tempestiua educatione curari posse hujusmodi ingenia putat. *Educatio*, inquit, *maximam diligentiam, plurimumque profuturam, desiderat: facile enim est teneros adhuc animos componere. Difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creuerunt.*

Lib. 2. de ira, c. 18

Idem Epistola 50. *Laborandum est, & vt veriùs dicam, nec labor quidem magnus est, si modò ante animum nostrum formare incipimus, & recorrigere, quàm indurescat prauitas ejus. Sed nec indurata, despero. Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, & intenta, ac diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis: curuatas trabes calor explicat; & aliter nata in id finguntur, quod vsus noster exigit: quantò faciliùs animus accipit formam, flexibilis, omni humore obsequentior?*

Epist. 50

Propterea Achillem Græcorum Heroa fortissimum in tantum virum euasisse ferunt, ab educatore Chyrone, qui eum visceribus Leonum enutriuit, Aprorum & Vrsorum medullis, lactis prorsus expertem; & artes bellicas, Musicamque docuit. De quo sic Ouidius:

1. de Art.

Phyllirides puerum Cytharæ præfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros;
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem:
Quas Hector sensurus erat, poscente Magistro
Verberibus jussas præbuit ille manus.

Dabimus aliquod laxamentum eis, inquit Seneca vbi priùs; *sed procul à delitijs retinebimus; nihil enim eos iracundos reddit, quàm educatio mollis & blanda: quò plus illis indulgetur, corruptior animus est: non resistet offensis, cui nihil vnquam negatum est, cui lachrimas sollicita mater abstersit*, &c.

Lib. 2. de ira, c. 20

Igitur parentes in hoc conniti debent, vt filiis suis bonam fortemque educationem procurent.

Eos Aristoteles, qui rectè liberos suos instituissent, longè honorabilio-

Ap. Laërt. l. 5. c. 1

res esse dicebat iis, qui tantùm genuissent; quòd ab his contigisset viuere, ab illis benè viuere. Pro duplici officio & munere duplex honor: quasi diceret, bis genuisse. Nam educatio est altera vita, qua prudentes patres donant filios, quos semel genuerunt. Et vnde hujus sententiæ Aristotelicæ auctoritas, Diis parentibus & Magistris non posse reddi æquiualens, nisi quia generationi æquipollet educatio, quæ facit alteram Naturam?

L.9. æthic

Propterea malè consulentibus & incuriosis parentibus, & quòd genuerint, exprobrari licet.

Inde quidam taxans inertiam Megarensium, pecora sollicitè curantium, juuentutem verò suam minimè, luxu ocioque diffluentem, dicebat *se Megarensis arietem esse malle, quàm filium*; vt refert Ælianus.

L.12. Var hist.

Alius, accusatus quòd patrem pulsasset, hoc modo defendit impium facinus: *Et ille*, inquit, *patrem suum verberauit; & hic, ostenso filio, me verberaturus est. Hoc nobis Gentilitium.* Non ineptè: videmus enim hoc ferè vsu venire, vt qualis quisque fuerit, tales experiatur & liberos.

Plutar. in Lacon.

Eapropter nullis curis aut impensis parcere debent, vt filios suos benè institui curent, si nolint officio paterno deesse.

Audiant Senecam, sterilis geniturae beneficium pensitantem. *Colligo*, inquit, *minimum esse beneficium, patris matrisque concubitum; nisi accesserint alia, quæ prosequerentur hoc initium muneris, & alijs officijs ratum facerent. Si vitam imputas mihi per se nudam, egentem consilij, & id vt magnum bonum jactas, cogita te mihi imputare muscarum & vermium bonum. Deinde, vt nihil aliud dicam, quàm bonis artibus me studuisse, vt cursum ad rectum iter vitæ dirigerem, si benè viuo, ipso beneficio majus, quàm quod dederas, quòd viuo, recepisti. Tu enim me mihi rudem & imperitum dedisti; ego tibi filium, qualem genuisse gauderes.* Ita ille, munus paternum ex sola generatione non magni faciens.

Lib. 3. de ben. c. 31

Quantis illud Aristippi conuenit, qui cùm rogaretur à quodam, vt filium suum susciperet erudiendum, & quingentas iste dragmas pro mercede postulasset; deterritus magnitudine pretij, *Minoris*, inquit, *emerem mancipium*. *Tum* Aristippus: *Optimè*, inquit, *facies; & tunc habebis duo mancipia.* Lepidè taxans parentum multorum morem, qui nullibi parciores sunt, quàm liberis rectè instituendis; pluresque sumptus curandis equis, aut canibus impendent, quàm filiis.

Plutar.

Vnde nil mirum, si pro liberis mancipia, pro commodis impedimenta, denique pro subsidiis, probra & tormenta percipiant. Hoc malum Poëta Satyricus insequitur, in Matronis sui temporis, eleganter:

Iuvenal. Sat. 14

Expectas vt non sit adultera, Larga
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam citò, nec tanto poterit contexere cursu,
Vt non ter decies respiret: conscia matri
Virgo fuit; Ceras nunc hac dictante pusillas
Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre Cynædis.
Sic Natura jubet, velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeunt animos authoribus.

Sic meliora etiam ingenia praua exempla corrumpunt, quomodo malum semen jactum in bonam terram. Vnde Diogenes videns puerum obsoniis auidiùs edendis deditum, Pędagogo ipsius pugnum incussit, rectè, non ei qui non didicisset, sed qui non docuisset, culpam imputans; vt refert

Lib. Virtuté doceri posse

Digitized by Google

fert Plutarchus; cui si credimus, parum refert benè aut malè nasci, modò defectum Natalium bonæ educationis cura compenset. *Si existimas*, ait, *minùs fœliciter natos, institutionem tamen & exercitationem sortitos ad virtutem rectam non posse vitium Naturæ corrigere, scito magnoperè te falli; siquidem Naturæ dotem labefactat socordia, prauitatem doctrina emendat.* Pulcherrimum effatum.

Sed vbi hæc duo concurrunt, bona indoles, & par eruditionis cultura, nil nisi magnum spectes. Ea de causa Augusto gratulabatur eleganter de optima institutione Drusi Principis, priuigni sui, Poëta.

Horat. l. 4 Car. Ode 4

Sensere quid mens ritè quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus & bonis
Est in juuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.
Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant;
Vtcumque defecere mores,
Dedecorant benè nata culpæ.

Sed quantò plures reperias hodiè parentes, qui filiorum indolem aut propriis exemplis inficiant, aut prauis suorum institutionibus corrumpi sinant: quod malum luget Seneca, his verbis: *Non licet ire recta via. Trahunt in prauum parentes, trahunt serui. Nemo errat vni sibi, sed dementiam spargit in proximos, accipitque inuicem. Et ideo in singulis vitia populorum sunt, quia illa populus dedit. Dum facit quisque pejorem, factus est. Didicit deteriora, deinde docuit, effectaque est ingens illa nequitia, congesto in vnum, quod cuique pessimum scitur.*

Epist. 94

BIS PATER EST, QVI FILIVM BENE EDVCAT; QVI MALE, NECAT.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

EVOLVENTI ac percurrenti sacros libros, obseruare licet, dignitati patris adjunctum fuisse à Deo munus Educatoris; adeo vt ille patris nomen & partes non impleat, nisi qui filiorum educationi, ac institutioni operam nauarit; vt qui dedit esse, & viuere, etiam det benè esse & viuere.

Insignem hujus rei probationem habemus in Genesi, vbi Angelus ille Princeps, qui trinus Abrahæ apparebat, & loquebatur vnus, accingens se ad euertendum, & incendendum Sodomam, cùm dixisset, *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* rationem tantæ confidentiæ addidit: *Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Do-*

Gen. 18

Digitized by Google

mini, & faciant judicium & justitiam. Quasi diceret: Noui pietatem Abraham; scio non defuturum paterno muneri, sed impensè commendaturum semini suo, nepotibus suis, vt Diuina mandata exequantur. Id enim præcipuè incumbit parentibus & patribus familias, pietatis officia, & jura zelare in filiis.

Deuter. 6

Sic enim successu temporis Lex Diuina cauit, sanciuitque expressè, vt habetur in Deuteronomio: *Audi Israël, & obserua vt facias quæ præcepit tibi Dominus. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis filiis tuis*, &c.

Deut. 32

Identidem Moyses moriturus conuocato ad se populo commendauit: *Ponite*, inquit, *corda vestra in omnia verba quæ ego testificor vobis hodiè, vt mandetis ea filiis vestris custodire & facere*, &c.

Sic Moysis successor Iosuë, postquam Israëlem cum Arca Domini sicco Iordanem transmisit vestigio, consistentibus hinc & inde muri instar aquis, præcepit vt in medio fluminis alueo, vbi steterant Sacerdotes, Arcam fœderis portantes, duodecim lapides prægrandes superponerentur, & totidem extra aluedum, vbi castra metati erant, collocarent; hac

Iosue 4

ratione, *vt quando interrogauerint vos filij vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt illi lapides? Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis antè Arcam fœderis Domini*, &c. *Idcirco positi sunt lapides isti in monumentum.*

Psal. 77

Nihil frequentiùs repetitur in Psalmis. *Quanta audiuimus*, ait, *& cognouimus ea, & patres nostri narrauerunt nobis! Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera.* Iterum: *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis; vt cognoscat generatio altera. Filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis, vt ponant in Domino spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant.*

De Tobia patre, vbi pronuntiatur pater, illicò commendatur ejus cu-

Tob. 1

ra, & sollicitudo de filio rectè educando. *Cùm factus*, inquit, *esset vir, accepit vxorem, genuitque ex ea filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.*

Quòd hujus obseruantiæ retinentissimus ac studiosissimus fuerit Iob, extra dubium est, recolenti; quòd cùm filij sui mutua alternarent conui-

Iob. 1

uia, genioque simul indulgerent, sanctus Vir *sanctificabat eos, & holocausta pro singulis singula offerebat. Ne fortè peccauerint*, inquit, *filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Obseruat hic S. Gregorius, sanctum virum, etiam de cogitationibus filiorum suorum fuisse sollicitum & pauidum: quæ ad solius Dei forum spectant. Quid igitur de verbis? quid de factis? " In hac re, inquit, solerter intuendum est, qua seueritate potuit filiorum opera corrigere pater, qui tanta sollicitudine studuit filiorum corda mundare. Quid ad hæc Rectores fidelium? qui subditorum suorum etiam aperta opera nesciunt? Ita S. Pontifex, cujus ad patres familias meritò reflectendus est sermo, de filiorum salute nil curantes, de sæculi pro eis ambitione tantum sollicitos.

Audiamus zelantem animarum Pastorem S. Chrysostomum, in hoc malum declamantem. " Alij, inquit, filiis suis militiam comparant, alij honores, alij diuitias. Nemo filiis suis comparat Deum. Perditionem eorum magno pretio comparant, salutem verò illorum nec dono accipere volunt."

S. Crisost. adver. vi-

Idem: " Vt seruus, vt equus optimus, & vestis pretiosissima, filio sit,

Digitized by Google

omnia facitis: vt autem ipse bonus & probus sit, nec cogitare vultis. Cumque vt in domo statua, opere antiquo admiranda, consistat, & tecta aurea rutilent, cuncta moliamini; pretiosissimam omnium imaginum animam, quatenus auream efficiatis, nullam curam gerere vultis. „ Aureæ certè sententiæ, quibus mores nostros mirificè describit & carpit.

sup. vitæ monast.

Idem respondens friuolis excusationibus parētum, addit: " Ideò filij peruersi fiunt; quia eorum patres circa presentis vitæ commoda plus æquo incumbunt, & ferè dixerim, insaniunt. Cùm enim ea ardēter inquirunt, & suam & filiorum negligunt animas, hi parētes parricidis immaniores sunt: illi enim animas à corpore separant, isti corpus & animam æternis ignib⁹ tradunt; & is qui necatur, necessariò naturali lege, etiamsi necatus non fuisset, moreretur: hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi consciuisset paterna negligentia. Preterea corporis mortem superueniens resurrectio deleret, animæ verò interitum nihil poterit solari. Deteriores ergo hi parricidis: neque enim ita crudele facinus est, gladium in filij guttur immittere, vt animam perimere. „ Hucvsque S. Chrysostomus; quod omittere, aut quidquam detrahere, non licuit, sine jactura lectoris; & aliunde, quia abundantissimè probat nostri Moralis, seu propositæ sententiæ, BIS PATER EST, QVI FILIVM BENE EDVCAT; QVI MALE, NECAT, veritatem. Cùm enim quiuis generando corpus semel tantùm pater sit; benè instituendo, & salutem animæ procurando, sequitur vt bis pater sit, animæ scilicet, & corporis. Eadem ratione, qui filium malè educat, necat; deterior, vt inquit supra S. Chrysostomus, parricidis.

Quarto Regum terret me Prophetæ Elisæi stomachus, in pueros indignantis, & maledicentis; & mors subsecuta illorum. *Cùm ascenderet Elisæus in Bethel, per viam pueri egressi de ciuitate illudebant ei, dicentes: Ascende Calue, ascende Calue; qui maledixit eis in nomine Domini; egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Tanti erat offensa, aut injuria, Ascende Calue? aut tanti facienda insultatio puerorum, non grandium, sed paruorum, vt sancti Senis mereretur maledictionem, ab Vrsis tanto cruore vindicandam? Rationem reddit Glossa, scilicet, " quòd pueri illi edocti ad hoc erant, & incitati à parentibus, vt subsannarent Prophetam Domini; & ideò maledixit eis, vt parentes eorum in ipsis punirentur, & vt malitiam parentum ampliùs non imitarentur. Propterea addit " Hanc maledictionem protulit ex sententia Diuinæ Iustitiæ. „

4. Reg. 2

Glossa

Idem dicit S. Augustinus, respondens Manichæis, rabido ore Scripturam blasphemantibus, & factum Prophetæ calumniantibus. " Quæ fuit, inquiunt, tanta crudelitas in Elisæo, vt propter jocularia verba infantium, quadraginta duos pueros fecerit lacerari? Quorum insaniæ respondendum, quòd tempore illo, tam ille, quàm reliqui Prophetæ, irrisui & opprobrio habebantur. Vnde Elisæus, non iracundiæ morbo commotus, sed zelo Dei succensus, ad corrigendum populum Iudæorum, paruulos permisit lacerari, vt mors filiorum fieret disciplina parentum; & Prophetam, quem miracula facientem nolebant amare, discerent vel timere. „ Queso igitur, quis indisciplinatos pueros occidit, nisi proprij parentes. Igitur qui filios malè educat, necat.

Ser. 3. in Dom. 4 post Trinit.

Quæres verò, cur in eos non leones, aut lupos immisit, sed Vrsos? In promptu ratio est. Nam quia Vrsus catulos gignit informes, vt in Annotatione superiori ex Plinio vidimus, quos paulatim lambendo figurat,

Digitized by Google

oculos, nasum, aures, os arte formans; Deus Vrsos immisit, vt parentes ab eis belluis discerent, filios suos multo studio, labore, industria, fuisse formandos.

Levit. 11 & Deut. 14 Iob. 39

Propterea fortè Deus Struthionem inter immunda deputauerat, cujus carnes vesci non liceret; de quo Iob ait: *Dereliquit oua sua in terra, nec excludit, aut fouet, aut ampliùs curat.* Nunquid non illud est, quod Ieremias exprobrabat populo suo? *Sed & Lamiæ,* inquit, *nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos, filia populi mei, crudelis sicut Struthio in deserto.* q. d. Lamiæ, & crudelissimæ quæque belluæ, curant fœtus suos; populus Israël, crudelior Lamiis, filios quos genuit, instar Struthionis, exponit, nec fouet aut nutrit, lacte sollicitæ educationis.

Multi, vt Struthiones, nullum aliud beneficium præstant filiis suis, nisi quòd genuerunt in terra; & terram, non aliud procurant. Vnde filia populi mei crudelis sicut Struthio in deserto. Modò sint diuites, honorati in populo, quòd primis Reipublicæ sublimentur muneribus, vel in Ecclesia sint pingues, hæc satagunt. Quòd Deum timeant, virtutem colant, exemplo præluceant, salui fiant, non curant.

l. 2. Epist. Epist. 15

Quàm seuerè in malos educatores filiorum vindicet Deus, D. Hieronymus exemplo Prætextatæ, nobilissimæ fœminæ, probat; quæ, jubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij Virginis fuit, habitum ejus cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens & Virginis propositum, & matris desiderium. " Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis, venire ad se Angelum, terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput Virginis Dei tuis attrectare manibus? quæ jam nunc arescent, vt sentias, excruciata, quid feceris; & finito mense quinto, ad Inferna duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis, & filiis. Omnia, inquit, per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. "

Rex Dauid, dum viueret, duos amisit filios, pater charissimus; paruulum scilicet illum, quem è Bersabee genuerat, & Absalonem. Pro paruulo orauit, jejunauit, fleuit, vt viueret, vt conualesceret. Vbi mortuus est, eodem momento jejunium, cineres, preces, luctum deposuit, & in Templum abiens, Deum adorauit; vt de hoc familia Regia obstupesceret. Mortuus etiam est Absalon, pulcherrimus Princeps, quem vnicè diligebat: sed vt sciuit vita functum, eum inconsolabiliter fleuit. Cur tam dissimiliter vtriusque vtrumque funus prosequitur, vt paruulo mortuo, cesset plangere; grandi mortuo, non cesset? Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat vt moriar pro te? Absalon fili mi, fili mi Absalon? Sed hæ lachrimæ, optimi parentis lachrimæ sunt: scit quid ploret, & quàm justè ploret, ac lugeat. Respondet nostræ admirationi S. Ambrosius: " Quia Absalonem, pro scelere, periturum nouerat; paruulum verò, pro innocentia, credidit esse victurum. " Vno verbo, lugebat sortem animæ in Absalone, gaudebat in paruulo spem vitæ futuræ. Videbat alterum morti æternæ addictum, alterum vitæ securum. Nil reliqui erat in illo quid speraret; in isto, quid timeret. In vtroque verus & bonus pater. Illud æquum est parentes vnice, & summè timere pro filiis; istud parum curare, exemplo Dauidis. Sed proh dolor! contrarium hodie faciunt: quam solam dilexerunt vitam temporalem, in se & in filiis amissam incon-

2. Reg. 12

2. Reg. 19

Digitized by Google

solabiliter lugent. Salutem animæ, de qua ne semel in vita cogitarunt, amissam irrecuperabiliter, non sentiunt.

Sed ad rem, si quid digressi sumus, reuertentes, obseruamus Matres familias in hujus laudis & muneris benè educandi liberos suos à Deo voniro jussas. Sic Sara tam sollicitè curat Isaac, vt Ismaëlem filium Concubinæ cum eo ludentem ludum haud innocentem, non ferat, sed vtrumque ab ejus consortio, & à domo ableget.

Sic Rebecca profanas primogeniti sui nuptias auersata, filium obedientem Iacob à talibus conjugiis & moribus auertit, & præmium docilis animi, benedictionem prioris, mira industria transfert in juniorem.

Quid Anna Samuelis mater? Sicut Dei dono susceperat, quod ex ipso nomine significatum voluit; Samuël enim, idem est, ac positus à Deo; sic damnata voti, vbi filium ablactauit, in domum Domini cura Sacerdotum alendum, formandumque deportauit. 1. Reg. 1

Admirationi mihi est, quod sapientissimus non solùm Regum, sed & mortalium, cœlesti superfusus sapientia, tanti fecit Matris suæ pulcherrima documenta ac monita, vt ea suis Operibus inserere non dedignatus sit, & pro sanctissimis effatis, posteritati consecrare, & æternitati.

Caput enim 31. seu vltimum Prouerbiorum, quod incipit, *Verba Lamuëlis Regis*, non est Salomonis, inquit Glossa, nisi vt referentis; sed sunt verba Matris suæ, exhortantis. Ideò subditur, *Visio*, id est, Instructio Salomonis, qua erudiuit eum mater sua. Glossa Hugo Caro. & alij.

Pulcherrima, dixi, documenta. Quale enim est illud? *Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum? Ne dederis mulieribus substantiam tuam*, &c.

Quale est? *Noli Regibus, ô Lamuel! noli Regibus dare vinum; quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas, & ne fortè bibant & obliuiscantur judiciorum*, &c. Prov. 31

Item: *Decerne quod justum est, & judica inopem.* Et alia, quæ si obseruasset, ex sapientissimo & fœlicissimo Regum, stultissimus juxta & infœlicissimus non euasisset, nec infatuatus à mulieribus, ac deprauatus, pulcherrimis regni sui initiis senex æternam maculam inussisset.

Denique id matrum familias esse officium confirmat Apostolus, qui Timotheum suum informans, quantùm mulieribus in Ecclesia loqui & publicè docere vetuit, tantùm id domi & in penetralibus voluit filios suos erudire. Sic enim præscriptis viri officiis, de muliere pronuntiat: *Saluabitur autem*, inquit, *per filiorum generationem.* Quibus verbis non tam liberorum procreationem Patres intelligunt, quàm educationem ad bonos mores "si *fiat in fide & dilectione*," addit S. Chrysostomus. 1. Tim. 2

Optimè Theophilactus in hunc locum: "Nolite ergo animo concidere, ait, ô Mulieres! contulit enim & vobis salutis causam, filiorum procreationem, hoc est, liberos vobis educandos, & optimis moribus induendos, commisit, quos pariendo ederetis. Non enim filios parere vos solùm oportet, sed erudire, & ad rectiora instruere: ita namque prodest vos filios genuisse." Ita Theophilactus, cui Hugo Cardinalis & Lyranus consentiunt. "Quasi dicat Apostolus, inquit Lyranus, licet non saluetur mulier per doctrinam, quia docere non permittitur, saluabitur tamen per educationem prolis ad Dei seruitutẽ, cùm educatio sit altera generatio." Theophil in Paul.

Audiant Matres aut legant Hieronymum, de educanda nobili puella Paula, Lætam instruentem. "Postquam, ait, ablactaueris eam cum Isaac, Epist. 17 ad Lætam

Digitized by Google

vestieris cum Samuële, redde pretiosissimam gemmam Cubiculo Mariæ, & Cunis Iesu vagientis impone. Nutriatur in Monasterio, sit inter Virginum Choros, jurare non discat, mentiri sacrilegium putet, nesciat sæculum, viuat Angelicè, in carne sine carne, &c. „

Hoc in genere laudis duæ Matres nomen suum æternitati consecrauere. Prima sit Beata Monica, S. Augustini bis Mater; cujus pia monita, preces, lachrimæ, Christo mortuum filium, & Ecclesiæ, in vitam reuocarunt. Plangebat illa quotidianis lachrimis errantem acerbiùs, quàm cæteræ matres funera filiorum suorum; & ita meruit casta, pia, sobria, audire à sancto Præsule Ambrosio: " Vade à me, inquit; ita viue: fieri enim non potest, vt filius istarum lachrimarum pereat. „

L. 3. Confess. c. 11 & 12.

Altera sit, genere longè major, nec pietate minor, Blanca, S. Ludouici mater, quæ plus in eo erudiendo laborauit, vt faceret Sanctum, quàm vt instrueret Regem; ei sæpiùs inculcans, malle eum videre mortuum, quàm mortalis noxæ reum apud Deum.

Quæ sufficiant commendandæ propositæ sententiæ, BIS PATER EST, QVI FILIVM BENE EDVCAT; QVI MALE, NECAT.

TITVLVS XXXIX.

DE AMORE PARENTVM ERGA FILIOS.

FABVLA.

De Simia & Filiis ejus.

SIMIA, si quando duos parit, fertur alterum amore, alterum odio prosequi. Quædam igitur duos enixa, cum ingruisset repentinus terror pauens, dilectum amplexata, cursu aufugit, nil curans alterum; factumque est, vt cum per abrupta ac dumeta properaret, catulum præ amore tam fortiter ad pectus stringeret, vt necaret; altero incolumi ac superstite; cui profuit non tam amari. Quod crebrò vsu venit inter parentes, vt singularem aliquem tam insano amore prosequantur, contemptis cæteris, quasi nihil ad eos spectent, vt prædilectum hunc præ amore enecent.

De Ioue & Simia.

IN comitiis Animalium interfuerat Iupiter, jusseratque vt vniuersæ Matres die condicto coram se cum Filiis se sisterent, vt quæ Filios haberent elegantiores videret; & ex eis caperet. Igitur properant Feræ,

Aues aduolant, adnatant Pisces, Insecta adrepunt, prolem quæque ostentant, certatimque de pulchritudine fœtus contendunt; contemplabatur Iupiter tam varias animalium formas & species, mira cum voluptate, cum omnium vltima aduenit Simia, simiolum suum brachiis stringens, miram in modum deformem, eumque Ioui ostendens, atque extollens: quem cunctæ vt viderunt matres, ejusque fœdas nates, riserunt. Tum illa ad Iouem, ô Deorum pater, inquit, aspice & hunc pupulum meum, & vide quam pulcher, quam elegans & concinnus est. Omnibus, qui hic sunt, quam meritò præferendus. Quo audito risit & ipse Iupiter. Illa gratias agere, credens Iouem suis annuere votis & dictis. Adeo desipere parentes, præ nimio amore suæ prolis, commune est.

De Aquila & Bubone.

AQuila Rex Auium, volens Regiæ suæ Ministros deligere, in magno auium omnis generis conuentu præceperat, vt filios suos adducerent, velle se ex iis sibi domesticos, & aulicos assumere. Aduolant igitur vndique ambitiosissimè cum filiis. Alarum pennarumque diuitias explicant, sed præcipuè sobolem suam regi ostentant & prædicant. Accedit etiam & Bubo, qui salutato Aquila, Rex, inquit, adduxi tibi filios meos, nulli specie, & elegantia posthabendos. Et qui es? respondit Aquila, ego sum, inquit Bubo, post te, ô Rex auium, nulli secundus. Propterea lucis osor, noctis imperium teneo, & solus, cum cæteræ aues dormiunt, incedo. En filioli mei quam pulchri. Tum Rex, & omnis corona auium, effusissimè ridere, dicentes, etiam Buboni, sua proles placet; & formosa videtur.

Mens Fabulæ, seu Morale.

AMOR PARENTVM SÆPE VITIAT.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

PLINIVS de Simiis disserens, sic ait: *Præcipua erga fœtum affectio; gestant catulos, quos mansuefactæ intra domos peperere; omnibus demonstrant, similes gratulationem intelligentibus. Itaque magna ex parte complectendo necant.* (Plin. l.8 c.54)

Vilissimo huic animali rectè parentes multos similes dixeris, qui immoderato, & impotenti amore filios complectuntur, & complectendo

necant, dum crudeli indulgentia vitiis parcunt, studiis negatum quidquam nolunt. Similes & Asino; cui, si eidem credas, *partus caritas summa, per ignes ad fœtus tendunt.*

Ibidem. c. 43

Hujusmodi allegare solent, se magno corde præditos, & vitium suum, vitio excusant. Sciant, non nisi ignauis animalibus, cor magnum esse, quale Asino censetur esse. Pudeat igitur viliora animalia consectari; imitentur potiùs Vrsam, quæ informem carnis massam enixa, paulatim lambendo figurat.

L. 11. c. 37

L. 8. c. 36

Cicero non absurdè arguit Solem Phaëthontis patrem, vt temeritatis filij reum ac participem, simul & infœlicitatis, quòd faciliùs noxia petenti indulserit. *Ac ne illa quidem*, ait, *promissa filijs seruanda sunt, quæ non sunt ijs ipsis vtilia, quibus illa promiseris. Sol Phaëthonti filio facturum se dixit quidquid optasset: optauit vt in currum patris tolleretur, sublatus est. Atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagrauit. Quantò melius fuerat in hoc, promissum patris non esse seruatum?* Hæc ille, & meritò: quid enim interest si pater det gladium filio, quo scit in suam vsurum perniciem, aut si non deneget, petenti?

L. 3. Offic

Adeò vitiosa est quædam parentum indulgentia, non minus quàm vota, contra quæ sic Seneca ad suum Lucilium: *Vis scire*, inquit, *quid faciat homines auidos futuri? Nemo sibi contigit: Optauerunt tibi alia parentes tui; sed ego tibi contra, omnium tibi eorum contemptum opto, quorum illi copiam: vota illorum multos compilant, vt te locupletent: quidquid ad te transferunt, alicui detrahendum est. Opto tibi tui facultatem, vt varijs cogitationibus agitata mens tandem resistat, & certa sit, vt placeat sibi, & intellectis veris bonis quæ simul intellecta sunt possidentur, ætatis adjectione non egeat.*

Sen. epist. 32

Idem alibi pressiùs: *Queror, litigo, irascor. Etiamnum optas quod tibi optauit nutrix tua? aut Pædagogus? aut mater? Nec dum intelligis quantum mali optauerint? O quàm inimica nobis sunt vota nostrorum, eò quidem inimiciora, quò cessere fœliciùs. Iam non admiror, si omnia nos à prima pueritia mala sequantur; inter execrationes parentum creuimus. Exaudiant Dij quandoque nostram vocem gratuitam, quousque poscemus aliquid Deos, quasi nondum ipsi nos alere non possimus? Quandiu sationibus implebimus magnarum urbium campos? Quandiu nobis populus metet? Quandiu vnius mensæ frumentum multa nauigia, & quidem non ex vno mari subuehent? Taurus paucissimorum jugerum pascuis impletur; vna sylua pluribus Elephantis sufficit, homo & terra pascitur & mari.*

Epist. 60

Surdum te parentibus præsta (dicit alibi) *bono animo malè precantur; & si vis esse fœlix, ora Deos, ne quid tibi ex his, quæ optantur, veniat.* Ita ille, austerè quidem, justè tamen, contra intemperantiam votorum parentum pro filiis.

Epist. 11

Plutarchus in vita Demetrij refert, & Appianus in Sirio: *Cùm Antiochus Stratonices Nouercæ suæ incredibili amore flagraret, tabe conficiebatur, ac jam moriturus videbatur, nisi Erasistratus, Aristotelis ex filia nepos, Medicus, amoris vim ex ipso pulsu judicasset. Patri Seleuco refert actum esse de vita filij. Tum Seleucus: Quid ita? Tuam, inquit Erasistratus, vxorem deperit. An ego, inquit Seleucus, tam malè de te meritus sum, vt adolescentis amori non indulgeas? Tum ille: Tu ne quidem amori alterius inseruires? Vtinam, inquit Seleucus, Dij suum amorem in charissimam Stratonicem conuerterent. Ergo, ô Rex! pater idem, & Medicus, esse potes. Itaque Seleucus Antiocho Nouercam despondit.*

Plutar.

Quod operis jam perpendens, & ad propositum nostrum deflectens, quis non id vitioso parentis amori, culpandæque indulgentiæ tribuat, ac deputet, quòd tam effrænem Venerem filij approbet pater?

Non

Digitized by Google

Non excusatiùs hoc in genere peccasse dicenda est Caracalli Imperatoris Nouerca, nomine Iulia, dignum tali patella operculum, quæ, vt Ælius Spartianus in Historia Augusta refert, cùm esset pulcherrima, juxta & libidinosissima, & se imprudens, aut volens, aliqua corporis parte nudasset, dixissetque ille, *Vellem, si liceret; illa promptior sceleri, ad eum: Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est.*

Hist. Aug in Caracalla

Increbuit hodiè plus nimiò excusatior ille mos in Gentili, quàm in Christiano, & sæua indulgentia parentum in filios, seruire eorum vitiis, eaque prævertere, quæ refrænare debuerant; & non quid pudor, sed quid libido appetat, occupare. Sic prona in malum juuentus, præfractis, quæ Natura posuerat, repagulis, monstra parturit vitiorum ad stuporem.

Exprobrabat eleganter hoc vitium sui æui Poeta Lyricus, & parum similes animos juuentutis priscis moribus Romanorum, querebatur.

Hor. l. 3 Car. od. 6

Non his juuentus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico,
Pyrrhumque, & ingentem cæcidit
Antiochum, Annibalemque dirum.
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, & seueræ
Matris ad arbitrium, recisos
Portare fustes, Sol vbi montium
Mutaret vmbras, & juga demeret,
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies!
Aetas parentum, pejor auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Culpatur & hoc in genere Agrippina, mater Caligulæ, prouidisse nutricem filio suo, quæ cum lacte illi ferociam immanitatemque instillarit, mulier barbata, ebriosa & crudelis, in tantum, vt alumnum suum sanguini assuefactura, mammillarum papillas cruore intingeret & illiniret. Quo factum, vt fundendi humani sanguinis siti inaudita adultus arderet; cujus puerulí indolem & mores contemplatus aliquis dixerit, eum esse *lutum sanguine maceratum.*

Plutar.

Adeò vitiosus amor parentum vitia sua filiis affricat, vt modò fœda indulgentia reddant dissolutos, modò intemperanti ambitione crudeles, modò aliis sceleribus, aliquando omnibus, obnoxios.

Solum, licet optimum, inquit Plutarchus, *cultura cessante sterilescit; quantoque melius fuit Natura, tantò deterius fit neglectu. Contra alia tellus dura atque asperior æquo, culta præclaros edit fructus. Iam quæ arbores non tortuosæ fiunt atque infrugiferæ, si per incuriam habeantur? Quæ non frugiferæ fiunt, atque fœcundæ, si rectè educantur? Aut quorum corporum robur non hebescit atque dissipatur socordia, luxu, prauaque habitudine? Quis contra ita fuit validæ naturæ, vt non exercitationibus maxima fecerit ad robur incrementa?* Ita ille.

Plut. l. de educ. pueris

Hoc attendentes Lacedæmonij, tam seuera institutione prolem suam exercebant, vt nil molle parentum indulgentia permitteret, quominus

Plutar. in Lacon.

Digitized by Google

etiam ab ipsis matribus ad virtutes capessendas, ad virilis ac militaris animi exercitia formarentur. Vnde de iis quidam dixit; *Sola Lacœnæ viros pariunt.* Et earum quædam, filium de prælio præ ignauia fugientem, fertur occidisse, de qua visere est apud Plutarchum hoc Epigramma:

Germen iners abeas ad Tartara, teque perosus
Eurotas, Ceruis ne det aquam timidis.
Ignauus catulus, mala sors, hinc vade sub Orcum:
I, Sparta indignus, quem peperisse pudet.

Virgil. 9. Æneid

Sic Poëta virilem Martiamque Latinæ juuentutis educationẽ laudans, ait

Durum à stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sæuoque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, syluasque fatigant;
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque assueta juuentus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello:
Omne æuum ferro teritur, &c.

Iuvenal. Sat. 14

Audiamus & Poëtam Satyricum, forti stylo, quì sit informanda juuentus, parentes edocentem:

Hujusce etenim vel
Vna potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes sumus. Et Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque sub axe;
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus vsquam.
Nil dictu fœdum, visuque, hæc limina tangat,
Intra quæ puer est; procul hinc, procul ite puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos;
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Pudeat igitur, post tam graue documentum viri Pagani, Christianos tam malè instituere filios suos, vt eorum erga eos amor, similior sit amori Simiæ erga catulum, vel Suum; vel Asini ad pullum, quàm hominis ratione præditi ad sui similem.

Fert animus mutuari ab Alciato Emblema, quod inscripsit, *Amor filiorum*, in quo contra feros parentes, qui proprios partus data opera abortiunt, profert exemplum Columbarum, quæ media hyeme, dum rigent gelu, se explumant, vt pullos calefaciant. Sic ait:

Alciatus Emblem. 193

Ante diem vernam Boreali cana Palumbes
Frigora nidificat, præcoqua & oua fouet.
Molliùs & pulli vt jaceant, sibi vellicat alas,
Queis nuda hyberno deficit ipsa gelu.
Ecquid Colchi pudet? vel te, Progne improba? mortem
Cùm volucris propriæ prolis amore subit?

Quod hìc alio sensu vsurpo, & in nimium amorem parentum eorum detorqueo, qui malè cauti, plerumque se senes pro ingrata prole spoliant & nudant, cœco affectu ducti, hi pro filio primis ciuitatis honoribus & muniis sublimando, illi pro filia altè collocanda; qui vbi se expilauere, & nudauere bonis, deplumes, & misellі, postea à propriis filiis despicatui ha-

Digitized by Google

bentur. Imitentur potiùs Hirundinem, cujus in condendis nidis, ac cibandis pullis mira ars, & charitas, ſed potior fœliciorque medendis eorum oculis: ipſæ enim inuenere Chelidoniam herbam, qua pullis in nido viſum reſtituunt, etiam erutis, vt quidam volunt, oculis, eamque Medicinam oculis humanis perſalubrem homines docuere. Hac autem in re parentibus conſilio fuerim procurare fœtibus ſuis Chelidoniam, inungendis ac purgandis eorum oculis, id eſt, illuminandis, vt viam veritatis doceant apprehendere, apprehenſam tenere. Hoc enim demum eſt, quod ab eis Deus imprimis exiget & requiret. Sed in hoc conſulenda Scriptura.

Plin. l. 10 cap. 33

AMOR PARENTVM SÆPE VITIAT.

Probatur ſecundò, & illuſtratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

PARENTES tria debent filiis, Amorem, Exemplum, Educationem. Hoc Scripturæ omnis pagina, hoc Ratio, hoc Natura inculcant; vt ſuperfluum ſit teſtimoniis agere. Ab his vbi deflectunt, mutantur hæc nomina; Amor fit odium; Exemplum, offendiculum; Educatio, deprauatio nominatur; vt re vera cùm putant diligere, oderint; cum profuiſſe, obſint; cùm juuiſſe, noceant.

Debent igitur primò Amorem, non mollem & fœmineum, qui conniueat aut indulgeat vitiis filiorum; ſed virilem, qui patrem deceat, inſtar Amoris quem Deus habet erga Electos; de quo Apoſtolus: *Quem enim diligit Dominus, caſtigat.* Et in Apocalypſi: *Quos amo, arguo, caſtigo.*

Hebr. 12

Apoc. 3

Propterea hortatur Sapiens, vt ſuo exẽplo filij auſcultent patris amantiſſimi documenta. *Audite,* inquit, *filij, diſciplinam patris, & attendite vt ſciatis prudentiam.* Quia grauia & ſeria ſunt monita patris, non blanda & mollia. *Nam & ego* (addit) *filius fui patris mei tenellus & vnigenitus coram matre mea, & docebat,* &c. Quaſi dicat: Licet quaſi filius vnigenitus tenerrimè à patre & matre diligerer, tamen à puero me docuerunt ſapientiam. Vel, vt Septuaginta vertunt, *ducebant & docebant me.* Aquila, *illuminabant me.* Hæc enim ſunt parentum officia, *ducere, docere, illuminare filios ſuos.* Ideò poſtea dicit: *Qui parcit virga, odit filium.* Item: *Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.*

Prov. 4

Prove. 13

Prove. 22

Secundò, debent Exemplum. Naturale eſt enim, vt filij ſequantur exempla parentum. Vnde Scriptura texens Chronologiam Regum Iſraël & Iuda, ſignificatura quòd patri impio ſucceſſit in regno filius impius, ſummatim perſtringens, dicit de Roboam impio, cui filius ſimilis, Abias: *Ambulauit in omnibus peccatis patris ſui.* Sic de Ieroboam: *Succesſit Nadab filius eius, qui fecit malum in conſpectu Domini, & ambulauit in vijs patris ſui.* & ſic de cæteris. Vnde illud S. Petri Chryſologi « Parentis vitium, filiorum exitium. Nunquid non in ſemine tota arbor? Vitium ergo ſeminis, vitium eſt totius arboris. »

3. Reg. 15

Digitized by Google

Eadem de causa Scriptura, grandis Miraculi loco, ponit in libro Numeri, quod aperiente terra os suum, vt absorberet Core, filij ejus non simul cum eo viui absorpti sint. *Et factum*, inquit, *Miraculum grande, vt Core pereunte, filij ejus non perirent.* Quo loci dicit Lyranus," in quo fuerit,& quale Miraculum, non haberi in Textu, sed in Glossa Hebraica in Psalmum 45. in eo poni, quod cùm terra absorbuit Core, & vniuersam substantiam suam, filij ejus Diuina virtute in aëre penduli seruati sunt, quousque terra sub eorum pedibus reclusa fuit. Imò spiritu Prophetiæ donati Psalmum 45. in gratiarum actionem composuerunt, quod ex titulo datur intelligi: inscribitur enim, Ad victoriam pro filiis Core. „ Caietanus verò in hoc statuit, quod filij Core exemplum patris non fuerint secuti in culpa, proinde nec in pœna. Hoc enim mihi majoris miraculi locum habet, quàm quod terra absorbens patrem, non absorbuerit filios: tanta est paterni exempli in suos vis & potestas.

Num. 26

Si delibatio sancta est, & massa, dicit Apostolus; *& si radix sancta, & rami.* Addit Theophilactus: *Necesse est fermento massam, & radici ramos assimilari; sic parentibus filios.*

Rom. 11

In libro Iudicum Angelus apparens vxori Manuë sterili, ait: *Sterilis es, & absque liberis; sed concipies & paries filium.* Is fuit Sanson, cui prohibitum, ne vinum aut siceram biberet. Quod hìc meam admirationem mouet, est, quod priùs Matri ejus imperauit talem abstinentiam. *Caue*, inquit Angelus, *ne bibas vinum ac siceram*, &c. Vt quid hæc interdictio Matri? Vt fortem Sansonem generet, etiam grauida vino abstinere jubetur, cui tunc vsus permittendus erat. Respondet Montanus: " Quia plerumque efficitur, vt matrum affectiones filij jam infantes imitentur ac sequantur. „ Ita ille. Nam re vera timendum erat, ne exemplum matris, aut inclinatio, appetitum vini in prolem traduceret. Propterea abstineat mater, vt filius ejus sit abstinens. Naturale est enim vt Matres ebriosæ & bibaces tales filios generent.

Iudic. 13

Tertium denique officium parentum, Institutio est filiorum, de quo quia in præcedenti titulo tractauimus, hìc speciatim non retractamus. Interea quî sunt instituendi, docet Ecclesiasticus. *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Quibus verbis liquidò ostendit, quantū a molli ac blanda filiorum informatione abhorreat, tam in fœminis, quàm in masculis. Quid verò ex illa virili institutione sperare fructûs liceat, dicit Sapiens: *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ*; geminum ex illa fructum percepturus, refrigerium corpori, si quando senex indigeas, & delicias, animæ, cordis perpetuum jubilum ac jucunditatem. Iuxta quod superiùs dixerat: *Filius sapiens lætificat patrem, filius verò stultus mœstitia est matri suæ.* Aduertunt hìc Interpretes filij sapientis fructum in patrem redundare lætitiam, vtpote causam perceptæ à bona ejus educatione sapientiæ; stulti verò mœstitiam in matrem, cujus nimia indulgentia cur talis fuerit, existat causa. Hoc enim vtplurimùm contingit, vt Matres velut simiæ catulos stringendo & complectendo necant; sic sæua dulcedine blandiendo ac conniuendo perdant, certam aliquando pro fructu malæ educationis reportaturæ mœstitiam, qua miseræ tandem contabescant. Dixi, vtplurimùm, non semper: quia etiam fortuna variante vices, gratia matribus impertit, quod Natura patribus solet.

Digitized by Google

Hoc in suis Augustinus parentibus expertus, de patre dicit in suis Confessionibus. " Quis hominum, inquit, non extollebat laudibus tunc patrem meum, quod vltra vires rei familiaris suæ impenderet filio, quidquid etiam longè peregrinanti studiorum causa opus esset? &c. cùm interea non satageret, qualis crescerem tibi, aut quàm castus essem, dummodo essem disertus, vel desertus potiùs à cultura tua, Deus, qui es vnus, verus & bonus dominus agri tui, cordis mei, &c.,, De Matre verò sic ibidem : " Sed Matris in pectore jam inchoaueras templum tuum, & exordium sanctæ habitationis tuæ. Itaque exiliuit illa pia trepidatione ac tremore, quamuis mihi non fideli; timuit tamen vias distortas, in quibus ambulant, qui ponunt ad te tergum, & non faciem.,, Vides vt pater de salute filij parum sollicitus, quibus siluesceret moribus non curabat, modò in spem sæcularis auræ adolesceret. Mater verò continuis ejus conuersionem lachrimis postulabat, toties eum corde parturiens in dolore, quoties in errore & peccato videbat spiritaliter mori.

L. 2. c. 3

Sed tantisper in altum Scripturarum vela explicemus, vt inde in nostros vsus aliquid reconditioris doctrinæ expiscemur.

Vitiosi amoris & exempli paterni, simulque seuerissimæ animaduersionis argumentum habes in eo quod refert Scriptura de sancto Patriarcha Noe post diluuium; qui cùm plantasset vineam, & inexpertus ac rudis, noui musti hausto liquore ebrius ac nudus, à filio suo Cham fuisset irrisus, tam ægrè tulit filij contumeliam, vt illicò rigidissimè in auctores facti animaduerterit, non præcipiti iracundiæ stimulo, sed justitiæ zelo concitatus.

Stupori mihi est, quòd sanctus senex non in ipsum Cham maledictionis suæ gladium distrinxit, sed in filium ejus Chanaan, puerum ad summum decennem, tanta aui sui ira minùs dignum. *Maledictus*, inquit, *Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis*. Quid est hoc? Peccat Cham, Chanaan plectitur: pater committit delictum, & filius ejus pœnam portat. An quia fortè nondum erat illud, Filius non portabit iniquitatem patris? Sed jura Naturæ indiscriminatim ab omni æuo perdurant. Quomodo ergo pusio pro maturo homine pœna afficitur, & tam graui, vt vix major dici queat? scilicet omnium seruitutum maxima? *Seruus seruorum erit fratribus suis*. Hac porta seruitutem hucvsque ignotam mundo, introductam volunt Sancti Patres, & Interpretes; vt sicut per Adam mors, ita & per Chanaan seruitus intrarit in mundum.

Cujus seueritatis rationem præcipuam esse volunt malum exemplum, vitamque sceleratam Cham patris Chanaan, mortalium tunc temporis flagitiosissimi, cunctis obscœnitatibus, ob quas Mundus diluuiatus periit, inquinatissimi, publicè & inuerecundè venerem masculam, muliebremque promiscuè verbo & facto edocentis, imò & bestialem. Quid igitur mirum, si nepotem suum Chanaan personaliter ferit, in tam pestifera schola patris educatum? imò paternis moribus jam imbutum, genio & indole persimilem? quem spiritu Prophetico nouerat Chananææ gentis, corruptissimæ, & à cultu veri Dei alienæ, parentem futurum? vt in filio, quem iniquus pater vnicè amabat, grauiùs plecteretur, peruadente vsque ad semen suum Diuina vindicta.

Addunt Hebræi, quòd Chanaan is pusio, à parente Cham malè disciplinatus, nuditatem Noë primus aduerterit, & patri suo nunciauerit, & iste fratribus suis; quod à somno euigilans, & resciens, flagitij consortem

Digitized by Google

puerum, pœnæ communione damnauit, & seruituti addixit, ad posteros suos traducendæ; Diuina sententia hîc jam locum habente: *Ego Deus Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios vsque ad tertiam & quartam generationem.* Ad quam sententiam Glossa: " Non ideò, ait, puniuntur filij, quia peccauerunt patres eorum; sed quia eis similes quodam hæreditario malo, Deum offendunt. " Quod proposito meo facit.

Aliud Diuinæ Iustitiæ exemplum, non minùs stupendum, non jam filios pro patre, sed patrem pro filiis vindicantis, videre est in Heli, Sacerdote magno, hoc vno nomine, reo apud Deum, quod filiis indulgentior. *Eò quòd,* dicit Sacer Textus, *nosset filios suos indignè agere, & non seuerè corripuerit.* Corripuisse Scriptura testatur, sed non qua decebat seueritate patrem, & crimen. Et ob hoc crimen ipse, aliàs sine crimine, tam seuerè punitur, vt ipsius, & filiorum, & domûs, & nepotum, subitariam ruinam nemo legat, cujus non meritò tinniant ambæ aures ejus, vt de eo Samueli prædictum fuit.

Quid quòd immoderatus & intemperans ille filiorum Amor, summum omnium malorum, & criminum, Mundo inuexit Idololatriam? Hoc Sapiens non dubitanter affirmat inde cœpisse, & processisse. *Acerbo enim luctu,* inquit, *dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error, tanquam lex custoditus est.* Scio D. Greg. & post eum Glossam, initium idololatriæ tribuere amori nimio filiorum erga parentes Dicunt enim quòd Ninus Belo patri mortuo statuam fecit, cui tantam exhibuit reuerentiam, vt delinquentibus, propter refugium ad patris imaginem, parceret: propter quod homines illi imagini impendere cœperunt Diuinos honores. Et sicut à Belo inchoata est fabricatio Idolorum; sic ab ipso ejus nomine Idola ipsa Bel, & Baal. Quidquid sit, mihi certior stat Scripturæ auctoritas. Vnde & Glossa addit: " Sicut Ninus ad sui consolationem fecit Idolum patri suo; ita patres aliqui filiis suis fecerunt. "

Sap. 14

Sic Thare filium suum Aran mortuum immortalitate donare voluisse, ejusque imaginem consecrasse ferunt.

Lorinus

Diffamata illa saltatricula, filia Herodiadis, in aula incestuosa parentum enutrita, si non exhorruit sanguinem, si caput Sanctissimi Baptistæ petiit, si mediæ parti regni paterni puella aliàs ambitiosissima prætulit, si execti capitis riuos sacri cruoris cernere oculis, & digitis fluentes tractare potuit; denique si cruentis epulis, sacrilego conuiuio, ferale epulum ausa in disco conuiuantibus ebriis sistere; non est quòd quis obstupescat: sic à matre edocta, sic enutrita, sic jussa potuit, dicente Sacro Textu: *At illa præmonita à matre sua audiuerat: Nihil aliud petas, quàm caput Ioannis.*

Ita enim fit quod Propheta Ieremias prædixit, vt præeuntibus ad scelus parentibus, filij eorum sequantur vestigia, & omnes simul sacrificium impietatis consumment: *Filij,* inquit, *colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli, & libent Dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent.* Ita ex dictis, quàm sæpè parentum amor erga filios vitiet, satis videtur comprobatum.

Digitized by Google

TITVLVS XL.
DE OFFICIO FILIORVM ERGA PARENTES.

FABVLA.

De Porcello Hærede.

PORCELLVS parentibus mortuis, multis lachrimis, & cum grand ejulatu eorum funus primò prosequebatur, sed vbi lectis testamenti paterni tabulis, & recepta ejus hæreditate, comperit multam sibi annonam glandium, pomorum, nucum, & copiam farinulæ relictam esse, cessauit plangere; imo maximo intus gaudio visus exultare, rogatus causam tantæ mutationis, tamque subitæ. Hæreditas inquit parentis, meas lachrimas absterfit; exulto, cùm me recolo, & video ditatum. Innuit in morte parentum, vt plurimum fictas esse, aut raras lachrimas, ac breui siccandas. Iuxta Publij Mimi dictum apud Macrobium, HÆREDIS FLETVS SVB PERSONA RISVS EST.

De Sene & Filio ingrato.

QVidam Senex capularis à Filio male tractatus, contulit se in Xenodochium Ciuitatis, egenis senibus alendis destinatum. Hic cum sederet ad portam domus prætereuntem filium conspicatus, vocauit, rogauit, vt duo lintea è multis quæ reliquerat, ad se mitteret, eis indigere; promisit ille, & domum ingressus duo obsoleta, filio suo grandiusculo, patri deferenda dedit; accepit puer, sed jam patris in schola edoctus, alterum retinuit, alterum Auo detulit. Conquestus est Senex ad Filium, duos promisisse, vnicum tantum misisse. Is ignarus doli, petit à Filio, num verè vnum è linteis retinuisset, consitente eo, & Patre, quid ita fecisset, vnum, inquit Filius, surripui de industria, pater, vt tibi seruarem, quando senueris, & sicut Auus meus in xenodochium receptus eris; quo responso intellexit, jam Deo judice & vindice, se eadem mensura qua ipse patrem, remetiendum. Et qualis pater, talem filium futurum.

De Iuuene in funere Matris cantante.

QVidam Paterfamilias defunctæ conjugis corpus curans ad sepulturam sequebatur, multo cum planctu & lachrimis, filio suo comi-

te via, non luctus, cantante per viam alta & forti voce. Ad quem conuersus pater, & te non pudet, inquit, insani more palam cantare, cum magis te deceret pro matre tua orare & plangere? Cui ille, quando tu pater Sacerdotes conducis & præmias, vt cantent, cur mihi gratis cantanti, succenses? Tum pater, ô ingrate & vecors, inquit, si in obsequiis matris tuæ cantas, quid in meis expectaturus sum nisi vt salies & tripudies? Ostendens multos esse qui in funere parentum, ni vetaret pudor, potius riderent aut canerent, quam flerent.

De Puella in morte Sororis non flente.

Cvidam prædiuiti viro duæ erant filiæ, quarum altera defuncta, pater præficas conduxit, seu ploratrices ad ejus funus. Altera corpus sororis demortuum siccis oculis prosequente. Cui mater, ô filia, cur non gemis aut ploras? cum hæ extraneæ & conductitiæ, quarum nil interest, tam altè lugeant. Non mireris mater, ait illa, hæ lugent, quia pretio conductæ sunt, ego vero si planxero, quid lucri consecutura sum? Arguit cor durum & ingratum, genium magnæ partis hominum, qui in morte suorum nequicquam afficiuntur, tanguntur que.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

FILII, PARENTIBVS VTPLVRIMVM INGRATI.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVIA secundùm illud Philosophi, Contraria suis opposita contrariis magis elucescunt, iuuat pauca præmittere de honore & obsequio debito parentum, vt eo violato, quid criminis contrahatur, faciliùs inclarescat.

l. 9. ethic. Aristoteles in primis audiendus, dicens, *non minùs stultum esse de obligatione honorandi parentes disputare, quàm de candore niuis; quod neminem latet; & eum, qui dubitaret vtrùm oporteat Deos venerari, & parentes honorare, non indigere ratione, sed pœna.* Ejusdem est illud tritum: *Dijs, parentibus, & magistris, non posse reddi æquiualens.*

Talem erga parentes te præsta, dicebat Isocrates, *quales se tibi tuos liberos exhibere optares.*

l. de muliere, An. Stob Serm. 77. Quomodo verò speciatim sint colendi, hæ te Pythagoricæ sententiæ docebunt. *Mali quidquam*, ait, *parentibus neque dicto, neque facto exhibere oportet, sed obedire, cujuscunque conditionis fuerint.* Item: *In quacunque corporis, animi, rerumve externarum fortuna, in pace, bello, sanitate, morbo, diuitijs, paupertate*

Digitized by Google

pertate, gloria, infamia, siue priuatis, siue in Magistratu constitutis parentibus, adesse ipsis oportet, nec vnquam deserendi sunt, obediendumque tantumnon etiam insanis. Contemptus autem parentum peccati genus ejusmodi est, quod in viuis simul atque defunctis diuinitùs damnatur, & sub terra in loco impiorum vnà cum reliquis improbis, perpetuò punitur à Iustitia, & Infernalibus Dijs.

Diuinus Plato in libris suis de Legibus, de obsequio filiorum erga parentes multa, eaque præclara, monita posteritati commendauit. *Putare quisque debet*, inquit, *omnia quæ possidet, eorum esse qui genuerunt, & educarunt, ita vt illis hæc omnia pro viribus ministrare debeat, primùm quidem externa bona, deinde etiam corporis, postremò quæ ad animum pertinent; hæc omnia videlicet mutuò data persoluens, & pro curis doloribusque priscis parentum in senecta recentes reddens, quando maximè indigent*, &c.

Lib. 4. de Leg.

Sed hoc in argumento libro 2. auream omnino reliquit sententiam, dignam meo judicio quæ in aulis patrum familiarũ aureis literis inscribatur. *Parentes negligere, nec Deus, nec homo mentis compos alicui unquam consulet. Sed quod de cultu Deorum ignorare non oportet, id rectè dictum ad honorandos parentes proemium erit. Leges de Dijs antiquæ apud omnes dupliciter positæ sunt. Nempe alios Deorum cernentes, eos ipsos quos cernimus, colimus. Alios verò non videmus quidem, sed eorum imagines fabricamus; easque licet inanimes dum honoramus, Deos ipsos viuentes existimamus, nobis fore beneuolos, ac propitios.* Ita ille, post Deos parentes, quasi Deos visibiles ponens. Sed quod sequitur, præclarum est. *Cujus ergo pater aut mater, vel horum parentes senio confecti, quasi thesaurus quidam domi jacent, putet is nunquam aliud sibi tale simulachrum magis efficax domi suæ affuturum, si rectè vt decet ab eo colitur.* Præclarum, inquam, effatum, quod vtinam vigeret in memoria hominum, non viderentur senes in ædibus filiorum despecti, quos vbi vel fortuna bonis spoliauit, vel propria eorum in filios charitas, vel ætas effœta afflixit; videas in situ & puluere jacere quasi mortuos.

Non dissentiebat à Platone ille qui dicebat: *Post sermonem de Dijs & patria, quam personam priùs aliquis memorauerit, quàm parentes? Si quis ergo parentes secundos ac terrestres quosdam Deos dixerit, non errabit, cùm nobis propter vicinitatem, si dicere fas est, vel ipsis Dijs honorabiliores sint; necessarium est autem ita existimare, & perpetua animi promptitudine conandum, vt beneficijs ipsorum paria faciamus.* Hæc, inquam, effata, absterso si quid erroris inesset, aut excessu, pulcherrima sunt, & talia, quæ immanitatem, qua ingrati filij erga parentes defectos vtuntur, considerantes, nos cogant erubescere, à Paganis longè in hoc superari.

Hierocles l. Qui erga patres agendum ap. Stob. vbi sup.

Verè pronunciauit Seneca, vix quemquam nostrûm parentibus gratum esse; quia pueri parentum beneficia non sentimus; adulti, cùm sentire & sapere datur, eos perdimus. *A parentibus*, inquit, *ferè beneficijs vincimur: nam tamdiu illos odio habemus, quamdiu graues judicamus, & quamdiu beneficia illorũ non intelligimus: cùm jã ætas aliquid prudentiæ collegit, & apparere cœpit, propter illa ipsa amari à nobis debere, propter quæ non amabantur, admonitiones, seueritatem, & inconsultæ adolescentiæ diligentem custodiam, rapiuntur nobis. Paucos vsque ad verum fructum à liberis percipiendum perduxit ætas.* Ita ille; quanquam alibi à filiis par parentibus reddi aliquando posse, imò ampliùs, existimet, & probet.

Sen. lib. 5 de benef. cap. 5

Lib. 3. de ben. c. 30 & seq.

Quid quòd non hominum solùm, sed & animantium, exemplis rerum magistra Natura commonstrat, pietatem, gratitudinemque erga parentes? Propterea Ægyptij, vt significarent hominem gratum parentibus, pin-

Digitized by Google

gebant Ciconiam, & Cucupham, quòd hæ soleant genitoribus senio confectis eodem modo gratiam rependere, quo acceperunt: iis enim nidum parant, pabulum præbent, ferunt humeris implumes. Vnde apud Pierium, pietatis filialis simbola, & gratitudinis, gerunt. Quod Alciatus Emblemate depinxit:

Soli. c.43

Lib. 17. Hierogl. Embl. 30

Aërio insignis pietate Ciconia nido
Inuestes pullos, pignora grata, fouet.
Taliaque expectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit; sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Vt pudeat nos humanitatem exuisse, & ipsis animantibus hac in re esse inferiores, vel potiùs deteriores.

L. 2. Var. Epist. 14

Hoc vitium eleganter carpit Cassiodorus. *Ferarum catuli*, inquit, *sequuntur parentes, à cespite suo virgulta non discrepant, propago vitis propriæ seruit origini, & discrepat homo à suo fusus initio*, &c. *Aues ipsæ, quarum vita semper in escis est, naturam suam extranea sorde non maculant. Ciconia magnum tradit exemplum pietatis: nam cùm parentes eorum pennas senio coquente laxauerint, plumis suis genitorum membra refouent, escis corpora lassa reficiunt*, &c.

Quamuis inter jura Naturæ nullum justius sit, quàm post Deum colere parentes; tamen hæc virtus tam grata, acceptaque Deo est, vt hæc sola & nominis claritatem dare possit, & ardua atque impossibilia efficere.

Quoad primum, non alio titulo illustrat ac celebrat Poëtarum Latinorum Princeps, Æneam, quam pij, vbique in sua Æneide, contendens ipsi nomen facere, non tam armorum gloria, quàm commendatione pietatis. Sic enim ipsum facit loqui:

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super æquora notus.

Embl. 114

Quæ ratio mouit Alciatum componendi Emblematis sub hac inscriptione, *Pietas filiorum in parentes*; in qua is pingitur, pia sarcina patris sui Anchisæ, & Deorum, onustus, relictis ac spretis cunctis aliis rebus.

Per medios hostes patriæ cùm ferret ab igne
Aeneas humeris dulce parentis onus;
Parcite, dicebat, vobis sene adorea rapto
Nulla erit, erepto sed patre summa mihi.

Quod hostes Græci cùm vidissent, moti tam insigni pietatis exemplo, abeundi quò vellet facultatem concessere.

Sen. l. 3. ben. c. 37

Miratur id etiam in tantum Seneca, vt dicat, Æneam superasse hoc facto gratiam à parente acceptam. *Vicit*, inquit, *Aeneas patrem ipse, cujus infantia leue tutumque gestamen, grauem senio, per media hostium agmina, & per cadentis circa se ruinas vrbis ferens, cùm complexus sacra, ac Penates Deos, religiosus, non simplici vadentem sarcina premeret: tulit illum per ignes; & quid non pietas posset?*

Ejusdem commendatione virtutis Antoninus legitur meruisse Imperium, & cognomentum Pij; ob exhibita pietatis officia socero suo ac prędecessori Hadriano, viuo & mortuo; cujus memoratur hoc solenne responsum in Codice: *Parentum necessitatibus liberos succurrere justum est.* Cujus hierogliphicum Ciconia in numis Hadriani sculpta refertur, cum hac voce, *Pietas Augusta*; quò quisque aduertat, pietatem erga parentes, virtutem esse regiam.

Digitized by Google

Quod spectat secundum, superiùs insinuatum, Pietatem ardua & impossibilia efficere; Anapias & Amphinomus, juuenes Siculi (si Straboni credimus, & Senecæ idem referenti) ab Æthnæi ignis eruptione, cæteris aurum & argentum asportantibus, ipsi parentes senes extulerunt. *Tantæ pietati*, inquit Strabo, *clementior Natura cessit, & vorace flammæ, in omnium excidium armatæ, se, vt viam pijs fratribus darent, in duas partes diuiserunt; quin & locus omnis, eorum passibus pressus, instar amœnæ insulæ effloruit.*

Sen. l.3 de benef. cap.37

Strabo. l

Aliud amoris filialis miraculum ex Aulu-Gellio colligo, filij Crœsi regis, qui cùm ab infantia mutus & elinguis esset, & quidam miles patrem in bello victum, & vrbe capta, gladio educto Regem ignorans, esset feriturus; is adolescens præ dolore, & metu, nisu magno exclamauit, & nodum linguæ expediens, articulatè pronunciauit; *Ne Regem interficias*: quo clamore, & Rex vita donatus est, & ipse loquela; magnam posteris filialis obseruantiæ relinquens admirationem.

Aulugel. L.5. Noct. Attic. c.7

Quod sequitur, non minoris æstimabitur ab eo, qui perpendet facilius esse Naturæ vitium, quàm animum vincere.

Martius Coriolanus vlturus Romam, ingratam patriam, cùm nec Legatis, nec Sacerdotibus flecti potuisset, nec precibus, mater ejus Veturia, & vxor Volumnia cum filiis, ad eum exorandum placandumque, venerunt. Ille, visà matre, cùm eam complexurus accessisset; *Sine*, inquit illa, *priùs sciam, vtrùm ad hostem, an ad filium venerim; & captiua, materve in castris tuis sim.* Cui ille: *Expugnasti*, inquit, *mater mea, & vicisti iram meam: Patria, te, quamuis mihi meritò inuisam, hujus precibus dono.* Quo exemplo, Naturæ vis ac potentia, etiam in exacerbatis injuria animis, mirabiliter elucet.

Tit. Liu. l.2. & Plutarch. in Coriol.

Hoc sentiens Solon, nullas leges aduersùs parricidas, aut eos qui parentes læsissent, scripsit; & interrogatus quid eum ita facere mouisset, fertur respondisse: *Quia tales nunquam futuros existimaui.* Sic antiqua pietas, & antiqui mores. Sed quod hîc fieri non posse credidit, increscente nequitia succedentibus annis visum est; & de facto vidit Roma tantum nefas, nec vindicare ausa est, in Tarquinio superbo, qui Seruium Tullium, Regem Romanorum, cujus filiam duxerat, morti dedit, vt regnum inuaderet: & Tullia ipsa, marito inhumanior, & regnandi impotentior, avidiorque fœmina in regium palatium conuolans, cùm jacente in terra patris cadauere, equi & auriga ipse currûs, quo vehebatur, stupentes constitissent, equos & currum illa per calcatum ire patrem & agi voluit; & sic scelere & sanguine parricida regnum capessiuit.

Persæ, vt scribit Herodotus, tanta detestatione execrabantur hoc scelus, vt crederent à filio vero non posse committi. Vnde si qui de eo conuicti essent, suppositios fuisse ac spurios affirmarent.

Herod. lib. 1

Apud Romanos, vt testatur Valerius Maximus, pari vindicta parentum & Deorum violationem expiandam volebant.

Ipsa irreuerentia filiorum erga parentes tanti criminis loco habita est, vt vbique gentium horrori fuerit: quod diuinus Plato suo calculo confirmat. *Parentes*, inquit, *negligere, nec Deus, nec homo mentis compos, vnquàm probauerit. Oedipus à filijs suis contemptus, ea filijs imprecatus est, quæ exaudita effectaque à Dijs apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnici filio iratum, illi maledixisse ferunt. Hyppolito Theseum; plurimosque alios, alijs. Quibus exemplis pernotuit, precationes parentum aduersùs filios à Dijs exaudiri. Nihil enim imprecationibus parentum perniciosius filijs accidere potest. Nemo verò, cùm pater aut mater*

Plato L.11. de legib.

Digitized by Google

ab eo contemnitur, tunc solùm putet eorum precationes à Deo exaudiri, sed non minùs etiam cùm honorantur; atque idcirco dùm lætiores bona liberis à Deo petunt, exaudiri eos similiter existimare debemus. Omnes igitur, nisi fuerint insani, vereri & colere debent parentum orationes, non ignorantes multis sæpè aut profuisse, aut nocuisse.

Huc referunt non abs re, quod Iulius Cęsar moriendo non potuit ictum Decij Bruti patienter sustinere, qui interfectorum suorum pugiones silendo excepit; sed illi exprobrauit, quasi ictum reciprocans: *Et tu quoque, fili.* Exprobrans ejus immanitatem; ejus enim credebatur filius ex adulterio.

Quod abundãtiùs patebit ex singulari supplicio, quo Romani vsi sunt in parricidas. *Majores nostri*, inquit Cicero, *cùm intelligerent nihil esse tam sanctũ, quod non aliquãdo violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitarunt; vt quos Natura ipsa retinere in officio non posset, ij magnitudine pœnæ maleficio submouerentur. Insui voluerunt in culeum viuos: atque ita in flumen dejici. Atque videntur hunc hominem ex rerum Natura sustulisse, cui repentè Cœlum, solem, aquam terramque ademerunt; vt qui eum necasset, vnde ipse natus esset, careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse videntur. Noluerunt feris corpus objicere, ne bestijs quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus vteremur. Non sic nudos in flumen dejicere, ne, cùm delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera quæ violata sunt expiari putantur. Denique nil tam vile, neque tam vulgare, cujus partem vllam reliquerint. Etenim quid est tam commune, quàm spiritus viuis: terra mortuis, mare fluitantibus, littus ejectis? Ita viuunt, dum possunt, vt ducere animam de cœlo non queant; ita moriuntur, vt eorum ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, vt nunquam abluantur; ita postremò ejiciuntur, vt ne ad saxa quidem mortui conquiescant.*

Cic. orat. pro Roscio Am. & Alex. ab Alex. l. 3. c. 5

Epaminondas, ex omnibus quæ præclarè in vita gessisset, jucundissimum illud sibi aiebat, quòd vtroque parente viuo Leuctrica pugna vicisset Lacedæmonios. Vir pius non tam sibi victoriæ laudem gratulabatur, quàm quòd parentibus voluptas ex eis pararetur.

In fictas lachrimas filiorum in morte parentum conuenit illud Epigramma Martialis:

Lib. 3 Epig. 90

Amissum non flet, cùm sola est Gellia, patrem:
Si quis adest, jussæ prosiliunt lachrimæ.
Non luget, quisquis laudari, Gellia, quærit:
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

FILII PARENTIBVS VTPLVRIMVM INGRATI.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

Eodem hîc ordine, quo in Annotatione ex Profanis procedentes, quæ bona filios obsequentes consequantur, exponere incipimus, vt posteà contumacium & inobedientium mala videamus.

Qua in re opportunè occurrit Ecclesiasticus, capite tertio, duodecim

Digitized by Google

rationibus, seu argumentis, filios commonens ad reuerentiam obsequiumque parentibus exhibendum: quæ summatim perstringo. Quorum primum est, quòd ex honore parentum pendeat salus filiorum. Secundum, quod Deus parentes, quasi sui Vicarios, honorari præceperit, & in eos patriam suam, potestatem, auctoritatemque transfuderit. Tertium, quod honor parentum certissima sit filiis arrha veniæ peccatorum suorum consequendæ, & exorandi quidquid in oratione postulauerint. Quartum, quòd inde sibi thesaurum acquirant. Quintum, quòd jucundabuntur ipsi in filiis. Sextum, quòd vita longæua donabuntur. Septimum, quòd sint colendi vt domini. Octauum, quòd honorans parentes benedictionem Diuinam consequatur. Nonum, quòd benedictio parentum firmet domos filiorum, & contra maledictio euertat & eradicet. Decimum, quòd honor, decus, gloria patrum, sit honor, decus & gloria filiorum. Vndecimum, quòd obsequiosos parentibus Deus à quacunque tribulatione eripiat. Duodecimum denique, quòd infamis sit & maledictus, qui parentes suos negligit. Quæ omnia S. Ambrosius diffusè prosequitur: quo ex fonte quædam juuabit attexere.

Reduci autem possunt & perstringi ista duodecim ad tria speciatim capita, scilicet quòd ex obedientia ac reuerentia erga parentes, filiorum salus, vita, fortuna, pendeat.

Salus: propterea dicit versu 1. *Filij sapientiæ, Ecclesia justorum; & Natio illorum, Obedientia.* Quasi dicat: Filij sapientes, qui sunt Ecclesia, seu congregatio justorum, horum Natio, seu prosapia, spiritualis scilicet & Mystica, Obedientia est, ex qua spiritualiter prognati sunt. Ita S. Ambrosius, justi Noë genus deducit: « Noe ad totius generis reseruatur seminarium, qui non generationis nobilitate. sed justitiæ & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus, homines; ita animarum genus, virtutes sunt. „ Sic de S. Basilio fratre suo S. Gregorius Nissænus: " Quæ est, inquit, Basilij nobilitas, & claritudo generis? quæ patria? Respondet: Familiaritas & necessitudo cum Deo; Patria verò, virtus, Qui enim Deum recepit, vt inquit Euangelium, potestatem habet vt filius Dei fiat. „ Ita ille. Vnde inferas, quòd sicut Obedientia & dilectio sunt virtutes acceptæ & receptæ in Cœlo; ita iis virtutibus præditi jus habent ad Cœlum, & securi sunt æternæ salutis. Et quia ad salutem duo homini necessaria sunt, Et peccata remitti, & in orationibus exaudiri; ideo versu 4. subdit: *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.*

L. de Noë cap. 4

Secundum caput, quòd scilicet vitæ longæuitas obedientiæ filiali promittatur, patet ex versu 7. *Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore.* Quod Diuina lege non semel cautum, sanctumque est: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Propterea hoc commendat Apostolus: *Filij, obedite parentibus vestris in Domino*: hoc enim justum est. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.* " Quod intelligitur tripliciter, dicit S, Thomas, quòd filij debent honorare parentes: quia eis debent reuerentiam, sicut majoribus; obedientiã, sicut instructorib⁹; sustentamenta, sicut nutrientibus, cùm fortes erant. „ Deinde auget hujus præcepti dignitatem, cùm dicit, *quod est mandatum primum.* Primum, intellige secundæ tabulæ; quia primum primæ est de Deo vno colendo: & hoc est omnium

Exod. 20 & Deut. 5

In cap. 6. Ephes.

Digitized by Google

maximum. Primum verò secundæ tabulæ, quæ est de proximo, est istud; de honorandis parentibus; quia parentes sunt prim⁹ proximus. Vnde Christus interrogatus apud Mathæum, quod esset mandatum primum in Lege, respondit: *Diliges Dominum Deum tuum. Hoc est, inquit, maximum & primum Mandatum.* Addidit: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quod attendens Apostolus, de isto dixit: *Quod est mandatum primum:* quia honorare parentes est simile huic, honorare Deum. " Si enim Deus est honorandus, sicut principium nostri esse; parentes, inquit S. Thomas, sunt etiam principium nostri esse: quia, vt dicitur 6. Ethicorum, Tria habemus à parentibus, scilicet esse, viuere, & disciplinam. Ideo conueniens erat, vt post mandata ordinata ad Deum, primum esset ordinatum ad parentes. ,, Adde, quòd prope ad Deum colendi sunt, vt versu 8. jubetur: *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt.* Aliqui vertunt, vt Diis. Vnde Philo ait: " Filij probi parentes suos, vt Deos quosdam visibiles, colunt & obseruant. Additque, propterea præceptum de honorandis parentibus in confinio duarum Tabularum Decalogi positum esse, vt significaretur proximè post Deum esse colendos parentes. ,,

Math. 22

Palacius Philo l. de Decal.

Tertium denique, quod ex cultu parentum maximè pendere ac promoueri diximus, fortuna est temporalis. Propterea dicit Ecclesiasticus versu 5. *Sicut qui thesaurisat, ita & qui honorificat matrem suam.* Et versu 11: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamēta.*

His positis, liceat jam per aperta Scripturarum spatia liberius diuagari, vt quæ sors & pœna sequatur proteruos, & ingratos filios, quæ præmia obsequentes, videamus.

Quanti momenti, & quàm graue sit vitium, filiorum ingratitudo in parentes, vno aut altero textu sufficiet annotare.

Cap. 21

In Deuteronomio: *Si genuerit homo filium contumacem, proteruum, qui non audiat patris & matris imperium, &c. lapidibus eum obruet populus ciuitatis, vt auferatur malum de medio vestri, & vniuersus Israël pertimescat.*

Prov. 30

In Prouerbiis: *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum Corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.* Deus bone! Quod crimen, quod vult tanto supplicio vindicatum, vt reum velit non gladio tortoris, aut communi nece absumi, sed ab vniuerso populo lapidari! Nec sinit mortui cadauer obrui; sed rapacium animalium dentibus vult comminutum, ipsorum ventre sepeliri.

Hujus generis hominum, qui irreuerentes ac proterui in parentes petulantiæ suæ pœnas dederunt, vel qui obsequētes ac pij prosperarunt, exempla benè multa occurrunt. Hoc crimine in primis infamatur Cham, in patrem Noë contumeliosus, & irrisor, patris anathemate percussus, qui maledictionem paternam, & seruitutem in posteros (vt supra monstrauimus) Chananæos, qui tandem ab Hebræis posteris Sem vastati, & penitus deleti sunt, transfudit: adeò verum illud est, quòd *maledictio patris & matris eradicat vsque ad fundamenta*; sicut è contra *Benedictio patris formas domos filiorum.* Exemplum in Sem & Iaphet, qui à parente benedicti, populum, & cultum Dei, propagarunt in mille & mille generationes. Idem rarum & geniorum discrimen videre est inter Isaac & Ismael; hunc ob insolentiam ejectum, illum prædilectum, suauemque parentibus. Inter Esaü & Iacob, fratres; quorum ille gentium à cultu Dei alienarum pater

Digitized by Google

fuit, populo Dei perpetuò insidiantium; iste à patre & matre benedictus, duodecim tribuum Israël, ex quibus Dominus noster Iesus Christus, pater fuit: quo in exemplo duorum fratrum, quia est aliquid quod meretur expendi, juuat paulisper immorari.

Vbi Esaü filij Isaac, Primogeniti sine primogenitura, sors & culpa meretur expendi, qui patri & matri injurius, inobediens & peruicax, acceptis vxoribus alienigenis, & Gentilibus; *quæ etiam*, dicit Scriptura, *animum Isaac & Rebeccæ offenderant*; sic se profanis conjugiis miscuit, ac polluit, vt simul Dei & parentum grauem injuriam contraheret. Quo genere offensæ, nescio an aliud acerbius aut atrocius sit in parentes. In quo summè peccauit Esaü. Is enim parentibus, non solùm inuitis, & reluctantibus, sed etiam despectis, aliam duxit vxorem, vt eorum de industria animos exulceraret. Sic enim dicit Scriptura: *Videns autem Esaü quòd benedixisset pater suus Iacob, & misisset in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret, & quòd post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies vxorem de filiabus Chanaan*, &c. *probans quoque quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus, iuit ad Ismaëlem, & duxit vxorem, absque ijs quas priùs habebat, Mahelet filiam Ismaël.*

Gen. 26

Gen. 28

Vbi notandum venit, quòd ab eo tempore Rebecca Esaü filium, ex quo inobedientem vidit, & contumacem, pro mortuo habuit, & ipsa vitæ propriæ tædium habere cœpit. Insistens enim, vt Iacob ad tempus à domo paterna exularet: *Quia frater tuus*, inquit, *minatur vt occidat te, consurgens fuge ad Laban fratrem meum*; subjunxit: *Cur vtroque orbabor filio in vno die?* quasi diceret: Etsi Iacob occiso superfuisset Esaü, tantum est, ac si esset mortuus, & mihi mortuus esset; & sic mater sine filiis ero. *Vtroque orbabor filio*: Nec solùm ipsa sine filiis esset, sed quasi etiam vitæ expers, vt indicant hæc verba: *Tædet me vitæ meæ, propter filias Heth: si acceperit Iacob vxorem de stirpe hujus terræ, nolo viuere.* Ecce quanta mala & sibi & parentibus inducat filius inobediens. Quæ perpendens Apostolus, vocat Esaü, *fornicatorem*; hoc nomine appellat virum conjugatum, *profanum*, impœnitentem, reprobatum.

Hebr. 12

Quàm longè ab eo genio, ejusdem vteri & partûs, genius Iacob! quàm parentibus obsequens & officiosus! qui cùm juberetur à matre duos de grege hœdos afferre, quos vestibus Esaü fratris sui indutus, personamque illius fingens, pro venaticis afferret, vix nisi ea cogente, potuit induci vt id faceret. *Timeo*, inquit, *ne pater meus putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.* Nouerat quippe paternæ offensæ grauitatem, exemplo Cham, paterna maledictione ad vniuersam ejus posteritatem peruadente, percussi. Sciebat seuerissimam illam in Diuina Lege olim inserendam animaduersionem; *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Itaque duos quasi inter scopulos constitutus, offensionis paternæ, si ei illudat, incurrendæ; & maternæ, nisi ejus consiliis obtemperet; posterioris jussa sibi implenda credidit, præmissa suæ reuerentiæ, ac timoris excusatione; & dolum sine dolo commisit. Actu probans, quod de eo Diuina Pagina contestata fuerat, virum eum simplicem, id est, sine dolo, nuncupans.

Gen. 27

Levit. 20

Minimè verò sceleris Ruben hìc prætereunda obseruatio, grauissimi criminis in patrem rei, incestûs scilicet cum Bala concubina patris. Cujus offensæ memoriam nec temporis, nec loci, nec fortunæ, mutatio, non decursi retro triginta anni, non ætas parentis grandæua imminuit; quin mo-

Digitized by Google

1. Paral. 5 Pererius in Gen. Cornel. à lapide & alij.

riens primogenitura eum ſpoliaret, & Sacerdotio, & regno, tranſlata primogenitura ad filios Ioſeph, Sacerdotio in Leui, regno in Iuda, vt Scriptura teſtatur, & ſacri Interpretes. Quod S. Patriarcha poſteritati indelebili monumento teſtatum voluit, ab eo ſic Teſtamentum ſuum inchoans: *Ruben primogenitus meus, principium doloris mei, prior in donis, major in imperio*; niſi ipſe Naturæ jura peruertiſſes. *Effuſus es vt aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui*, &c. Quod re vera impletum eſt in ejus progenie, Tribu Ruben inter minimas Tribus Iſraël computata. Tarda quidem, ſed tamen grauis, vindicta, qua addiſcant juuenes familiarum, iram parentum in filios non exacerbari impunè.

Gen. 49

Idem videre eſt in Abſalone, quo nullus charior parenti, nullus in parentem ingratior; nulli ſors & mors acerbior: vt meritò proponi poſſit ingratis filiis, quibus parentum ſenecta longior ſummo mœrori eſt, & tædio & tormento; quam ſi poſſent, aut auderent, abrumperent. Quorum hodiè, proh dolor! numerus ad ſtuporem adeò increuit, vt penè hæc contagio vniuerſas familias inuaſerit.

Inuenti ſunt adeò inhumani filij, vt ſæuiant in patrios cineres. Gloſſa Ordinaria, in hæc verba Iſayæ, *Tu projectus es de ſepulchro tuo, quaſi inutilis*, referente ex teſtimonio Hebræorum, quòd Euilmerodach Nabuchodonoſoris filius, poſt obitum patris rerum potiens, veritus ne rediret à morte ad vitam, ſicut ab inſania ſeptennali ad ſenſum, & regnum, corpus ejus in trecentas partes diſcindi juſſerit, & tot vulturibus diſtribui aſportandas ac deuorandas, ne iterum coirent. Fallor, niſi erunt quibus hoc factum non diſplicebit.

In c. 14. Ierem.

Quis exprimat quantus fuerit in Diuinis Literis dolor Saülis, conquerentis de Ionatha filio ſuo (niſi aliꝰ ſummæ impietatis actus extaret) quòd amicitiam cum Dauide corriuale regni & æmulo contraxiſſet. *Non eſt qui vicem meam doleat ex vobis*, ait ſeruis ſuis, *neque qui annuntiet mihi eò quòd ſuſcitauerit mihi filius meus ſeruum meum inſidiantem mihi vſque hodiè*: quia nihil eſt intolerabilius filio, cum inimicis patris paciſcente. Sic enim Deus pendit peccatum populi ſui: *Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me*. Sic Moyſes: *Generatio praua, atque peruerſa: hæccine reddis Domino Deo tuo?* Exaggerat autem peccatum his verbis ſupra modum: *Nonne eſt Pater tuus, qui poſſedit te*. Hebræa habet: *Nonne ipſe eſt emptor tuus?* & benè: nam non ſolùm genuit, ſed perditum redemit tot beneficiis. Eò progreditur ingratitudinis filius aliquando, vt patrem nolit cognoſcere, & erubeſcat. Quod Hieremias exprobrat: *Ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus*. Contra in Canone dicimꝰ: *Præceptis ſalutaribus monitis audemus dicere: Pater noſter, qui es in cælis*, &c

1. Reg. 22

Iſaiæ 1

Deut. 32

Cap. 3

TIT. XLI

Digitized by Google

TITVLVS XLI.

DE CONSVETVDINE.

FABVLA.

QVIDAM emerat Æthiopem, & arbitrans cutis ejus nigredinem forte è situ & pulvere, aut à solis æstu, seu ab incuria procedere, putauit arte & labore sensim abstergendam. Adhibuit ergo illi balnea, & omnis generis lotiones, & aquas; sed cum frustra desudaret & tempus ac operam perderet, ac non modo non detersam, sed magis renidentem pellis fuliginem cerneret, agnouit errorem suum, & confessus est impossibile esse Naturam mutare. Poterat hic Apologus non aptari huic loco, nisi me Scriptura sacra quasi manu duceret, quæ peccatoris radicatam in malo consuetudinem, Æthiopis nigredini comparat, nulla arte diluendam.

Fatui Cribrum.

DEjectum in vico Cribrum Fatuus inuenit, cœpitque foramina ipsius velle obturare, putans alicui vsui aptum reddere, sed cum nil proficeret, incœptum opus projecit in terram, pedibusque conculcans, frustra quis, ait, in te suam operam locet; nec aptum es vsui, nec dignum reparari. Idem dicas de homine malis moribus & consuetudinibus imbuto.

Mulier & Maritus ebriosus.

MVlier quædam nupserat Ebrioso, quo cum multos annos in grauissimis molestiis conuixerat, vnde tædio affecta cœpit cogitare, num qua arte posset vitio mariti, & propriæ ærumnæ medicari. Subiit mentem, ebrium aliquando, & vino immersum in sepulchrum quoddam projicere, & nil sentientem, vt moris erat, bruti instar curare. Quod re vera præstitit: nocte sequente clam ad locum redit, pulsat ostiolum, quo strepitu vix aures & caput attollens, petit, qui pulsaret. Illa: Ego sum, inquit, quæ mortuis cibos affero; ille, haud digesta crapula, cibos inquis affers, sed nunquid non vinum? bibere enim me magis juuat, quam comesse. Quo responso mulier intelligens non mutatum virum, nec emendatum, abiit lachrimans, & pectus tundens. Infœlicem me, aiebat, tali viro nuptam! cui vitium in habitum, naturamque conuersum est, renuit curari.

Digitized by Google

Fur & Carnifex.

QVidam furti conuictus, damnatusque cum duceretur ad furcam, sortem suam impotentius lugebat, ob id maxime quod superstite Magistro moreretur, à quo artem furandi didicisset, & quem ante se pœnam dare oportuisset; imo iustissimum est, inquit ad eum tortor, vt tu hodie pœnam luas, qui vltro malam artem malè didiceris, qui malè, infit reus? si sententiæ meæ formulam, qua pro furto tot millium aureorum in crucem agor audisti, malè me artem furandi didicisse, non causareris? Didicisti quidem, non inficior, nec ideo plecteris, quia didicisti, sed quia malam artem, & didicisti, & exercuisti, malum vsum in mores traxisti. Quo docemur non scientiam mali, sed vsum praximque mulctari; quam qui semel didicit, vix vnquam male agere dediscit.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

VIS CONSVETVDINIS MALÆ IN MALVM.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

CONSVETVDINEM hic strictè, & in sequenti titulo sumimus, non pro consortio aut conuersatione, sed quatenus significat habitum ex iteratis vitij aut virtutis actibus contractum, difficile mobilem; Vnde Consuetudo secundùm Philosophum vocatur altera Natura: quia vbi ab vsu obduruit, & roborata est, difficilè exuitur.

L. de Memor., & rem. c. 3

Non dissentit Cicero in Lælio. *Magna est*, inquit, *vis vetustatis & consuetudinis, non modò in hoc quod animal est, sed & etiam in ijs quæ sunt inanimata, consuetudo valet, cùm & locis etiam montosis delectemur, & syluestribus, in quibus diu commorati sumus.*

Cicero in Lælio.

Non ingenerantur, dicit idem, *hominibus mores, tam à stirpe generis & seminis, quàm ex ijs rebus, quæ ab ipsa Natura loci & vitæ consuetudine suppeditantur.*

Tanta est autem vis vsûs & consuetudinis, vt Naturæ vitia in Demosthene, & aliis, jam olim vicerit, & ea reddat facilia & suauia, à quibus homo maximè abhorrebat, secundùm illud Distichum Catulli:

Catullus.

Longa dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli saxa peredit aqua.

In Alpibus, vt refert Plinius, *vbi montium apices perpetuo niuium rigore albescunt, lepores cādidi visuntur, quibus hybernis mensibus pro cibatu niuem credunt esse, vel ex assiduo aspectu. Item in æstate rutilant.*

Plin. l. 8 c. 5

Sed quia virtus in arduo, vitium in decliui est, & prona est à lapsu nostra Natura ad corruptelam; hinc fit, quòd longè faciliùs consuetudo

Digitized by Google

mali imbibitur, quàm boni. Nec tantùm imbibitur, sed etiam eradicat & extinguit virtutum semina, cuique à Natura indita, quæ Cicero igniculos nuncupat, nobis inditos, quos corruptela malæ consuetudinis extinguit. Inde Aristotelis discipuli ejus balbutiem retinuerant; vt Platonis, humerorum latitudinem expresserant. Quin & Alexandrum ferunt in moribus & incessu, Leonidis pædagogi sui vitiis nunquam carere potuisse, quibus paruulus imbutus fuerat.

Cic. de leg. Agra.

Huic proposito ejusdem Alexandri magni præceptor Aristoteles obseruat, *quòd certis ægritudinibus approximantes ægrotant; ægritudine autem nullus, ex hoc quòd sanis appropinquet, curatur.* Difficilior enim est boni insitio, & plures dispositiones requirit. Quod effatum ad morbos animi referens, dicendum, longè facilius bonos malorum consuetudine corrumpi, quàm malos bonorum consuetudine emendari: quia ægris similes jam affectis, mali affricatione statim morbos contrahimus.

Quærit insuper Aristoteles, cur lippientibus oculis vnius, vicinorum oculi lippire incipiant; ac respondet: Quoniam oculus pars nostri corporis mobilissima est, cæterarum maximè omnium rei sibi objectæ reddi similis potest: quippe qui facilè moueatur ab eo qui moueat. Itaque fit, vt cum perturbatum aspicit oculum, facilè etiam ipse perturbetur. Simili modo in homine mobilissimus est mentis oculus, seu sensus celsitudinis v. g. & superbiæ, adeò vt facilè exemplo vnius alter moueatur; sicut exemplo primi Angeli, sequentium turba Angelorum in vanitatem præceps abiit: tanta fuit vis exempli mali, etiam in Angelis.

In probl. sect. 7. q. 4

Sic etiam quærit secundò, cur vno oscitante, vicini illicò oscitent? Eodem modo respondet, quòd oscitatio in illa parte fit, in qua residet Memoria, cujus sensus tenerrimus est. Quare cùm oscitantem aspicimus, citò imaginatio oscitandi & cupido excitatur. Dic idem in materia vitiorum, quæ vbi in proximis aspicimus, facilè in nos transeunt, & in sensus nostros irrepunt, libidinis alieno ab exemplo incentiua & proritationes.

Quod expressit Ouidius:

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione cadunt.

Porrò vt Naturam exuere nemo potest, sic consuetudinem mutare difficile est, vt ait Philosophus: quia consuetudo similis est Naturæ.

7. Ethic

Quod benè Poëta Lyricus:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem,
Testa diu. Vsque adeò à teneris assuescere multum est.

Et Ouidius:

Iuraui quoties rediturum ad limina nunquam,
Cùm benè juraui, pes tamen ipse redit.

Dicit non minùs verè Prouerbium: *Lupus pilum mutat, non mentem.* Hujus rei præclarum Senecæ locum hîc inserendum puto, Lucilio suo rationem reddentis, cur cujusdam curam desperet. *Volo tibi ex nostro artificio referre. Non quælibet insitionem vitis patitur. Si vetus & exesa est, si infirma, graciliśque, aut non recipiet surculum, aut non alet, nec applicabit sibi, nec in qualitatem ejus Naturamque transibit. Itaque solemus supra terram præcidere, vt si non responderit, tentari posit secunda fortuna, & iterùm repetita infra terram inseratur. Hic, de quo scribis & mandas, non habet vires, indulsit vitiis, simul & emarcuit & induruit. Non potest recipere rationem, non potest nutrire. At cupit ipse: noli credere*

Sen. epist. 112

Digitized by Google

Non dico illum mentiri tibi, putat se cupere. Stomachum illi fecit luxuria, citò tamen redibit in gratiam: sed dicit offendi vita sua, non negauerim. Quis enim non offenditur? Homines vitam suam & amant, simul & oderunt. Hæc ille. Pulcherrimus locus, in quo graphice depingit hominem inueterata consuetudine peccati irretitum & captum, volentem & non volentem, & impotentem reuerti.

Epist. 28 — Alibi: *Quis Solem mortalium non amet? aut amico ejus lumine perfrui non gaudeat? Fit tamen,* inquit, *vbi homines majorem vitæ partem in tenebris agunt, vt nouissimè Solem, quasi superuacaneum fastidiant.*

In hanc rem quadrat Anthistenis dictum: *Veterem arborem transplantare difficillimũ.* Et Pindari: *Indolem nec rufa Vulpes, nec Leones rugientes morem commutant.* Etiam Diogenis, dicentis, *Senem inueteratum admonere, & mortuo mederi, idem esse:* Et cùm aliquando nebulonem quemdam increparet, rogatus quid faceret, *lauare se Aethiopem* respondit, & *vt candidum efficeret, abluere.*

Epist. 39 — Redit Seneca cum hoc verbulo: *Tunc,* inquit, *est consummata infœlicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent; & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuere vitia, mores fiunt.*

Vim malæ Consuetudinis meliùs exprimi posse non arbitror. Hujusmodi homines profligatos & perditos in cœno se fœdissimarum voluptatum volutantes, similes dixerim certis auibus, quæ veneno victitant. Vel Mithridati regi; de quo sic Aulu-Gellius: *Mithridates rex Ponti, vsu veneni assuetus, impunè illud edebat, & hac arte epularum insidijs dicitur cauisse; & cùm à Populo Romano victus fuit, & venena violentissima festinandæ necis gratiâ sumeret frustra, suo se gladio transegit.* Tales, inquam, dic inueteratos peccatores, qui tam longo vsu se iniquitatis veneno innutrierunt, vt ampliùs non sentiant, aut patiantur; sed eis peccatum sit cibus, & potus.

Anates Ponticæ. Plin. l. 25 c. 1 — L. 17 Noct. Attic.

In Trin. — Hoc malum, quàm commune sit, Plautus sensit.

Mores mali quasi herba irrigua
Succreuerunt vberrimè, neque quicquam hic vile est,
Nisi mores mali, eorum licet jam messem metere maximam.

Ouid. 3. de Trist. — Ouidius, vt corpus laboribus sic animum vitiis obdurescere, agnoscit.

Quique fugax rerum securaque in otia natus
Mollis & impatiens ante laboris eram
Vltima nunc patior, nec me mare portubus orbum
Perdere, diuersæ nec potuere viæ.
Sufficitque malis animus: nam corpus ab illo
Accepit vires, vixque ferenda tulit.

Iuvenal. Sat. 13 — Sensit & id mali Satyricus:

Mobilis & varia est certè Natura malorum:
Cùm scelus admittunt, superest constantia; quid fas,
Quidve nefas, tandem incipiunt sentire, peractis
Criminibus: tamen ad mores Natura recurrit
Damnatos, fingi & mutari nescia: Nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte pudorem?

L. 1. Serm 3 — Horatius videtur huic malo vitando inuenisse remedium, frequens scilicet examen, ne in malam consuetudinem incidas.

Denique teipsum
Concute, num qua tibi vitiorum insueuerit olim
Natura, aut etiam Consuetudo mala: namque

Digitized by Google

Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Aliud Ouidius:

Principijs obsta; serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.

Naturâ, inquit Quintilianus, *tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis percepimus: vt sapor, quo noua imbuis, durat; nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* 1.Instit.

Huic similis est Philonis sententia. *Sicut vasa*, inquit, *odorem, quo primùm fuerint imbuta, referunt; sic iuuenum animi, quas primùm formas imaginatione conceperunt, nunquam aboleri sinunt.* Iuxta illud Poetæ. L. Quòd omnis probus sit liber.

Quod noua testa bibit, inueterata sapit.

Grandior ætas, ait Seneca, *dura & intractabilis, non potest reformari; tenera finguntur.* Inde illa Parœmia: *Senex Psittacus negligit ferulam.* Nam vt Plinius testatur: *Psittacus primo vitæ biennio facilè addiscit, senex nihil.* Epist. 25. l.10.c.42.

Si juxta claudum habites, subclaudicare disces, ait Plutarchus. l.de educ puer.

VIS CONSVETVDINIS MALÆ IN MALVM.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

RESPONDET Scriptura priori hujus Tituli Apologo, tam ipsissimis verbis; vt non ab Æsopo, sed ab ipsa Scriptura desumptus esse videatur. *Si potest*, inquit, *Aethiops mutare pellem, aut Pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* " Grauis & tremenda nimis increpatio in Israelitas, multorum scelerum, & perpetuæ impœnitentiæ apud Deum reos, quorum inueterata peccandi consuetudo, nigredini comparatur Æthiopis, & Pardi maculis, quæ mutari impossibile est, ipsa immutabili proxima, adeo assuetudo mali medullitus adhærescit, & radicatur, vt transeat in Naturam. " Ierem.13.

Alia comparatione, non minus graphicè, & ad viuum obdurati in malo animi, statum depingit, ac exprimit, apud eumdem Prophetam. *Sicut Cisterna frigidam fecit aquam suam*, ait, *sic frigidam fecit Ierusalem malitiam suam.* Lugendus sanè casus animæ, adeo se iteratis sceleribus auertentis, & recedentis; quo, sicut Cisterna aquas, & imbres quos è cœlo calidos ac tepentes recipit; ita in suo gremio infrigidat, & gelat, vt adamantis & crystalli instar lapidescant, non secus peccator in cujus corde peccatum aliquamdiu insedit, ita rigescit in glaciem, vt cœlestes Diuini afflatus imbres, natura sua calidos suo frigore glaciet, & incasso caloris effectu adeo infrigidet, vt voluntas Crystallo aut Adamante durior, nec à Sole Amoris reaccendi, nec malleo Timoris conteri, nec vi vlla frangi aut emolliri posse videatur, vnde dicat Ieremias, *percussisti eos* multiplicibus flagellis, *& non doluerunt: attriuisti, eos*, calamitatibus, & *renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas supra petram.* " Inuerecundè & con- Ierem.6 Ierem.5.

tumaciter peccantes, „ addit Glossa. Imo etiam, vt ex caussis contrariis contrarij effectus, sicut *qui biberit ex aqua* illa pluuiæ de cœlo venientis, *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, dicebat ipse pluuiæ pater, sic qui deprauatæ consuetudinis mores ebibit, & longo tractu impuros latices iniquitatis exceptat, peruersa consuetudo *fit in eo fons aquæ* salientis in mortem, & extra in diuersa scelerum genera restagnantis. Vnde vero tanta lues serpit in animum hominis, & mores inficit nisi à facilitate peccandi, & lapsibus recidiuis adolescentiæ? quod adeò verum est vt sapienti abierit in prouerbium.

Prouerbium est, inquit, *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Hebræi sic vertunt. Dedica vel initia puerum ad os viæ suæ. Cajetanus, assuefac puerum, initio, seu vt alij in biuio virtutis, & vitij, bona consuetudine imbue. Quare? quia qui à puero jugum excussit, sensibus fræna demisit, indulsit libidini, vitiis omnis generis dissolutus est, vbi vires accepit consuetudo mali, cum adolescente adoleuit, & roborata est, cum senescente consenuit, quid expectandum? nisi vt cum moriente commoriatur?

Iob. 14 Sic *lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur*, dicit Iob. Quod expressius secundo confirmat his verbis. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ suæ, & cum eo in puluere dormient.* Per ossa solidioris substantiæ, inueteratam intelligens consuetudinem, secundum Glossam. " Ossa, inquit, dura in eo, prauitatis consuetudo est. Implebuntur vitiis adolescentiæ, quia duræ in eo prauitatum consuetudines, à vitio sumptæ, sunt pessimæ inchoationis „

Et cum eo in puluere dormient. Id est, ab iniquitate vsque ad mortem non cessabunt. „ Hæc Glossa. Vnde videas quanti referat adolescentiæ bonæ principium, auspicata initia virtutis. Nam vbi affectus mali ossa peruasit, penetrauit intima, peruenit ad medullam, actum est de salute, deplorata res est, cum peccatore in puluere dormient, vsque ad tumulum miserum consequentur.

In c. 20 Iob. Ita enim hunc locum exponit S. Gregorius. " Vitia impij, inquit, cum eo dormire in puluere est vsque ad puluerem eum non deserere, id est, vsque ad mortem ab iniquitate minime cessare. Tenent igitur illum prauæ consuetudines, quæ semel cœperunt, & quotidie duriores existunt, & cum ipso in puluere dormiunt, quia non nisi cum ejus vita finiuntur. " Sic S. Pontifex.

Psal. 68 Diceret pœnitens Dauid, in persona peccatoris, *saluum me fac Deus, quia intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* " Homo per peccata cadendo factus est limus profundi, inquit noster Michael de Bononia. " Hæc est deprecatio pœnitentis, ait

in psal. 68 Hugo Card. ad modum naufragantium. In hoc mundo sicut in mari, aquæ sunt peccata, quæ intrant vsque ad animam, per delectationem; suffocant per consensum; submergunt per operationem; computrescere faciunt per consuetudinem. „

Thren. 3 Exclamaret Ieremias. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Inundauerunt aquæ super caput meum. Dixi, perij.*

Iacob. 1 Propterea Iacobus ait, *Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem.* Quæro, quodnam est illud peccatum mortem generans? Respondet in hunc locum S. Thomas, " hoc, inquit, propriè de peccato consuetudinis

Digitized by Google

dictum est: nam cùm peccatum in consuetudinem fuerit protractum, nulla in peccatore apparent signa vitæ, & spes de reditu ejus parua est. „ Hæc ille. S. Doctor, hominem peccati consuetudine grauatum languenti comparans, in extremis ex longa ægritudine posito, cujus potiùs mors quàm vita expectatur; dicente Ecclesiastico: *Prolixior languor grauat Medicum; breuem languorem præcidit Medicus.*

S. Thom. in Iacob. can.

Eccles. 10

Sed nullus meliùs D. Augustino pondus consuetudinis malæ sensit aut expressit, " Ligatus eram, inquit, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi cathenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe, ex voluntate peruersa facta est libido; & dum seruitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, tenebat me astrictum dura seruitus. „

8. Confess c. 5.

Tunc anima incipit sentire, si tamen tunc sentire potest, importabile jugum, duras leges, crudele imperium sæuæ illius tyrannidis, de qua quidam magnæ auctoritatis, dixit: " Nihil tam firmum est in rebus humanis, quàm veteris consuetudinis tyrannis. „ Ita se res habet. Quicumque iterato sæpius vsu peccandi, libidinis V. G. aut auaritiæ consuetudinem induit, tyrannum in se admisit, durissimam quæ vnquam fuit, in se tyrannidem exercentem, sub quo non tantum corpus, sed & animus seruire cogitur, fœdissimam seruitutem.

S. Chrys. ap. Anton & Max. Serm de Consuet.

Exemplum hujus rei sit populus Iudaicus, qui potenti Dei manu è captiuitate Ægypti ereptus, libertate donatus, pane Angelico, omne delectamentum in se habente cibatus, Manna despicit; suspirat ad Allia lachrymas elicitura, & pisces & ollas carnium, & quod incredibilius est, ad seruitutem Ægypti. *Recordamur*, inquiunt, *piscium quos comedebamus in Aegypto, in mentem veniunt Cucumeres & Pepones, Porrique & Cæpe, & Allia. Cur eduxisti nos de Aegypto?* Mira res, & stupenda prorsus! Quid enim dulciùs libertate, seruitutem expertis? Aut quid suauius itinerantibus, cibo, alienis impendiis, & nullo suo labore comparato? Et tamen vecordes Hebræi, præcepta Dei, instituta, beneficia, & seipsos obliti, habent in desiderio viles ollas, & escas Ægyptiorum, & seruitutē præferunt libertati! Causam tam insolentis concupiscentiæ inuestigans S. Chrysostomus non aliam assignat, quàm inueteratæ consuetudinis tyrannidem. " Nam & Iudæi, inquit, cùm Manna haberent, Allium quærebant; & cùm libertate fruerentur, recordabantur seruitutis, & Ægyptum sæpenumero exquirebant propter consuetudinem, adeò imperiosa res est Consuetudo. „

Hom. 7. in 1. Cor. & l. 3 cōtra vitup. vitæ monast.

Quò magis mirum sit, rem à ratione & sensu abhorrentem tam communem esse, ac vulgarem, vt quotidiano vsu videantur homines in luto, & cœno probrosissimæ voluptatis, quasi sues jacere, & volutari, qui pura honestaque frui possunt, & nolunt. Ille honorabilis & immaculati tori delitias spernens totum se scortis & pellicibus impurissimis indulget; iste domus suæ mensam & cibos & vina fastidiens, popinas inambulat diu & noctu. Alius ampla hæreditate potitus, & propriis & acquisitis bonis ditatus & affluens, adhuc inhiat alienis, & sibi nequam & parcus, nulli benefaciens, media in abundantia tabescit. Qua lege teneri dicemus istos, nisi peccati consuetudine à tenero imbibita, quæ tandem in Naturam versa est?

Occurrerat jam ante huic errori Dominus, remediumque suggesserat

Digitized by Google

suis Israëlitis: *Ego sum*, inquit, *Deus vester. Iuxta consuetudinem Aegypti, in qua habitastis, non facietis.* Eadem cautione & nobis ex Euangelio prouidit, dicens: *Ego sum*, inquit, *via, veritas & vita.* In quæ verba nobilis Paraphrastes Tertullianus: " Veritati, inquit, nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, & ita aduersùs veritatem vindicatur: sed Dominus noster Christus (ò vocem dignissimam!) Veritatem se, non Consuetudinem, nominauit.,, Vnde colligit: "Quodcunque aduersùs veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.,,

L. de velãd. virg.

Mirantur non pauci, nec sine causa, cur Sara offensa ludo Ismaelis filij Agar, cum filio suo Isaac; instat apud maritum, vt matrem & filium ejiciat. *Cum vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum filio suo, dixit ad Abraham, ejice ancillam hanc, & filium ejus*, &c. Rem difficilem postulabat Sara, quia Ismael erat dilectus Abrahæ, vnde subditur. *Dure accepit hoc Abraham pro filio suo.* (Nota, non pro ancilla, cujus amore castum cor Patriarchæ non vrebatur) sed Deus voluntati Saræ fauens, dixit ei, *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua; omne quod dixerit tibi Sara, audi vocem ejus*, &c. Cur vero ita? quid tantum mali Ismaelem lusisse cum Isaac? Liranus ait, secundum aliquos displicuisse Saræ, quod Ismael fortior ludendo, læderet filium suum. Sed vox Hebraica æquiuoca habet alios sensus, Messahet. Et significat ludentem, idolatrantem, occidentem, & coeuntem. Quod versio communis non aduertit, aut spreuit; D. Hieronimus in qq. Hebraicis putat, quòd Idolis ludos fecerit, vel quòd sibi primogenita vendicauerit; quidquid sit, hic ludus talis erat, qui Matri non placeret, & Apostolo vocatur persecutio. *Quomodo is qui secundum carnem persequebatur eum qui secundum spiritum.* Sed has difficultates euitando, Ismael erat malus, ferus, insolens, & malos repræsentabat. Voluit eum Sara à conuersatione ejus separare, periculosa bonis malorum conuersatio.

Gen. 21

Clariùs inueteratæ consuetudinis amoliendæ difficultatem, vt morbi curæ insanabilis, vtroque in sexu Dominus insinuatum voluit in Euangelio. Habes apud Lucam de fœmina. *Ecce*, inquit, *Mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Quot verba, tot ægræ mentis à praua consuetudine indicia. Quem verò tanto morbo cælestis Medicus curando adhibeat modum? Alij ægri ad eum accurrunt; hanc autem ipse vocauit. Alij verbo sanantur, hæc manuum impositione eguit, vt sciremus talis animæ jacentis erectionem non humanæ potestati ascribendam. Sed *quæ impossibilia apud homines, possibilia sunt apud Deum.*

Lucæ 13

Lucæ 18

Quod virum spectat, habes apud Marcum de illo energumeno habente spiritum mutum. Qui *vbicumque illum apprehenderit*, inquit pater ipsius, *allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & dixi Discipulis tuis vt ejicerent illum, & non potuerunt.* Quæso qui æstus! quantæ jactationes! Sed quam peruicax malum, quod manus Apostolica non potest soluere! augetur ampliùs ex eo quod sequitur. Interrogat patrem Dominus: *Quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit?* Respondet: *Ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquas misit*, vt eum perderet. Iam qualitas mali cognoscitur, lues est inueterata, ab inueterata consuetudine insanabilis,

Marci 9

nisi

nisi ei qui omnia potest. Propterea *comminatur spiritui immundo, dicens, surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.* Ergo quæstioni Apologi hujus si potest Æthiops mutare pellem, &c. D. Hieronimus hunc locum exponens, respondet, « Non potest Æthiops, potest Deus. Hoc quod hominibus impossibile est, inquit, Deo possibile est, vt nequaquam Æthiops & Pardus, suam videantur mutare naturam; sed ille qui in Æthiope operatur, & Pardo. Dicente Apostolo, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et sic satisfit Titulo huic, & Morali.

TITVLVS XLII.

DE CONSVETVDINE.

FABVLA.

Canes.

QVIDAM erant duo Canes: alter venaticus ad delicias Domini, isque sẽper macer; alter seruilis & domesticus, & is iners & pinguis, perpetuò culinæ insidians, aut mensæ inter conuiuantium pedes analecta, & quisquilias ciborum voracissimè rapiens. Illi, cum de venatione rediret sua portio de more dabatur, & quamuis tenuis, & parca, ad eam tamen deuorandam conuolabat culinarius iste, venter insaturabilis: inde rixarum, & inuidiæ causa inter eos non mediocris, conquerente Venatico, quod cum quotidiano cursu ac labore conficeretur, & is nil faceret, nisi ociari, dormire, epulari et ludere, insuper sibi famelico sua obsonia raperet, & in partem irrumperet. Sit ita, inquiebat alius, herus ita me voluit, ita me educauit, ita assueui; si vitium est, educationis est, & educatorum meorum, vt tui mores & virtus, tuorum.

Camelus.

QVamprimum visus est in Occidente Camelus, animal forma & magnitudine spectabile, terrebantur homines aspectu, & nouitate belluæ; nec audebant accedere, sed consuetudine & vsu bestiæ, sensim terror ille abscedens, quà tractabilem & mansuetam experti sunt, non modò accedere, sed & infrænare, & ad onera quæcumque, vt jumento, vti cœperunt. Ita quod initio horrori fuit, societati humanæ magnæ vtilitatis esse cœpit, vsu scilicet & consuetudine, qua belluæ efferatissimæ cicurantur, feræ mansuescunt, mitescunt aspera, & difficilia quæque domãtur.

Digitized by Google

De Vulpe & Leone.

VVlpes, animal præ cæteris callidum tanta audierat de Leonis fortitudine & ferocitate, vt audito ejus nomine terreretur, & fugeret. Accidit autem vt ei in via Leo occurreret; cujus aspectu exterrita est Vulpes, & tantum non exanimata. Postea eum iterum videt, & pauet quidem, sed remissius. Iterum verò atque iterum, modò in ciuitate, modò in alio loco, obuiam habet; audit, considerat, & jam deposito metu accedit, confabulatur, alloquitur. Tanta est vis consuetudinis, vt difficilia queque & dura assuetudine dulcescant.

Pater & Filius.

QVidam Pater familias rusticanus mandauerat Filio suo, vt accepto ligone & sarculo, agrum quemdam perfoderet; perrexerat ille, vt videbatur Patris jussa facturus, sed cum amplitudinem agri oculis dimensus est, operis magnitudine territus, humi stratus ad vmbram cubat, modò ex vmbra ad solem apricatur; sicque iners diem agit plurimum, intacto opere: vnum hominem tanto labori non sufficere, causans venit tandem ad agrum Pater operam inuisurus, sed omnino intactam aduertens, expauescensque, percontatur à Filio, quid causæ esset, quod se & tempus luderet, fatetur Filius terreri se operis mole, cui se imparem crederet. At enim si incœpisses? ait Pater, si quod potes, laborasses? labor, operam; vsus, laborem minuisset; consuetudo firmasset vires, perseuerantia opus consummasset. Macte igitur animo, hac parte, ait, hodie incipe, age, sequere, vsque ad hos limites, quos ei præfixit, facile superabiles; & crastina die prosequere, & deinceps, & breui perficies; obtemperauit, confecit. Adeo inchoatio operis, & laboris consuetudo, magna efficiunt.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, ſeu *Morale.*

VIS CONSVETVDINIS BONÆ IN BONVM.

Probatur primò, & illuſtratur, *EX PROFANIS.*

ASSVETIS malè operari, quibus Consuetudo verſa in Naturam eſt, consulunt plerique Moralis ſapientiæ duces, primò vt velint malitiam ſuam dediscere, & frugi eſſe: ſecundò, vt tandem incipiant virtutis opus. His poſitis, quamuis Consuetudo imbibita ſit ſecundùm Philosophum altera Natura, cui difficile ſit reſiſtere; non deſperandum tamen, volenti.

7. Ethic & Rhet. 1 & de arte Poët. 2

Optimè Seneca: *Illud, mi Lucili, non eſt quod te impediat, quominus de nobis benè ſperes, quòd malitia iam nos tenet; quod diu in poſſeſſione noſtri eſt,* &c. *Virtus ſecundùm Naturam eſt, vitia inimica & infeſta ſunt. Sed quemadmodum virtutes receptæ exire non poſſunt, faciliùſque earum tutela eſt; ita initium ad illas eundi arduum: quia hoc primum imbecillæ mentis, atque ægræ eſt, formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens, vt incipiat. Deinde non eſt acerba Medicina: protinus enim delectat, dum ſanat: aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt; Philoſophia pariter & ſalutaris, & dulcis eſt.* Quæso, quid melius pædagogi ſpirituales ſuis candidatis?

Epiſt. 50

Ne verò nouæ ineundæ vitæ difficultatibus abſterreantur, idem libro de tranquillitate ſic eos hortatur: *Cogita compeditos primò ægrè ferre onera & impedimenta crurum. Deinde vbi non indignari illa, ſed pati propoſuerunt, neceſſitas ferre docet; conſuetudo, facilè. Inuenies in quolibet genere vitæ oblectamenta, & remiſſiones, & voluptates, ſi nolueris malam putare vitam potiùs quàm inuidioſam facere. Nullo meliùs nomine de nobis Natura meruit, quàm quòd cùm ſciret, quibus ærumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauiſſima adducens. Nemo duraret, ſi rerum aduerſarum eamdem vim aſſiduitas haberet, quam primus ictus.*

circa finẽ

His igitur rationum momentis vallato animo, inchoandum, juxta id veterum Prouerbium: *Principium, totius eſſe dimidium*; *quo in ſingulis rebus,* ait Polybius, *darent intelligi, maximè curandum eſſe de bono initio, quaſi ex eo tota res pendeat, ſi rectè ordiamur.*

A qua ſententia meo judicio non diſcrepat Socrates, dicens: Εὖ ἄρχεσθαι μικρὸν μὲν μὴ εἶναι, παρὰ μικρὸν δέ. Benè incipere non eſſe paruum, ſed maximum. Sic Interpres, quanquam ſi non ſtrictè ad literam, ſatis tamen ad mentem.

Non diſſentit à Socrate, Pittacus quidam, cujus celebratur iſtud effatum paradoxicum. *Dimidium plus eſſe toto* quod à Platone exponitur, quo vir prudentiſſimus inſinuare voluit; omne principium eſſe quidem arduum, verum quodcumque illud ſit, ſi ſeriò aggrediamur, & manum ope-

L. 3. de legib.

Digitized by Google

ri admoueamus, facilè nos peruenturos ad finem, *quia*, vt benè Polybius, *qui rectè orditur, consummationem propositi concepisse, & præconcepti finem, jam quasi animo attigisse, & quorsum qua ratione quod conatur efficere queat, necesse est, juxta illud.*

Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.

Idem vult Aristoteles. *Non parum refert*, inquit 2. Ethic. 1. *sed caput rei est, hoc vel illo modo hominem assuefieri.* Ita ille, & plus dixit quàm intellexit; nam benè assuefieri est quidem caput rei, quia est caput salutis. Ab hoc dependet æternitas.

Quod Apologi præsentis titulo ac menti referens non mediocriter interesse, & conferre dico, imo summam rei in eo verti, vt mature bonis initiis auspiceris, & seriò te ad virtutem compares, vt eam tuis moribus inseras, ejusque consuetudinem imbuas; quod qui fecit, quid nisi arduum superauit? ascendit cliuum? reliquum in prono est.

Idem prouerbium Poeta Lyricus suis versibus in nostrum propositum inserit.

Horat. l. 1. Epist. Epist. 2

Dimidium facti, qui cœpit, habet; sapere aude,
Incipe, qui rectè viuendi prorogat horam
Rusticus expectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

Plut. l. de educ. pueris

Quadrat huic intento, quod tradit Plutarchus: *Puerorum mores principio aptè concinnéque fingere conueniet*, inquit: *illa namque nouella ætas ad fingendum facilis ac tenera est; & ipsorum animis, dum molles adhuc extant, disciplinæ meliùs instillantur: difficiliùs autem quæ dura sunt, molliuntur; ita & doctrinæ, dum puerilis adhuc animus, insculpuntur.* Et ratio tam commendatæ culturæ à puero est; quia tunc mores ebibiti vsque perdurant, vt subdit continuò: *Bona enim*, inquit, *corporis habitudo, bonæ quoque senectutis fundamenta jacit: sicut hyeme necessaria per serenitatem parare conuenit; ita & boni mores, & optimum ad senectutem viaticum Modestia, in ipsa juuentute reponentur, juxta illud vsitatissimũ:*

Quo semel est imbuta recens seruabit, odorem,
Testa diu.

Et non secus ac thesaurum comparare volenti necesse est vt ab aliqua summa incipiat, cui in dies superaddere facile est, vt benè Hesiodus:

Paruula si tentes superadjecisse pusillis,
Id frequens peragas; magnus cumulatur aceruus.

Plutar.

Idipsum Lycurgus suis Spartanis indicaturus, duos ejusdem fœturæ canes cùm diuersimodè educasset, alterum venationi innutriisset, alterum culinæ & suæ libertati permisisset, grandiores factos in frequenti coitu ciuium produxit in medium; emisso eodem tempore hinc lepore, inde offa apposita: tunc soluti canes, concito cursu venaticus leporem insequitur, venatur; alter, nil leporem curans, ad offam contendit. Attonitis tunc Lycurgus: *Canes hi, ô Lacedæmonij*, inquit, *quorum mores tam diuersos vidistis, ejusdem patris & matris & partûs; simul nati, simul educati sunt; dissimilis educatio fecit dissimiles: quæ idcirco, quantum ad pubem vestram valeat, conjicite, & quantum importet Reipublicæ, bonis moribus, principijs, disciplinis, à puero instituere. Tales erunt per totam vitam, quales à primis crepundijs formaueritis.*

Objiciet forsan aliquis duo: Lubricum iter adolescentiæ; consuetudinem boni in puero, ætatis accessione facilè mutabilem; & vbi semel deperdita est virtutis via, quàm difficilis sit reuocatu.

Digitized by Google

Quoad primum, respondet Seneca noster: *Nunquam in tantum virtus extinguitur, vt non certiores animo notas imprimat, quàm vt illas eradat vlla mutatio. Feræ inter nos educatæ cum in syluas eruperunt, aliquid mansuetudinis pristinæ retinent; tantumque à placidissimis absunt, quantum à veris feris, & nunquam humanam manum passis. Nemo in summam nequitiam incidit, qui vnquam hæsit sapientiæ. Altius infectus est, quàm vt ex toto elui, & transire in colorem possit.*

Lib. 7. de ben. c. 19

Alia comparatione non minùs eleganti idem vrget. *Ea enim Philosophiæ vis est,* inquit, *vt non solùm studentes, sed etiam conuersantes iuuet. Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur. Qui in vnguentaria taberna resederunt, & paulò diutiùs commorati sunt, odorem secum loci ferunt. Et qui apud Philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus.*

Epist. 108

Quod spectat desitæ virtutis, denuo retentandæ difficultatem, idem etiam de suo respondeat. *Nihil est,* inquit, *tam difficile & arduum, quòd non humana mens vincat, & in familiaritatem adducat assidua meditatio; nullique sunt tam feri, & sui iuris affectus, vt non disciplina perdomentur: quodcunque sibi imperauit animus, obtinuit. Quidam ne vnquam riderent consecuti sunt; vino quidam, alij venere; quidam & humorem interdixere corporibus. Didicerunt aliqui, funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo, nec respirare. Adeo potens est studium, exercitatio, consuetudo.*

Lib. 2. de ira, c. 12

Congruenter Senecæ Plinius refert, quosdam etiam naturalia exuisse, ac superasse, *Voluntate,* inquit, *scimus sitim victam, equitemque Romanum Iulium Viatorem, è Vocontiorum gente fœderata, in pupillaribus annis aquæ subter cutem fusæ morbo prohibitum humore à Medicis, Naturam fecisse consuetudine, atque in summa senecta caruisse potu. Necnon & alij multa sibi imperauere.* Addit sequenti cap. Crassum, auum Crassi à Parthis interempti, nunquam risisse, sicut nec flesse multos, &c.

L. 7. c. 18

Cap. 19

Ex quibus hæc conclusio deducitur, quòd si Natura, & quodcunque, ex praua consuetudine homini inhæsit, pertinaci opera ac diligentia eluitur; quantò magis boni mores tuo animo inserentur, si diligentem constantemque naues operam. Iuxta consilium Poetæ Lyrici:

Hor. l. 3 Ode 24

Si benè pœnitet
Eradenda Cupidinis
Praui, sunt elementa; & teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studijs. Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet. Ludere doctior
Seu Græco iubeas trocho;
Seu malis vetita legibus alea.

VIS CONSVETVDINIS BONÆ IN BONVM.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

CALAMITATIS gentis suæ inconsolabilis Lamentator Ieremias, videns dilectam suam Ierusalem deuastatam, expilatum Templum, regnum euersum, deplorata omnia, tantorum malorum causam tangens, inueteratam scilicet popularium suorum in peccando licentiam, consuetudinemque scelerum, suspirans dicebat: *Bonum est viro, cùm portauerit jugum ab adolescentia sua.* Quippe sciebat hanc in suos malorum lernam deriuasse, ob ebibitam à puero malitiam, & corruptelam morum, nullis postea satis aut flagellis atterendam, aut conuertendam remediis; cùm contra jugum Domini, ab adolescentia experto, assuetoque, in dies suauius fiat, dulcescatque.

Ierem. Thren. 3

Propterea sapiens Syracides parentibus hoc consilium inculcat: *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia eorum,* Item: *Curua ceruicem filij tui in juuentute, & tunde latera ejus dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Quia, ait ibi Glossa, "sicut ramus tener de facili curuatur, non autem postquam consuetudine induratur, & fortificatur:" quia onus quod quis portauit infans, portabit & senex; & jugum quod ab adolescentia tuleris libens, grandæuus, leuius feres.

Eccl. 7 & 30

Sic enim per Isayam contestatur Deus: *Auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei.* Quibus verbis nihil potest proposito nostro accommodatius adduci, de consuetudine à flore ætatis sub jugum Domini formanda. Quasi diceret: Onus tuum, jugum tuum, quod est obseruantia mandatorum Dei, tanto suauitatis oleo perfundetur, dulcescet, alleuiabitur, vt graue non sit; dicente Scriptura: *Mandata ejus grauia non sunt.* Vide quàm non grauia? *Omnis lex,* inquit, *in vno sermone impletur* Dilectionis; & cui graue, aut non dulce est amare? Igitur alterum de duob' admitti necesse est: "Aut quisque non diligit, & ideo jugum graue est; aut diligit, & graue esse non potest;" infert S. Augustinus. "Quia, vt ait Bernardus, vbi est amor, labor non est." Inde inferas, cujus momenti per omnem vitam existat bona consuetudo, & quàm bonum sit viro, portare jugum Domini ab adolescentia sua.

Isaiæ 10

1. Ioan. 5

Grassante in Iudæos rege Antiocho, Eleazarum grandæuum senem, vitæ innocentia, non minùs inter suos, quàm nobilitate conspicuum, regij satellites compellebant carnes porcinas à lege prohibitas edere; aut si nollet, saltem fingere, vt ejus vitæ parcerent. Quid ille? Virtutis consuetudine arctiùs deuinctus, & sanctæ conuersationis à pueritia traductæ honore retentus, potiùs mortem, quàm illicita patrare, sed ne vel etiam fingere, protestatur. *Vbi cogitare cœpit,* inquit Sacer Textus, *ætatis suæ & nobilitatis eminentiam, atque à puero optimæ conuersationis actus, respondit, malle se mori, quàm fingere, & hanc maculam suæ senectuti conquirere.*

2. Machab 6

Digitized by Google

Laudantur inde à sancta conuersatione, à primis annis decursa, Tobias vterque, pater & filius. De patre: *Cùm esset*, inquit Scriptura, *junior omnibus in tribu sua, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos Ieroboam, ipse adorabat Dominum Deum.* Claudit ejus laudes Scriptura, hoc elogio: *Hæc & his similia secundùm legem Dei puerulus obseruabat.* Et de filio: *Accepit vxorem Annam, genuitque ex ea filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.*

Tob.1

Parum videretur sancto Iob, quòd de se diceret: *Oculus fui cæco, & pes claudo; ostium meum Viatori patuit*; nisi adderet harum & omnium virtutum consuetudinem à puero imbibisse. *Ab infantia*, inquit, *creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.*

Iob.39

Iob.31

Castissima Sara, filia Raguelis, mox futura sponsa Tobiæ junioris, graui pulsata improperio petulantis famulæ, dum se gemebunda conuertit ad Dominum, & exponit anteactæ vitæ innocentiam, mentémque ab omni concupiscentia immunem, satis ostendit, quibuscunque fortunæ, aut calumniæ ictibus lacessitis, præsto adesse suppetias, vbi à prima ætate mores jugis candor exornat: sic enim illa jejunio, & lachrymis, & oratione, succincta ad Deum: *Tu scis, Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui.* Viden, vt sancta mulier sanctæ conuersationis suæ à puero initæ, in Deo simul exemplum ponit, & præsidium? & secura mens, quam nullius piaculi sibi conscia, tam piè audax accedit ad Dominum?

Ea, ea inquam inculpatæ conscientiæ securitas, ac fiducia, fortissimam juxta & speciosissimam Heroinam Iudith reddidit, vt mulier vidua summum Sacerdotem, & principes viros Bethuliæ adire, & in summa rerum desperatione & consternatione positos reprehendere auderet; hæc ad tantum facinus, vt in alienis castris mulier inermis intraret, & sola de Holopherne capitale judicium simul & supplicium faceret.

Samuel morti proximus ægrè ex hac vita decessisset, nisi cunctas Tribus Israël conuocasset, & contestatus esset, vt coram Domino dicerent, si quam apud eos offensionem contraxisset, aut cuiquam fecisset injuriam. *Conuersatus*, inquit, *coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce presto sum; loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus*, &c.

1.Reg.12

Adeo magna res testimonium conscientiæ, dicente Apostolo: *Nam gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Et paucos inuenies in sanctis libris vitæ sanctimonia insignes, quorum consummationem, & memoriam, Scriptura non claudat, & commendet elogio, bonæ à puero consuetudinis, & sanctæ conuersationis.

2.Cor.1

Sic de seipso caput Sanctorum voluit etiam inimicorum suorum subire judicium: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et ipse de se sic apud Prophetas: *Pauper sum ego*, inquit, *& in laboribus à juuentute mea.* Verè pauper in laboribus à juuentute, imo & à Natiuitate, qui iis progressionibus vitæ in paupertate & laboribus exercitæ, patientiam tenuit vsque ad mortem; vt dicat Apostolus de eo: *Cùm esset Filius Dei, didicit ex ijs quæ passus est, Obedientiam.* Sed quam obedientiam! quos labores! quam paupertatem! Maturè didicit pati, didicit & mori. Nascitur in stabulo, moritur in patibulo: illic reclinatur in fœno, hîc clauis configitur in ligno: illic in medio animalium

Psal. 87

Digitized by Google

gelidus, hîc inter latrones illusus. Nudus vt venerat, abiit: natus in diuersorio, mortuus in Caluario. Sic patientiam, vt benè didicit nascens, tenuit moriens.

O sancta Consuetudo, ab infantia & à puero recepta! quæ merita, quæ encomia, quæ præmia apud Deum consequeris!

Gratulabatur Abrahæ, & gratificabatur Deus in persona Angeli sese ad exterminium & incendium Sodomæ & sociarum sui criminis vrbium accingentis, dum secreti sui eum participem fecit. *Num celare*, inquit, *potero Abrahæ quæ gesturus sum? Cùm futurus sit in gentem magnam*, &c. *Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis & domui suæ post se vt custodiant viam Domini*, &c. Quid est hoc, nisi, Scio eum daturum operam, vt filij sui à tenero assuescant jugo Domini portando, & mandatis Dei obseruandis.

Qua in re vt sancti Patriarchæ sedulitas anticipata mercede meruit à Deo compensari; sic ignauia patrum familiarum Sodomæ tremendo nimis supplicio vindicari, qui, patres & filij promiscuè in flagitia præcipites ruebant. Exemplum in generis Loth, futuris, si vixissent, filiarum ejus maritis; quos cùm ex speciali mandato Angeli Loth monuisset seriò, vt vrbe quamprimùm exirent, nisi vellent cum ciuitate incendio perire, dicens: *Surgite, egredimini de loco isto; quia delebit Dominus ciuitatem istam.* Quid illi? *Et visus est eis*, inquit Sacer Textus, *quasi ludens loqui.* Non credunt socero generi, non juuenes seni, tam proterui & inobedientes, ex more parentibus, ex vsu Diuinis mandatis, tam assueti non credere, jocari & ludere, vt dum de serijs agitur, dum de vita & salute, adhuc lusitent, momento perituri. Ex quo videas quàm importet, quanti intersit, bonis maturè assuefieri. Nam vt benè D. Basilius ad propositum: " Difficile est patriæ linguam, quam ab infantia didicimus, obliuioni mandare, aliamque de nouo perdiscere; ita etiam improbus difficulter flagitiosam quam ingressus est viam relinquet, vt piam & honestam sequatur. Quippe Consuetudo vetustate firmata Naturæ vim nancisci solet. " Ita S. Basilius. Remedium verò malæ consuetudini receptæ insinuat S. Chrysostomus his verbis: " Et quomodo iniquus & peccator ad pristinum gratiæ statum reuertar? Rem tantùm aggreditor, & compleueris totum. Nam sicut æger, cùm morbus non ingrauescit, tunc sanitas incipit; sic in vitio, si vlterius non processeris, & finem malitiæ imposueris. Quòd si hoc duos dies feceris, tertio faciliùs obtinebis; ac si post dies tres, decem addideris, fiet vt viginti deinde addas, ac centum deinceps, tum autem vitam omnem. Quantò enim magis progressus fueris, eò magis facilem viam offendes; & postremò in ipso fastigio constitutus, bonorum multorum fructum decerpes. "

in Reg. disp. 6.

Hom. 10 in Epist. Ad Rom.

" Væ tibi flumen maris humani (dicebat Augustinus.) Quis resistet tibi? Quandiu non siccaberis? Quousque volues Euæ filios in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt qui signum conscenderint. " Sic exclamat & conqueritur de institutione juuentutis sui æui, in qua parentes parum curabant si filij vitia & voluptates blandas ebiberent, modò literas discerent, quibus in sæculo florerent. Sic vbi proponebant Iouem tonantem, eundem & adulterantē & stupra inferentem animis ingerebant adolescentum, cum verbis vinum erroris propinantes, quasi in vasis pretiosis, vt tenaciùs adhęrescerent verba simul & vitia. Quàm potiori jure dicebat Propheta: *Bonum est viro, cùm portauerit jugum ab adolescentia sua.* Quantùm enim mala consuetudo à teneris impressa officit, tantùm bona juuat in omnem deinde vitæ ætatem.

l. 1. Confess. c. 16

Digitized by Google

TITVLVS XLIII.

DE CONSILIO.

FABVLA.

De Leone ægrotante, & Animalibus.

LEO præ senio venandi impotens, ventri famelico, quod ætas negabat & vires, statuit arte & astutia prouidere. Fingit se ægrotare. Ea fama spargitur; vt melius fallat, lecto decumbit. Veniunt certatim cuncta animalia inuisum Regem suum. Venientia deuorat. Vulpem animal præ cunctis cautum & sagax, res non latuit. Officio communi deest. Leo per Nuncios, deinde per Epistolam monet, inuitat, rogat, vt veniat, egere suo consilio, sua opera, rem gratissimam facturam. Cæterum nihil esse quod metuat, tum ob antiquam necessitudinem, tum quod jaceat in lecto, morti proximus. Vulpes excusare se, mille negotia, causas, prætextus, allegare non eundi per eosdem Nuncios, cæterum infinitis se nominibus protestari debitorem suæ Majestati, optare vt conualescat, ob idque Deos suis votis fatigare. Tandem rogata causam dicere, terreri se dixit, animalium vestigiis, quæ multa euntium videat, redeuntium nulla; vnde concludit, non tutum ire vnde non liceat reuerti. Admonet, rem antequam incipias, considerandum quem finem & exitum sit habitura.

De Capro & Vulpe.

VVlpes & Caper sitibundi in puteum descenderant, vt biberent, poti, cœperunt cogitare de reditu, puteus altus, ingressus facilis, difficilis regressus. Caper anxius, emergendi viam non videns, terram pede quatit, cui Vulpes, bono animo, ait, frater, inueni quomodo sursum remeare possimus, siquidem erigas te prioribus pedibus ad murum, cornua caputque dorso reclinans, quibus adjuta erigat ad oram putei, quò cum euasero, inde opem feram, vt facilè ascendas. Credidit Caper, & paruit, euasit Vulpes exultans, sed de socij salute nil curans; imo subsannans eum; frustrà Caper implorat opem suam, memorat fidem datam, obtestatur Deos. Vulpes infida illudere, & dicere, Stulte & stolide Hirce, si tibi tantum fuisset sensus in cerebro, quantum barbæ & pilorum in mento, in puteum non descendisses, priusquam de reditu præuidisses, nec Vulpi dolosæ fidisses.

Digitized by Google

Ranæ.

R*Anæ duæ proximè habebant ædes suas, altera in palude, altera in fossa propter viam, & propterea aquæ penuria laborans. Hanc Paludana inuitabat vt ad se accederet, tutius & salubrius fore, si simul morarentur, tum quia abundantius aqua gauderent, tum etiam communi societate: illa teneri se consuetudine loci dicebat, cumque nulla ratione à sua sententia dimoueri posset, Paludana adjecit, vereri se ne quid ei aduersi contingeret, cum hominum, bestiarum, & curruum, prætereuntium periculis esset obnoxia. Quod breui, vt prædixerat, accidit; nam currus prætereuntis rotis attrita est, vnde moriens dicebat, heu me miseram! Spreti consilij serò nimis me pænitet, & temeritatis meritas pœnas mea morte luo.*

Vulpes, & Formica.

V*Vlpes pertæsa cauum suum, & latibulum, decreuerat in alio loco magis aperto, & alto habitare, vt meliori cœli temperie frueretur; jamque ligna & lapides, vnde sibi domum fabricaret, comportabat, cum occurrit ei Formica, quæ Vulpis sciscitata consilium, probauit in parte, scilicet, quòd salubriori aëre esset gauisura, sed non securiori. Imo seriò monuit, ne habitationem mutaret, si vellet suæ saluti, ac securitati consulere, & sibi credere consulenti, meminisset quo odio apud vulgus laboraret. Vulpes consilio Formicæ deterrita, lapides & ligna reportauit, nec amplius de mutandis, aut ædificandis ædibus cogitauit. Hæc, & præcedentes docent, cujuscumque operis ante omnia de fine consulendum.*

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

IN OMNI OPERE PRIVS ATTENDENDVS FINIS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

SICVT Viri sapientis est agere ex consilio, & nullum opus aggredi, non præuiso fine, & iis quæ sunt ad finem; ita inconsiderati, ac præcipitis animi est, temerè agere, & sine consilio, vt optimè inter dicta Pithagoræ illud refertur, *Consule ante opus, ne quid stulti committas, ante factum, delibera.* Et Epicteti, *Quidquid aggressurus es, ejus initium primò, tum quod deinceps sequatur considera, atque ita rem aggrediare. Id si non feceris ab initio, quidem promptè aggredieris nihil eorum cogitans quæ futura sunt, postmodum verò cum*

Digitized by Google

quædam apparebunt turpia pudore afficieris. In Enchyr. c. 33,

Tritum est illud Biantis, vnius ex septem sapientibus Græciæ, νόει καὶ πρᾶττε. *Considera prius, deinde fac.*

Ap. Stob. Serm. 3

Quamuis enim Consilia ab euentu, non ex voluntate probari soleant, vt ait Cicero, quod temerè de rebus sentientium est, tamen qui consilia, & negotia sua à fine ritè metiuntur, vt idem ait: *Raro malè succedunt, vbi ea interueniunt, in consilio capiendo Prudentia, in dando fides & Religio.*

Epist. ad Atticum.

Meliùs accurantur, inquit, *quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur.* Addit alibi rem consideratione dignissimam: *Dij non sunt auxilio his qui se inconsultò in periculum mittunt.*

L. 1. Rhet vet. L. 5. Rhet. nou.

Non dissentit Persius Poëta:

In Persa

Si quam rem accures sobriè & frugaliter,
Solet illa rectè sub manus succedere;
Atque Aedepol fermè, vt quisque rem accurat suam,
Sic ei procedit.

Quod non tantùm in pace valere, sed etiam in difficillimis belli rebus ita decernit, vt vel maximè in iis primas partes consilio tribuat, & illud fortitudini bellicæ præferat.

Non minorem, ait, *vtilitatem afferunt, qui Reipublicæ præsunt, quàm qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio sæpè aut suscepta, aut confecta bella sunt. Quare expetenda magis est decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo; temerè enim in acie versari, cum hoste confligere, immane quiddam est, & belluarum simile.* Digna Cicerone sententia.

L. 1. Offic

Quo in genere celebratur id Euripidis dictum: *Vnicum consilium rectum, magnorum militum manum vincere.* Quo prudenter admonebat, non perinde referre, quàm numerosum ducat exercitum, sed quantum belli rectores polleant consilio in bello: siquidem plus habere momenti prudens consilium, quàm vires consilij expertes.

Ejusdem sententiæ est Dion, in lib. qui de regno inscribitur, dicens, *longè majora geri paucorum consilio, quàm multitudine aut viribus fortissimorum juuenum.* Quod etiam Homeri calculo comprobatur, inducentis Agamemnonem asserentem malle se, vt rem Trojanam euerteret, decem Nestores, aut Vlysses in consilio habere, quàm totidem Ajaces & Achilles fortiter dimicantes.

Mouet hanc quæstionem Salustius nobilis Historicus, quanquam non definit. *Diu magnum*, inquit, *inter Mortales certamen fuit, vi-ne corporis, an virtute animi res militaris magis procederet: Nam & priusquam incipias, consulto; & vbi consulueris, maturè facto opus est. Ita vtrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.* Et in Oratione ad Cæsarem pressiùs: *Ego*, inquit, *ita comperi; omnia regna, ciuitates, nationes vsque eò prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: Vbicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, paulò post imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò seruitus imposita est.*

Salust. in Catilina.

Orat. 2. ad Cæsar

Ex his quantum Rebuspublicis, quantum cuique, in quibuslibet negotiis momenti afferat matura deliberatio, ac consilium, perficiendis, satis liquet.

Propterea *Consilium* Diuinus Plato *quiddam sacrum esse* asserebat; Aristoteles, *eorum quæ inter homines versantur, diuinissimum.* Et Artabanus quidam apud Herodotum, *Benè consultare*, inquit, *comperio maximum esse lucrum: nam etiamsi quid è contrario euenturum est, nihilo tamen minùs benè consultum*

Herod. in Polymnia.

Digitized by Google

est, superauitque fortuna consilium. At, qui turpiter consultauit, si fortuna obsecundauit, ille est voti compos. nihilo tamen minus malè consilium cœpit.

Contra hoc peccant non pauci, qui suo omnia consilio agunt, & sæpè falluntur, ac turpiter errant. Talis Iulius Cæsar, *omnium suffragio damnatus*, ait Suetonius, *quòd nec in Dictatura, nec in Consulatu, Senatùs consilio sit vsus.* Idem fecit & Nero, qui Senatum capitaliter oderat. Non sic filius Iulij Cæsaris, Augustus, qui etiam vxoris suæ consilium non spernens, nobilium quorumdam Romanorum conjurationes & odia compescuit, conjuratoresque ipsos in amicitiam traxit, & amicitia strictissima sibi deuinxit.

Habebat etiam Mecœnatem & Agrippam inter amicos, & consultores, quos ad consilium priuatum adhibebat; quibus è vita sublatis, si quid triste accideret, cujus eum pœniteret, exclamare solitus erat: *Horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa, aut Mecœnas vixisset.*

Vitium hoc commune mortalium, temerè res suas cujuscunque momenti aggredientium, carpit Seneca, his verbis: *Inter causas malorum nostrorum est, quòd viuimus ad exempla* (id est, inconsideratè) *nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur,* &c. *Recti apud nos locũ tenet error, vbi publicus factus est.* Idem: *Pauci sunt, qui se suaque consilio disponant, cæteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Deliberandum est diu, quidquid statuendum est semel. Deliberare vtilia mora est tutissima, mora omnũ odio est, sed facit sapientiam.*

Tria dicebat Hesiodus esse genera hominum, cujus versus ab Aristotele citantur. Primum eorum, qui sagaci judicij lance de rebus sanè judicant. Secundum eorum, qui se suaque sapientis alicujus consilio regunt, hos laudat. Tertium eorum, qui temerè & sine consilio omnia agunt, quos vt homines nihili deprimit.

1. Ethic

> *Optimus hic sese qui nouit cuncta Magistro,*
> *Prospiciens rerum fines meliora secutus.*
> *Dignum laude virum parentem recta monenti,*
> *Credimus; ille tamen, sibi qui non consulit, at qui*
> *Alterius præcepta fugit, vir inutilis extat.*

Stet igitur pro fixo, stabilique effatum illud jam laudati Ciceronis, non viribus, aut celeritate corporum, res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate, sapientia. Quod Alciatus multiplici Emblemate significauit, è quibus vnum aut alterum mutuabor. Primum est numero 14. sub hoc titulo, Consilio & virtute Chymæram superari.

> *Bellerophon vt fortis eques superare Chymæram,*
> *Et Lycij potuit sternere monstra soli.*
> *Sic tu Pegaseis vectus petis æthera pennis*
> *Consilioque animi monstra superba domas.*

Non moror in explicatione fabulæ hujus Bellerophontis, sufficiat insinuatum voluisse, nihil esse tam arduum, aut inaccessum, nullas esse præstigias, vires, insidias, quas sapiens non effugiat, aut superet, si solertia, consilio, virtute munitus & armatus restiterit. Alterum est numero 18. cui superscriptio, Prudentes, sub imagine Iani bicipitis.

> *Iane biceps, qui jam transacta futuraque calles*
> *Quinque retro sannas, sicut & ante vides,*
> *Te tot cur oculis, cur fingunt vultibus? An quod*
> *Circumspectum hominem forma fuisse docet?*

Qua figura, hominis prudentis imaginem solerter effingere voluit an-

Digitized by Google

tiquitas, cujus officium sit, altero oculo, seu vultu præterita nosse & cernere, aduerso altero, futura præsentire, ac præcauere quod benè notauit Macrobius. *Creditur*, inquit, *Ianus geminam prætulisse faciem, vt quæ ante, quæque post tergum essent, intueretur. Talis debet esse vir prudens, vt benè consilium det, vel captet.* Ita vt prudens sit prouidens; Prudentia à Prouidentia deducta: quæ tria tempora prospiciat; præterita, vt meminerit; præsentia, vt consideret; futura, vt conjectet: seu Prudentiæ tres partes assignant, memoriam præteritorum; intelligentiam præsentium; Prouidentiam futuri. Quæ tria ad bene consulendum necessaria sunt, vt scopum desideratum attingas.

1. Saturn.

Cæterum vt ante factum ad consulendum mora commendatur, & tarditas; ita post captum consilium, in exequendo celeritas, his duobus ita temperatis, vt nec tarditas consilij, officiat operi; nec huius celeritas, consilio. Inde natum prouerbium, *festina, lentè.* Quod Augusto Cæsari perplacebat. Hoc vt significaret, Titus Vespasianus, magni Vespasiani filius in stemmatibus suis Delphinum, Anchora circum volutum depinxit, quo se matura cuncta consilio facere significaret, consulta pari velocitate exequi. Delphinus celeritatis, Anchora tarditatis symbolum, Sapiens, ea vnit fœliciter, stultus separat inauspicatè. Sed nullus mortalium hoc consilio fœlicius vsus ipso Iulio Cæsare legitur, qui cum rapiendæ dominationis occasionem nactus esset, hos versus Euripidis sæpe mente, & ore versabat, vt refert Cicero.

l. 3. Offic.

Nam si jus violandum est, regnandi gratia
Violandum est. Aliis rebus pietatem colas.

Cum copias suas ad Rubiconem flumen assecutus esset, paululum constitit, inquit Suetonius, ac reputans quantum moliretur, conuersus ad proximos, Etiamnunc, inquit, regredi possumus. Quod si Ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt. Tum paulo post apud se deliberans Rubicone transacto; *Eatur*, inquit, *quò Deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat. Iacta alea est.* Quo dicto Romam conscendit, & ea celeritate imperium occupauit, vt meritò vsurparet: *Veni, vidi, vici.*

Consilia callida, & audacia, inquit Tacitus, *prima facie læta, tractu dura, euentu tristia sunt, & omnia inconsulti impetus cœpta, initiis valida, spatio languescunt.*

L. 2. hist.

Sapienter Poëta Neptunum describens, iratum ventis Æneæ classem, & Troas turbato æquore mediis in fluctibus submergere conantibus, discessumque in suas cauernas imperantem, facit vti hoc verbo.

Maturate fugam.

Plenum sapientiæ Imperium, ne si turbulentè discederent, mare amplius agitarent, & classis reliquias in vndis inuoluerent, & pejus esset ipso morbo remedium. Ob eandem causam aduertit Titus Liuius, in bello Punico secundo, Terentio Varroni juueniliter exultanti, ac temerario, datum Collegam Paulum Æmilium, ætate maturum & consilio, qui sua prudentia, feruorem alterius temperaret. Sicut postea Fabium Maximum belli Ducem creatum, difficillimis Reipublicæ labascentis temporibus Marcello junxerunt, vt hujus ardorem bellicum temperaret. Quo ab Hannibale interempto afflictissimam Rempublicam suis cunctationibus reparauit, vt hanc laudem meruerit, quod

Cunctando restituit rem.

Digitized by Google

IN OMNI OPERE PRIVS ATTENDENDVS FINIS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

NIHIL tam crebro Scriptura commendat, aut prædicat, quam boni Consilij vtilitatem, necessitatemque.

Eccles. 32. *Fili*, inquit Syracides, *sine consilio nil facias, & post factum non pœnitebis*. Quasi dicat, etiam si sinister fuerit rei euentus; nam proborum consiliorũ sæpe infœlices sunt euentus. Quippe quod recto & sano fit consilio, de eo non dolendum, quia quod suum erat fecit, quod erat alienum seu alterius euenit.

Facturus hominem Deus,, init consilium, tres inter Sanctissimæ Trinitatis personas, *faciamus*, aiunt, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* q. d. creemus hominem, ait S. Gregorius Nissenus, cum consilio, consilii capacem, vt ipse à nobis, & à sui creatione discat, omnia agere ex consilio.

S. Greg. Nissen. de opific Hom. c. 3 & 4

Inde æterna Dei sapientia, idipsum de se profitetur. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Et alibi. *Inter superbos semper sunt jurgia, qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.*

Prov. 18 Cap. 13

Thob. 4 *Consilium semper*, dicebat Tobias pater filio suo, *à sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

Prov. 11 Et Salomon in prouerbiis, *vbi non est gubernator, populus corruet. Salus autem, vbi multa consilia.* Hebræa ad verbum legunt, vbi non sunt consilia, & consulta gubernacula, corruet populus, & salus in multitudine consiliarii. Theodotion legit in incogitantia corruit populus, salus autem in homine multi consilij; quæ versiones in vnum tendunt, meumque juuant propositum, consilij vtilitatem insinuantes, quo mediante, & rebus publicis, & priuatis cujusque salus accepta defertur. Hoc prouerbio S. Dorotheus pluribus docet, virtutis studiosum in vita spirituali egere ductore, ac doctore. " Cauere, inquit, Sapiens nos admonet ne nosmetipsos informemus, ne nos sciolos habeamus, ne persuadeamur esse nos satis nobis ad regimen nostrum. Opus enim nobis est auxilio præter Deum, adjutoribus. Nihil est miserabilius, nihil quod citius expugnari queat, his qui nullos duces, nullos auctores habent ad vitam Dei, ,, &c.

S. Dorot

Inde est, quod Moises morti proximus, Israëlem contestans vnum hunc defectum, omnium instar ipsi exprobrat. *Gens absque consilio.* Glossa addit, "(non præcauendo malum) *& sine prudentia*, (in non eligendo bonum) *vtinam saperent*, (præterita,) *& intelligerent* præsentia. Ac nouissima prouiderent, id est futura, quia per præteritorum memoriam, & præsentium intelligentiam, habet homo vim ad prouidendum de futuris. ,, Sic Glossa.

Glossa in c. 32 Deut

Communis error mortalium, aut male consulentium, aut nil consilij

Digitized by Google

capientium, quia nec principium attendunt, nec finem.

Hinc grauis ille Stomachus Isaiæ. *Stulti Principes Taneos, Consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens, deceperunt Aegyptum, & non erit Aegypto opus quod faciat caput, aut caudam.* Id est, ait Glossa, quod aut principium habeat, aut finem.

Isaiæ 19

Certè, hæc Monstri stupendi species, sine capite & cauda Consilium toties visitur, quoties Consulentes & Consiliarij sine Deo, & sine conscientia, quidquam moliuntur, & attentant.

Nunquid non ex istorum numero erant qui dicebant, apud Prophetam, *loquimini nobis placentia, videte nobis errores*; quibus Propheta respondet: *Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis Consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum, & os meum nō interrogastis.* Magnatum fermè omnium is mos est, *Odi Michæam,* dicebat impius Achab Rex Israel; Quare? *Quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Si fuisset ei, vel mica Iudicij, & sensus, debuisset scire Prophetam, non à se, quod in buccam venit, aut lubet, sed à Deo, quod jubet, & in os mittit, eloqui.

Isaiæ 30

3. Reg. 22

Sic Amnon consulit Ionadab, vt sorori quam deperibat, stuprum inferat. Sic Absalon Achitophel, vt patrem opprimat, & Regnum vsurpet. Sic Roboam Iuuenes, vt subditos vexet: sic Balaac Rex Ammonitarum Balaam, vt hic populo Dei maledicat, & maledictos ille opprimat. Consilia, caput & caudam non habentia! Sed quo, quæres, successu? perit impius Achab in prælio; Amnon in stupri vindictam, occiditur. Absalon perduellis, à quo nuper in gratiam, & Curiam Patris reductus erat, miserè confoditur. Achitophel sapiens vt Angelus Dei, vt vltimæ amens dementiæ, ipse sibi laqueo gulam frangit; Roboam priuatur Regno ex parte. Balaam gladio Israëlitarum perit. Denique fit planè quod dixerat Iob. *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? Ipse nouit decipientem, & eum qui decipitur. Adducit Consiliarios in stultum finem, & Iudices in stuporem.*

Cap. 12

Quam sapienter Salomon postquam humanæ, & propriæ imbecillitatis conscius, emisit illam vocem. *Cogitationes Mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*, quæ idcirco à superna Dei Prouidentia egeant dirigi, addit, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem*: quibus verbis videtur omnem malorum radicem Consiliorum ingenuè confiteri, à carne & à sensu procedere, quæ vbi imperium in jus mentis & rationis obtinent, dominatur Ancilla, ancillatur Domina, & peruerso tandem ordine cuncta pessum eunt.

Sap. 9

Reuerebatur Herodes Rex Ioannem Baptistam, & metuebat eum, ait Scriptura. *Sciens eum virum justum, & sanctum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* O fœlicem, si tali semper Consiliario & Consilio vsus esset! sed admissi intus, in Consilium Regis Sanctitatis hostes, caro & sensus, ita arcem mentis occupant; vt quem verebatur vt sanctum, non vereretur vt sontem interfici, & quo audito multa faciebat, in propria causa non audiret, & quem libenter audiebat, libentius caput ejus amputari vellet, & Saltatrici meretriculæ in pretium flagitij dari in disco, & hoc ferculum conuiuantibus apponi!

Marci 6

Optimè norat Salomon, Deos gentium inanes & fictiles, Idola omnia opera hominum, nullum præter Deum, verum, colendum, adorandumque: & tamen hanc fidem quam iuuenis didicit & tenuit, quam vir in-

Digitized by Google

cessanter credidit, ac prædicauit, & literis mandauit, senex mutauit. *Adamauit mulieres alienigenas multas, & auerterunt mulieres cor ejus; cumque jam esset senex, deprauatum est cor ejus per mulieres, vt sequeretur Deos alienos*, sic præualente aduersùs consilium mentis, consilio carnis & sensûs. Sapientissimus Mortalium, idem insipientissimus effectus est.

3.Reg.11

Non ignorabat Adam præceptum Domini de non edendo de ligno vetito, sibi personaliter facto: sciebat falsa esse, quæ Dæmon in serpente vxori suæ suggesserat; artibus ejus non fuerat seductus, dicente Apostolo: *Adam non fuit seductus, sed Eua.* Et tamen Euæ suæ consilio, cui mente non credidit, opere consensit; fractus lenocinio & blanditiis carnis suæ, malæ consiliatricis; & de pomo comedit. Et sic quæ vxor marito obedire debuit, Eua Adamo, inferior potiori, caro rationi; inuerso ordine, Adamus Euæ, maritus vxori, ratio carni obtemperauit.

Hic error, hæc peruersitas in vnoquoque nostrûm toties contingit, dicit S. Augustinus, quoties ratio carni, aut spiritus sensui obedit; pars superior, inferiori. " Ponitur, inquit, caro pro vxore, quomodo & aliquando spiritus pro marito. Quare? Quia iste regit, illa regitur; iste imperare debet, illa seruire. Nam vbi imperat caro, & spiritus seruit, peruersa domus est. Quid pejus domo, vbi fœmina habet imperium super virum? Recta autem domus est, vbi vir imperat, fœmina obtemperat. Rectus ergo ipse homo est, vbi spiritus imperat, caro seruit. ",

Tract. 2 in Ioan.

Quo in genere peruersi Consilij, quæ gens peccauit atrociùs, quæ Respublica, quod regnum grauiùs errauit, quàm populus Hebræus, dum iniquo consilio Dominum nostrum Iesum Christum opprimere visus est? *Collegerunt ergo*, inquit Sacer Textus, *Pontifices & Pharisæi Consilium.* Hoc Prudentiæ erat, & boni regiminis, de rebus ad Rempublicam spectantibus seriò deliberare. *Pontifices & Pharisæi*, & illud benè est, vt quidquid esset sanctitatis in Sacerdotio, auctoritatis in Principibus, religiositatis in Pharisæis, doctrinæ in Scribis, simul coiret, vt de Christo consulerent, Propheta adeò potente opere & sermone, qui Rempublicam, qui Gentem suam, qui finitimas ciuitates, qui Ierusalem, qui familias quotidianis impleràt miraculis; sanitatibus recrearat, stupefecerat prodigiis. Seruit ad hoc non parum temporis circumstantia, recentis patratio miraculi, resurrectio Lazari, notæ inter suos conciues nobilitatis viri, in oculis facta totius ciuitatis, & eorum qui aderant in Consilio: vrget fama prodigij tam stupendi. *Collegerunt ergo*, id est, propterea, *Consilium, & dicebant: Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit.* Et hoc sollicitæ solicitudinis est, accurata quid facto opus inuestigatione perquirere; hùc vsque benè. Veritatis vox obtinet, in publico testimonium defertur, ingenua confessio redditur, non modò innocentiam Christi, sed & indubiis de cœlo signis ejus sanctitatem attestans: *Hic homo multa signa facit.* Quis ex talibus præmissis, ex tantis auspiciis, è tali consessu, Sacerdotum? Principum? senum? non benè Christo speret, qui omnes Reipublicæ languidos sanat, curat leprosos, cœcos illuminat, reparat claudos, surdos aperit, suscitat mortuos, etiam fœtentes, quatriduanos? Quis non diceret à tantis viris congratulatum, oblata munera, decreta præmia, nomine totius gentis? aut cui in mentem venire potuisset, talem ac tantum virum, capitalis noxæ tali in Consilio judicari reum, suppliciis affici, cruci addici? Sed quia decretalis jam illa hora & tempus accesserat, in quo iniquis hominum judiciis Auctor

Ioan.11

vitæ

Digitized by Google

vitæ mori deberet, initur Consilium, de quo scriptum erat: *Vidi sub sole in loco judicij impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem.*

Sed quæ ibi non periclitaretur innocentia, vbi ablegato Deo, malo fine, occupatis odio & inuidia animis, non conuenitur, vt latens eruatur veritas, sed vt manifesta damnetur, damnata citiùs opprimatur? *Si dimittimus eum sic*, inquiunt, *omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* O iniqua Consilia! O vana hominum judicia! Prouidentiæ fallaces! Qui tandem exitus? Dicam vno verbo: Fecerunt in eum, volentem ac permittentem, quidquid injustè voluerunt. Contigit ipsis nolentibus & inuitis, justè, quidquid timuerunt.

TITVLVS XLIV.

DE CONSILIO.

FABVLA.

De Simiis consultantibus.

SIMIIS de condendis vrbibus, in quibus pariter habitarent more hominum, consultantibus, vna earũ sic exorsa est: Scitis vniuersæ quam fælices sint homines beneficio vrbium, in quibus societatem, jocos, mercaturam, artes, justitiam exercent. Quidni etiam nos hominum genus in hoc vno non imitabimur? quæ præ cæteris animantibus ad eorum similitudinem, facie, manibus, pedibus, industria, & ipsis animæ dotibus propiùs accedimus. Quibus verbis, aliisque, sic vulgus mouerat; vt cursu in hanc sententiam irent, et iam quæque ad vrbem & mœnia condenda se accingeret. Cum veterana quædam, annis, experientiaque præcellens, populum dehortari cœpit, & facto silentio, dicere, ô faciles nimis Simiarum animos! quæ de condendis vrbibus cogitatis! Sic vos capiunt lenocinia verborum hujus loquacis? Ecce cum omnibus nostris industriis, in solitudinibus, in sylvis, in truncis & ramis arborum capimur ab hominibus; Quid fiet, cum intra vrbes & mœnia conclusæ, quasi pulli in nido, aut gallinæ in cauea, ab eorum manibus fugere nequeamus? Sic nostis artes hominum? Mihi credite sorores, si saluam Simiarum gentem vultis, seni credite, expertæ, annosæ, credite, fugite vrbes. Vix finem dicendi fecerat, cum omnes ad se reuersæ, Decretum fecerunt de non condendis vrbibus in perpetuum, simulque nullum propositum deinceps, vel consilium ratum, fixumque haberi, nisi auditis, consultisque senioribus.

De Gliribus.

GLires statuerant quercum grandem, vberem, multa glande onustam, vt fructum faciliùs depascerent, radicitus corrodere, & ad terram dejicere. Iamque non impigrè operi manum admouerant, cum vnus ex

Digitized by Google

ipsis senio, & sapientia antistans accurrit, laborantesque ab incœpto absterruit. Quid enim cogitastis ô juuenes parum prouidi? inquit, ergo annuu indeficientemque vobis censum, & cibum vultis perdere, vt præsentaneo, ac parabili magis ad horam fructu gaudeatis. Certe si nutricē hanc nostrā hodie eradicatis, vnde imposterum alimenta? vnde annona? his verbis cuncti moniti laudauerunt senis prouidentiam, sapientiamque, & ab opere destiterunt.

De Noctua & Auiculis.

AViculæ Noctuam aliquando conuenerunt, rogantes vt alitum more secum in ramis arborum, non cauis, aut maceriis solitaria subsideret, nidificaretque, sic enim cunctas mutuæ societatis bono gauisuras. Quod si ei solitariè agere tantopere placeret, ostendunt nouam quercum in qua sola posset commodè læto sidere frui, & nidum facere. Quibus illa, apage hanc stultitiam; etsi me creditis senem, quæ de nocte, cum vos in vtramque aurem dormitis, peruigilo, & consilia capto, cauete vobis ab arboribus, & maximè ab ista quercu, quam mihi inhabitandam inuitatis. Ipsa enim latura est viscum, pestem generis nostri, quo capimur & irretimur incautæ. Riserunt eam, vt deliram & fatuam aues, vt solent juuenes, senem. Posthabitisque ejus consilijs, gregatim in eam aduolare, de ramo in ramū desultare, & cantillare cœperunt. Interea Quercus Viscum protulit copiosè, quod aduertentes inquilini viscum fecerunt, parauerüntque, quò eas omnes implicuerunt. Pœnitentes, sed serò, salubre contēpsisse Noctuæ senis Consilium. Quo ex tempore factum dicunt, vt Noctuam speciali in honore habeant, et si quando eam offendunt circumuolitent, sequantur, salutent, memores boni consilij.

De Hirundine & Auiculis.

HIrundo veterana longo rerum præteritarum vsu præstans, videns seri Linum & Cannabum, adiit alias aues, & seriò monuit, vt si saluæ esse vellent à laqueis Hominum, sementem Lini & Cannabi, vt generi suo exitiosam, effoderent. Inde enim fieri retia & plagas, quibus capiuntur aues. Aspernantur id Consilij, & Hirundinem à se vt importunā abigunt. Crescente Lino, redit iterum Hirundo, monet cauere sibi, spernitur, vt antea, & irridetur vt fatua. Vbi verò vtrumque maturuit: reuertitur tertiò, hortatur, instat, rogat, si segetem euellere nequeunt, saltem messem deuastent, & grana colligant, ne in suam perniciem multiplicata iterum terræ mandentur, sed nec tum audire volunt. Vnde Hirundo acta in rabiem relicta societate auium cœpit cum Hominibus societatem habere, eorum in ædibus nidificare, cantillare, modulari. Cæterum Aues successu temporis laqueis & retibus ab Hominibus captæ, spreti Consilij pœnas dederunt, & serò pœnituerunt. Hæc vt præcedentes abundè probant quam vtile sit, & non spernendum Senum Consilium.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

CONSILIVM A SENIBVS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

TRIA maximè insunt senibus, Ætas, Experientia, Virtus, quæ ipsis tria alia fructificant. Ætas, Auctoritatem; Experientia, Consilium; Virtus, Honorem. Ætas namque senes efficit securos; Experientia, prudentes & prouidos; Virtus, honorabiles; quia auctoritati senum solet esse comes securitas. Experientiæ prudentia, Virtuti reuerentia.

Quod ætas senio securitatem afferat, confirmare licet vno aut altero exemplo. Iulio Cęsare Consulatum assecuto, adjuuantibus Pompeio & Crasso, cùm pro eorum libidine omnia gererentur, ac pauci Senatores in Curiam conuenissent; & Considius quidam, natu prægrandis, idcirco Senatores non venisse diceret, *quoniam illius arma militesque pertimescerent*; huic Cęsar: *Quin tu*, inquit, *hoc quoque reformidans, domi te non continuisti?* At Considius: *Senectus*, inquit, *me fecit securum & intrepidum.* Digna generoso sene responsio, cui mors imminens metum omnem ademit.

Idem de Solone, vno ex septem sapientibus, Plutarchus refert; qui, quo tempore Pisistratus Rempublicam inuadebat, nec quisquam multa molienti obsisteret, Solon productis armis, & ante fores domûs suæ positis, cœpit inclamare ciues, & ad arma vocare. Quod cùm Tyrannus resciisset, & missis qui quęrerent, *qua re fretus id tantum auderet, nuntijs*, intrepidè respondit, *Senectute.* Sic ætas sapientem illum, quæ timidos facere solet, fecit audacem.

His cujusdam Ceselij non est prętereunda vox, non minùs fortis, qui cùm Triumuiris non obtemperaret, & multa libertate de Cęsare loqueretur, admonitus à suis vt sibi caueret; *Duæ res*, inquit, *sunt, quæ cæteros reddunt formidolosos, mihi autem maximam suppeditant fiduciam, Senectus & Orbitas. Senex citò periturus, etiamsi nemo occidat; & orbus nec habet quos curet, nec quibus timeat.* Vides vt ætas auctoritatem securitatemque senibus conciliet? quod in Consiliario magni momenti est.

Non minùs experientia senum facit eos Prudentes Consiliarios. *Iuuenis*, inquit Philosophus, *non potest esse sapiens; quia Prudentia requirit Experientiam, quæ indiget tempore.* Infer contrarium in senibus, qui multa experientia rerum diuites, consulendi sunt. Vnde quidam ait: *Consilium, ratio, sententia, constant in senibus; quæ nisi in illis essent, summum Consilium Majores nostri non appellassent Senatum.* Val. Max

Plutarchus in tractatu, An seni sit gerenda Respublica, contra eos, qui senes volebant, preterlapso vigore juuentutis, domi ocia quęrere, & tanquam virtute defectos desidere, multis probat argumentis & exemplis, id

Digitized by Google

muneris speciatim spectare ad senes, Rempublicam administrare suis Consiliis.

Inde Athenis leges Solonis volebant, Pręconem alta voce ciues ad Consilium Concionemque appellare, non juuenes rerum rudes & inexpertos, sed solùm prouectæ ætatis supra quinquaginta annos. Commodè quidem: nam illa ætas minùs subjacet inuidiæ, adulationi minùs, minùs auaritiæ, cęterisque sapientiæ impedimentis & pestibus.

Igitur vt Respublica benè administretur, consulendi senes, ij in Consilio conuocandi. Quod Plautus pulchra comparatione confirmat. *Viam* inquit, *qui nescit quà deueniat ad mare, eum oportet amnem quærere comitem sibi; id est, sapientem qui sciat iter.* Non absimile ait Lyricus:

In Pœnulo.

Viuere si rectè nescis, decede peritis.

A quibus enim postules iter, quibus te comitem facias, quos viarum duces sequaris, nisi senes tot terrarum spatia emensos, è tot periculis & anfractibus vitæ emersos?

Nam videmus, inquit Plutarchus, *à prudentibus Legislatoribus adolescentes & juuenes à tractandis publicis negotijs arceri, testanturque hoc leges; & Præco non ad Consilium Alcibiadas aut Pytheas progredi jubet, sed senes.*

Maximæ Respublicæ, ait Cato major, *per adolescentes labefactatæ, à senibus reparatæ & sustentatæ sunt.* Propterea dux ille Gręciæ Agamemnon non optat apud Homerum multos Ajacis similes, sed Nestoris.

O Consultores mihi sint bis quinque Pelasgi
Tales Consilio, qualis Nelida senex es..

Tantum est sapientis senis non modò in pace, sed & in bello momentum!

Sapiens enim Consilium plurimas manus
Superat, vel vnum.

Porro tertia senum prerogatiua est Virtus, eaque consummata, probataque multo vsu rerum, & anteactæ vitæ commendatione, quæ eis honorem conciliat & reuerentiam. Illi enim verè viuunt, virtute, nec senio, nec morti cessura. Viuunt maturi & pleni fructibus bonorum operum, quibus maxima pars mortalium cruda, aut vacua moritur. Cani & rugæ indicant ætatem; at experientia & virtus abditas animi diuitias ręcludit, quas sapientia, vbi opus est, recludit. Hanc solam senectutem, quam virtus illustrat, extollimus, & magni facimus. Illud Catonis Majoris probantes, qui senem quemdam improbæ vitæ arguens, dixit: *Quid est quòd senectuti multa mala habenti, tuæ etiam improbitatis dedecus adjicis?* Tales enim ætas magis infamat, & contemptibiles facit. Quis enim delirorum senum consilium non abhorreat, cùm apud Lacedęmonios bonum Consilium à malo homine prolatum non admitteretur; nisi mutato auctore, ab homine probo bona sententia proferretur, teste Gellio.

L. 18 Noct. Attic.

Sed vbi auctoritati senili, experientia, & virtuti, honor accesserat, tales Respublicas quasi pro nutu administrabant, & quò volebant, pro sua auctoritate ducebant.

Talis Solon, & Licurgus, & Pericles, & Phocion, & Agesilaus, qui senes expulerunt Tyrannos, Rempublicam pręstantissimis legibus & moribus exornarunt, & bella fœlicissimè gesserunt. Quos inter Phocion aliquando vsque ad sexagenarios arma capere ciues jussit, & se sequi; cumque rem indignam putarent, *Nihil*, inquit, *est injuriæ, cùm ego Imperator vester octogenario major vobiscum sim futurus.* Et quid in hoc genere Agesilaus?

Xenophō de Agesil.

Digitized by Google

Sed par est, quæ Xenophon de eo scripsit, ipsius verbis referri. *Qua*, inquit, *iuuentute non fuit præstantior ejus senectus? Quis enim ætate vigens tanto terrori hostibus fuit, quàm Agesilaus, prope finem vitæ? Quo sublato magis gauisi sunt hostes, quàm Agesilao, quamuis grauis annis decessit? Quis socijs animos reddit, nisi Agesilaus, quanquam ei mors jam immineret? Quem juuenem amici majori sunt prosecuti desiderio, quàm Agesilaum senem, & mortuum?* Ergo hunc & alios à magnis rebus gerendis ætas non absterruit.

Quis etiam in hoc genere non laudet Appium Claudium, jam præ senio oculis pedibusque captum? qui in Senatum lecticâ delatus, grauissima oratione Senatum populumque, fœdæ paci cum Pyrrho Epyrotarum rege inclinantem, dissuasit, & ad arma concitauit: quod Reipublicæ fœlicissimè cessit.

Ac non secus ac Ibis, auis Ægyptiaca, dicit Plutarchus, vbi consenuit, efflauitque quidquid fœtoris habebat in halitu, afflat aromatica & suauiores odores: sic vbi ætas, quidquid vitij puerilis asperserat, grandęua decoxit; nihil afflat, habet, spirat, nisi puros & suaues sensus ac spiritus, sana Consilia, pręclara facinora. Vnde Ouidius:

Seris venit vsus ab annis.

Et illud Comici:

Sapientiæ ætas condimentum est; vicissim sapientia ætati cibus est.

Non sine causa Athenienses Noctuam pro insigni acceperant, qui diu scientiarum & armorum in Gręcia principatum tenuerunt, ea vt reor de causa, quod hoc animal symbolum sit prudentiæ & Consilij, & Consilium amicum silentij est, & noctis: vnde Adagium vulgare, *De nocte Consilium*; & propterea erat Mineruæ sacra. Eadem etiam de causa senectutis symbolum est. Inde Alciato Emblematis condendi occasio, sub hac inscriptione, Prudens magis, quàm loquax; & his versibus:

Noctua Cecropijs insignia portat Athenis,
Inter aues sani Noctua Consilij.
Armiferæ meritò obsequijs sacrata Mineruæ
Garrula, quo Cornix cesserat antè loco.

Prudentia autem illa non nimis loquax, quæ est amica Consilij & noctis, est Prudentia senilis, quæ non debet esse garrula. Propterea enim dicunt Cornicem Mineruæ inuisam, & ab Augurio rejectam, mutata in Cornicem à Pallade quadam muliere, quæ ejus secretum non tenuerat. Nam garruli sapientibus inuisi sunt, rarò veraces; & quidem senes sunt plerumque locutuleij; sed desitæ istud ætatis vitium est, quod in nostro, qualem volumus, sene, sapiente, Consiliario, longè abest.

Pro colophone hîc addam pręclarum locum historiæ Taciti Imperatoris Romani, ex Historia Augusta, in fauorem senectutis. Interfecto Aureliano, cùm in Senatu de deligendo successore Imperij ageretur, & Tacitus, qui erat primæ sententiæ Consularis, loqui inciperet, omnis Senatus acclamauit: *Tacite Auguste, Dij te seruent, te deligimus Principem, tibi curam Reipublicæ orbisque mandamus*, &c. Quibus cùm ille se ratione ætatis apud Senatum excusaret, membra jaculando inualida, corpus exsuccum allegaret; Acclamationes Senatûs hæ fuerunt: *Et Trajanus*, inquiunt, *ad Imperium senex venit, & Adrianus ad Imperium senex venit, & Antoninus ad Imperium senex venit; & tu legisti*

Fl. Vopisci de Tacito.

Incanaque Menta

Regis Romuli.

Et quis meliùs quàm senex imperat? Imperatorem te, non militem, facimus. Tu iube, milites pugnent. Seuerus dixit caput imperare, non pedes. Animum tuum, non corpus, eligimus. Postea Metius Falconius, qui post Tacitum sedebat, dixit: Seniorem Principem fecimus, & virum, qui omnibus quasi pater consulat. Nihil ab hoc immaturum, nihil perperum, nil asperum formidandum est. Scit enim qualem sibi Principem semper optauerit. Enimverò si recolere velitis vetusta prodigia, Nerones dico, & Heliogabalos, & Commodos, semper incommodos, non hominum magis illa vitia, quàm ætatū fuerunt. Dij auertant Principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes.

CONSILIVM A SENIBVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

GRAVITATEM senum, experientiam, virtutis commendationē, quæ retrò ex Profanis inter prærogatiuas seniles astruximus, quibus & tria conciliari diximus, ætati, auctoritatē; experientiæ, consilium; virtuti, honorē; sacra Scriptura luculentis testimoniis confirmat. Sapiens in Prouerbiis: *Dignitas senum canities*: seu, vt alij vertunt, Gloria, ornatus, laus senum, canities. Per Canitiem S. Isidorus sapientiam intelligit, vt & Sanctus Hieronymus. " Quæ est ista, ait, Canities? Haud dubium quin sapientia, de qua scriptum est, Canities hominum prudentia est. Cùmque nongentos & eò ampliùs annos ab Adam vsque ad Abraham vixisse homines legamus, nullus alius priùs appellatus est Presbyter, id est, senex, nisi Abraham, qui multò paucioribus annis vixisse conuincitur. „ Alij per canitiem, seu capillos canos, dignitatem senum intelligunt, quæ facit eos honorabiles & venerabiles: quia candor capitis, candorem indicat mentis. Vnde S. Isidorus canitiem à candore deducit. " Canities, inquit, vocata à candore, q. candities, vnde est illud, Florida iuuentus, lactea canities; q. d. candida. Senectus autem multa secum bona affert: quia nos à potentissimis dominis liberat, voluptatibus imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia. „ Et S. Ambrosius: " Verè senectus illa venerabilis est, quæ non canis solùm, sed meritis albescit: ea enim est veneranda canities animæ, in canis cogitationibus & operibus effulgens. „ Idem: " Senectus ipsa, inquit, in bonis moribus dulcior, in Consiliis vtilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior; infirmitas quoque corporis, sobrietas mentis est.

L. 2. Offic Eccl. c. 7
L. 2. Com in cap. 3 Isaiæ

L. 2. Orig c. 2

L. 3. Epist 21

Salomonem secutus Siracides, ait: *Corona senum multa Peritia; & gloria illorum, timor Dei.* Item: *Quàm speciosum canitiei Iudicium, & Presbyteris Consilium! quàm speciosa veteranis sapientia!*

Cap. 25

Vides vt vbique Scriptura, & Scripturæ Patres in efferendo & collaudando in senibus Canitiem, in Canitie experientiam, in experientia virtutem; tribuentes ætati auctoritatem, experientiæ peritiam, sapientiam in Consiliis, honorem virtuti; sine qua vel sola, quid in mundo sene sit con-

Digitized by Google

temptibilius, non video. Vnde Sapiens, *Tres species*, inquit, *odiuit anima mea; Pauperem superbum, diuitem mendicum, senem fatuum & insensatum.*

Vnde patet senis vocabulum non tam ætatis, quàm dignitatis, esse. Indè seniores populi, penes quos, Sacerdotibus & Scribis adjunctis, erant judicia, quæ Hebræi Greco vocabulo Sanhedrin, id est, συνέδρια vocant, vt ij planè sint πρεσβύτεροι, quos Latini eadem ratione Senatores nuncupant.

His positis, present jam hujus Tituli Morali satisfaciendum est, Consilium à senibus; & inquirendū qui sint hi senes, quos volumus consulendos.

Quo in genere, tres, à quibus petendum sit consilium, dicimus: & primò quidem Deum: Hic enim est primus Senex. Sic Danieli in throno & gloria visus: *Antiquus dierum sedit; capilli capitis ejus, quasi lana munda.* Sic Ioanni in Apocalypsi: *Caput ejus & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Quem propterea Clemens Alexandrinus ÆTERNVM SENEM nuncupat.

Hujus rei exemplo sit Salomon, Mortalium sapientissimus, qui melioribus auspiciis regni sui initia consecrare posse non credidit, quàm si humillima oratione Deum Consiliorum suorum ducem, & operum caput faceret. *Et nunc*, inquit, *Domine Deus meus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: Ego autem sum puer paruulus & ignorans egressum & introitum meum. Et seruus tuus in medio est populi, populi infiniti; qui numerari non potest.* L. 3. reg. cap. 3

Vides quàm sapienter, quàm humiliter de se sentiens, vt puer, vt ignorans, vt seruus, Deum exoraturus accedat? vt onus regiminis impositum sentiat, & egeat ope Dei? dicens: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum istum tuum judicare possit.* Et alibi: *Da mihi*, dicit, *sedium tuarum assistricem sapientiam. Mitte illam de cælis, vt mecum sit, & mecum laboret; vt sciam quid acceptum sit apud te.* Alioquin, quid expectandum Deo inconsulto, & ablegato à Consiliis Principum, nisi vt Diuinam audiant exprobrationem? *Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis Consilium, & non ex me; & ordiremini telam, & non per spiritum meum; & adderetis peccatum super peccatum, & os meum non interrogastis.* Quid, inquam, expectandum? nisi quod alibi Propheta dicit: *Non est qui inuocet Iustitiam, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates; conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Oua Aspidum ruperunt, & telas Araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur; & quod confotum est, erumpet in Regulum. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.* Sap. 9 Isaiæ 30 Isaiæ 59

Hujus sententiæ perquàm tremendæ veritas nullo non die se ad oculos nostros manifestat, super consiliis hominum, qui ordiuntur telas Deo inconsulto, & non interrogato, malorum operum; quo exsufflante, finis eorum desolatio & vastitas.

Quod ne contingat, Consilij tui caput sit Deus. Sic enim ait: *Ego Sapientia habito in Consilijs, & eruditis intersum cogitationibus.*

Secundus senex consulendus sit quisque sibi, juxta sententiam Ecclesiastici, dicentis: *Est Consiliarius in semetipso.* Item: *Cor boni Consilij statue tecum: non est enim tibi aliud plus illo.* Itaque quisque sibi Consiliarius esse potest; modò cor, non carnem; rationem, non sensum; veritatem, non sanguinem, interroges & consulas. Nam licet Apostolus dicat non prius quod spiritale, sed quod animale, ordinem scilicet Naturæ attendens; tamen ordine viuentis, Cor est primum viuens in homine: est igitur senex tuus Eccl. 37 1. Cor 15

Digitized by Google

tibi in te consulendus, non sensus. Adde quòd ordine dignitatis, Ratio prior & nobilior est carne & sensu. Est igitur Ratio senex tuus, tibi serio consulendus, audiendus, sequendus.

ad Rom. 8

Audi Apostolum Paulum: *Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritûs sapiunt. Nam Prudentia carnis mors est; Prudentia autem spiritûs, vita & pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo.*

Si quando igitur tibi superueniat negotium, lis, rixa, tentatio, & animi dubius, quid facto opus sit nescias, ante omnia consule Dominum, primum & æternum Senem. Deinde secundum Senem adi, cor tuum. Mentis tuæ penetralia ingredere; & longè fugatis sensûs, & carnis, & sanguinis mussitamentis, rationem tuam consule, perpende, rumina, quid magis deceat te operari.

Tob. 4

Tertius denique senex in Consilium adhibendus, est Sapiens, qualem Tobias Pater Filio suo testamenti vice præcepit consulere. *Consilium*, inquit, *semper à Sapiente perquire, & pete à Deo vt dirigat vias tuas, & omnia Consilia tua in ipso permaneant.* Quibus verbis satis insinuat, non à quocumque Consilium, sed à Sapiente annoso, probato, electo quærendum, quem longa experientia, & mores, & timor Dei commendent, quales describit

Iob. 12

Iob. *In Antiquis*, inquit, *est Sapientia, & in multo tempore Prudentia. Et Sapiens. Quam speciosa Veteranis Sapientia, & gloriosus intellectus, & consilium.*

Eccl. 25

Item, *Corona Senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Inde honos veris Senibus. Ait enim, *coram cano capite consurge, & honora personam Senis.*

Levit. 19

Vnde Paulus ad Timot. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem.* Et Philemoni scribens cum ei, vt dicit, posset imperare, *Magis*, inquit, *obsecro cum sis talis vt Paulus senex.* Veris dixi, sunt enim Senes, qui verè Senes sunt; & Senes qui non sunt verè Senes; & hi in Consiliarios non adhibendi, illi cautè eligendi & arripiendi. Alioquin non dixisset Deus Moisi: *congrega mihi septuaginta viros de Senioribus Israël, quos tu nosti, quod Senes populi sint, vt sustentent tecum onus populi.* Quod supra tetigisse sat est, modo aduertas Senes veros, esse sapientes & probos Consiliarios, quales pulchrum & perhonorificum foret in aulis Principum, & Consiliis accersiri, exemplo aulæ cœlestis, qualis Ioanni monstrata fuit, in qua supremum Monarcham sub specie magni Senis, in Throno sedentis circùm sedebant *viginti quatuor Seniores in vestimentis albis, coronis aureis redimiti.* Tales aulicos ambit Aula cœlestis; tales Consiliarios curia æterni Regis, Senis, Senes; &, ò [illegible]am Aula Regum terrenorum tales aueret, aut admitteret, sed implanatores malunt, & adulatores, qui vitia eorum palpent, & studia sua quantumuis injusta collaudent. Similes, vt quidam ait, istis Gallis, quos in summitate Campanilium vsus affingit, ad omnem auram, flatumque versatiles, malos Consiliarios, & Ministros, quos non afflat aut implet *Sapientia*

eã. Iacob c. 3

illa, quæ secundum Iacobum desursum est, descendens à Patre luminum, pudica, pacifica, modesta, plena misericordia, & fructibus bonis, sed huic omninò aduersa, quam ibidem execratur & pingit, terrena, animalis, diabolica, quibus hodie aulæ Regum tument.

Isaiæ 19

Quales erant ij quibus ita exprobrat Isaias. *Stulti Principes Taneos Sapientes, Consiliarij Pharaonis dederunt Consilium insipiens; emarcuerunt Principes Mempheos, deceperunt Aegiptum angulum populorum ejus.* Deinde subjungens qui tam ipsi reges, quam eorum Consiliarij Deo exsufflante perierunt, dicit,

Dominus

Digitized by Google

Dominus miscuit spiritum vertiginis in medio ejus, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.

Patuit hoc ad stuporem, cùm Moyse & Aarone apud Pharaonem stupendis prodigiis instantibus è parte Dei, vt populum suum dimitteret, divinis jussis, suam peruicaciam opponit; Consiliariis, Magos; Consiliis, consilia Hominum; veris miraculis, falsa; quousque decem plagis attritus, spiritu vertiginis de errore in errorem actus, se & populum suum vndis maris Rubri, rabie ebrius immersit.

Talis & famosus ille Achitophel Dauidi Regi ad tempus, à Consiliis, & inter Consiliarios Regios sui Æui facilè Princeps, de quo Scriptura, *Consilium Achitophel, quasi qui consuleret Deum.* 3.Reg.16 & 17

Quid ergo ille de sapientia sæculi terrena, animali, diabolica afflatus? ad omnem fortunæ auram mobilis? Absalone in Patrem rebellante tam citò, & ipse perduellis ei jungitur, quam credidit in suas partes transisse fortunam. Consilium suum non ad æquitatis lancem, sed ad præsentis spei, & commodi rationem accommodans.

Quod vbi renunciatum fuit Dauidi, Achitophel sequi filium suum, adeo corde confractus est, vt in sola ad Deum prece & ope sibi effugium quærendum crederet, dicens, *infatua quæso Domine Consilium Achitophel.* Sed quid Consilia hominum contra Consilium Dei?

Mira res! In tanta confusione fortunæ, & mutatione rerum, sciens vniuersum populum partes inimici sui sequi, plus turbatur, & extimescit vnius Consilium Achitophel, quam exercitus & copias in se irruentes innumerabiles, adeo vt à Deo non roget, vt hostiles copias fundat & destruat, sed vt infatuet vnius hominis Consilium. Nec sine causa; quid enim possunt arma Sapienti destituta Consilio? Et re vera actum erat de Dauide, si Absalon secutus fuisset Consilium Achitophel, & nisi *Domini nutu*, vt ait Sacer Textus, *dissipatum fuisset.*

Hic vero non minus interest, quem successum habuit tam impius Consiliari⁹, aduertere, quam quem infortunatus Princeps, cujus partes adjuuit, hujus enim secutus perfidiam, assecutus est & pœnam. *Miscuit enim ei Dominus spiritum vertiginis, & errare fecit sicut errat ebrius,* ipse namque præ dolore insaniens quod alienum, non suum, Absalon secutus esset Consilium, Consilio tam insano quam justo, ipse fatuus, & infatuatus, laqueo se suspendit. 2.Reg.17. Talem exitum habuit celeberrimus sui Æui Consiliarius Regius, tam de sæculari Prudentia tumens, quàm Diuina vacuus, vt verè dictum sit, *Deus apprehendit Sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat.* Apud Iob, Iob. 5 & apud Psalmistam. *Dominus dissipat Consilia Gentium, & reprobat Consilia Principum. Consilium autem Domini in æternum manet.* Psal. 32

Quam melius, fœliciusque Iosaphat Rex Iuda, qui cum contra se Moabitas, & Syrios, & Ammonitas multitudinem prope infinitam mouere, & in armis insurgere cerneret, *totum se contulit,* inquit Scriptura, *ad rogandum Dominum*, dicens, *Domine Deus Patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis Regnis Gentium, in manu tua est fortitudo & potentia, nec quisquam tibi potest resistere, &c. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus.* 2.Paralip 20. Sic ille, ante omnia, à Deo Consilium, auxiliumque quærendum putauit: nec ociosa supplicatio. Confestim enim Leuita quidam Iahaziel nomine, Diuino Spiritu afflatus, Regi & Populo, deprecantibus, dicit, *Nolite timere, nec paueatis hanc multi-*

Digitized by Google

tudinem. Non est enim vestra pugna, sed Dei. Mira res! qui fructus quęsiti à Deo Consilij! Ante preces, & supplicationes, res erat hominum: post preces, & recursum ad Deum, jam non est ampliùs hominum, sed facta est Dei. Quod impręsentiarùm sit satis.

TITVLVS XLV.

DE CONSILIO.

FABVLA.

Mures.

MVRES aliquando conuenerant consultandi causa, si quo modo possent felis capitalissimi suæ gentis hostis insidias declinare. Surgens quædam in medio, facto silentio, dixit, reperisse se aliquid cujus beneficio sese possent ab eis præstare immunes, credo enim, inquit, in confesso esse apud omnes, quod à fele non alia ratione deuastamur, nisi quia latenter in nos irrumpit, incautasque diripit; vnde si viam ostendero qua possit audiri, & aduentus ejus à nobis percipi, quò præmonitæ fugere possimus, rationem aperuero certißimam, qua ejus insidias declinare possimus, & nos in cauos nostros tutò recipere. Omnino, respondent, sed perge & edißcere quænam sit illa via? Facillima ait, & obuia. Scilicet si collo felis tintinnabulum appendatur, cujus sonitu, cum aduenerit, excitatæ fugiamus. Tunc vulgus attonitum rei nouitate acclamare, & probare inuentum: at è senioribus aliquis exurgens, aures, caputque succutiens, ait. Ego vero ô Socij, in eam vobiscum libens irem sententiam, si vt dictu, sic factu facile esset, quod juuenis iste inuenit. Sed quam inane ac leue, inde patet. Etenim quis nostrũ amabo audebit collo felis tintinnabulum appendere? Vel quis prior impune accedere? Quo dicto conticuit, & facto alto silentio, tota concio confessa est, plus esse eo in consilio temeritatis, quàm vllius soliditatis. Docet ausus & consilia, temeritate plena, esse inania, deridicula, & mera figmenta.

Tygris.

QVidam venator strenuus feras jaculis & sagittis insequebatur, fugitantes Tygris offendit, causam fugæ sciscitatur, sola instaurare prælium, & hostem aggredi promittit: talia jactantis Venator sagitta femur trajicit. Percussa ingemiscens ac quærens auctorem vulneris sui, obuiam habet vulpeculam, quæ eam miserans, ô bestiarum, ait, fortissima, quis te percussit, cum quo es præliata? Præliantem, ait, non vidi, sed fortissimi in me viri manum immissam sensi. Carpit fabula temeritatem eorum qui cum hoste non æquis viribus licet, dimicaturi in arenam descendunt.

Digitized by Google

De Leone & Homine.

LEo Senio grauatus inter omnia filio commendabat, ne vnquam cum homine congrederetur, vt potè viribus, aut astutia superiore. Præbebat Leunculus paternis monitis aures, non ita consensum, sed vbi adoleuit, & sensit vires suas, cœpit patris mortui monita spernere, & martio ardore actus quærere hominem, inuictum illum bellatorem, cum eo dimicaturus, & pugnæ fortunam tentaturus. Eo animo ex antro erumpens, inuenit boues in agro jugum trahentes, sciscitatur num Homines sint; minimè verò, inquiunt, sed homini seruimus. Progrediens offendit equum, cum strato & fræno, arbori alligatum, petit ab eo, num homo sit, nequaquam; ait, sed hominem porto. Inuenit greges ouium & caprarum, rogat, homines estis? non, inquiunt, sed hominis sumus, eum lacte & carne nutrimus, lanis vestimus. Non longè ab his, inuenit lignarium quemdam arbores cædentem in sylua, & tu, inquit, ni fallor, Homo es, ita est, ait; & Leo, tu is bellator es, cum quo mihi hodie decertandum. Cui homo, non detrecto, inquit, pugnam, & hac ipsa hora, sed quæso distrahe priùs hanc arborem, cui vides impactum ferrum, & cuneum; consentit Leo, & fissuræ arboris ita vngulas immittit, vt cuneus excideret, & partibus in se se redeuntibus, vnguibus & pedibus caperetur. Tunc Lignator, expecta hic, ait, dum testes pugnæ accerso, interim Leo magna vi se excutiens, euadit, relictis in arbore pelle & vnguibus, reuersusque ad suos, plangebat suas vngulas perditas, & suæ temeritatis pœnas.

De Ariete & Tauro.

ARies quidam, vir gregis, ea capitis & cornuum fortitudine pollebat, vt alios debellaret. Inde victoriis tumens cœpit æquales despicere, & majorum animalium certamina postulare. Audet prouocare Taurum, sed primo congressu, illiso cerebro confractus agnouit moriens, temeritatem suam, & vires impares.

Asinus & Leo.

PAscebantur simul in agro Asinus & Gallus. Leo superueniens, Asinum deuoraturus aggrediebatur, cum audit Gallum cantantem quo exterritus fugit, tum Asinus ratus propter se fugere, Leonem quasi discerpturus insequitur, extra conspectum Galli, tunc Leo conuersus ad Asinum, eum nullo negotio discerpit, strangulat, deuorat, frustrà temeritatem suam lugentem.

Vipera & lima.

VIpera adrepens cuidam ædificio nondum perfecto, relictam ab operariis Limam rodebat dentibus; subridens Lima ad eam. Quid agis, inquit, demens? Tu tibi ante dentes omnes attriueris, quam me vel tantillum læseris. Taxans inconsiderationem eorum qui temerè, & sine judicio quicquam agunt.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, ſeu *Morale.*

TEMERITAS HVMANI CONSILII

Probatur primò, & illuſtratur,

EX PROFANIS.

AVDACIAM inter & Temeritatem tanta eſt affinitas, vt vno nomine Greci θρασὺν, vocent temerarium & audacem; θρασύτητα, Audaciam& temeritatem; quamuis Audacia, prout ſignificat vim quandam animi, quæ nullis exterretur periculis, nullis malis aut laboribus frangitur, virtus ſit pars fortitudinis, aut ipſa fortitudo. Sed quatenus in temeritatẽ degenerat, cœco impetu, ſine conſilio ſeſe ferentẽ ad omnia pericula, vitium eſt, non à magnitudine animi, ſed potiùs à ſtupore & puſillitate procedens: quod Greci μικροθυμίαν vocitant, clariùs Temeritatem.

1\. Ethic 7 *Audaces temeritate prouecti*, inquit Ariſtoteles, *antè cupiunt adire pericula, quàm inſtent; cùm adſunt, ea defugiunt.*

Comicus Grecue.

> *Audere multa, multa nos labi facit;*
> *E Temeritate multa naſcuntur mala.*

Temeritas igitur prauitas eſt animi inconſulti, ſibique nimis fidentis, & hinc nunc peſſima, nunc periculoſiſſima ſuſcipientis, tam à fortitudine quàm à vera confidentia, ſeu bona Audacia abhorrens. Hæc enim ſemper eſt cauta & circumſpecta, vitij auerſatrix, bonorum conſcia, ad miraculum ſtrenua, & pugnax. Temeritas verò vitiis ſine diſcrimine & flagitiis ſubſidium prçſtat, furore cœca, vecors, ſui prodiga, prçceps; vt fera, ruit in ferrum ac vulnera, rerum momenta ſolo impetu dimetiens.

Temeritatis ſunt conſilia injuſta & turpia, quæ nemo prudens, & recti tenax audeat. Vnde Chilo dicebat, *non eſſe tentanda quæ fieri non poſſunt, aut non debent.* Quædam honeſta ſunt ac magnifica; ſed magno Reipublicæ malo tentantur, ſi nequeas perficere: atque hæc eſt prçcipua pars boni Conſultoris, deſpicere non ſolùm quid per ſe optimum ſit, ſed quid pro temporum ratione poſſit obtineri.

Lacedçm vnus ex 7 ſapient.

Reportarat Pyrrhus Rex Epyri contra Romanos victoriam, ſed tanto labore partam, tanto ſanguine emptam, vt diceret: *Si ſecundo prælio, vt primo, vincimus, actum eſt de nobis.* Senſit callidus Imperator ſuis conſiliis, bellum gerendi aduersùs Romanos plus ineſſe periculi & temeritatis, quàm ſpei aut ſecuritatis.

Dixit aliquando in concione Themiſtocles, *ſe reperiſſe conſilium, quod maximè ad dignitatem Athenienſium faceret; ſed id eſſe ejus generis, vt in publicum proferri non expediret.* Populus cenſuit, vt vni Ariſtidi indicaret: ſi is probaret probaturos omnes. Cùm igitur Themiſtocles Ariſtidi declaraſſet, ſe de incendenda Grçcorum claſſe, quæ ſuo ſtabat in littore, cogitare; ſic enim fore, vt Athenienſes toti Grçciæ dominarentur; Ariſtides ad populum, *Conſilio Themiſtoclis nil eſſe dixit vtilius, ſed eodem nil inhoneſtius.* Quo audito populus vetuit, ne vnquam ea de re ſermo fieret; vtilitati honeſtatem præferens,

Plutar. in Ariſtide.

Digitized by Google

Vnde Aristoteles docens eos qui non habitu virtutis, sed immanitate quadam, nihil omnino formidant, *nequaquam*, ait, *appellandos esse fortes, sed temerarios, insanos, sensûsque expertes*; μαινομένους, καὶ ἀναλγήτους.

L. Moral. Nicom. 3

Objurgabant Alexandrum magnum amici ejus, quod in prima acie dimicaret, temerè se nimis periculis exponeret, denique militis munus Imperator obiret: quod non grauatè tulit, vera esse intelligens, quanquam gloriæ cupido animi impetum, quo abripiebatur, frenare non sineret.

Suidas

Terentius Varro, & C. Flaminius, vt referunt rei Romanæ Scriptores, hic ad Thrasimenum, ille ad Cannas, dum Hannibalis artes despiciunt, dum æquales haberent exercitus, denique dum seipsos parum noscunt, & temerè agunt, Rempublicam penè funditus euertere.

Propterea Fabius Maximus, *qui cunctando restituit rem*, prudentissimus Imperator, audiens Minutium in Consulatu collegam multùm laudari, ait *se magis Minutij secundam fortunam, quàm aduersam pertimescere*; innuens illius temeritatem periculosam magis esse, quàm proficuam, Reipublicæ; quoniam fœlix successus in extremum discrimen populum Romanum conjiceret, & aduersi casus facerent moderatiorem: quod breui euentus demonstrauit. Nam Fabio inuito decertans, ab Hannibale attritus est.

Ea de causa fertur Pericles aliquando detrectasse certamen, & ciues suos in arma temerè ruentes retinuisse, sentiens suas vires impares, & sic Reipublicæ saluti prouidisse.

Scipionis, huic proposito, tritum illud est, *In re militari præcipuè turpe esse, dicere non putabam, quòd in aliis rebus interdum locus sit, malè instituta, posterioribus consiliis emendandi. Cæterùm quæ ferro agentur, non oportere temerè aggredi, quòd talis error sit vtplurimùm inemendabilis.* Et

Plutar. in Mor.

Augustus Cęsar eos, qui ob leuem causam periculis se exponerent, *dicebat esse similes aureo hamo piscantibus, qui plus damni, amisso semel hamo, accipiunt, quàm multarum capturarum lucro posset reparari.*

Fulgos. in l. 7. c. 2

Huiusmodi temerarios carpebat festiuè Plutarchus, dicens: *Qui boue venatur leporem, & aratro jaculatur, & sagena captat Ceruos, si non assequitur, non potest accusare fortunam, sed suam stultitiam: sic qui conantur efficere quod non queunt, dementiam suam incusent.*

Plut. l. de tranquill. an.

Scitè Lyricus:

Horat. l. 1 Car. Ode 3

Gens humana ruit per vetitum nefas, &c.
Nil Mortalibus arduum est.
Cœlum ipsum petimus stultitia; neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

Temeritatis humani Consilij exempla, tria pręcipuè celebrat fabulosa Antiquitas. Primum sit Gigantum Consilium, qui immanis staturæ homines, sed majoris audaciæ, è terra geniti, infernè in Draconum volumina desinentes, in Deorum perniciem si potuissent nati, propriis viribus freti, Superis bellum indicere, Iouemque de Cœli possessione dejicere pertentarunt. Quibus machinis, animis, viribus, quo successu, vniuersam denique Gigantomachiam eleganter describit Horatius.

L. 3. Car. Ode 4

Scimus vt impios
Titanas, immanemque turbam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat

Digitized by Google

Ventosum, & Vrbes, regnaque tristia;
Diuosque, mortalesque turbas,
Imperio regit Vnus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Ioui
Fidens juuentus, horrida brachijs,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhæus & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu
Quid Rhœcus, euulsisque truncis
Enceladus jaculator audax?
Contra sonantem Palladis Aegida
Possent ruentes? &c.

Concludit:

Vis Consilij expers mole ruit sua,
Vim temperatam Dij quoque prouehunt;
In maius: Iidem odere Vires
Omne nefas animo mouentes.

Idem decantat Ouidius, sed remissiori stilo.

1. Metamorphos.

Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantes,
Altaque congestos strinxisse ad sidera montes.
Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine & excussit subjectum Pelion, Ossa.

Secundum facinus, temerarium magis quàm flagitiosum, ausus Phaëthontis est, filij Solis, qui vt se tanti patris sobolem dignam probaret, ab eo petiit, per Stygiam paludem priùs juramento adacto, nihil sibi negaturum. Postulauit ergo à patre, vt currûs sui regendi, habenasque equorum per diem vnum moderandi, copiam faceret; & impetrauit. Sed quo successu? Ausus temerarius, casus horribilis! quem pulchro Emblemate describit Alciatus sub hac Epigraphe, In Temerarios.

Embl. 56

Aspicis aurigam currûs Phaëthonta paterni,
Igniuomos ausum flectere Solis equos;
Maxima qui postquam terris incendia sparsit,
Est temerè insesso lapsus ab axe miser.
Sic plerique rotis Fortunæ ad sidera Reges
Euecti, ambitio quos juuenilis agit,
Post magnam humani generis clademque, suamque,
Cunctorum pœnas denique dant scelerum.

Tertio loco censendum puto ausum Icari, filij Dędali, ingeniosissimi artificis; qui vt è Creta Insula capitis damnati vterque euaderent, sibi & filio alas miro dicitur è cera artificio fabricasse; quas cùm filio aptasset, & cautè ita volandum monuisset, vt nec superiùs ad Solem, nec inferiùs ad mare incederet, sed media via tutus cursum teneret; commendatæ mediocritatis malè tenax, & altiùs volandi juuenili libidine captus, alis Solis ardore liquefactis in mare pręceps delapsus est, suo casu & nomine celebratum, frustra clamante patre, vt dicit Ouidius:

2. Metamorph & 2. de Art.

Icare, clamabat; pennas aspexit in Vndis:
Ossa tegit tellus, æquora nomen habent.

Ex quo jam pręcitatus Alciatus Emblematis materiam sumpsit:

Digitized by Google

Icare, per superos qui raptus & aëra, donec
In mare præcipitem Cera liquata daret;
Nunc te Cera eadem, feruensque resuscitat ignis,
Exemplo vt doceas dogmata certa tuo.

Emblem. 103

Torquet in Astrologos ac Conjectores. Tum in quoscunque sese supra captum, statum, viresque plus æquo efferentes. Quibus posset adjungi aliud ejusdem Emblema, cui titulus, *Inanis impetus*, Canis Lunæ adlatrantis.

Lunarem noctu, vt speculum, canis inspicit orbem;
Seque videns, alium credit inesse canem.
Et latrat; sed frustra agitur vox irrita ventis,
Et peragit cursus surda Diana suos.

Embl. 164

Præallatis exemplis possent haud ineptè quædam nostri æui molimenta, antiquis, noua, fabulosis vera comparari; vt si quis motus Germanicos Palatini regnum Bohemiæ, & ipsum Imperium cum confœderatis inuadentis circa an. 1620. Gigantibus, Iouem ipsum & Deos è Cælo deturbare conantibus, similes dicat; ausu & exitu simili, disjectis fulmine à propriis, qui aliena occupare nitebantur.

Vel Anglicanæ perfidiæ ducem Cromvvellium, inaudita sęculis barbarie regnum affectantem, Phaëthontem sęculi nūcupet, patriæ incensorē.

Vel, ne nostros etiam tumultus obliti videamur, quoties plebs efferata, regiminis impatiens, tumultuata est, & in Regem aut Ministros ejus attentauit; vt cùm vltimò minoritate Principis roborata, Ministrum aggressa, è Regia, & regno, & vita, si potuisset, expulit, fixo capitis pretio. Quid fecit? Icari ausum imitata est, assecuta est & casū; & vt in fabula Murium, sicut fuit qui de suspendendo collo felis tintinnabulo consilium daret, qui prior apponeret, non fuit: sic qui de statuendo capitis Ministri Regij pretio consilium daret, inuentus est; qui vel galerum ejus rubrum oculis aut aspectu temeraret, non est inuentus: sic temeritas humani consilij, quoties momento ebulliit, ipsa pręceps ruit. Quod huic locò ex Profanis sufficiat, videamus ex Scripturis.

TEMERITAS HVMANI CONSILII

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

TEMERITAS, seu pręcipitatio, per quam fieri dicuntur temerè, quæ ratione non geruntur, inquit S. Thomas, potest contingere dupliciter; vno modo ex impetu voluntatis, vel passionis; alio modo, ex contemptu regulæ dirigentis. Et hoc propriè importat Temeritas. Vnde videtur ex radice superbiæ prouenire, quæ refugit subesse regulæ alienæ., Sic S. Doctor, ex quo quàm vitiosa sit & culpabilis Temeritas, ex triplici causa deprehenditur. Prima, quòd à ratione deficiat: secunda, quòd à voluntate Diuina; illa principio, hac regula actionum humanarum. Tertiò denique, quòd veneno inficiatur superbiæ; vt Temerariis non incongruè conueniat illud Prouerbiorum: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi cor-*

2. 2. q. 53 a. 3

Prov. 4

Digitized by Google

ruunt. Hebræa habent neruosius: *Via impiorum caligo, nesciunt in quod impingant.* Nam quomodo non caderent, quos præceps impetus agit, ducit error, nox regit?

Nunquid non impellebat ad casum præcipitiumque nox temeritatis, & superbiæ, & præcipitationis, cui dicitur: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris, qui dicebas in corde tuo; In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Siue de rege Babilonis Nabuchodonosore hæc verba intelligas, secundùm Glossam, & Hugonem Cardinalem, siue de capite Impiorum & Angelorum, Lucifero, quorum præceps temeritas & superbia, altiùs quàm par erat supergressa, confracta est?

Isaiæ 14

Glossa & Hugo Card.

Nunquid non & illos, quibus sic exprobrat Isayas? *Audiuimus superbiam Moab. Superbus est valdè; superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus, plusquàm fortitudo ejus.*

Isaiæ 16 & Ierem. 48

Sic vbique Spiritus Domini Temerarios exagitat, & rejicit. *Ne temerè quid loquaris,* inquit Ecclesiastes, *neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.* Et Ecclesiasticus: *Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, & Temerarius in verbo suo odibilis erit.*

Eccl. 5

Eccl. 9

Reducente Dauide Arcam Dei de domo Aminadab in domum Obededom, super plaustrum nouum, quod trahebant boues, stupendum est, quòd illis calcitrantibus, & Arcam inclinantibus, Oza, ne caderet, manum ad eam extendens & retinens, subitò à Deo percussus interiit. Temeritati hæc pœna ascribitur; adeò hoc vitium Deus grauiter habet! *Extendit Oza manum ad Arcam Dei,* inquit, *& tenuit eam, quia calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei.* Deus bone! sic sæuis in filium ejus, cujus patri tantò fauisti? sic custodis tui filio, cujus nuper personæ & domui benedixisti, tam austerus & durus munerator? vt quamuis Leuites & Sacerdos, Arcam incautè tangendo peccauerit; temeritas tam seuerè vindicata fuerit. Sic odit Deus superbos, & Temerarios. " Nam præterquàm quòd debuit portari humeris Leuitarum, non in plaustro animalium, vt notat hìc Glossa, & indignum erat assimilari Philisthæis Arcam deportantibus; vnde solus Oza fuerit percussus, & non frater ejus cum eo; quia illa temeritas, ait, erat de ejus ordinatione & mandato.,, Nunquid & illud temerarium fuit, Ozam Arcæ, licet inclinanti, manum apponere; quasi res Domini, quem in Arca venerabantur, esset casura, nisi humano subsidio fulciretur? Talem habet successum humana Temeritas.

2. Reg. 6

Quod vt ampliùs pateat, duo, supra quam dici potest, humanæ Temeritatis Consilia ex vtrolibet Testamento refero.

Primum, Veteris, sit, quòd primus homo crediderit ab esu pomi vetiti, sibi suisque boni & mali comparare omniscientiam, & Diuinam assimilationem, seu æqualitatem: *Eritis,* inquit, *sicut Dij, scientes bonum & malum.* Propositum incredibili ausu superbiæ, & temeritate plenum, vt dicat S. Augustinus: " Rapere voluerunt Diuinitatem, & perdiderunt fœlicitatem,,, Tantæ temeritatis quæ consecutio? quis fructus? Apertio oculorum, & nuditatis confusio. *Aperti sunt oculi amborum,* ait Scriptura, *& cognouerunt se esse nudos*: didicerunt erubescere, postquam didicerunt peccare: post casum, viderunt præcipitium; *& fecerunt sibi Perizomata*: sed nulla arborum

Gen. 3

Digitized by Google

arborum folia, nullæ tenebræ, inuolucra nulla poterant animorum erubescentiam & ignominiam operire, sicut nec quęsita deinde latibula occultare.

Alterum facinus, non singularis alicujus molitione susceptum, sed omnium à Diluuio hominum communi consensione, votis, manibus, pertentatum, fuit turris Babel; famosum opus, audax, temerarium. *Venite*, inquiunt, *faciamus nobis ciuitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* Impenetratum huc vsque Consilium, si vt hoc Asylo ab aquarum se diluuio, quod maximè ex recenti formidabant, redimerent, minus culpandum, vt Tostato videtur: si vt bellum Deo indicerent, quod Iosepho; aut quæ in Cœlo Diuina fiunt Consilia, ventilarent; plenum dementiæ, & temeritatis: si, quod aiunt, vt insana illa substructione sibi nomen immortale facerent, plenum vanitatis. Quòd omnes qui tunc erant mortales, quos ad numerum multorum millionum quidam ascendere faciunt, huic ædificationi per viginti duos annos incubuerint, & turrim in medio ciuitatis, altitudinis, vt refert D. Hieronymus, quatuor millium passuum, inchoato opere non perfecto, extructam reliquerint, non discutio.

Gen. 11

Tostat. q. 8. in c. 11. Gen.

Ioseph. l. 1. Ant. c. 4

in Isaiam c. 14.

Sufficiat impręsentiarùm aduertere, quòd molis hujus stupendæ auctor, Gigas ille fuit, sui æui tùm dominandi libidine, cùm omni scelere, famosissimus Nemrob; quo significatur Rebellio. Nomen ciuitatis & turris, Babel, id est, Confusio. Mala auspicia; omen, ex nomine, infaustum. Initium operis, Rebellio; finis, Confusio. Nam operis audax, & insolens supra modum superbia, clamauit ad Cœlum, vt peccatum Sodomæ, & prouocauit Deum vt descenderet, videret opus incœptum, & destrueret; videret Rebellionem, & confunderet. Ad quod subuertendum non fulminibus, aut turbinibus, aut ventorum flabellis, aut ignibus vsus est; sed vanos mortalium conatus linguarum dissensione confudit. *Venite*, inquit Deus, *descendamus & confundamus ibi linguam eorum.*

Ioseph. l. 1. c. 4

Gen. 11

Iam à veteri ad nouum Testamentum descendenti mihi, non minùs Deo injuria, & ab humano abhorrens videtur, Herodis regis in recens natum Puerum Iesum, Filium Dei, fraudulenta machinatio.

Venerant in magno comitatu Reges Magi Ierosolymam, interrogantes, *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum.* Homines non de plebe aut grege aliqui, quà Reges; non leuibus aut inanibus conjecturis ducti, quà Magi; Chaldæorum in astrorum scientia Principes; argumenta de cœlo, non fabulosa oracula deferentes; lingua desuper loquente impulsi, adoraturi veniunt Regem Iudæorum natum, non ab hominibus factum. Exemplum prębent, hortantur, suadent. Quid faciat Herodes, homo de sęculi sapientia turgidus, & perspicax? Coit Consilia, aduocat Pontifices, consulit omnes sacrorum Mystas, conuocat Doctores Legis, inuestigare jubet Scripturas; & per eos, Magorum dictis Scripturarum arcana concordare perdiscens, omnes temporis circumstantias obseruat, momenta rerum ruminat. Concordi voce, Diuina & humana Oracula respondent, testantur, personant, Messiam natum. Quid ille? Sub assumpta Vulpis pelle Leoninam mentem intus occultans, fingit se credere, promptum adorare. *Ite*, inquit, *& interrogate diligenter de puero; & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Cùm interim armat milites suos, parat satellites, disponit siccarios, acuit enses, qui Puerum jugulent; & ne

Math. 2

Digitized by Google

ille vnus, quem quęrit, euadat, multos sine numero mandat interfici. O calliditas impia! ô crudelitas callida! trucidatum mittis, quem adoraturum te dicebas? Sed, ô insana Temeritas! Puerum hunc, hunc Filium Dei, quem Magi Reges stella duce de longinquo requirunt, astra portendunt, Angeli circumdant, Scripturæ pręloquuntur; Putas, homuncule, tuis insidiis implicandum, comprehendendum manibus, gladiis trucidandum? Sed hucvsque progreditur Temeritas humani Consilij!

Alterum denique peruicacissimæ Temeritatis exemplum, est impiorum Iudęorum Consilium, qui nomen Iesu, Euangelium, fidem voluerunt extinguere, & æterna obliuione ex hominum memoria eradicare. Propterea conuocant Concilia, scribunt decreta, proscribunt capita, implent carceres, minantur supplicia, mortes intentant; vbique vincula, flagella, cruces. *Sed verbum Dei non est alligatum. Cæsis denuntiatur Apostolis, ne in nomine Iesu prædicare audeant.* Respondent Petrus, & Apostoli: *Obedire Deo oportet, magis quàm hominibus.* Quanto plus prohibent & sęuiunt, tantò plus *verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum.* (Actor. 6) Quare? Quia sic est voluntas Dei; & *Quis est, qui Dei poßit resistere voluntati?* vt eis proprius eorum & veritatis Doctor ac Propheta Gamaliel perhibuit: *Si ex hominibus est Consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini.* (Actor. 4) Et vanos ac temerarios eorum ausus longè antè irriserat Psalmista Regius, his verbis: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Christum ejus. Qui habitat in Cœlis, irridebit eos; & Dominus subsannabit eos,* &c. (Psal. 2)

Vnde concludas licet verbis sapientissimi Iob: *Sapiens corde est, & fortis robore; quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* (Iob. 9) Vno verbo: *Dominus dißipat Consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat Consilia Principum: Consilium autem Domini manet in æternum. Cui laus & gloria,* &c. (Psal. 32)

Digitized by Google

TITVLVS XLVI.

DE CONSILIO.

FABVLA.

Mulier & Ancillæ.

MVLIER quædam operosa, Ancillas habebat quas ad opus quotidie excitabat antequam lucesseret, ad Galli cantum. Istæ laborem & vigilias pertæsæ, de nece Gallo domestico inferenda conspirant, cujus cantu excita Hera, non sineret eas dormire, sed cogeret surgere. De facto Gallum occidunt, sed nil profuit gallicidis tale consilium. Imò magis obfuit, nam Hera quæ statis ad Galli cantus horis eas priùs excitabat, intempestis sæpe de nocte euigilans, Famulas voce clamabat, & de strato surgere jubebat. Vnde propterea dicebant inter se. Quam verè dici solet; malum consilium consultori pessimum.

Asinus, Vulpes, & Leo.

VVlpes & Asinus venatum ierant simul, ea conditione posita, vt in commune prædam partirentur. Venantibus interuenit Leo, cujus aspectu Vulpes territa, vt à se mortem depulsaret, eam procurat Asino; spondet Leoni, cum non posset duos simul deuorare, efficere, vt Asino majori præda potiatur, modo sibi liceat impunè exire. Consentit Leo, ore, non mente. Igitur Vulpes Asinum in casses, & plagas incautum detrudit, quod videns Leo, Asinum non posse euadere, Vulpem arripit, & exprobrata perfidia in socium, vt ream, primam deuorat. Ita consilium quod socio malitiosè astruere putauit, in proprium caput asciuit. Prouerbij veritatem suo exemplo confirmans, malum consilium consultori pessimum.

De Tubicine.

TVbicen in bello captus; dum hostilis furor nulli parceret, vitam sibi donari rogabat, excusans se, quod ensem quidem gereret, sed nunquam distringeret, nec funderet sanguinem, sed tantum vt lituo signum caneret, ad quem turba victorum; & eo perfide minùs venia dignus es, quod cum ipse sis militiæ rudis, & ignarus, alios tamen ad cædes & prælia accendis. Igitur tu qui furorem martium inspiras, furore martio absumeris. Ostendit tam peccare malos consultores, quam eos quibus consilium dant malè operandi.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

MALVM CONSILIVM CONSVLTORI PESSIMVM.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

SICVT nihil absque Consilio & deliberatione faciendum docet omnis schola Sapientum; ita impiorum hominum fraudulentis Consiliis abstinendum, cauendumque, nullus non prędicat. Propterea Iulius Cęsar, consultus in Senatu, in Conjuratione Catilinæ, ita prefatur: *Omnes homines, P. C. qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facilè animus verum prouidet, vbi illa officiunt: neque quisquam libidini simul & vsui paruit. Vbi intenderis ingenium, valet. Si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet.* Ita ille grauiter, ostendens, quantùm mala Consilia Reipublicæ infesta sunt: esse autem mala, quoties nebulis affectuum Ratio obtenebratur.

Saluſt. in Catilina.

Hîc sese offert locus ex Aulu-Gellio non contemnendus, ex Declamatione Æschinis apud Athenienses decerptus. *Populus, inquit, Lacedæmonius de summa Reipublicæ suæ, quidnam esset vtile & honestum, deliberabat. Tum exurgit sententiæ dicendæ gratiâ homo quispiam, turpitudine vitæ desamatissimus, sed lingua tunc atque facundia nimiùm quantò præstabilis. Consilium quod dabat, quodque fieri oportere suadebat, acceptum ab vniuersis & complacitum est; futurumque erat ex ejus sententia populi Decretum.*

L. 18. c. 3

Ibi vnus ex illo Principum ordine, quos Lacedæmonij ætatis dignitatisque majestate tanquam arbitros & magistros disciplinæ publicæ verebantur, commoto iratoque animo exilit: Et quænam, Lacedæmonij, ratio, aut quæ tandem spes erit, vrbem hanc, & hanc Rempublicam saluam inexpugnabilemque esse diutiùs posse, si hujuscemodi antea ctæ vitæ hominibus Consiliarijs vtemur? Quòd si proba isthæc & honesta sententia est, quæso vos, non sinamus eandem dehonestari turpissimi auctoris contagione. Atque vbi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque justitia præter alios præstantem, sed inopi lingua, & infacundum; jussitque eum consensu petituque omnium eandem illam sententiam diserti viri, cujusmodi posset verbis dicere, vt nulla prioris mentione habita, scitum ac decretum populi ex ejus vnius nomine fieret, qui ipsum denuò dixerit. Sic bona sententia mansit, turpis auctor mutatus est.

Quo ex loco notatu dignissimo impendiò liquet, quantùm antiqua illa probitas malum ex se Consilium auersaretur, quando etiam bonum, & Reipublicæ salubre, ab Consultore nequam suggestum rejicit, nisi auctor mutetur. Quod licet non presse ac strictè respondeat menti hujus Apologi, non penitus tamen abhorret, quà de malo Consilio aut Consultore sermo est. Ad rem igitur sententiam illam, quam Moralis vice prefiximus, omnis æui ac loci quotidiana Experientia comprobat ac celebrat.

Ejus Prouerbij originem, saltem apud Romanos, ex Gellio repeto ip-

Digitized by Google

ſiſſimis ejus verbis: *Statua*, inquit, *Romæ in Comitio poſita Horatij Coclitis fortiſsimi viri de Cœlo tacta eſt. Ob id fulgur piaculis luendum Aruſpices ex Hetruria acciti, inimico atque hoſtili in Populum Romanum animo, inſtituerant enim rem contrarijs religionibus procurare. Atque illam ſtatuam ſuaſerunt in inferiorem locum perperam tranſponi, quem ſol oppoſitu circum vndique aliarum ædium nunquam illuſtraret. Quod cùm ita fieri perſuaſiſſent, delati ad populum, proditique ſunt; & cùm de perfidia confeſſi eſſent, necati ſunt. Conſtititque eam ſtatuam, perinde vt veræ rationes poſt compertæ monebant, in locum editum ſubducendam; atque ita in area Vulcani, ſublimiori loco, ſtatuendam. Eaque res Reipublicæ benè & proſperè ceſsit. Tunc igitur, quòd in Hetruſcos & Aruſpices malè conſulentes animaduerſum vindicatumque fuerat, verſus hic ſcitè factus cantatusque eſſe à pueris vrbe tota fertur:*

Malum Conſilium Conſultori peſsimum eſt.

Hæc quidem longiuſculè; ſed elegantis auctoris obſeruatione lectorem fruſtrare nolui, aut meo ſtylo obſcurare.

Non hæc vna ejuſdem Prouerbij experientia celebratur; Teſtes immaniſſimæ crudelitatis auctores Perillus & Thraſeas, & Buſiris ipſe & Phalaris probatores. Illi enim ſuo periere inuento; iſti, quo alios cruciare delectabantur, tormento, vitam finiere. De Perillo ſic Plinius:

Perillum nemo laudat, ſæuiorem Phalaride Tyranno, qui taurum fecit mugitum hominis pollicitus igne ſubdito, & primus eum expertus cruciatum juſtiore ſæuitia. In hoc a ſimulachris Deorum hominumque deuocauerat immaniſsimam artem. Itaque vna de cauſa ſeruantur ejus opera, vt quiſquis illa videat, oderit manus. Hæc Plinius. Itaque cùm ingenij ſui & artis mercedem expectaret, à Phalaride, crudeliſſimo Tyranno, hanc reportauit, quòd in ſuo tauro primus mugiit, & arſit.

Plin. l. 34 c. 8

In hoc genere ejuſdem ſortis & fortunæ Thraſeas Augur in ſumma ſiccitate Buſyrim Ægypti Regem adiens, oſtendiſſe fertur à Superis, poſſe pluuiam exorari, ſi Ioui hoſpites immolaret. Querente deinde Tyranno, quiſnam, & cujas eſſet; cùm ſe peregrinum profeſſus eſſet, *Tu igitur primus*, inquit Buſyris, *dabis Ægypto pluuiam, mali Conſilij Conſultor, tali præmio digniſſimus.*

Quod ampliùs mirere, vterque Tyrannus, Phalaris & Buſyris, eodem ſuæ ſæuitiæ inuento, quo delectati fuerant, & ipſi abſumpti ſunt. Deo ſic juſtiſſimè decernente, vt malum Conſilium in auctores ſuos redundaret. Facto enim in Phalarim vniuerſorum ciuium impetu, ſuo in tauro, qui tot exuſſerat & mugire fecerat, vltimus mugiit & crematus eſt, vt canit Ouid.

Vtque ferox Phalaris lingua prius enſe reſecta
More bouis Paphio clauſus in ære gemas.

Adeò juſtum eſt, auctores mali conſilij ſua fraude perire.

Hoc eleganter complexus eſt Claudianus:

Quàm benè diſpoſitum terris, vt dignus iniqui
Fructus Conſilij primis auctoribus inſtet.
Sic multos fluuio Vates arente per annos
Hoſpite qui cæſo monuit placare Tonantem,
Inuentas primus Buſiridis imbuit aras,
Et cecidit ſæui, quo dixerat hoſtia ſacri.
Sic opifex Tauri, tormentorumque repertor,
Qui funeſta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente Tyranno,

Digitized by Google

Sensit opus, docuitque suum mugire iuuencum.

Idem Ouidius de Phalari:

Et Phalaris Tauro violenti membra Perilli
Torruit infœlix, imbuit author opus.
Iustus vterque fuit; neque enim lex æquior vlla est,
Quàm necis artifices arte perire sua.

Idem de Busyride:

Dicitur Aegyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus, atque annis sicca fuisse decem:
Cùm Thracius Busyrim adit, monstratque piari,
Hospitis effuso sanguine, posse Iouem.
Illi Busyris: Fies Iouis hostia primus,
Inquit, & Aegypto tu dabis hospes aquam.

Hoc etiam Princeps Poetarum Latinorum non obscurè significat in Chorœbo quodam juuene, qui sociis quibusdam Trojanis comitatus, vt stragem de Græcis facerent, auctor fuit vt arma & clypeos & insignia mutarent, quò faciliùs hostem fallerent, & in Græcos irruerent.

2. Æneid

Atque hîc exultans successu animisque Chorœbus, &c.
Mutemus clypeos, Danaûmque insignia nobis
Aptemus: dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

Qui tamen primus doli & mali Consilij auctor statim ipse occubuit.

Ilicet obruimur numero, primusque Chorœbus
Penelei dextrâ Diuæ armipotentis ad aram
Procumbit.

Hoc exemplo Poëta indicante auctores doli, malique Consilij, vtplurimùm sibiipsis malum accersere.

Nota enim est in Iure illa sententia, Eos qui agunt, & qui assensum præbent, seu consulunt, pari supplicio afficiendos esse.

Ap. Alciat Cō nent. embl. 173

Huic proposito optimè conuenit illud Demosthenis de patre cujusdam Sacerdotis, quem Brantoniam appellat, qui filium suum hominem occidentem ad id facinus hortabatur & incitabat. Vocato in jus homicida, etiam pater ejus ejusdem criminis ab aliquibus insimulabatur, ab aliis excusabatur: palam erat mortuum, ne digito quidem ab eo tactum; eaque de causa non teneri cædi à multis dicebatur. Sed Areopagitarum aliud judicium fuit, qui censuerunt suasorem eodem, ac occisorem, obstrictum scelere. Vnde ille damnatus & pulsus in exilium est.

L. I. Rhet

Imò Aristoteles argumentum citat, quo vsus est Leodamas aduersùs Callistratum, dicens, *eum qui Consilium dedisset, magis in culpa esse, quàm qui scelus commisisset*: quia scelus admissum non esset, nisi ejus auctor & consultor aliquis extitisset. Quod hac in materia pro præsenti sit satis.

Digitized by Google

MALVM CONSILIVM CONSVLTORI PESSIMVM

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

NON sine causa monuit prudens Siracides: *Multi pacifici sint tibi* (id est, Amici) *& Consiliarius sit tibi vnus de mille.* Quasi dicat, Vtere multorum amicitia, conuersatione, consortio, quibuscum pacificè consentias & tractes. At quos in necessariis consulas, cui committas & credas sensa & secreta animi tui, cui te penitus communices, cujus consilio dirigaris; vnus sit, & de mille vnus, in quo ante omnia resplendeat vitæ & doctrinæ puritas. " Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? inquit D. Ambrosius. " Vnus ergo Consiliarius de mille tibi est eligendus; qualis fuit Ioseph Ægyptiis, Daniel Babyloniis, Ioæ Regi Ioiada Sacerdos, Oziæ Zacharias, Estheri Mardochæus, Iudith Bethulinis. Eccl. 6

Quia de malis Consiliariis Psalmista loquens; *In laqueo isto, quem comprehenderunt*, inquit, *comprehensus est pes eorum*: dum capere isti putant, capiuntur, & propriis armis, insidiis, retibus comprehenduntur. Psal. 77

Hoc eleganti Metaphora ostendit idem Psaltes Regius in eodem Psalmo. *Quemadmodum patres eorum*, inquit, *conuersi sunt in arcum prauum.* Loquitur hîc de malis Israëlitis, quibus exprobrabat Moyses: *Generatio praua, & exasperans; gens absque Consilio.* Itaque *conuersi sunt in arcum prauum.* Arcus prauus, D. Hieronymo interprete, ille est, qui dum sagittas in alios jacere putatur, tenentem sauciat. " scilicet retorta sagitta, in ipsum recidit sagittarium. Mali sagittarij, qui intendentes & mittentes arcum, dum alios putant ferire, seipsos confodiunt.

Lacum aperuit, dicit idem alibi, *& effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor ejus in capus ejus; & in verticem ipsius, iniquitas ejus descendet.* Item: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Non dicit comprehendi manibus Dei, sed ipsius malè agentis, notat D. Chrisostomus Psal. 7

Ecclesiasticus locupletat hoc argumentum egregia similitudine. *Qui in alium*, inquit, *mittit lapidem, super caput ejus cadet.* Vbi aduertas, lapidem violenter in altum mitti, sed suapte natura & proprio pondere relabi in ejaculantem: Ita injurias, fraudes, offensas, cum difficultate in proximum strui; sed sine vlla difficultate in caput inferentis retorqueri. Is denique mos est Diuinæ Iustitiæ in fraudulentum, *vt captio quam abscondit apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum. Sic apprehendit sapientes in astutia eorum, & Consilium prauorum dissipat.* Eccl. 27 Psal. 34

Exemplis hæc veritas abundantiùs astruitur, quàm sententiis. Filij Iacob natu majores Iosephum fratrem suum vendiderunt, ne adorarent: sed Deo sic ordinante, quia vendiderunt, adorarunt. *Vos cogitastis de me malum,* inquit; *sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me.* Sic dum Consilium Diuinum deuitare putauerunt, impleuerunt. " Timuerunt, ait S. Gregorius, Gen. 50

Digitized by Google

ne super eos cresceret; & cauendo factum est vt eueniret. „

Exod. 1

Prçceperat Pharao, vt Hebræorum mares projicerentur in fluuium. *Quidquid masculini sexûs natum fuerit, projicite in mare; quidquid fœminei, reseruate.* Hoc tam crudele Consilium decretumque omnis Consiliariorum Regiorum turba dictauerat. Sic enim aiunt: *Ecce populus filiorum Israël multus & fortior nobis est; venite, sapienter opprimamus eum,* &c. Sed eo Consilio vsus est Deus, vt Moyses apud Pharaonem regio more educaretur. Crudelitas Pharaonis non impediuit voluntatem Dei, sed adjuuit; & quod magis mirere, diuinitùs effectum est, vt Rex Ægypti, dum Hebræorum filios occideret, per propriam filiam, nescientem quid ageret, ad mortem ipse traheretur, per Hebræos aliquando inferendam; & populus Ægypti, dum hos curat imminui, ipse cum Rege & Principibus in aquis imminueretur. *Non est Consilium contra Dominum*, vt aduertit hìc Lippomanus, insignis Scripturæ Interpres. " Vt rumpantur tibi ilia, ò Pharao, inquit, Tu in tua aula nutrire & educare cogeris eum, qui saluaturus est eos, quos tu persequeris, & te digna morte puniturus est. „

Serm. 89 de temp.

Elegantiùs S. Doctor Augustinus: " Nouum miraculi genus fecit misericors filia Parricidæ: nam dum paruulum seruat ignara, patrem decepit incauta. Dignum malitiæ ejus sceleris erat, vt filiæ prouisione periret, qui genitrices interdixerat parturire. „

Serm. 89 de temp.

Adde quòd non solùm Pharao, cui mortem volebat inferre, vitam impertiit, sed etiam coronam. Refert enim Iosephus, Pharaonem, cùm Moysi blandiretur infanti, & inter brachia gestaret, regiam coronam de suo capite detraxisse, & capiti Moysis imposuisse, non obscuro prçsagio, vt regnaret ille, quem Rex voluerat internecioni dare.

Psal. 36

Hinc illa Dauidis imprecatio, imò Diuinæ Iustitiæ æquissima denuntiatio: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Nam ratio postulat, vt quam quis fraudem alteri molitur, prior ipse patiatur, & ante sibi noceat, quàm alteri. Sic Goliath Dauid inermis & puer, & Iudith fœmina, Holophernem, suo quemque gladio jugularunt, quò scias fraudis molitores omnes machinamentis, quæ in alios struxere, opprimendos.

Optauit aliquando Sathan S. viri Iob esse tortor, persecutor & carnifex; & Deum, vt ei malum inferret, instigauit, orauit, exorauit. *Mitte*, inquit, *manum tuam, & tange os ejus & carnem.* Et Dominus ad Sathan: *Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serua.* Ecce morem gerit Sathanæ Deus, ita tamen vt ejus nefariam voluntatem in ipsius conuertat Dçmonis perniciem ac ruinam. Dum enim Iobi voluit esse destructor & carnifex, factus est conseruator & custos. Sic illusus fuit, qui Iobi virtuti ac vitæ inuidit, dicente S. Ambrosio: " Diaboli quidem morsum pertulit, sed venena non sensit. Quanta vis Christi, vt custodia hominis imperetur etiam Diabolo. Imperante Christo, & Diabolus ipse fit prædæ suæ custos. Inuolauerat ad deuorandum, & seruiuit ad coronandum. „

Saül Rex Dauidi Filiam suam pro præmio interfecti Gigantis spoponderat, promissæ ad nuptias Filiæ, victori pretium injustè auxit, daturum eam se promittit dummodo centum Philistæorum præputia dotis loco exsolueret. " Non sponsalia, sed malitiosè Dauidis mortem intendens, ait Lyranus, cogitabat quippe vt ad consequendum hoc matrimonium Dauid audacius periculis se exponeret, & periret. „ Ecce consilium Saül, sed vide quomodo Deus illud inuertit, pactus Dauid centum Philistæos,

duplo

Digitized by Google

duplò reddidit, ducentos occidit, & celebre factum est nomen ejus, dicit Scriptura. « Dum militis sui vitam extinguere credidit, virtutis ejus gloriam inde cumulauit, » ait S. Gregorius vbi supra.

Abimelech, filius naturalis Gedeonis, septuaginta fratres suos, vt regnaret, interficit. Quid ei proficit tot fratrum sanguis effusus? Ipsa ejus immanitas, qua sibi viam ad regnum munire putat, eum à regno & vita deturbat, dicente sacro Textu: *Sichimitæ* (quibus ad hoc scelus vsus fuerat) *cœperunt eum detestari, & scelus interfectionis filiorum Ierobaal*, id est, Gedeonis, *& vltionem sanguinis eorum conferre in Abimelech*. Quid inde? Cœlo vindicante, parricidam vna fœmina in capite tegula percussit; & per suum deinde armigerum, in desperationem actus, vitam tenui adhuc filo hærentem, exsoluit.

Adeò verè pronunciauit Ecclesiasticus: *Qui laqueum alij ponit, peribit in illo: facienti nequissimum Consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet vnde aduenit illi.* Testis Aman, in eadem furca suspensus, quam Mardochæo parauerat. Testes Achab & Iezabel, homicidæ Naboth; quorum iidem canes, qui sanguinem occisi linxerant, sanguinem eodem in loco linxerūt. Testes Principes regis Darij, accusatores Danielis, iisdem leonibus discerpti, quos in Danielem parauerant. Testes lasciui senes, qui castæ amore Susannæ exarserant, iisdem Consiliis, manibus, saxis obruti & contriti, quibus innocentem adjudicauerant.

Eccl. 27.

3. Reg. 21

Testes denique perfidi Iudæi in causa innocentissimi Domini nostri Iesu Christi, qui dum iniquissimis eum Consiliis è medio tollere statuissent, ne venirent Romani, & gentem & locum perderent, vita & loco & regno depulsi sunt. « Vt possiderent, occiderunt, inquit S. Augustinus; & quia occiderunt, perdiderunt. » Dixerunt homicidæ: Nobis non licet interficere quemquam; & propterea Pilato tradiderunt occidendum, vociferantes Crucifige, crucifige, vt ab ejus morte viderentur immunes. Quid profecit incauta crudelitas? Deus sua in ipsos consilia inuertit. Inde manifestata Christi innocentia, & sua perfidia, vnde vtrumque obscurare & occultare volebant, protestante Pilato: *quia in eo nullam inuenio causam.* Et dum à Deo vero suo Rege transfugæ, Cæsarem amicum habere voluerunt, dicentes: *non habemus Regem nisi Cæsarem*; Cæsarem offenderunt, & habuerunt hostem & Tyrannum, & suæ gentis subuersorem.

Vt verè de eis Propheta Rex prædixerit, in persona Domini loquens. *Circundederunt me sicut apes.* Quare sicut apes? « Quia pungendo se euiscerant, inquit Glossa, sic Iudæi occidendo Christum, intus perierunt; *circundederunt me sicut Apes*: quæ dum pungunt stimulum in vulnere simul & vitam linquunt. « Sicut Apes, ait Hugò Cardinalis, ob duas causas. 1. Quia vt Apes mellificant aliis, non sibi. 2. Pungendo alios seipsas euiscerant, ita Iudæi mellificauerunt nobis dulcedinem in passione Christi, & ipsum nobis dulciorem fecerunt. Item Christum pungentes clauis passionis, seipsos euiscerarunt, & animas suas perdiderunt. Sic malum eorum in Christum Consilium ipsis Consultoribus factum est pessimum.

Digitized by Google

TITVLVS XLVII.
DE SOCIETATE.

FABVLA.

De Carbonario & Fullone.

VICINI *erant Carbonarius & Fullo, ille in ampla domo, hic in angusta. Inuitauit igitur Carbonarius Fullonem, vt secum cohabitaret, spatiosam esse satis superque ambobus domum suam. At Fullo recusare; & cum ille instaret, nullo modo conuenire, ait iste, tam diuersas artes profitentibus. Quid enim mihi cum Carbonario? si quæ dealbo, tu inficias nigredine? quæ pura & munda efficio, tu fuligine imbuas? Docet non temerè cum quolibet ineundam societatem; probis improborum vitandam esse, sicut sanis ægrorum contagionem, communionemque.*

De Agricola & Ciconia.

T*Etenderat laqueos Colonus in agro, Gruibus & Anseribus sua sata depascentibus, qui vbi aliquos implexos vidit cursu aduolans, vt captos educeret; inter eos captam inuenit Ciconiam, seu Pelargum. Hic supplex rogabat hominem, vt se insontem dimitteret, præter mentem in retia incurrisse, se nec Gruem esse, nec Anserem, sed auium optimam, nulli noxiam, pietate in parentes, ipso de nomine, Ciconiæ, nulli non notam, probatamque. Cui Rusticus: Quæ dicis tam pulchra, haud scio, vnum scio, quod te teneo, quod cum nocentibus te reperio, quibuscum etiam jugulaberis. Docet in consortio malorum nullum insontem, satis esse reum, qui improborum socius est.*

Hirundines & Olores.

I*Nsultabant Oleribus Hirundines, & exprobrabant solitudinem, canendi imperitiam, inertiam, Iactantes se, quod vrbes & domos, & ipsa cubicula Principum penetrarent, diu, noctuque suis modulationibus implerent, ac mirificè delectarent. Talia effutientes Olorum turba perceperat, nec responsione dignas judicabat, cum vnus eorum, rarissimè quidem ait, modulamur, & extra vrbes in solitudine degimus, quia nec modulationum nostrarum sacra vulgari, nec solitudinis nostræ penetralia temerari, aut nos vulgò committere patimur; vos animal importunum, in*

Digitized by Google

ades quorumcumque inconditas vestras cantilenas, etiam nolentium irruentes, obgarritis, auersantur vos, & cantus vestros, & genus vestrum, solis criminibus famosum; & licet excisis linguis loquax, à se quantum possunt, deturbant; ite igitur à nobis importunæ auiculæ, nos vrbes & turbas populares fugimus, ne vestra societate contaminemur; cum vos & Monedulas, vobis nequicquam meliores, expulerint, tunc prope ciuitates & magnatum tecta, diuina nostra suis numeris absoluta modulamina pangemus. Docemur malorum societatem, bonis omnibus inuisam & exosam, fugiendam.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

CVM MALIS SOCIETAS FVGIENDA.

Probatur primò, & illustratur, *EX PROFANIS.*

FREQVENTER Seneca inculcat Lucilio suo, nil tam sanctitati morum officere, quàm peruersorum hominum societatem ac conuersationem. *Hærebit tibi*, inquit, *auaritia, quandiu auaro sordidoque conuixeris. Hærebit tumor, quandiu superbo conuersaberis. Nunquam sæuitiam in tortoris contubernio pones. Incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Si velis vitijs exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Auarus, corruptor, sæuus, multum nocituri; si prope te fuerint, intra te sunt. Ad meliores transi, cum Catonibus viue, cum Lelio, cum Tuberone. Quòd si conuiuere etiam Græcis iuuat, cum Socrate, cum Zenone versare, &c. hi tradent Diuinorum humanorumque notitiam.*

Sen. epist 104

Idem libro 3. de Ira, vim societatis malæ ostendens, sic ait: *Sumuntur à conuersantibus mores; & vt quædam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorē vini traxit; impudicorum cœtus fortem quoque & siliceum virum emolliit; auaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem ex diuerso ratio virtutum est, vt omne quod secum habent, mitigent.*

Lib.3 de ira, c.7

Hac de causa formoso iuueni ad conuiuium properanti, Diogenes: *Deterior*, inquit, *redibis*. Reuersus adolescens à conuiuio, Diogeni obuiam dixit: *Fui, redij, nec deterior. Imò deterior*, respondit Diogenes. Iudicans fieri non posse, vt ex consortio improborum iuuenis non factus fuisset deterior, & eò magis, quò minus agnosceret.

Laërt. in Diog. lib,

Vt enim optimum vinum, corrupti societate facilè acescit; sic optima quæque ingenia, malorum ac petulantium perfricatione corrumpuntur.

Propterea sapientis Epicteti opportune foret consilium, non facilè frequentanda quorumcunque sine delectu conuiuia. *Conuiuia*, inquit, *cum extraneis ac vulgaribus respue. Quòd si quando tempus incidat, intentum habe animum, ne in vulgarem statum defluas: scias enim necessarium esse, qui cum inquinato conflι-*

In enchir c. 41

Digitized by Google

ctetur, & ipsum inquinari & pollui, etsi purus ipse fuerit.

Epist. 12 ad Orig.

Verissimum fuit Cratis effatum, cuidam parenti dicentis: *Non rus bonos reddit, neque vrbs malos; sed bonorum & malorum commercia. Quare si vis tibi bonos, & non malos, euadere liberos; mitte non in agrum, sed ad Philosophi domum, quò & ipsi commeantes honestatem didicimus. Constat enim exercitatione virtus; neque vltrò se in animos hominum ingerit, quemadmodum malitia.* Ita ille. Vitia enim, vt contagione certæ ægritudines, sic se animorum affricatione communicant.

Hoc est, quod sapientum turba maximè prędicat cauendum, & noster, in his consiliis totus, Seneca.

Epist. 7

Quid tibi vitandum præcipuè existimem, quæris? Turbam. Nondum illi te tutò commiseris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui, turbatur: aliquid ex his quæ fugaui, redit. Quod ægris euenit, quos longa imbecillitas vsque adeo affecit, vt nunquam sine offensa proferantur; hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica est multorum conuersatio. Nemo non nobis aliquod vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus illinit. Vtique quò major est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est. Nihil verè est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Longiuscula sententia, sed pulchrior, & ad rem nostram justior, quàm vt mutilari debeat.

Ibidem

Redit mox in eandem sententiam. *Subducendus est populo,* inquit, *tener animus, & parum tenax recti: facilè transitur ad plures. Socrati, Catoni & Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset; adeo nemo nostrûm, qui cum maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Vnum exemplum luxuriæ, aut auaritiæ, multum mali facit. Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Vicinus diues cupiditatem irritat: malignus comes, quamuis candido & simplici, rubiginem suam affricuit. Necesse est aut imiteris, aut oderis,* &c. *Recede in teipsum quantum potes; cum his versare, qui te meliorem facturi sunt; illos admitte, quos tu meliores facere potes.* Quęso te, quid verius, aut Christianius dici potest? Et libro de Tranquillitate: *Serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque vt in pestilentia cauendum est, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus assideamus; quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam; vt quàm minimè inquinatos assumamus.*

Sen. l. de tranquill. animi

Benè Satyricus:

Iuvenal Sat. 2

Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures, sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci;
Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua.

Et Comicus:

Talis quis esse putatur, qualis ei est sodalitas:
Sed non morantur vna nox, dies, bonus malus.
Vix diurnant disceptantium morum contubernia;
Vix vna domo moratur cum nepote sobrius.
Vis fieri sapiens, sapientis contubernio vtere.
Nunquam coëunt vitia ipsa cum virtutibus,
Periculosè cum serpente lusites.

Digitized by Google

Et alius:

Claudicare disces, vni si vel claudo assueueris,
Conuersatio bonorum de malo facit bonum.
Fermentumque item farinæ vim suam communicat,
Nil nisi sordidum è vili contubernio trahas.
Pestilentius malorum contubernio nihil.
Consortio redderis improbi improbus.
Mores trahuntur cuique à conuersantibus.
Vis nosse Regem, familiares noscito.

Sic stylo mordaci Satyricus Romanæ vrbis corruptionem modo Græcorum moribus perditissimis consuetudine ac cõmercio traductis attribuit

Iuvenal. Sat. 3

Quæ nunc diuitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipuè fugiam, properabo fateri.
Nec pudor obstabit. Non possum ferre Quirites
Græcam vrbem, quamuis quota portio fecis Achææ?
Iampridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes;
Et linguam & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non Gentilia tympana secum
Vexit, &c.

Modò Romanis exprobrat, quòd vitia Barbaris quos vicerant docuissent, quæ priùs ignorarent, & in suam postmodum patriam referrent, Sic enim ait:

Sat. 2

Arma quidem vltra
Littora Iuberna promouimus, & modò captas
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos:
Sed quæ nunc populi fiunt victoris in vrbe,
Non faciunt illi, quos vicimus, &c.
Aspice quid faciant commercia: venerat obses,
Hic fiunt homines, nam si mora longior vrbem
Indulsit pueris, non vnquam deerit amator &c.

Porro quando in hanc materiam periculosæ societatis incurrimus non fuerit extra rem aduertere, sanioris mentis hominum communem esse sententiam, periculosam sapienti, aut ad sapientiam tendenti, Mulierum etiam honestarum conuersationem esse. Quippe quarum ingenia vim virorum emolliant & emasculent blando quodam, & fallente dulcedinis lenocinio ac veneno.

Ea de causa tritum est illud Catonis Vticensis: *Si absque fœminis*, inquiebat, *esse posset Mundus, conuersatio nostra non esset absque Dijs.*

Plutar.

Refert Valerius Maximus, quòd cùm quidam nebulo palam dixisset, audiente Pythagora, *malle se cum mulierculis, quàm cum Philosophis quibuslibet viuere, ac conuersari. Etiam sues*, respondit Pythagoras, *in cœno libentiùs, quàm in pura aqua versantur.*

Et Plautus:

In sticho.

Qui potest mulieres vitare, vitet, vt quotidie,
Pridie caueat, ne faciat quod se pigeat, postridie.

Paucis perstringam, etiam virtutes mulierum homini periculosæ sunt; sed hominis improbi, nil non vitandum est, & vita & sermo. *Sunt quidam*, ait Seneca, *qui vitia gestant, horum sermo multum nocet; nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit, sequiturque nos etiam cum ab illis discesserimus*

Epist. 123

resurrecturum postea malum. Quemadmodum, qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem & dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi. Sic adulatorum & praua laudantium sermo diutius hæret quàm auditur, &c.

Horum & similis farinæ hominum societas omni sapienti deuitanda est, non secus ac Fulloni de fabula conuictus Carbonarij. Si vis piè, si castè, si sine crimine æuum degere, impij, lubrici, scelerati non limen tange, domum non intra, non mensam adi: quia suos tibi volenti nolenti mores inducent; & quanquam ex te nocens non fueris, cum malis non eris innocens, de malo consortio malus reputaberis; & vt Ciconia inter Anseres capta, damni reus teneberis. Quòd si aliter mala consortia fallere non potes, nisi homines fugias; fuge vrbes & turbas, & obstreperas hirundines, impura animalia; & si non corpore, saltem animo apud te secede; cum tuis similibus sacris Oloribus pios concentus modulans.

CVM MALIS SOCIETAS FVGIENDA.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

Eccl. 13 — CONFIRMATVR præsentis Apologi mens non paucis textibus Scripturæ & exemplis; dicente imprimis Ecclesiastico: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Salomone (Prov. 13): *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus stultorum, similis efficietur.* Psalmographo Rege (Psal. 17): *Cum Electo Electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Item (Psal. 105): *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Sed quæ opera? *Et seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Et immolauerunt filios suos & filias Dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan*, &c. Quanta, à mala societate, mala, flagitia & scelera! vt huic vni causæ suæ gentis lapsus & relapsus in Idololatriam multiplices, aliaque horrenda scelera ascribat.

Periculosam cum iniquis conuersationem, fugiendam esse satis docet Apostolus, graui stylo, & grandi stomacho in Chorinthios inuehens, incestuosi conciuis societate pollutos (1. Cor. 5). *Et vos*, inquit, *inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit*, &c. *Nescitis*, inquit, *quia modicum fermenti totam massam corrumpit?* « Per fermentum, inquit hîc S. Thomas (S. Thom. in 1. Cor. 5), potest intelligi homo peccator, & ad hoc inducitur hæc similitudo. Sicut enim per modicum fermentum tota massa pastæ corrumpitur; ita per vnum peccatorem tota societas inquinatur; dum per peccatum vnius alij prouocantur ad peccandum, vel etiam peccanti consentiendum, non corrigendo; secundùm illud Romanorum 1. *Digni sunt morte non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* » Ex quo discas duplex periculum à mala societate incurri: primò, ne ipse malè fa-

Digitized by Google

cias, prauum sequens exemplum; secundò, ne facienti consentias aut conniueas.

Et verò quid purius lucidiusve massa Angelorum? Eorum tamen tertiam partem Draco visus Ioanni, cauda trahebat in terram, quomodo verò trahebat? " consensu, ait Hugo Cardinalis. Id est exemplo, societate, consortio. " Quomodo inquam? respondet D. Thomas. " Peccatum primi Angeli fuit illis causa peccandi, non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens. Et sic, vt dicit Glossa, " Qui cæteris in esse erat excellentior, factus est in malitia major. " Vide quanta strages à societate mali, in Angelis! *Quanto magis in his qui habitant domos luteas & terrenum habent fundamentum*? diceret Iob.

Apoc. 12
Hugo Card.
S. Thom. 1. p. q. 63 a. 8
Glossa ordin.
Iob. 4

Quid quod corrumpendo sanctissimo viro protoparenti Adamo, vnius Euæ societas satis fuit? plurium vxorum Salomoni? Populi errantis Aaroni? quorum omnium occasione, scio, quod Apostolus, ait, *Adam non est seductus, Mulier autem seducta in preuaricatione fuit*, quæ verba admiratione non vacant, sicut nec difficultate, cujus extricandæ, pluribus, non est hujus loci, sufficiat cum Augustino Apostoli confirmare sententiam dicendo, " Adamum non fuisse proprio errore seductum, cum præceptum Diuinum transgressus est. Sicut nec Aaronem, conflando vitulum aureum ad adorandum; nec Salomonem, Idolis conjugum suarum sacrificantem. Sed primum, sociali necessitudini paruisse, nec dulci consortio Euæ suæ blandienti valuisse, resistere. Nec secundum, erranti multitudini, suo exemplo ad nefas trahenti. Nec denique tertium, fœmineis blanditiis, " ne suas, ait S. Doctor, quibus deperibat, & totus diffluebat delitias, contristaret. "

1. Tim. 2
L. 14. de c. D. c. 11 & 11. sup. Gen.

Quid ergo? nunquid culpam horum euacuamus? Imò amplius grauamus, cum mentis proprio errore non seductos, alieno dicimus deliquisse, & apertis oculis videntes, volentesque in nefarium opus incurrisse, & Dei offensam, odiumque creaturarum amori posthabuisse, vt inde aduertas quid possit & quid fecerit, in tantis hominibus blandiens necessitas exempli vel societatis.

Quod de Aarone hîc dictum est, peccasse conflando vitulum aureum ad adorandum, impellente eum potiùs multitudine, quàm propria voluntate, confirmat Glossa, & Hebræi affirmant Iudæos in Idololatriam prolapsos exemplo & societate Ægyptiorum Proselitorum, qui Idolis assueti, alios prouocauerunt; quorum deinde consortio Aaron peccauit. Quod eo verosimilius efficitur, quòd fecerunt vitulum in memoriam Apis, maximi Numinis Ægyptiorum in forma bouis.

Exod. 32
V. Glossa

Inde minùs mirum quod narrat Moyses, quòd *cùm cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent*, diluuium vitiorum tam citò exundarit: Nam perituro mundo duo mala preiuere, & diluuio aquarum fuere præambula; Multiplicatio generis humani, exundante consequenter cum humana propagine malorum consortio; & multiplicatio fœminarum. Dicit enim: *Cùm cœpissent homines multiplicari, & filias procreassent*, tunc exundauit delictum, quod diluuio eluendum & expiandum fuit.

Sed magis stupendum est, quòd tantam peccatorum colluuiem, vnius Caini soboles, & contagio inuexit, lenocinante pulchritudine & formæ damnatæ stirpis vitiosarum mulierum. *Videntes*, inquit sacer Textus, *filij Dei* (id est, filij Seth, sanctissimi) *filias hominum* (id est, Caini) *quòd essent*

Digitized by Google

pulchræ,&c. hac illecebra corruptio totum genus humanum inuasit & peruasit.

Quid quòd per filios Dei in amorem filiarum hominum diffluentes, Angelos etiam bonos turba Sanctorum Patrum non contemnenda intellexit & credidit? tanta ex consortio fœminarum, vel bonis, lues, vt etiam Angelos inuadat. Vnde eloquentissimus Afer inferat, velandas in Ecclesiis ex præcepto Apostoli fœminas, propter Angelos. "Debet ergo, inquit, adumbrari facies tam periculosa, quæ vsque ad cœlum scandala jaculata est."

Pererius in Gen. to.2. d.1.

Tertull. l. de veland.mul.

Hîc non incongruè referri potest textus Ecclesiastici in cortice litteræ difficillimus, multorum ore versatus & jactatus: *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Cujus loci facili negotio nodum soluit aut extricat Glossa: "*Melior*, id est, minùs mala, ex more Scripturæ, *est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*; scilicet ad conuersandum, ad cohabitandum. Quasi dicat: Minùs periculosa est cum viro iniquo conuersatio & societas, quàm cum muliere etiam bona. Et hunc esse genuinum hujus loci sensum antecedentia hæc verba testantur: *In medio mulierum noli conuersari.* Rationem subjungit: *De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.*

Eccl.42

Glossa

Quòd si mulierum, etiam piarum, periculis obnoxia est societas, quantò magis malarum?

Ea de causa exire jubetur de terra sua Abraham, *de Vr Chaldæorum*, Idololatra, ignem pro Deo adorante, dicit Glossa; *& de cognatione sua*, seu familia, in qua Nachor frater ejus major ex bono peruersus euaserat; *& de domo patris sui*, Thare videlicet, etiam ipso Idolis Chaldæorum seruiente; ne tantus vir suorum societate inficeretur.

Glossa in c.11.Gen

Cui enim stupori non sit, quanta ab vnius pessimi societate populo vniuerso Hebræorum damna illata sint? sicuti de Achan apud Iosue refertur, qui cùm de Anathemate vrbis Iericho aliquid clam surripuisset, contra verbum Domini, vnius ob noxam cæsus est populus Israël, ac superatus ab hostibus; & in tantum iratus Deus, vt diceret: *Non poterit Israël stare ante hostes suos, eosque fugiet; quia pollutus est Anathemate.* Quomodo vnius culpa, facta est totius gentis, adeò vt in omnes pœna redundaret? nisi vt discas cauere, quo cum miscearis, cui te sodalem præbeas.

Iosue 7

Notant D. Augustinus & Bellarminus, Ieroboam, antequam ob metum Salomonis fugisset in Ægyptum, bonum extitisse, & intra biennium, quod à fuga ipsius ad mortem Regis ejusque reditum numerant, euasisse impium, Ægyptiorum societate pollutum adeò, profligatumque, vt Rex renunciatus à populo illico vitulos aureos adorandos proposuerit. Mirum, tantæ corruptelæ suffecisse duos annos imbuendæ!

L. 17. de C.D.c.21 Lib. 2. de amission. gratiæ

Nec minùs mirum est, quàm malè cesserit optimo Regi Iudæ Iosaphat, cum Ochosia Rege Israël contracta societas, *cujus opera*, testante Scriptura, *erant impiissima*: Nam præterquàm quòd in grauissimam reprehensionem incurrit, exprobrante illi Iehu ex parte Domini: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris; & idcirco iram Domini merebaris, nisi bona opera inuenta fuissent in te*, &c.

2. Paralip 20. & 19

& 19

Præterea etiam classis, quam cum eo communibus expensis in Tharsis mittendam parauerat, antequam eò appelleret, naufragio periit, arguente eum Propheta Eliezer: *Quia habuisti fœdus cum Ochosia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.*

2. Paralip 20

Vnde

Digitized by Google

Vnde videas, ne justo & innocenti quidem licere, aut securum, etiam exercendæ mercaturæ ac nauigationis causâ, cum hominibus perditis & impiis fœderari, aut jungi.

Ea de causa Propheta seipsum remordens conquerebatur. *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum.* Et addit; *& in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Quasi diceret: Non possum esse mundus, inter immundos habitans. Quod exponens S. Hieronymus, ait: " Prouidendum est sub hoc exemplo non solùm vt simus justi, sed ne cum peccatoribus moremur; quia hoc in peccati ac miseriæ parte dicit Propheta, habitans in medio populi polluta labia habentis. "

Isaiæ 6

Epist. 1 ad Damasum.

Majoris mihi admirationis causam præbet, quòd Patriarcha Iacob appropinquare cernens diem mortis suæ, adjurat Ioseph filium suum in terra Ægypti, in quam demigrauerat, dicens: *Pone manum tuam sub femore,* &c. *vt non sepelias me in Aegypto, sed aufferas me de terra hac, condasque in sepulchro majorum meorum.* Queri meritò potest, cur in Ægypto, vbi filius suus Ioseph tanta auctoritate & honore sublimabatur, sanctus Senex non vult sepeliri? Dubitabat fortè, ne in terra infideli non posset resurgere. Minimè verò. Sed respondet Oleaster: " Non solùm in vita, sed & in morte, malorum consortia fugere volebat; adeò Sancti peccatorum societatem abhorrent, & nos abhorrere docent. "

Gen. 47

in Gen.

Idem fecit & Ioseph: *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Inter causas hujus rei vna est, " vt significaret fugiendum esse à consortio peccatorum, ait Pererius. "

Gen. 50

Ex dictis Moralis propositi veritas abundè probata videtur, CVM MALIS SOCIETAS FVGIENDA. Quod concludent sacri Poetæ hi versus:

Ne tibi, qui vitijs scateat; conjunge sodalem:
Namque etiam firmos pestis grauis occupat artus.
Non tu virtutem tribues; sed dedecus ipse
Accipies, vitijs atque inficiere profanis.

S. Greg. Naz. car. 50

Quibus omnibus libeat adjicere, quod S. Doctor Augustinus de sodali suo Alipio, & ipso olim in sanctitate & Episcopatu Collega, quò euidentiùs malæ venenum societatis appareat. Is enim adhuc adolescens, cùm obuiam factus esset condiscipulis quibusdam suis ad spectacula gladiatoria tendentibus, & ab iis inuitus ac renitens, vt qui talia auersaretur ac detestaretur, amicabili quadam violentia potiùs raptus, & actus, quàm ductus, Amphitheatrum subiisset, dicens: Si me & corpus meum vi istuc trahitis, nunquid & animum & oculos meos in illa spectacula potestis intendere? Adero itaque absens; & sic & vos, & illa superabo. Quid tandem? " Quodam pugnæ casu, cùm clamor ingens totius populi eum pulsasset, aperuit oculos, fixit aspectum, hausit furias, immanitatem ebibit, cruenta voluptate victus, captus, & inebriatus est. Spectauit, clamauit, exarsit; abstulit inde insaniam; alius qui venerat, rediit, verus socius eorum, à quibus abductus erat, misericordissima Dei manu postea sanandus & erigendus. "

S. Aug. L. 6. Conf. c. 8

Digitized by Google

TITVLVS XLVIII.

DE SOCIETATE

FABVLA.

Canis & Gallus.

CANIS & Gallus longa inter se familiaritate, & necessitudine coniuncti, peregrinari simul instituunt, fidem mutuò oppignerant, societatis & amicitiæ officiis alter alteri, non deficiendi. Cum igitur iter facerent, & eos alicubi nox occupasset, Gallus arbore conscensa noctis vigilias pro more, suo cantu obseruabat, dum interim Canis ad pedes ejus dormiret. Vulpes audiuit Gallum cantantem, & prædæ auida quantociùs accurrit, eminus conspicata salutauit, rogans vt descenderet, vehementer cupere, ob antiquam necessitudinem eam amplecti, amicum sibi animal, cantus suauitate adeò charum, tractare, & muneribus prosequi. Gallus intellecta fraude, fingit se verbis ejus credere; præstò, ait, se accessurum, si priùs ianitorem suum ad radicem arboris dormientem excitauerit. Vulpes rata esse alium Gallum, aut Gallinam, accedit propius, tum Canis aduigilans insilit in Vulpem; & discerpit. Hoc docetur quanti emolumenti, vtilitatis solatij, sit bonorum societas.

De Agno & Lupo.

IBant pastum Agnus & ingens Hircus, simul. Lupus occurrit, Agnum interrogat quò abeat, & qui matre relicta fœtidum Hircum sequatur, comiteturve, suadet vt redeat, sinat ad sua ire; ipse vero ad matris vbera, lacte turgentia pergat. Intelligens Agnus quò tenderet, hujus me fidei, ô Lupe, inquit, mater mea me commisit, huic me sociauit, commendauitque; ab ejus societate & consortio non distrahor, nec soli foret securum: parentibus plusquam tibi, obsequendum. Lupus nil se proficere videns, duos non ausus aggredi, abiit impransus. Ex quo patet, societatis bona vtilitas, cujus beneficio multorum salus incolumitasque accepta sit referenda.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

CVM BONIS SOCIETAS INEVNDA

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

NIHIL homini Natura contulit jucundius, nihil vtilius, Societate. Hæc enim eum à feris distinguit; hæc familias, hæc vrbes, hæc regna, hæc populos coire facit; hæc leges & jura constituit, sine quibus ferarum instar mutuis homines plagis sese conficerent. Hoc totum, & quidquid in hanc rem dici potest, Seneca comprehendit. *Quoniam*, inquit, *cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est, quæcumque vaga nascuntur, & acturæ vitam segregem armata sunt, hominem imbecillitas cingit: non vnguium vis, non dentium, cæteris terribilem fecit; nudum & infirmum societas munit; duas res dedit, quæ illum, obnoxium cæteris, validissimum facerent, Rationem & Societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. Societas terris genitum, in alienæ Naturæ transmisit imperium, & dominari etiam in mari jussit; morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit, &c. Hanc tolle, & vnitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes.* Quod alibi pulchra comparatione conclusit.

Lib. 4 de ben. c. 18

Societas nostra, inquit, *lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinetur.* Quibus ex verbis, quid homo homini prosit, quid alter alteri conferat, perspicuum est. Vt enim ipse docet:

Epist. 48

Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia, nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi. In commune viuitur; nec potest quisquam benè degere, qui se tantùm intuetur: quia omnia ad vtilitates suas conuertit. Alteri viuas oportet, si vis tibi viuere. Hæc Societas diligenter & sanctè obseruanda est, quæ nos omnes omnibus miscet, & judicat aliquod esse commune jus generis humani, &c.

His pręclarè dictis addendum est, eam societatem, qua constituitur amicitia, qua in commune viuitur, qua alteri, qua sibi, benè viuitur, bonorum esse debere. Amicitia enim non est nisi bonorum. Societates enim malorum, non societates, sed conspirationes dici debent & factiones, vt ait Sallustius.

Ad hoc autem bonæ societatis probatur efficacia, vt ex malis, bonos faciat. *Ea est*, inquit Seneca, *ratio virtutum, vt omne quod secum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio, & salubrius cœlum, quàm animis parum firmis in turba meliorum versari.*

Lib. 3. de ira, c. 7

Quantum prosit bonorum conuersatio in humana societate, Plutarchus probat exemplo literarum, consonantium & vocalium, quas inter istud discrimen est, *quòd vocales se solæ loquantur & sonent, consonantes non sine vocalium consortio loquantur.* B. enim & C. nullibi terrarum sonant solæ; jun-

Plutar.

Digitized by Google

ctæ vocalibus, sonum efferunt. B. junctum A. sonat Ba: C. A. facit Ca. *Ita*, inquit, *in moribus*. Sunt enim *nonnulli, qui consonantes dici possunt; quippe qui omnem consonantiam suam à vocalibus, id est, à sapientibus, & prudentibus acceptam referunt. Hi enim in dictis & factis talem sonum efferunt & modum, quales fuerint, quibus sociantur.* Vnde Theognides Philosophus & Poëta, vt refert Aristoteles sic monebat:

Te conjunge bonis, & ab his bona plurima disces:
Cum prauis viuens, tu quoque prauus eris.

Plut. l. de tranquill. an.

Idem lib. de tranquillitate. *Mutua conuersatio*, ait, *piorum hominum, spiritualibus colloquijs affluens, generat inter eos amicitiam ejusdem generis, nempe spiritualem; eadem per interualla sæpiùs repetita firmat illam ac stabilit, & diuturnitate continuata temporis auget vehementer; sicuti è contra, consuetudinis intermissione, omnis amicitia tepefacta decrescit, ac tandem dissoluitur. Porro mutuus bonorum amor propriè amicitia dicitur; malorum autem, non nisi impropriè*, juxta illud Salustij: *Inter bonos amicitia, inter malos, factio est.*

epist. 97

Non est autem eadem ratio virtutis addiscendæ aut exercendæ, atque vitij: *Ad deteriora faciles sumus*, ait Seneca; *quia nec dux potest, nec comes deesse, & res etiam ipsa sine duce & comite procedit: non pronū est iter tantùm ad vitia, sed præceps, & quod plerosque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt: at contra omnibus crimen suum voluptati est.* Non est, inquam, eadem ratio virtutis; quia vitium in prono, virtus in arduo posita est; ideò egemus duce & comite, qui monstret iter, & juuet ad superandum cliuum. Hujus rei habes præclarum exemplum epist. 94.

epist. 94

Nulla res, inquit idem, *magis animos honesta induit, dubiosque & in prauum inclinantes reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus me Hercule ipse sapientium juuat, & est aliquid quod ex magno viro vel tacente, proficias. Nec tibi facilè dixerim quemadmodum prosit, sicut illud intelligam profuisse. Minuta quædam, vt ait Phædon, animalia, cùm mordent, non sentiuntur, adeò tenuis illis & fallens in percutiendo vis est. Tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conuersatione sapientium eueniet, non deprehendes quemadmodum, & quando tibi prosit, profuisse deprehendes.*

Alia comparatione non minùs propria & concinna vtitur. Vt enim ait, *qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, coloratur, & qui in vnguentaria taberna resederunt, & diutiùs commorati sunt, odorem loci secum trahunt: Ita qui cum sapiente consuetudinem habent, etsi non hoc ideò agant, tamen redduntur meliores.*

Item: *Vt vina non soli modò referunt saporem, verùm etiam arborum, aut fructuum vicinorum; ita non solùm exprimimus eos vnde prognati sumus, sed & eos, quorum consuetudine vsi sumus.* Quæ ferè omnia de Senecæ vnius penu ditissimo decerpere juuat, & ipsius verbis auctoris magis quàm meis, non ad nauseam, vt credimus, lectoris.

Non solùm homines quidam frequentandi, quidam vitandi; sed etiam loca quædam homini sapientiæ cupido fugienda esse docet. *Quemadmodum enim*, inquit, *aliqua vestis sapienti & probo viro magis conuenit, quàm alia*, &c.

epist. 52

sic regio quædam est, quam vir sapiens, aut ad sapientiam tendens, declinet, tanquam alienam bonis moribus. Itaque, de secessu cogitans, nunquam Canopum eliget: quamuis neminem Canopus esse frugi vetet; ne Baias quidem, quæ diuersorium vitiorum esse cœperunt. Illic sibi plurimum luxuria permisit, illic tanquam aliqua licentia debeatur,

Digitized by Google

loco, magis sol itur. Non tantùm corpori, sed etiam moribus, salubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nollem, sic nec inter popinas quidem, &c. Vide quam á malo consortio sibi cauendum putet, qui etiam loci contagionem tantum exhorreat; non secus ac tempore pestis, non solum personæ, sed & vestes, & loca vt contagiosa sunt deuitanda.

Sed ad rem redeundo, Dionysius Tyrannus regno pulsus, cum ab eo quæreretur, *quem fructum ex consuetudine Platonis hausisset? Vt mutationem*, inquit, *fortunæ patienter feram.* Mirum est quod Plutarchus in vita Alcibiadis de eo refert, quo quamuis neminem, inquit, majoribus impedimentis fortuna vallasset, ne ad Philosophiæ præscriptum suos mores componeret, aut ne redarguentis stimulos deliciis immersus sentiret; tamen ferox & petulans ejus indoles ita vnius Socratis consuetudine victa ac temperata est, vt crederet tantum virum sibi Deorum dono concessum, vt se à vitiis abduceret præclaris Philosophiæ documentis, & virtutum suarum exemplis; qui etsi se aliquando suis præceptis subduceret, quò eum cupiditatum æstus abripiebant, currentem tamen amor & reuerentia Socratis retinebant, fugientemque reuocabant, adeò vt sæpiùs ejus increpationes Alcibiadi lachrimas elicerent; tanta vis est conuersationis in bonum, vt eorum mores induas, quibuscum verseris.

Vnde Aristippus apud Stobæum, interrogatus *quid esset admirandum in vita*, respondit: *Vir probus inter improbos, qui non peruertatur.* Et Xenophon: Stobæus serm 39

Iusta decent iustos, prauis conuixeris, ante
Quæ fuerat probitas, mox fiet improbitas.

Difficile est irascenti non irasci, conuicianti conuicium non regerere, rixanti non rixam reciprocare, latranti non allatrare: quia iracundus socio afflat iram, biliosus bilem affricat, latrans latratum prouocat: sic etiam mansuetus socio aspirat mansuetudinem; castus, puritatem; humilis, modestiam; non secus ac rosæ & lilia suaues afflant odores. Si vis ergo effici castus, fuge impuros, & cum castis versare; pius cum piis, placidus cum mitibus, & talis procul dubio euades.

Quod argutè expressit Martialis de quadam nobili Romana, domi casta, sed foris vaga & adultera: Mart. l. 1 Epig. 30

Casta nec antiquis cedens Lauina Sabinis,
Et quamuis tetrico tristior ipsa viro,
Dum modò Lucrino, modò se committit Auerno,
Et dum Baianis sæpè lauatur aquis.
Incidit in flammas, juuenemque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Eapropter non deerunt, quibus ejusdem placeat consilium, conuersationem multorum dehortantis. L. 12 Epig. 35

Si vitare voles acerba quædam,
Et tristes animi cauere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem:
Gaudebis nimis, & minus dolebis.

Digitized by Google

CVM BONIS SOCIETAS INEVNDA.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

SICVT malorum contubernium, societatemque, malos; ita bonorum, bonos efficere, æquè omnis æui experimentum, & veritatis effatum est, juxta illud Psalmistæ: *Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris: cum viro innocente innocens eris.*

2.Cor.6 Propterea dicebat Apostolus: *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?* &c. *Vos enim estis Templum Dei viui*, &c. *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.*

Gen.19 Levit.7 Num. 16 Prov. 10 Cap.14 Cap.22 Nec tantùm jubet sacra Pagina bonos à malis separari, sed & nisi faciant, comminatur pœnæ participationem, & culpæ. *Tolle vxorem tuam, & filias tuas, dicit Dominus Loth, ne & tu pereas in scelere ciuitatis. Egredimini de loco isto; quia delebit Dominus ciuitatem hanc.* Et in Leuitico: *Qui tetigerit immundum, peribit de populis suis.* Lib. Numerorum, *Recedite,* clamat Moyses, *à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* In Prouerbiis: *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, ne ambules cum eis.* Et infra: *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via: fuge ab ea, ne transeas per eum.* Denique cap. 22. *Arma & gladij in via peruersi, custos animæ suæ longè recedit ab eis.* Aduertant, quæso, hîc serui Dei, qui versantur in aulis magnatum, mensis assident, intersunt consiliis, vel potiùs seruiunt placitis, quàm districtè Deus interdicat suis; nedum à consortio peccatorum, sed etiam à tabernaculis, & ab iis omnibus, quæ eorum sunt; & nunquid impunè Propheta Elias quibusdam Sacerdotibus exprobrat, quòd comederent de mensa Iezabel impiæ? aut fortè Daniel sacrilego intererat conuiuio, cùm Balthazar rex in medio vxorum & concubinarū suarum, vinum immodicè biberet in vasis sacris Templi, & laudaret Deos suos aureos & argenteos, & æreos, ferreos, ligneos, lapideosque? aut si maluisset innocentissimus Baptista Natalitio Herodis conuiuio Herodiadem inter vtramque, matrem & filiam, medius interesse, & cum eis panem disco intingere, quàm feralibus epulis, caput in disco, incestis conuiuiis præsentare? adeò exhorrebat consortia impiorū.

1.Cor 5 Fuerit, inquient, is spiritus Eliæ, seu legis, alium esse spiritum Euangelij. Sed audiant Apostolum, in causa incestuosi Corinthij comminantem: *Scripsi vobis in Epistola,* inquit, *ne commisceamini fornicarijs,* &c. *nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Æmulare ergo Apostolicum zelum.

Apoc. 18 Vis aliud ex Euangelio? Audi quid in Apocalypsi Apostolus dilectionis, qui & totus dulcedo est, moneat de Babylone, aut potiùs vox de cœlo ipsi facta? *Exite,* inquit, *de illa, populus meus, vt ne participes sitis delictorum*

Digitized by Google

ejus, & de plagis ejus non accipiatis. Cujus prohibitionis ratio est ex Scriptura, quòd impossibili proximum sit, malo consortio non infici; sicut qui tetigerit picem, non inquinari ab ea.

Cęterum non minùs bonorum societas efficax est, & potens in bono, quàm mala in malo. Quod ex Ecclesiaste habes enucleatè his verbis: *Melius est,* inquit, *duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli; quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se; & si dormierint duo, fouebuntur mutuò.* Quo verborum contextu videtur complexus quatuor societatis bona. Eccl.4

Primum esto, quòd si vnus cadet, ab socio subleuabitur. Secundum, qui nutabit, pronus casui, fulcietur, ne penitus cadat. Tertium, qui frigescet, fouebitur socij complexu. Quartum denique, habent simul emolumentum societatis, mutui operis, exempli, meriti, augmenti; participes.

Ceciderat Thomas, vnus ex duodecim, Apostolici desertor Collegij; vbi rediit in societatem, rediit ad fidem, de facili releuatus. Paulus nutabat, habens zelum legis, titubanti similis: sed ne totus periret, aut irrecuperabilis caderet, à Domino confortatus est per Discipulos; prosternendus primò, mox erigendus. *Cùm autem placuit ei qui me segregauit, continuò non acquieui carni & sanguini.* Item: *Misericordiam consequutus sum; quia ignorans feci, in incredulitate. Nunc autem omnia possum, in eo qui me confortat.*

Frigescebat Petrus ad prunas, in consortio ministrorum & satellitum impietatis Iudaicæ, qui comprehenderant Iesum; & à Domino ictu oculi calefactus, tepuit, & in se & societatem Domini reuersus, amarè fleuit.

Habent Apostoli & Discipuli emolumentum grande societatis suæ, cùm in orationes vnanimiter cum sanctis Mulieribus & Maria Matre perseuerantes, Spiritûs sancti copiosissimo lapsu perfusi sunt. Quanta abs sancta Societate bona!

Sed rem altiùs repetendo, si fuissent in Sodomis inuenti quinquaginta justi, si quadraginta quinque, si quadraginta, si viginti; quid? si decem viri in bono concordes, tot improborum millia in quinque ciuitatibus, paciscente pro eis Abrahamo, non periissent! Sed quid refert plures numerare, quando & vnius Loth in Segor confugientis, quæ de quinque ciuitatibus vna erat, igni absumenda, meritum, vt ei parceretur, quandiu ibi esset, obtinuit, dicente ei Angelo: *Festina, & saluare; quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* O potentiam sanctæ societatis! O sanctitatis meritum apud Deum! O priuilegium justitiæ! vt in fauorem paucorum, imò vnius justi, multitudini impiorum Deus indulgeat, non irascatur, non sęuiat. Quid dico, non sęuiat, imò etiam benedicat & faueat. Gen.19

Quanta enim beneficia in domum Laban, impij, & Idolis seruientis, contulit Deus, intuitu Iacob serui sui? Audiatur ipse rem referens: *Modicum habuisti,* inquit, *antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Gen.30

Aut quæ in Putipharem, Magistrum Equitum Pharaonis, imò in ipsum posteà Pharaonem, & totam Ægyptum, merito, sanctitate, interuentu, casti Ioseph? Gen.41

Elisæus Propheta in gratiam Iosaphat Regis Iuda, quocum amicitia jungebatur, toti exercitui aquas de cœlo, siccitate laboranti, & perituro, impetrat, in quo erant alij Reges & populi Idolis seruientes. 4.Reg.3

Vrgente crudeli Imperio Nabuchodonosor, jam sapientum omnium

Digitized by Google

Dan. 2 Babylonis salus conclamata erat, vita gladio demetenda quęrebatur: sed ipsis vnius Danielis, serui Dei viuentis, adeò profuit sodalitas, quod propter se vnum multitudini parcitur, somnia patefiunt, obscura reserantur.

Quęsitus ad necem Paulus à Iudæis, appellato Cęsare, Romam per mare ducebatur, cum ducentis septuaginta sex viris: sed naui à tempestate quassata, projectis in mare mercibus & oneribus, nulli spe salutis relicta, Actor. 27 Paulus animæquiores omnes esse jubet: *Suadeo*, inquit, *vobis bono animo esse; amissio enim nullius animæ erit; astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei cui deseruio, dicens: Ne timeas, Paule; donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum:* sicut de facto contigit. Ecce quid multitudini, vel vnius boni viri societas conferat. Periissent omnes, nisi socium habuissent Paulum.

Redeamus ad historiam Regum Israël, & videamus sancti consortij, seu societatis, grande Miraculum. Conceperat Rex Saül immortale odium contra Dauid, vt in gloriæ suæ æmulum, & throni sui, Cœlo destinante, certissimum, si viueret, successorem: modò furens lancea configere tentauerat, modò occultis insidiis domi decubantem opprimere, deinde armata manu fugientem persequi. Renuntiatur aliquando ipsi, Dauidem, nihil aduentûs Regij, aut insidiarum suspicantem, prope esse, nullo pręsidio aut armis munitum; palam prophetare, psallere in medio Prophetarum. 1. Reg. 19 Mittit illuc lictores, vt raperent, & eum viuum vel mortuum ad se perducerent. Properant, accedunt, junguntur Prophetis & Dauidi satellites; & regiæ jussionis obliti, quasi amici venissent, cum prophetante & ipsi prophetant. Mittit secundò & tertiò alios, qui & ipsi, eodem spiritu afflati, cum psallentibus psallunt. Tunc Saül actus in rabiem, quæ vis suos moretur aut teneat nesciens, accurrit, aduolat, Dauidem, vbicunque inuenerit, confossurus. Reperit eum in medio Prophetarum, prophetantem: accedit homicida, euadit Propheta; & in Sanctorum consortio, jam alius à se, alius ab eo qui venerat, prophetat. O potentiam bonæ societatis! O vim consortij Sanctorum! vt qui impius venit, homicida venit, quandiu perstat in consortio Sanctorum, innocentium, Prophetarum, tandiu Sanctus sit, innocens, Propheta.

Princeps Apostolici Collegij Petrus, exhortans mulieres Christianas ad pręstandam viris suis in Domino sanctam obedientiam, singularem meo judicio, & pręsenti proposito, de efficacia bonæ conuersationis, muliebri 1. Pet. 3 sexui laudem conuenientissimam appingit: *Mulieres*, ait, *subditæ sint viris suis.* Quare hoc? *Vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant; considerantes in timore sanctam conuersationem vestram.* Viden' quantum deferat Apostolus deuoto sexui? quantum mulierum pudicæ conuersationi? vt eas æstimet plus posse suo exemplo, quàm Sacerdotes verbo; adeò vt qui horum prędicationi restiterint, cedant sanctarum mulierum pietati & exemplo.

Cui veritati omnium regnorum fides patrocinatur; in quibus vtplurimùm primæ, illustres Reginæ fidei vexilla plantarunt. Sic Clotildis in Galliis, Indegundis in Hispaniis, Theodelindis in Italia, Margarita in Anglia, Ethelbergis in Germania, & alibi aliæ benè multæ, Christianam fidem disseminarunt: quibus longiùs recensendis supersedeo, & hoc Morale de vi & efficacia bonæ conuersationis singulari facto sancti Bernardi Abbatis concludo.

Quanta Abbatis Clareuallensis fuerint in Ecclesiam merita, in Ordinem

nem suum, in familiam Cistersiensem, nulli non peruium est. Vocatus ille in flore juuentutis suæ, socios sancti propositi multos asciuit, suasit, secum duxit. Iunior, fratres suos natu majores, cognatos, sodales, imò & sorores. suo exemplo Mundo rapuit, Christo addixit; relicto patre in sęculo, sene, domi lugente orbitatem suam, conuersione filiorum ad meliorem vitam, nihilo facto meliore. Restabat hoc spolium victoriis & votis sancti Abbatis, vt patrem Christo lucrifaceret. Quibus armis id efficiet? Conuersatione. Igitur ejus inuisendi ergo domum paternam venit, reperit senem foco considentem, qui amplexatus filium, hyems erat, jubet ignem parari magnum, ligna pro more loci multa superstrui, quæ inter truncum immanem, nodosum, annosum; qui cùm ignem non conciperet, sed perpetuò fumaret, licet minora circùm sicca ligna arderent, capta occasione Bernardus: Pater, inquit, ligna ista ardentia, claris flammis emicantia, filij tui sunt, exemplo suo, vita, documento, consortio, vt ignescas, frustrà conantes: Tu verò truncus ille vetus es, jam terra opletus, & fumans, quem filij accendere nequeunt. Tu enim quasi titio fumigans, flammam nequicquam concipis. Hoc audito senex, quasi euigilans, & de igne filij sui intus accensus, filium secutus in Religione, habitu, professione sancta, præiuit ad cœlum; opportunum tandem de filiorum exemplo & societate captans emolumentum, Cœlum pro terra commutans.

Quod impręsentiarùm sufficiat, ad verificandum hunc Psalmi versiculum: *Cùm sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris.*

TITVLVS XLIX.

DE SOCIETATE.

FABVLA.

De duabus Ollis.

VIS fluuij exundantis duas Ollas abstulerat, quas torrens æstu magno jactabat; quarum altera erat ænea, altera lutea, seu fictilis. Vtrique periculum mergi; fictili duplex, etiam rumpi. Propterea hæc cautius tremens innatabat, sociæ viciniam fugiens. Quod aduertens ænea, proprium discrimen nulla alterius ratione habita, vitatura, rogabat luteam, vt ad se propius accederet, vt vnitæ simul fluctuum jactationibus fortiùs resisterent. Hæc suæ fragilitatis conscia, cui erat potentioris & suspecta fides & vicinia periculosa, sine me, inquit, longiùs à te incedere, concurrere haud securum. Vicinia tua mihi fatalis est; si collidere continget, frangar. Innuit periculosam esse pauperi ac tenui, cum potenti societatem.

Digitized by Google

De Leone, Asino, & Vulpe.

Leo, Asinus, Vulpes, inita societate venatum eunt conditione, prædæ cuique in justas partes æqualiter diuidendæ. Venantur Ceruum. Asino prædam partiente, & cuique suam distribuente, infrenduit Leo, in Asinum irruit, discerpit. Iubet Vulpi vt partes faciat. Exequitur illa mandatum Leonis, sed cautè, omnem ferè prædam ipsi assignans, sibi penè nil reseruans; laudat Vulpis prudentiam Leo, rogatque à quo fuerit edocta, sors, inquit, hujus Asini me doctam fecit. Docet pusillos cum potentissimis cautissimè agere debere.

Aliqui aliter fabulam narrant, pro Asino Lupum ponentes, qui cum cœpisset partes diuidere, Leo injectis in ejus caput vnguibus, eum decaluauerit; ex quo Vulpes omnem prædam Leoni relinquit, rogata ab eo, à quo hanc sapientiam didicisset, responderit à galero isto rubro, quo Lupum hunc decorasti.

Alij alio modo, & fortè jucundiùs narrant, quòd Leo in quatuor prædæ partes diuisa, tot enim erant venatores, scilicet Leo, Asinus, Lupus, Vulpes, sic erga socios se habuerit. Prima pars, inquit, mihi debetur, quia sum Leo. Secunda, quia viribus præsto & supero. Tertia, quia plus cunctis laboraui. Quarta, quia sic volo, sic jubeo. Alioquin de fœdere actum est. Quo audito, socij nec hiscere, nec mutire ausi, vacui recedunt, aliàs meliùs venaturi. Docti cum potentiori se non ineundam societatem. Satius longe cum pari agere.

Est apud Phædrum l. 1. fabul. c. 5. sic.

> Ego primam tollo quia nominor Leo.
> Secundam, quia sum fortis tribuetis mihi.
> Tum quia plus valeo, me sequetur tertia.
> Malo afficietur si quis quartam tetigerit.
> Sic totam prædam sola improbitas, abstulit
> Affabulatio,
> Nunquam est fidelis cum potente societas.

Inde natum prouerbium, Leonina societas, cum omne commodum ad vnum redit, reliquis vi fraudatis, qualis solet esse plebeiis cum Potentibus.

De Leone & Tauro.

Leo Taurum insequens, eique struens insidias, vt cominus junxit, salutauit, & inuitauit ad cœnam, ouem pinguem, lautè apparatam promittens. Credulus Taurus Leonem sequitur, ingressus domum sedet ad mensam; & cum huc & illuc oculos conjicit, nec ouem, nec quidquam apparatum cernens, sed lebetes, & ollas vacuas, suspectam habere

Digitized by Google

cœpit sui inuitatoris fidem, eapropter è vestigiò surgit, abit, fugit. Leo fugientem prospiciens, clamat, cur sic abiret insalutato hospite, cur impransus, cur jejunus. Ad hæc gradiendo Taurus, satius mihi inquit est, impransum abire, quam vt tibi de me escam & prandium parem, ollas vidi & caldaria magis apta ad cædendum & coquendum Taurum, quam ad ipsum cibandum. Docet suspectam esse debere paruis Magnatum amicitiam, dona, inuitationes; securius longè à Principe, quàm propè.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

CVM POTENTI SOCIETAS PERICVLOSA.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

Æsopvs, hujus Apologi inuentor, non incongruè significare voluit, Cum Principe, aut potenti viro, haud tenui ac plebeio ineundam esse societatem. Vnde Alciatus desumpsit argumentum Emblematis, sub hoc titulo, Aliquid mali propter vicinum malum: quod quidam Faernus sic metro reddidit:

Apud Minoem. Alciat. Cõment.

Dum trahebat amnis ollas, aeneam
Vnam, alteram autem fictilem.
Sed ahenea proprio prægrauata pondere,
Sibique porro præcauens,
Suadere cœpit anteeunti fictili,
Conjungi vti vellet sibi;
Quò rapidum aquarum sustinerent impetum,
Iunctis vtrinque viribus.
Cui fictilis: Tua mihi, ait, vicinitas
Non admodum placet, soror:
Nam siue te mihi vnda, siue me tibi
Prope adnatantem, illiserit,
Vt sospitem te dura præstabit cutis,
Fragilem meam sic conteret.
Sic potentiorum semper est vicinitas
Vitanda tenuioribus.

Quo lepido Commento describitur vitæ humanæ anceps & fluxa conditio, quæ torrentis instar excurrens, duo hominum genera mediis in fluctibus turbulentis preteruehit; diuitem, multa bonorum substantia, seu ære grauem, eumque durum, intractabilem, aheneum; & pauperem ac tenuem, quasi luti & argillæ, materia fragilem: cui idcirco à vicinia Metallici timendum est diuitis, in quem si quando illidat aut incurrat, aduersan-

Digitized by Google

tibus studiis, & negotiis, illico frangatur.

Propterea Demosthenes in Calliclem dicebat: τὸ χαλεπώτερον ὐδὲν ἢ γείτονος πονηρȣ̃ κὶ πλεονέκτȣ τυχεῖν. *Nil molestius esse potest, quàm in vicinum malum & auarum incidere.*

Ex Nemeo 9. Quadrat & illud Pindari: χαλεπὰ δ' ἔρις ἀνθρώποισιν ὁμιλεῖν κρεσόνον. *Periculum est contendere cum potentioribus.* Huc tendit & illud Virgilij:

Eclog. 1

Mantua væ miseræ nimiùm vicina Cremonæ.

Et Ouidij:

3. de Trist. Eleg. 4.

Vsibus edocto si quidquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumque potes prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosunt, potiùs plurimùm obesse solent.

Scilicet is mos est Magnatum, Nobilium & locupletum, pauperes vicinos exsugere, vexare, opprimere. In hoc similes Cardamo, vel Nasturtio, quod herbarũ propè adnascentium humorem omnem attrahit, & arescere facit: vel illi plantæ, quam ferunt in nouo orbe reperiri, quæ aliquali specie ouem referens, certa lanugine quasi lana folia vestiens, intus lupi instar rapacis, deuorat circùm vicinas plantas, ac ita depascit, vt pereant.

L. 18. c. 5 Plinius optimè consulit, *agrum paraturos ante omnia intueri oportere aquarum vim, & bonum vicinum*: quia in bonis pręcipuis agri bona vicinia computanda est.

Plutar. in Lacon. ap. Ea de causa ferunt Themistoclem, cùm agrum quemdam venderet, jussisse pręconi vt diceret, aliis pręnarratis fundi qualitatibus, ὅτι ϗ ἀγαθȣ̀ς ἔχει γείτονας, *quòd haberet bonos vicinos.* Nec abs re, indicans quanti momenti sit ementi villam aut agrum, quòd bona vicinitate gaudeat. Nec ociosè addere potuisset, habere bonum vicinum, nec potentem. Agri enim fundus omnis jejunus est, cui vicinus potens.

Huic proposito non malè quis applicet tritum illud Adagium: *Sic cum igne, sic cum Principe*: quo innui volunt, ita cum Principe versandum, sicuti cum igne, id est, nec propiùs justò, nec longiùs; ne si familiaritate propiùs accesseris, nimio calore conficiaris & tabescas; si longiùs recesseris, odio premaris.

Ad quod facit & illud: *Procul à Ioue, procul à fulmine.* Et Socratis: *Aut quàm rarissimè Proceribus, aut quàm gratissimè conuersandum.*

Huc referri potest jactatum illud apud Gręcos: Τὸν Φράγκον φίλον ἔχε, γείτον δ' ȣ̃. *Francum amicum habe, vicinum, non.* Nempe quia olim Gręci Romanique suspectam ac dubiam haberent Gallorum fidem, & potentiam. De qua Sallustius in fine historiæ Iugurthanæ sic scribit: *Per idem tempus aduersùs Gallos ab ducibus nostris Q. Capione, & M. Manlio malè pugnatum est. Quo metu Italia omnis contremuerat, illique & inde vsque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria, certari.* Sed hoc obiter in laudem nostræ Gentis non futile.

Salust. in Iugurth. circa finẽ

Epictetus ap. Stob. Serm. 3 Epictetus hominem, cum quo conuersamur, tribus modis considerandum esse suadebat, nempe aut pręstantiorem nobis, aut inferiorem, aut æqualem. *Præstantiorem quidem auscultare & obtemperare conuenit; minorem modestè persuadere; æquali autem consentire. Et hoc modo,* inquit, *nunquam in contentionem incides.*

Digitized by Google

Idem in Enchiridio hanc regulam prescribit adeunti potentes: *Congressurus*, inquit, *cum aliquo, eorum præsertim qui potentiores videntur, præpone tibi, quid in hoc fecisset Socrates, aut Zeno: neque dubitabis quo te pacto gerere oporteat.*

In Enchir. c.47

Item: *Cùm aditurus quempiam eorum es, qui magna possunt, præpone tibiipsi fore, vt non admittaris intrò ad eum, vt excludaris, vt tibi fores non pateant, vt te ille negligat. Tum cogita an cum ijs eum adire expediat. Vbi adieris, fer quæ fiunt, neque tu dicas vnquam: Talia non merebar. Vulgare enim est, quæ extrinsecus sunt, calumniari.* Quibus ex documentis tanti viri, quàm difficile & anxium sit cum potenti tractare, ac conuersari, satis liquet. Iuxta illud Senecæ in Prouerb. *Si in clientelam fœlicis hominis potentisque perueneris, aut vita, aut amicitia perdenda est.*

Cap.48

Martialis inter ea quæ faciunt vitam beatam, ponit *Pares amici*

Lib. 10 Epist. 47

Propterea Ptolemeus Mathematicorum Princeps inuitatus à Rege ad prandium, humiliter excusauit sese, dicens, *Regibus contingere ferè, quod considerantibus picturas; quæ cùm eminus videntur, placent; propinquè verò non dulcescunt.* Ita in ejus vita; dans intelligere viro sapienti cordatoque, à familiaritate Principum abstinendum, ne quam de te conceperint opinionem, nimio vsu deperdas, & venias in contemptum, aut nesciens offendas. Non enim Regibus more plebeio loquendum; *sed verbis ex serico, duntaxat*, aiebat aliquis, *aut saccaro, ac melle conditis.*

Initio Almagesti

Sisyphus, Iouis & Deorum amicitiam ambiens, fingitur à Poëtis ab iratis Diis ad saxum jugiter voluendum damnatus, vt significarent eos, qui potentum amici esse volunt, rotam voluere perpetui laboris, opprobrij, seruitutis.

Dignum sua & nostra obseruatione hîc Lector inueniet Phauorini Philosophi verbum Adriano Imperatori, cum quo familiariùs aliquando verba faciens, cùm fuisset ab Adriano reprehensus, quasi minùs congruè scienterque locutus esset, & is honoris gratia cessisset, nec respondisset, aut se defendisset; mirantibus amicis suis, & eum arguentibus, quod in re litteraria, in qua supra omnes sui æui eminebat, molliùs cessisset, respondit: *Non rectè suadetis, amici, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Hoc festiuo responso familiares suos instruens, Principibus assentiendum, morem gerendum, non obsistendum, etiamsi aliquando ipsi hallucinentur.

Hist. Aug in Hadriano

Ex his concludas licet, viciniam seu societatem cum potenti, rem esse periculosæ plenam aleæ. Optimè Horatius Lollium amicum informans:

Horat. l. 1 Epist. 18

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit. Tu, dum tua nauis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsùm se ferat aura.

Et paulò supra:

Tu cede potentis amici
Lenibus imperijs. Quotiesque educet in agros
Aetolis onerata plagis jumenta canesque,
Surge, & inhumanæ senium depone Camœnæ.

Conuenit & hoc Distichon Catonis:

Caton. in Distich

Cede locum læsus fortunæ, cede potenti:
Lædere qui potuit, poterit quandoque juuare.

Propterea Lacides Cyrenæus ab Attalo rege accersitus respondit, *Imagines Principum eminus esse spectandas*; innuens arctam familiaritatem cum

Digitized by Google

Principibus minuere virtutes eorum, admirationem aut libertatem.

Experiuntur id Aulici & Consiliarij: addamus & præcipuè Confessarij Principum & diuitum, qui præter molestias illis complacendi & obsequendi, non raro conscientias suas, æquè ac pœnitentium, æternæ salutis periculo exponunt, dum vel ex metu eis displicendi, vel ex studio complacendi, non audent eos monere; sed dissimulant quæ dissimulanda non sunt, tacent dicenda, dicunt fortè tacenda, laxant non laxanda.

Illos, seu amicos, seu Consiliarios, seu Confessarios Magnatum benè aliquis dixit similes Gallis in vertice campanilium positis, qui ad omnem auram & ventum mouentur. Vel meliùs iis auibus, quæ in cauea seruantur inclusæ, & docentur cantare; v. g. psittacis, picis, merulis, cornicibus, &c. quæ quandiu in cauea detinentur, aluntur, docentur, loquuntur ad modum quem custos, quem dominus vult, non suo more; sed egressæ aliter omnino loquuntur, in sua libertate positæ: Ne expectes igitur, vt hujusmodi Officiarij & Ministri Potentum eis veritatem loquantur.

CVM POTENTI SOCIETAS PERICVLOSA.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

APOLOGVS iste duarum ollarum, & mens Apologi, seu Morale, probari aut illustrari locupletiùs non possunt, quàm ex luculentis Scripturæ apud Syracidem documentis. Sic enim iste: *Pondus super se tollit qui honestiori se cõmunicat; & Ditiori te ne socius fueris.* En fabulæ mens. Græca legunt pro ditiori, *fortiori.* Subjectum verò hujus sententiæ, seu fabulam ipsam de duabus ollis, subjungit sequenti versu: *Quid communicabit Cacabus ad ollam; quando enim se colliserint, confringetur.* Quasi diceret: Si Cacabo æneo allidatur olla lutea, siue fictilis, vtique Cacabus confringet ollam. Ita pariter si diues se societ & impingat in pauperem, eum collidet.

Eccl. 13

Vt vides, tam benè concordant Syracides & Æsopus, vt non dubium sit, alterum ex altero mutuatum esse; Quis autem auctor fuerit amborum? Haud dubiè, Æsopus fuit antiquior Syracide trecentis circiter annis, vt Chronographi omnes sentiunt, cùm hic sub Ptolemeo Lagi filio floruerit; ille Soloni, Cyro & Crœso coæuus. Nec mirum à profano sacrum auctorem desumpsisse, quod ad suos vsus & sacra documenta transferret, cùm celebre esset in orbe, eo tempore, Æsopi nomen, ejusque Ethica Mythica.

Sallian. circa an. m. 3484 Cornel. à lapide hic in c.

Sequitur sacer auctor, & toto capite tam aptè ad propositum, genium fastumque Potentis erga pauperem depingit, insuper artem & dolos, quibus olla lutea à Cacabo æneo, id est, pauper à potentiori, opprimitur & confringitur, vt è re videretur exscribere plenæ probationi hujus Moralis, sufficereque. Quod tamen, vitandi tędij causa, ad quatuor aut quinque sententias contraho, in quibus tot species persecutionum & pressurarum

Digitized by Google

exprimit, quas pauperes à diuitibus vtplurimùm patiuntur.

Pręmisso igitur his verbis consilio: *Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat; & ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit Cacabus ad ollam? quando enim se collíserint, confringetur*, olla scilicet; sic incipit: *Diues injustè egit, & fremet; pauper autem læsus tacebit.*

Hæc igitur prima est injuriarum species, quam diues exercet in tenuem & pauperem; Quod ille dum multis & variis modis hunc lęsit & afflixit, insuper minatur ac fremit; & pauper lęsus tacebit. Quam sententiam alij clariùs vertunt: *Diues injuriam fecit, & insuper fremit: pauper passus est injuriam, & insuper supplicat.* Quęso te, poteratne veriùs depingi, & ad oculum repręsentari genius diuitum erga pusillos & tenues? quos si injuria quomodolibet affecerint, si lęserint, lędentes altiùs queruntur, minantur, fremunt; & lęsi ne quidem conqueri, non mutire aut hiscere audent: insuper oportet vt ad genua potentum prouoluti supplicent, & pro magno reputent, si ignoscatur. Vt Potens inter pauperes sit quasi Leo animalia inter imbecillia sęuiens, ac rugiens, & deuorans. Quod eodem capite expressum voluit Spiritus Sanctus, his verbis: *Venatio Leonis Onager in Eremo: sic pascua diuitum sunt pauperes*, &c. quibus perpendendis & explicandis impręsentiarùm supersedeo, in aliam occasionem reseruans.

Secunda species, quo Cacabus ollam affligit, exprimitur his verbis: *Si largitus fueris, assumet te* (supple ad familiaritatem) *& si non habueris, derelinquet te.* Gręca habent: *Si vtilis fueris, operatur in te, vel per te. Sin egebis, deseret te.* Id est, Potens tenues non quęrit, nisi ad vtile, eorum vt opes & crumenam emungat; similis hirundini & sanguisugis, quæ pauperum sanguinem exsugunt, & dicunt, vt habetur in Prouerbiis, *Affer, affer*; cùm totum exsuxerunt, deserunt.

Tertia continetur hac sententia: *Si habes* (scilicet opes) *conuiuet tecum, & euacuabit te, & ipse non dolebit super te*; cùm euacuatus fueris, & pauper effectus. Id est, labores tuos deuorabit, comedet te, coget nutrire canes suos tuis panibus; equos, fœno; seruos, tritico; & cùm te exhauserit, non condolebit misero.

Quarta: *Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridens spem dabit, narrans sibi omnia, & dicet: Quid opus est tibi?* q. d. Dum diues pauperis opera, labore, famulitio potietur, fallis implanabit promissis, speciosis verbis ac spebus decipiet, vt nusquam quacunque re egere debeat; & interim deridens subsannat.

Quinta denique deceptio, qua potens deludit tenues, hæc est: *Et confundet te* (inquit) *in cibis suis, donec exinaniat te bis & ter, & in nouissimo deridebit te; & postea videns derelinquet te, & mouebit caput suum ad te.* q. d. Excipiet te oppiparè, vt tu etiam eum oppiparè excipias, donec te exinanierit; & tunc te vt stultum ridebit, & insultabit. Hic est mos & genius diuitum ad pauperes: Dum habent, exsugunt; exsuccũ, egenumque derelinquunt & rident. Quod sic per minutias placuit Spiritui Sancto manifestare, vt pauperes, quos amanter curat, à ruinosa potentum societate sibi caueant.

Quod experientia omnis æui, & sequentes è sacra Pagina obseruationes magis ad sensum, & fortè etiam ad gustum, demonstrabunt. Hoc enim celebri olim Prophetæ Regis Oraculo prędictum fuit, his verbis. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* q. d. Quotiescunque intumescet potens, seu mentem ejus libido accendat, seu furor exundet & ira ebulliat, seu æstua-

bit ambitio, modum familiæ, cultûs, seruitiorum, opum, augere volens, seu prędiorum ac dominij fines extendere, inceditur pauper, spoliatur, opprimitur, atteritur. Exsatiandæ Nobilis libidini, coloni virgines filiæ rapiuntur inuitæ: vapulant serui, dum ira efferbuit: tolluntur bona, dum propria non sufficiunt. Denique, quod sępiùs queritur, Potentes ac superbi *deuorant plebem meam, sicut escam panis*, apposita comparatione pauperis oppressi, non cum prędá animalis viuentis, vt hœdi aut agni, vel ouis, quæ fugere possit aut resistere persequenti, saltem balatu, ac voce quæ audiri possit; sed vt esca panis, quæ sine defensione, resistentia, clamore, sub dente premitur, & molitur. Quod sacer Hymnus de sanctis Martyribus in eorum laude canit:

Psal. 13 & 51

Cæduntur gladijs more bidentium:
Non murmur resonat, non querimonia:
Sed corde tacito mens benè conscia
Conseruat patientiam.

Exemplum in Dauide non ignobile Scriptura delineat principio nascentis suæ fortunæ, qui percusso inclitus Philisthæo, militari gloria nulli secundus, jam destinatus gener Regis solenni ipsius Saülis sacramento, pacta mercede, obligata fide; quantum expectauit, laborauitque, vt promissa exequeretur Rex, fidemque regiam liberaret, dando illi filiam suam in vxorem? quibus non posteà officiis, quibus obsequiis domi forisque Regem demereri studuit? aut quo non patientiæ aut humiliationis genere submitti ac subjici? *Quem persequeris, ô Rex Israël? Canem mortuum persequeris, & pulicem viuum*, dicebat ei aliquando. Modò se cognatione regia indignum agnoscit? *Ego*, inquit, *sum vir pauper & tenuis*. Alibi: *Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei, vt fiam gener Regis*? Ecce quàm se paruulum faciat in oculis Regis. Sed ita cum Principe, cum Rege sibi agendum putat, vir sapiens. Prece dari postulat, quod pacto debebatur, quod propriæ vitæ periculo, & salutis publicæ pretio jam emerat. Quid verò facturum Saülem putatis, tot nominibus obligatum, nullo non teste? Renuntiatur Dauidi ex parte Regis, ne speret aut aspiret in optatas nuptias, nisi priùs centum Philisthæorum pręputia habeat, & ea Regi in numerato exsoluat.

1. Reg. 24

1. Reg. 18

Nouis conditionibus, periculis, pactis, Conjugium venditur. Iniqua lex, sed regiæ voluntatis placitum; pro quo implendo tot subeat necesse est vitæ discrimina, quot hostium capita ipsi sunt proterenda. Dura conditio, apparando proprio funeri aptior, quàm fœderi nuptiali adornando; vt pateat quàm periculosa sit pusilli cum potente societas, quantis implexa discriminibus. Quid ad hæc fortis Dauid, seipso in dies, & ipsa inuidia fortior? Ad pugnam alacris currit, & ducentis primo congressu Philisthæis cęsis, pro centum ducenta Regi pręputia hostium numerat. Hoc pretio tandem aliquando optatis potitur nuptiis, suo deinde ipse exemplo monstraturus in Vria, quàm periculosa sit societas cum Principe, quàm fatalis vicinia.

Is enim ipse Dauid è pusillo magnus, è pastore factus Rex, de fortuna intumescens, & sui, qui fuerat, nescius, vicini pauperis, ipse diues multorum gregum & armentorum, vnicam ouem deperiit, sustulit, deuorauit. Sic enim ipsi ex parte Dei Propheta, rem velans, exprobrat: *Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oues & boues plurimos*

2. Reg. 12

valde

valdè; pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnam, &c. *Parcens sumere de ouibus & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, tulit ouem viri pauperis*, &c.

Quid sperat in aula Principum homo tenuis? Quid pauper & Mendicus ad januam Epulonis expectat? nisi vt ab immitibus seruis abigantur in eum canes, dentibus & morsib' occursuri, nisi natura sua indulgentiores fierent.

Hoc loco non est prætereunda Patriarchæ Iacob prudentia, qui fratri suo Esaü veterum injuriarum vltori armata manu contra se properanti occurrens, pronus in terram septies adorauit, & humilitate flexit. Quod perpendens Lyranus; " In hoc capitulo, ait scribitur concordia Esaü cum Iacob, per quam designatur Concordia superbi cum humili. Nam ex parte Esaü ponitur ejus elatio, quòd armatus cum quadringentis viris accederet; & ex parte Iacob humiliatio, quòd pronus adorauerit. „

Gen. 33

Lyrani.

Adde quòd reconciliatione facta, dicenti Esaü vt simul graderentur; *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui*, non annuit Iacob, non admisit; sed humiliter gratias egit; inurbanè, dicet aliquis, & minùs sapienter. Imò magnæ prudentiæ fuit viro humili, potentis fratris ac natura ferocis recusare consortium; quod licet videretur animis fortiùs stringendis optandum, tamen timendum erat, ne sopitæ injuriæ dolor recrudesceret, aut ex comitatu tot animalium & famulorũ concurrentium nouam offensionem incurreret: quod vt vitaret, allegauit sui comitatûs debilitatem. Vnde Lyranus prudentiam Iacob admirans; " In declinatione societatis fraternæ, ait, quamuis amicabiliter Esaü Iacob recepisset, poterat tamen timere, ne ejus animus mutaretur, &c. „ Adeò pusillo ac tenui cautè ambulandum cum potenti.

Lyranus

Quàm verò carò constet cum potenti ac superbo fœdus inire, Scriptura exemplum præbet in habitatoribus vrbis Iabes Galaad; qui à Rege Ammonitarum oppugnati, nulla ab eis injuria prouocato, supplices occurrunt venienti, honestis conditionibus pacem postulant, protestati priùs submissionem. *Habeto nos, inquiunt, fœderatos, & seruiemus tibi.* Modestè omnino, humiliterque. Quod verò responsum putatis datum ciuitati prostratæ? Durum omnino. *In hoc*, inquit, *vobiscum feriam fœdus, vt eruam omnium vestrûm oculos dextros, & ponam vos opprobrium Israëli.* Quęsò, qui fastus, quæ ferocia, quàm belluina inhumanitas Tyranni?

1. Reg. 11

Nec multò fœlicius dixerim fœdus, quod Machabæi Duces cum Romanis iniere, honestis in speciem conditionibus vtrinque; sed quo fructu? Nusquam apparet, inquit Sallianus. Quem, inquam, finem habuere illa confœderationis humanæ auspicia, populi Dei cum Gentili? Gentis humilis & tenuis, & ferè nullius momenti, in comparatione Romani Imperij, toto orbe diffusi, & victoriis tumentis omnium Nationum. Neque enim vsquam legitur aut postulata, pacti virtute, aut præstita auxilia, vt refert Sallianus in Epitome, anno ante Christum 159.

1. Mach. 8

Sallian.

Item: " Iudas Machabæus, cùm in omnibus suis semper prosperè accideret, postquam confœderationem & amicitiam fecit cum Romanis, nunquam ei benè posteà accidit; „ inquit Hugo Cardinalis.

Hugo Card.

Duo certa & indubia sunt. Primum, Iudam Machabæum, qui prior fœdus iniit, nullum gustasse suæ legationis fructũ, imò statim diem obiisse, vel antequam Romam suos Legatos aduenisse nosset; & fortè in pœnam profanæ confœderationis, vt aliqui asseuerant. Idem dicas de Ionatha &

Symone fratribus Iudæ, qui fœdus renouarunt. Secundum, desiisse tandem in hostilitatem & fœdissimam seruitutem hoc Iudæorum consilium; Romanis vndequaque quęrentibus occasionem suæ dominationis amplificandæ; & missis, non obstante fœdere, sub jugum suum Iudæis, regno, Sacerdotio, dignitate, bonis omnibus priuatis. Ex quo euidenter arguas, non placuisse Deo, gentis sibi sacræ ac deuotæ vnico Protectori, hujusmodi gentilem confœderationem & societatem; vt doctissimè Rupertus & alij arbitrantur. " Videlicet, inquit iste, in eo sibi cœleste diminuerunt auxilium, dum quęrunt ab hominibus sęculi, quasi pacis & securitatis firmamentum.

Ex his satis superque propositæ veritatis firmatur auctoritas, CVM POTENTI SOCIETAS PERICVLOSA.

TITVLVS L.

DE SOCIETATE.

FABVLA.

De Quadrupedibus fœdus cum Piscibus ineuntibus.

QVADRVPEDES inter & Aues indictum erat bellum. Feruebant odia, infesti animi, totis viribus vtrinque concurrebatur. Et cum res ad pacem non posset componi, nisi generali conflictu pars vna cæsa attritaque victici cederet, propterea, pugnæ dies dicta est, dum interim quæque acies instruendis & parandis copiis intenta esset; Quadrupedes decernunt inire fœdus, societatemque belli cum Piscibus; isti consentiunt vltro in fœdera, spondent se occasioni non defuturos, instante ergo hora certaminis, mittunt ad Pisces, rogant vt suas copias vrgeant; Pisces respondent eas præsto esse, & in ordine, modo in aliquo maris aut fluminum loco depugnetur. Quo audito Quadrupedes, vno ore culpam in seipsos refundunt, qui putassent Pisces in arida confligere posse. Pœnitent de inito fœdere cum gente, quæ siue in pace, siue in bello inutilis sibi sit, & tam malè conueniat. Indicat non ineundam societatem, cum iis qui nos in tempore necessitatis juuare non possint.

Lepores.

LEpores ausi bellum olim gerere cum Aquilis, à quibus infestabantur, clamauerunt in auxilium Vulpes; istæ cognita probè supplicum ignauia, & timiditate, & aliundè Aquilarum fortitudine, hoc responso, legatos Leporum dimittunt, vobis opem libenter præstaremus, nisi optime

Digitized by Google

sciremus, qui estis vos, & qui sunt, quibuscum belligeratis. Nil nobis cum Leporibus, vt sociis.

De Molosso fœdus ineunte cum Asino.

C*Anis quidam decumanus, ex eorum genere quos Molossos vocant, graues cum Lupo exercebat inimicitias; cujus tamen viribus cum se imparem sentiret, & videret Asinum, immane rudentem, corpulentum, lasciuientem, clitellis quasi thorace armatum, existimauit pariter bellatorem esse, eumque socium pugnæ in partem certæ, vt sibi promittebat, victoriæ; asciuit, consensit Asinus, opem spopondit. Canis tali commilitone fretus, & factus audacior, prouocat Lupum ad certamen, accessit Lupus, quo conspecto Asinus fugam arripuit, rudens, & crepitans, ac stercorans campos & loca, quæ cursu præteribat. Quod cernens Canis, & ipse terga vertens fugiendo dicebat, ô me infœlicem! qui pro strenuo, ignauissimum quadrupedem elegi, in socium, non pugnæ sed fugæ. Innuens cum ignauis & timidis societatem non contrahendam.*

De Arundine & Auicula.

D*Eplangebat Arundo palustris aliquando orbitatem suam, quod quæque arbor, frutex & planta, amicas Aues haberet, quæ in ramis suis nidos facerent, & oua excluderent, ipsa sola hoc priuaretur honore & solatio, licet pulchritudine ac decore multas earum superaret. Accidit autem vt aliquando aduolans auicula, in sua summitate consideret, pausaretque; quam Arundo cœpit rogare, vt cùm tempus esset nidificandi, in se nidificare dignaretur. Ad quam Auicula: Absit, inquit, hoc à me. Quis enim tantæ instabilitati fidat? Quis credat se, aut pullos suos tam fragili, & tenui, & vacillanti ligno?*

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

CVM TENVI SOCIETAS INVTILIS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVI Societatem inter precipua Humanitatis jura & commoda non numeraret, is prestantissimum vitæ bonum, & se hominem esse penitus ignoraret: Homo enim est natura animal sociale & politicum,

Digitized by Google

societatis amans, sine qua vita pœna esset, & vix inter bona reponendi. Vnde qui sapientissimis legibus hominum mores è barbarie ad ciuilitatem traduxerunt, de humano genere summè meruerunt. *Nobis quidem*, ait Philosophus; *insitus est à Natura societatis & communionis appetitus, quam qui primus instituit, is optimè de genere hominum meruit.* Et alibi: *Homo aptus est ad cœtus societatemque Natura.* Vnde infert: *Si quis est, qui congressus & societates hominum ferre non possit, aut nullo egeat, quòd seipso contentus sit, is profectò in parte ciuitatis non est habendus; iste vel bellua, vel Deus est putandus.*

Lib. 1 Polit.

Lib 1. de Rep. c. 1

Et verò societate totus stat Mundus, hac regna, hac Prouinciæ, hac ciuitates, hac domus, hac familiæ coalescunt; hac leges & ritus, & cultus seu Religio consistunt. Tolle societatem, & regna in latrocinia, Prouincias in solitudines, ciuitates in syluas, domos in speluncas & latebras, & cubilia ferarum conuerteris, & leges & ritus & cultum omnem Diuinitatis è Mundo sustuleris; insuper pulcherrimum, idemque vberrimum commodum vitæ humanæ.

Propterea enim sunt societates vitæ humanæ, vt docet Aristoteles, vtilitatis alicujus causa. *Sunt societates omnes*, inquit, *quædam velut partes ciuilis societatis. Conueniunt enim homines emolumenti cujusdam causa, & vt aliquid suppeditent, quod ad vitæ vsum cultumque pertinet; societatem autem ciuilem jam ab initio vtilitas & conciuit & continet.*

L. 8. Ethic c. 9

Quæ vtilitatis & emolumenti ratio vt constet ac subsistat, conuenientia partium societatem componentium requiritur, vt vnus alterum juuet, alter ab altero recipiat, & reddat: alioquin, deficiente mutui commodi reciprocatione, societas rumpitur; & mala, aut inutilis redditur.

Et hæc est ratio Moralis hujus Tituli, CVM TENVI SOCIETAS INVTILIS. Cùm enim omnis consociatio in paritate fundetur, cum specie aut genere diuersis non potest iniri societas, quibuscum nulla conuentio; vt Quadrupedum, cum Aquatilibus, primæ fabulæ: nec Leporum imbellium, cum Vulpibus, secundæ: nec Asini ignaui, cum Cane bellace, tertiæ fabulæ: nec Arundinis ad omnem ventum mobilis, cum Auibus, nidificandi causa. Vnde monearis, & caueas inire societatem cum eo genere hominum, quibuscum vel generis, vel status, vel cultûs ac fidei, grande discrimen est: nec, si bellandum est, cum timidis aut ignauis fœderari; nec, si conuiuendum, credere te infido, ad omnem ventum prono ac versatili.

Cùm enim ineundæ ratio societatis tota in communi commodo & vtilitate consistat, perspicuum est, vbi hæc ratio deficit, nullam intercedere posse societatem. Quod benè obseruat Polibius: *Inter plures*, inquit, *Respublicas liberas tandiu societas durat, quandiu spes est aliam ab alia subsidium accepturam esse. Vbi verò spes illa prorsus deficit, tunc priuatim vnaquæque sibi, suisque rebus consulere, ac consilium capere potest.*

Polib. l. 4

Quod vt sit, debet vnaquæque pars alterius virtutis opinione teneri, & voluntatum consensione coire, dicente Thucydide: *Scimus neque priuatis hominibus amicitiam stabilem esse, neque ciuibus societatem, nisi fiat cum opinione virtutis, & nisi in cæteris rebus sint similes: dissidentibus enim opinionibus & voluntatibus fiunt opera diuersa.*

Thucid lib. 3

Vnde de quodam Leone refert Plutarchus, quòd interrogatus in qua tandem vrbe posset aliquis tutò vitam agere? *In ea*, inquit, *quam qui incolunt, neque plus possident, neque minus; & vbi Iustitia viget, Injustitia imbecillis est*; grauiter admonens æqualitatem esse pacis & tranquillitatis altricem;

Plutar. in Lacon.

Digitized by Google

inæqualitatem, seditionis esse seminarium; nec ibi locum Iustitiæ, vbi vt quisque potentior est, ita licentiùs opprimit imbecilliorem.

Arduum est enim, inquit Tacitus, *eodem loci potentiam & concordiam esse.* Propterea Aristoteles in paritate & æqualitate vult amicitiam societatemque fundari.

Tacit. l.4 Annal. Ethic.

Ex quo inferre licet, non intercedere Potentem inter ac tenuem, seu plebeium, veram amicitiam, aut societatem; aut non duraturam; cùm amborum alter ab inæqualitate nimia impotens sit quidquam prȩsidij aut adjumenti alteri afferre; & is potenti cogatur indignè seruire & subjici.

Vt ferunt de M. Bibulo, qui Iulij Cȩsaris primò in Ædilitate, deinde in Consulatu Collega, hæc officia nomine tenus obibat, in societatem solius nominis, non honoris & potestatis, ascitus. Vnde cùm aliquando omnium oculos in Cȩsarem intentos videret, penes quem summa rerum erat, dixisse fertur, *Idem sibi, quod Polluci Deo, contingere; cui cùm domus & ara Romæ cum fratre suo Castore communis esset, Castoris tamen vnius & domus, & ara, & Numen celebraretur, Pollucis nulla mentio fieret: sic communem cum Cæsare Consulatus dignitatem licet haberet, omnia tamen munia vnus Cæsar obiret, omnia ageret, omnia disponeret.* Vnde manauit jocādi occasio, vt quoties Consules quid agerent, quod pro more in Fastis, quibus sub Consulibus gestum esset, ascriberetur, *non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare Consulibus, gestum dicerent*; & id Distichon Tranquillo quodam, aut incerto authore:

Plutar.

Non Bibulo quidquam nuper: sed Cæsare gestum est:
Nam Bibulo fieri, Consule, nil memini.

Plerorum hominum, vt animalium, non dissimilis conditio est, eorum quæ gregatim eunt, quæ multitudo non impinguat; non prodest societas, sed magis nocet, extenuat, & macessere facit: vnde perpetua macie laborant. Sic qui miseros & infimæ sortis homines frequentant, semper miseri ipsi existunt, & nil emolumenti ab eorum societate trahunt.

Hoc Alciatus festiuo Emblemate confirmat, sub hac Inscriptione, *Paruam culinam duobus Ganeonibus non sufficere.*

Embl.93

In modico nihil est, quod quis lucretur; & vnum
Arbustum geminos non alit Erythacos.

Vel aliter:

In tenui spes nulla lucri est, vnoque resident
Arbusto geminæ non benè ficedulæ.

Quo vult intelligi, non multùm lucri esse expectandum ex rebus minimis, aut ex personis abjectis & miseris, cum quibus quidquid laboris & operæ impendas, fructus tamen quem percipies erit valde modicus. Quod Lucanus hoc Disticho expressit:

Aduersis non deesse decet; sed læta securos
Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.

Plinius obseruat certis animalculis, muribus videlicet, eam esse à natura sagacitatem augurandi, vt cùm imminent ruinæ domûs, illico fugiant. *Ruinis*, inquit, *imminentibus Musculi præmigrant, Aranei cum telis primi cadunt*: prouident nimirum suæ securitati, cùm sibi non tutum alicubi prȩsentiunt. Sic nobis faciendum est, deserenda societas ruinosa, cedendum amicitiæ, ac renuntiandum, quæ plus molestiæ & tȩdij allatura sit, quàm subsidij.

Plin. l.8 c.28

Quis enim aquam lympidam sitiens quȩrat in cœno, aut si gaudet odoribus, putet habere in cloaca? Quis sanitatem in Xenodochiis? Vel qui

Digitized by Google

lucris inhiat, num inter mendicos venabitur? Si honores, inter sicarios? sapientiam, inter ignauos? virtutem, inter ganeones & scelerAnthol. Billij.atos?

Anthol. Billij.

An sapit is, pressus qui fluctibus arripit Algam,
Nec solidis nixus littora tuta petit?
Haud magis ille sapit, qui vitæ in fluctibus hujus
Præponit solidis fluxa, miserque perit.
Vt fugias igitur tanti discrimina ponti,
Nec caput ista minax obruat vnda tuum;
Spemque fidemque Agapemque, tene fluxa omnia linquens,
Has nihil in tabulas vlla procella potest.

Postremò, ratio palmaris, cur cum pusillo & tenui societas non sit contrahenda, est, quia ex tali societate & commercio nemo societatis bonis & commodis perfruatur; quæ Seneca suo more solidè grauiterque insinuat. *Duas res Natura dedit*, inquit, *quæ hominem obnoxium cæteris* (scilicet infirmitatibus) *validissimum facerent, Rationem & Societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit; societas terris genitum, in alienæ Naturæ transmisit imperium, & dominari etiam in mari jussit: hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Hæc fortes nos facit, quòd licet contra fortunam aduocare. Hanc tolle, & vnitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes.* His, inquam, bonis tenues & miserabiles personæ non gaudent. Vnde concludas, Cum paupere & tenui societatem esse inutilem. Nam quomodo alios tutarentur, aut deffenderent, qui seipsos non possunt.

Sen. l.4 de benef. cap.18

Ad quod allusit Alciatus Emblemate 169. sub Inscriptione hac, *Obnoxia infirmitas*; repręsentans sardas, pisciculos, turmatim ire solitas, quæ dum medio in æquore Auratam & alios pisces fugiendo petunt summa, ab aliis deuorantur.

Embl. 169

Pisciculos Aurata rapit medio æquore sardas,
Ni fugiant pauidæ, summa marisque petant.
Ast ibi sunt Mergis fulicisque voracibus esca,
Eheu: intuta manens vndique debilitas.

Nec excusatior est cum vitiosis & ignauis, quàm cum nullius frugi, confœderatio aut societas. Facit ad hoc Prouerbium Pythagoræ, *Hirundinem domi ne alito.* Quod non de aue illa, sed de homine per illam significato, intelligendum; cujusmodi sunt garruli, mendaces, parasiti, qui ridente & grata fortuna, vt illæ, cœli temperie, domos potentum obsident, mendaciis & importunis garrulitatibus implent, aut fœdis assentationibus; cęterùm mutata aura longè fugiunt.

Ridet Plutarchus eos, qui fœlices prędicabant, quos ingens sodalium & clientum turba circumstrepit. *Longè falluntur*, inquit; *quippe si culinas Principum multis cupedijs instructas intres, videbis Muscarum examina fumo ac nidore illuc attracta; quo cessante, mox omnes auolant.* Ita illis si desit quęstus aut spes gulæ, protinus frequentia illa in solitudinem vertitur. Hæc societas non est, sed turpe commercium.

Videbat aliquando Thebanus Philosophus opulentum adolescentem, quem ganeonum & parasitorum turba comitabatur; cui ait: *O adolescens, miseret me solitudinis tuæ. Cum hujusmodi hominibus fugienda societas, vtpotè non modò inutilis, sed etiam perniciosa.*

Digitized by Google

CVM TENVI SOCIETAS INVTILIS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

CVm omnis Societas in emolumento fundata sit, & in vtilitate, quam quis ex ea sibi promittit, eaque sit in creaturis nulla aut pertenuis; quæ causa est, cur cum tenui societatem esse inutilem supra probauimus; Moralis hujus sensum à literali ad spiritualem & Mysticum nunc transferens, statui hîc socordiam hominis & imprudentiam, in creatura fluxa & decidua, Creatore relicto, spem suam reponentis, ostendere: quod, vt spero, non erit inutile, nec operosum; maximè cùm Deum inter & hominem societatem esse sacræ Literæ non obscurè sonent & prędicent. *Fidelis Deus*, inquit Apostolus, in promissis scilicet, *per quem vocati estis in societatem Filij ejus Iesu Christi Domini nostri.* Nec solùm societatem habemus cum Christo Filio Dei, sed & cum tota Sanctissima Trinitate; dicente Apostolo dilectionis: *Quod vidimus*, inquit, *& audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & Filio ejus*, &c. Haud dubiè & cum Spiritu Sancto.

1. Cor. 1

Ioan. 1

Propterea nunquam Deus grauiora minatur & detonat in populum suum per Prophetas suos, quàm cùm se neglecto videt eum in homine & creaturis fluxis ac debilibus fiduciam suam reponere, societatem inire, spem collocare.

Hoc in illustrioribus Prophetis, pręcipuè Isaya, Ieremia, Ezechiele, videre est; apud quos vanam illam spem Scriptura carni comparat, qua nil putrius; Arundini aut calamo, quo nil fragilius aut leuius; & Vmbræ, qua nil inanius & fugacius.

Maledictus homo, inquit per Ieremiam, *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.*

Ierem. 17

Iam vltimæ insipientiæ, quàm sit in carne fluxa & putri sustentari velle, & brachium ponere seu robur suum, cui vt fœno nil solidi, nil roboris, quis non videat? aut quis incumbens, non citò labatur & cadat? Sed pręter casum, quæ ei deterior sors obueniat, declarat sequentibus verbis:

Erit quasi Myrica in deserto, & non videbit cùm venerit bonum; sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.

Hîc obiter Nota primò, Hugonem Cardinalem hunc ipsum versum Ieremiæ exponentem, applicare Iudæ Machabæo, eò quod cum Romanis confœderari quęsierit. Ejus verba sunt: "Postquam Confœderationem & Amicitiam cum Romanis fecit, cùm anteà in omnibus factis suis prosperè semper accideret, nunquam ei posteà benè accidit."

In c. 17 Ierem.

Secundò, sub comparatione infœlicis hujus & maledicti ligni, & Religione damnati, vt ait Plinius, tres effectus Scripturam ponere animæ vanæ, de Deo diffidentis & recedentis, ac in caducis cor suum & spem omnem reponentis; quorum primus sit solitudo horribilis, & vastitas, id est,

L. 13. c. 21

Digitized by Google

ſegregatio à Deo. ab Angelis, à Sanctis & Amicis Dei. Secundus, ariditas gratiæ, ſiccitas ſeu priuatio pluuiæ cœleſtis, defectio virtutum & vnctionis. Tertius denique, ſterilitas perpetua fructûs omnis, ſanctitatis, bonorum operum, qualẽ deſcribebat in ſe & ſentiebat Auguſtinus. "Væ, inquit, animæ audaci, quæ ſperauit, ſi à te receſſerit, ſe habituram aliquid melius, verſa & reuerſa, in tergum, & in latera, & in ventrem; & ecce dura ſunt omnia, quia tu ſolus animæ requies, Domine.,,

L.6.Confeſſ c.16

Per Ezechielem verò amaro & digno ſcommate irridet & perſtringit Pharaonem, qui adjutorem Iſraëlis ſe fecerat, & Iſraëlem, qui ad ejus fœdus, & ſocietatem, & opem, loco Dei confugerat, his verbis: *Ad te, Pharao Rex Aegypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum*, &c. *Pro eo quod fuiſti baculus arundineus domui Iſraël, quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & laceraſti omnem humerum eorum.*

Ezech.29

Quod re vera ita factum eſt, vt cùm Iudæi aduersùs Babylonios Dei ſui non implorauere opem, ſed Ægypti adjutorium præſidiumque vanè ſperauerunt, Pharao vt baculus arundineus eorum in manu confractus eſt, & tandem deſolatus; & iſte, rebellante aduersùm Regem Babylonis Sedecia, non ſolùm nihil adjutus eſt, ſed & inflicto vtrique vulnere, vterque grauius habuit.

Quid enim aliud præſtet mendax & inane perfugium in homine, niſi vt arundo leuis, nulla radice innitens, nullo robore pollens, intus vacua, omni vento mobilis, omni impulſu labilis, cùm in eo ſuſtentari quis putat, confringatur, & incumbenti ac cadenti ſit cauſa doloris & vulneris, vt benè Regius Pſaltes de talibus ſubſannando dicat: *Videbunt juſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum.* Et alibi: *Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Ille enim, qui in alio, quàm Deo, ponit ſpem ſuam, reſpicit in vanitates falſas, falletur, & decipietur, & irridebitur vt inſanus.

Pſal. 51

Pſal. 39

Talis fuit primus Regum Iſraël, omnium infœliciſſimus, qui Deo inobediens, cùm audiret à Samuële verbum Domini ſe projicientis, & à regno reprobantis, videretque ſe Diuino dejectum adjutorio, humano ſuffulciri putans, recedentem à ſe Prophetam retinere voluit, apprehenſa ſummitate pallij ejus: ſed irritum confugium, baculus arundineus confractus, ſpes in homine, Deo relicto. Nam non ſine grandi oſtento, de repente apprehenſa pars illa, quaſi panni putris, ſine vi abſciſſa, manui tenentis adheſit, funeſtiſſimo omine. Vnde Propheta ad eum: *Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo, meliori te.*

1.Reg.15

Tertiò denique, apud Iſayam ſpes & fiducia in homine vmbræ ſimilis eſſe dicitur; qua nil in Natura leuius aut fugacius eſſe poteſt. Hoc inculcabant Prophetæ, & ſpecialiter Iſayas, vt fugitiuos à Deo, & refugas Iſraëlitas, in Ægypti adjutorio, equis, armis ſperantes auerteret, & ad Deum reuerti compelleret. *Væ qui deſcendunt in Aegyptum*, inquiebat, *habentes fiduciam in vmbra Aegypti.* Sed quo ſucceſſu? declarat: *Erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & vmbra Aegypti in ignominiam.* Rationem paulò antè protulerat: *Quia Aegyptus, homo, & non Deus; & equi eorum, caro, & non ſpiritus; & Dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium.* Vt hoc exemplo ac documento toties decantato diſcant Mortales ſpem ſuam in Deo vno reponere, non in vmbra fallacis creaturæ, quæ, vt dicit Ieremias, *facta eſt homini quaſi mendacium aquarum*

Iſaiæ 30

Iſaiæ 31

Inſide

Digitized by Google

Infidelium, quæ luctantem in aquis & manu prensantem, non leuant, sed in imo mergunt & suffocant.

Nempe idem eis contingit, quod Ionæ Prophetæ; qui fatigatus laboriosissima prędicatione, ac cursitatione per plateas vrbis Niniuæ, & præ æstu Solis anhelans, cùm fecisset sibi vmbraculum vt sederet, & extemporanea Deus hederæ productione, ipsi vmbram pręparasset. *Lætatus est Ionas super hedera, lætitia magna*: sed ô lętitia parum duratura! ô hedera cito casura! vmbra fluxa & caduca! Qui enim vmbram parauerat, parauit & vermem, qui hederam omnem, folia, vmbram, delitias Ionæ momento arrosit & abstulit. Ionæ 4

Lętabatur Rex Dauid, & quiescere videbatur in vmbra gloriæ regni sui, cùm recensuit Israël, & copias bellatorum suorum. Sed quam citò vmbra illa exaruit, verme iræ Dei hederam illam depascente, misso ad eum Propheta, qui diceret: *Trium tibi datur optio, aut pestis, aut gladius, aut fames.* 2.Reg.24

Conualescens à mortali ægritudine Rex Ezechias, gaudebat non mediocriter in vmbra magnifici palatij sui, & thesauris ac gazis domûs regiæ, cùm Nuntiis Regis Babylonis, sibi pro recuperata salute congratulantis, ostendit magnificentiam domûs suæ, vasa aurea & argentea, & diuitias supellectilis suæ. Sed non tardauit vermis arrodere vmbram illam, & omnem hederæ lætitiam vsque ad radicem, misso ad eum Isaia, qui diceret, *Ecce venient dies, & auferentur ab ijsdem Babilonijs omnia vasa ista, & thesauri tui, & filij tui captiui Babilonem deducentur.* 4.Reg.20

Putabat Asa quiescere resupinus in vmbra victoriæ Regis Israël, qua inito fœdere cum Rege Syriæ potitus est, sed hederam illam & vmbram quam in confœderatione hominis sibi perennare credidit, cito vermis iustitiæ Diuinæ depastus est. Misso ad eum Propheta, ipsi exprobrante, *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ de manu tua; stulte egisti, & propter hoc ex præsenti tempore aduersum te bella consurgent.* 2.Paralip 16

Putabat Aman in vmbra Assueri Regis securè quiescere, cum Coniuge sua, & Filiis, & Amicis, prostrato ac suspenso vt destinauerat, Mardochæo, cunctis sibi ex voto succedentibus, sed eodem momento quo ad summum fœlicitatis ambitio ejus videbatur ascendisse, vermis adnatus omnem illam gloriæ vmbram arrosit.

Quid plura? Diues ille ex Euangelio in affluentia diuitiarum, & fructuum omnis generis voluptuosè conquiescens. Quid nisi quasi porcus saginatus volutabatur in cœno carnalium deliciarum, cum diceret ex abundantia nauseabundus. *Quid faciam? quia non habeo quò congregem fructus meos. Destruam horrea mea, & majora faciam, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed vix crapulam decoxerat, cùm vermis Deo jubente paratur, qui & horrea, & annonam omnem, & spem futuri deglutiit, intonante cœlitùs voce: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; & quæ parasti, cujus erunt?* Adeo vana est fiducia, & fallax, & lubrica, & fluxa societas cum tenui, & semper debili creatura. Lucæ 12

Digitized by Google

TITVLVS LI
DE AMICIS.

FABVLA.

De duobus Amicis & Vrso.

DVOBVS *Amicis simul iter facientibus occurrit Vrsus ferox; quo perterriti, alter vicinam arborem ascendit, nil socij curans, alter se solum, & feræ imparem sentiens, humi strauit, instar mortui, quam minimum poterat, anhelans aut spirans; quem Vrsus ad caput, & os, & vndique subodorans, credidit mortuum, & impunè liquit; id enim animal in cadauera humana non sæuit. Elapso periculo, descendens qui erat in arbore, socioque junctus, sciscitabatur curiosius, quidnam ei Vrsus jacenti in aurem immurmurasset. Monuit, ait ille, ne deinceps cum hujusmodi me Amicis sociarē, qui in periculo desererēt, & Amicos falsos, occasione probari.*

De Meretrice sui Amasij discessum flente.

D*Iscedente ab vrbe quodam Adolescente, Meretrix, qua diu abusus fuerat, visa est flere impotentius ejus discessum; Mulier vicina lachrimantem interrogat, cur ita juuenem inconsolabiliter fleret? & an verè ex animo tantæ lachrimæ fluerent? cui ridens illa, minimè verò personam lugeo, cui tot in dies superueniunt, sed chlamidem nouam, quam ei solam reliqui. Ostendens quid de amore Meretricio, & alijs vt plurimum sentiendum sit?*

De Viro Amicos probante.

D*Iues quidam & potens magnam habebat Amicorum copiam, quos sæpe ad mensam inuitabat, & lautè excipiebat. Illi vicissim, nihil non se nomine Amicitiæ prima occasione effecturos pollicebantur. Finxit ille sibi factam grauem injuriam, cujus vindicandæ ergo, eorum opera egeret; vt probaret si verè, vt dicebant, Amici essent: eosque ad cœnam ea de causa inuitauit. Illi egregiè pransi, vbi de adeundo periculo audiunt, & armis sumendis, caperare frontem, vultum demittere, excusare sese, negotia prætexere, vno verbo omnes recusare, duobus exceptis, qui se ad omnia paratos hilari animo incunctanterque promiserunt. Tum Diues aliis valere jussis, hi, inquit, soli veri amici sunt.*

Pater & Filius.

I*Actanti se Adolescentulo apud Patrem habere amicos multos, eosque fidelissimos; negabat Pater id ita esse, aut credere posse, nisi facto experi-*

Digitized by Google

mento, quod diceret, accepta conditione à Filio. Occisum vitulum adhuc cruore madentem, inquit, repone in sacculo accurate ligato, eumque clam noctuque defer in ejus domum quem ex omnibus fidissimum putas, rogans vt secreto abscondat, sitque auxilio, corpus esse cujusdam inimici tuì quem nuper occidisti. Annuit consilio Patris Filius, & dorso gerens tabe fluentem sarcinam, cuidam detulit, qui vt resciuit quid rei esset, auersari cœpit juuenem, & stridere, & à se abigere. Redit ad Patrem pudore suffusus, quantum à vero amico abesset ille, conquerens. Ad alios igitur remisit Pater, eodem modo probaturum eorum fidem; obtemperat, adit, & redit ab omnibus vsque ad contumeliam repulsus. Cui senex, jam probasti, fili mi, quam sit rara auis in terris Amicus fidelis; ego quoque qui senui, vix vnum de mille reperi. Quod vt ipse probaret, jussit indicato nomine sarcinam ad eum deferre noctu. Paruit Filius, pulsat ostium, admissus quid misterij gereret, aperuit; quem ille statim accepto onere subleuans accepto ligone fossam defodit, tum Iuuenis in colla ruens, telam compositæ fictionis retexuit, rogauitque vt tertium se amicitiæ sodalem acciperet. Cautior in veris à falsis discernendis.

De Lupo sene cadauere inuento.

Grauatus annis, & senio Lupus, sed amplius fame frustra à filiis & amicis cibum emendicans, in syluam lento vt potuit gradu se recepit, & fortè cadauer bouis inuenit; vix primis labris degustauit, cum Lupi, & Corui, & Vultures aduentant, salutant, abblandiuntur, demulcent, Amicos se profitentur, rogant certatim vt in partem se prædæ admittat. Tunc secum Lupus, intra se, & inter edendum verba infringens, quanti parasiti, amici, cognati! ait, modo quod esca abundat. O me delirum senem, si amicos istos meos putem. Cadaueris amici sunt, non mei.

De Auibus & Quadrupedibus, & Vespertilione.

Depugnabant Aues contra Quadrupedes infensissimis animis, & vario Marte: cum ad Quadrupedes inclinabat victoria, vespertilio ex acie Auium in eorum castra transibat: Rursumque cum Aues vincerent, ad eas transuolabat, obseruata ejus perfidia Aues reportata de hostibus suis victoria, vespertilioni diem dicunt, iudicant damnant. Vti ei cum Auibus nullum deinceps sit commercium, aut sodalitium; & ne ei liceat vnquam volare interdiu. Sic falsi amici, tractandi.

De Rustico & Mure.

Deflagrantibus ex casu aliquo ædibus cujusdam Rustici, incensa supellectile; saluis tamen hominibus: Rusticus foris prospectans incendium, aduertit Mures ex domo, & flammis, quam ocissimè possent, se proripientes, is, vt erat hilari ac faceto ingenio, cucurrit ad Mures, & vnum ex eis manibus apprehendens, projecit in ignem, dicens, ingratum animal! An æquum est te domum in aduersitate deserere, cujus tot annis hospitio vsus es? Indicans hoc cauillo Amicos occasione probari, nec in aduersis fugere debere.

De Fure & Cane.

Fvr noctu in ædes cujusdam inuolans latrocinij causa, Cani ad januam prostanti blandiebatur, & latranti panem, vt sileret, projiciebat; cui Canis nihilo placatior, frustra inquit, me tuis muneribus fallere tentas, dona tua insidiæ sunt, Amicum simulas, & sub specie amicitiæ, latrocinia exerces.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

FALSI AMICI OCCASIONE PROBANTVR.

Probatur primò, & illustratur, *EX PROFANIS.*

VNvs Seneca illustrando huic Titulo abundanter sufficeret, nisi in turbam aliunde benè multa confluerent. Ille igitur Lucilium suum instruens, quomodo sapiens sit seipso contentus,& nullius indigens, & tamen Amicum requirat; sic ait: *Sapiens etiamsi contentus est se, tamen habere amicum vult: si ob nihil aliud, vt exerceat Amicitiam; ne tam magna virtus jaceat. Non ob hoc, quod Epicurus dicebat, vt habeat qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula conjecto, vel inopi; sed vt habeat aliquem, cui ipse ægro assideat, quem ipsum circumuentum hostili custodia liberet. Qui se spectat, & propter hoc ad Amicitiam venit, malè cogitat; quemadmodum cœpit, sic desinet. Parauit amicum aduersùs vincula laturum opem; cùm primùm crepuerit cathena, discedet. Hæ sunt Amicitiæ quas temporarias populus appellat. Qui causa vtilitatis assumptus est, tandiu placebit, quandiu vtilis erit; hac re florentes amicorum turba circum sedet; circa euersos, ingens solitudo; & inde amici fugiunt, vbi probantur.*

Epist. 9

Vides vt falsam fictamque Amicitiam à vera discernat, & vtriusque diuersa officia describat, tantùm illam deprimens ac vituperans, quantùm hanc extollit & laudat. Addit verò: *In quid igitur amicũ paro? Vt habeam pro quo mori possim, vt habeam quem in exilium sequar, cujus me morti opponam & impendam. Ista, quam tu describis, negotiatio est, non amicitia; quæ ad commodum accedit, quæ quid consecutura sit, spectat.* Ita ille, generosè quidem, de sapientiæ philosophicæ Amicitia.

Alio in loco expendens illud Epicuri dictum: *Antè circumspiciendum est, cum quibus edas & bibas. Nam sine amico visceratio, Leonis ac Vulpis vita est;* subdit: *Hoc non continget tibi, nisi secesseris; alioquin habebis Conuiuas, quos ex turba salutantium Nomenclator digesserit. Errat autem, qui Amicum in atrio quærit, in conuiuio probat. Nullum habet majus malum occupatus homo, & bonis suis obsessus, quàm quòd amicos sibi putat, quibus ipse non est; quòd beneficia sua efficacia judicat ad conciliandos amicos; cùm quidam, quò plus debent, magis oderint.*

8. Ethic. 3 & 4

Amicitia vtilis, inquit Philosophus, *cum vtilitate dissoluitur*, &c. *Vera amicitia non est, quam vtilitas aut necessitas, sed quam virtus & honestas conciliant.*

Idem dicendum de Amicitia ob jucunditatem, quæ vnà cum ea mutatur. Hinc Aristoteles, vbi supra, docet, *Amicitias adolescentum citò oriri, & dirimi; quia eorum amicitiæ, cùm sint ob delectationem, ea pereunte, pereunt.* Tales amicitiæ similes sunt hederæ, quæ fundamentum quo innititur fugit; eo vigente virescit & serpit; deficiente, deficit:

In Lelio, seu de amicitia. Ibidem

Videre est, inquit Tullius, *eos qui antea commodis moribus, imperio, potestate, prosperis rebus vsi sunt, immutari, spernique ab eis veteres amicitias, & indulgeri nouis. Plerique*, inquit idem, *in rebus humanis nihil quidquam bonum nôrunt, nisi*

Digitized by Google

quod fructuosum est ; & amicos, tanquam pecudes , eos potissimum diligunt , ex quibus sperant se magnum fructum esse capturos.

Tales amicitiæ nequaquam Amicitiæ sunt , juxta illud præclarum effatum : *Amicitia, quæ desinere potuit , vera nunquam fuit.* Neque enim moritur virtus, cui Amicitia vera innititur.

Vnde non multis probarur illud Biantis, vel Chilonis Philosophi : *Ama tanquam osurus, odi tanquã amaturus.* In primis Aristoteli. Sed & Scipio nil ea sententia in amicitia pestilentius , quidquam contingere posse affirmabat. Cicero priorem ejus partem carpebat, *Ama tanquam osurus* ; posteriorem admittebat, *Odi tanquam amaturus.* Illa enim injuriam facit Amicitiæ, hæc odio moderationem infert. Quisquis enim sancte Amicitiam colit, ipsi finem nullum ponit. Qui amicis vtuntur vt vestibus , veteres abjiciunt, nouos semper ambiunt; hi ne quidem de nomine Amicitiam nôrunt.

L. Rhet.

L. de Amicitia.

Quod subtiliter Martialis carpit :

L. 1. Epig. 55

Si quid Fusce vacas adhuc amari
(Nam sunt hinc tibi , sunt & hinc amici)
Vnum , si superest , locum rogamus:
Nec me , quòd tibi sum nouus , recuses
Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tantùm inspice , qui nouus paratur,
An possit fieri vetus sodalis.

Quidquid sit, Amicos occasio probat. Est enim in Amicitia lapis Lydius, aduersitas , quæ veritatem probat Amicitiæ, fidem explorat, fictam à vera secernit. Vt enim aurum igne, sic Beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici solet , dicebat Tullius.

L. 2. Epist.

Inde illud Ennij: *Amicus certus in re incerta cernitur.* Et illud Publij Mimi apud Senecam in Prouerb : *Amicos res optimæ parant , aduersæ probant.*

Propterea *probum amicum* , dicebat Demetrius Phalereus, *gaudijs quidem amici vocatum adesse debere; aduersis autem casibus sponte accurrere, venire non vocatum.* Quod Ouidius non semel cecinit :

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum ;
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Donec eris diues , multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila , solus eris.

Sicut nauis compagem probat tempestas, inquit Plutarchus; *si enim sit firma & valida , illi resistet ; sin autem , fatiscet & desiliet : sic amici probandi sunt malorum incursu.*

Amicos fortunæ ac temporis , aliquis non malè comparabat hirundinibus , quæ vere aut æstate ad nos aduolant , hyeme verò auolant. Ita quippe infidus amicus, lætis rebus præsto est , commutata fortuna deserit amicum. Eosdem Plutarchus dicit similes Pediculis, sordidissimis animalculis, quæ discedunt à morientibus, seu corpora languentium relinquunt, simulatque sanguis aut vitalis calor deficit , præsentiunt caduci hospitij defectum. Sicut & de Musculis tradit Plinius & Araneis. Non secus infidi amici, inclinante fortuna festiui aduolant fugiuntque , quia fortunæ non personæ amici erant.

Plinius L. 10. c. 24

L. 8. c. 28

Non secus ait eleganter Lyricus,

Hor. L. 1. Ode 36

Vulgus infidum & Meretrix retro
Perjura cedit : diffugiunt cadis

Digitized by Google

Cum face siccatis, amici
Ferre jugum pariter dolosi.

L. 9. Epig 15

In quendam de hoc genere amicorum festiue lusit Martialis.

Hunc quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat & Mullos & Sumen & Ostrea, non te,
Tam bene si cœnem noster amicus eris.

Mart. l. 9 Epig. 90

Et infra huiusmodi parasitorum non amicorum genium in sua persona ridens, sic ait. Ad rufum.

Dum me captares, mittebas munera nobis,
Postquam cœpisti, das mihi, Ruffe, nihil.
Vt captum teneas, capto quoque munera mitte,
De cauea fugiat ne malè pastus Aper.

Porro inter caducas & parum durabiles Amicitias, quas recensuimus, amicos inter seu mensæ, seu temporis, seu delectationis, nulla est fœdior societas, nulla communio fragilior, nulla infœlicior amicitia ea, quam impurus amor & carnalis voluptas stringit. Similis herbæ Helenio, quæ secundùm Plinium è lachrymis Helenæ nata; aut è quercu, secundùm alios, ad quam Helena se suspendit, dicitur generare rixas ac discordias. Ita prorsus amor carnalis ac lubricus, qui sicut Paridem & Helenam, sic postea totam Græciam incendit, & Trojæ regnum in cineres & vastitatem reduxit. Similis etiam Hypani fluuio, qui, vt Herodotus scribit, in suo fonte exilis & dulcis fluit, per quinque dies; deinde potus euadit amarissimus. Dicant, qui experti sunt insani amoris vincula, & fœdæ voluptatis lubrica gaudia, quantas amaritudines in eis persenserint, & quàm verè Tullius pronuntiarit, *Amores & delitias maturè & citò deflorescere, & in omnibus voluptatibus maximis fastidium finitimum.*

Plin. l. 21 c. 10. & 21

Cic. orat. pro Cælio

Quos verò purior flamma, animorum scilicet similitudo, & sympathia quædam morum, ad virtutem incendit & copulat, æternæ Amicitiæ ac societatis, hujusmodi imitandi, horum fidei te securè committe, quæ nulla aduersantis fortunæ mutatione violetur, sed vsque ad mortem perduret.

Plutar. in vita Pelopidæ.

Qualem ferunt Amicitiam Iolai & Herculis, mutuis inter se officiis, cunctis in periculis & laboribus probatam. Vnde nata consuetudo Aristoteli creditur, suo adhuc tempore perseuerans, vt amantes ad Iolai sepulchrum fidei vicissim seruandæ mutuo se sacramento astringerent.

Ibidem.

Vel qualis turma illa electorum militum apud Thebæos, dicta Legio sacra, seu à predicta jurejurandi religione sic nuncupata, seu quòd Amantes à Platone Amici Diuini, seu à Deo afflati, vocarentur. Quidquid sit, à fidelitate Amicitiæ & nomen & vires tantas adepta erat, præcipuè tempore Pelopidæ & Epaminondæ, vt pro inuincibili haberetur; quia quisque amantium socij sui periculum proprio corpore, si posset, auerteret, exciperetque. Vnde nusquàm legitur aut victa, aut cæsa ac prostrata, nisi prælio Cherronesi, in quo victor Rex Philippus lustrans stragem cæsorum Thebanorum, & præcipuè locum in quo consederat sacra Legio, conspectis iis juxta se, vt dimicauerant, cæsis, ingentibus pectore transfossis vulneribus, lachrimas continere non potuit, & mortuos laudibus prosecutus est. Fœlix, qui tale amicorum consortium inuenit, & in eo potuit admitti; quos nec fortunæ blandiens aura corrumpit, nec ab officio aduersantis occasio vlla subducit.

Digitized by Google

Aut denique qualem pręclaro Emblemate expreſſit Alciatus ſub vitis ſymbolo, fraterno quodam affectu vlmum amplexantis, cum hac inſcriptione, *Amicitia etiam poſt mortem durans* Embl. 159

Arentem ſenio, nudam quoque frondibus vlmum
Complexa eſt viridi, vitis opaca coma;
Agnoſcitque vires Naturæ, & grata parenti
Officij reddit mutua jura ſuo.
Exemploque monet tales nos quærere amicos
Quos neque disjungat fœdere ſumma dies

Sed hujuſmodi rariſſimè invenias, vnde celebratur Menandri Sententia à Plutarcho, dicentis, vel eum fœlicem, cui etiam amici vmbra obtigiſſet.

FALSI AMICI OCCASIONE PROBANTVR.

Probatur ſecundò, & illuſtratur, *EX SACRA SCRIPTVRA.*

SPIRITVS Sanctus veræ amicitiæ jura commendans in Scripturis, falſæ fœdera ſuis coloribus depingit, vt illius ſinceræ ac legitimæ eleuaret ſancta commercia, dum hujus adulterina deprimit, ac propalat. Tria enim à veris Amicorum genera diſtinguit, eorum qui fortunæ amici ſunt, qui menſæ, qui temporis.

Prioris generis meminit in Prouerbiis. *Multi*, inquit, *colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis.* Hi ſunt vtique amici fortunæ, qua ſtante, & illi ſtant; deficiente, deficiunt. Nam vbi aut potentia vacillat, aut dona ceſſare incipiunt, cultus omnis abſcedit. Prov. 19

Hunc ſeculi genium & morem vbique Sapiens prodit, & carpit; potenti adulari, applaudere placitis, conſentire aut conniuere etiam illicitis: & contra pauperi detrahere, humilem aut contemptui, aut odio habere.

Etiam proximo ſuo, inquit, *pauper odioſus erit: Amici autem diuitum multi.* Sic enim Iob & Tobias ad paupertatem redacti, odioſi fuere ſuis, etiam vxoribus. Prov. 14

Secundi generis Amicos, ſcilicet menſæ, non ſemel Eccleſiaſticus memorat: *Eſt autem Amicus*, inquit, *ſocius menſæ.* Et de tali ecce quid pronuntiat: Et *non permanebit in die neceſſitatis.* Grecè, θλίψεως, afflictionis ſeu calamitatis. In hos quadrat Prouerbium in Gemara: " Ad oſtium tabernæ fratres & amici; ad oſtium carceris, neque fratres, neque amici. " Talis eſt plerunque amicitia hominum: multi ſunt amici culinæ, & ollæ, & tabernæ, vt vinum bibant in jocunditate: at ſi eum viderint in pauperiem & calamitatem delabi, aufugiunt. Eccl. 6

Idem fermè repetit infra. *Sodalis*, inquit, *Amico conjucundatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis aduerſarius erit.* Nota hîc Sodalem ſignificare idem ac Commenſalem; quaſi dicat: Intra pocula ac fercula amici; Eccl. 37

Digitized by Google

extra, inimici ac proditores.

Vnde Lyranus: "Nulla efficacior pestis ad nocendum, quàm familiaris inimicus & sodalis, id est, socius mensæ: dicitur enim a sede Sodalis; quia sedet cum alio in mensa: frequenter enim contingit, vt simul sedentes in mensa, antequam recedant ab inuicem, rixentur & pugnent."

Psal. 40 Inde Dauidis illa expostulatio: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Et Psalmo 54. quanto stomacho ferat amici sui perfidiam, Psal. 54 quem ad mensam suam pauerat, ostendit: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem*, &c. *Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

Quid verò putes dirarum in tales euomere ac detonare? *Veniat mors super illos, & descendant in Infernum viuentes.* Siue Psalmista ad literam, hæc de proprio filio Absalone, perduelle, intelligat; seu in persona Christi, de infamissimo Iuda proditore, conuictore ac commensali suo, quem dulcissimis panibus Corporis & Sanguinis Dominus noster cibauerat. Vt vt sit, magnitudo supplicij, quod hujusmodi perfidiæ operatori imprecatur, ostendit grauitatem criminis. *Veniat*, inquit, *mors super illos, & descendant in Infernum viuentes.*

Tertij generis Pseudoamici, ij sunt, qui amant ad tempus, ad horam, ad præsens. *Est enim Amicus*, ait cap. 6. *secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Syrus legit: *Est amicus ad horam.* Tygurina versio: *Sunt enim amici, quandiu sibi opportunum est, qui tibi desint tempore calamitatis tuæ.*

L. de Amicitia. Quem locum exponens S. Augustinus, ait: "Amicitia mundialis est plena fraudis atque fallaciæ; nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; sed cum fortuna mutatur, sequiturque marsupium. Vnde Sapiens: *Est amicus secundùm tempus*, &c. Tolle spem quæstùs, & statim desinet esse amicus."

Idem dicas de Amicitia carnali, in sensu & affectu libidinoso fundata: horaria est; momento nata, momento euanescit; vt fœni flos (cui ab Isaya comparatur) lubrica & labilis.

Iudic. 16 Talis fuit insanus ille amor, insolensque omnino affectus, quo in Libro Iudicum Samson legitur prosecutus mulieres Philisthæas, & inter illas Dalilam nomine, Gentilem, inimicam, & quod pejus est, perfidissimam; quæ vt proderet amantem, & suæ genti mactandum traderet, incessanter sollicitabat vt secretum suum, in quo consisteret fortitudo sua, & quì superari posset, aperiret; quam cùm ille, fidei ejus malè fidens, sæpiùs falleret, dicebat illi: *Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum?* exprobrans Samsoni Amicitiæ vitium, quo magis ipsa laborabat, scilicet perfidiam. Quid tandē? Lassauit improbitate, euicit importunitate; & vbi stultum amantē inter genua sua, & in sinu suo securum dormientemque vidit, rasit, & vinctum inimicis suis, viribus destitutum, tradidit, vinculis, carceribus, cæcitate, multisque aliis ignominiis, & morte ipsa afficiendum. Talis, inquam, est mundialis amor; speciosa initia, progressus ærumnis & amaritudinibus plenus, finis deplorabilis; ignominia, ruina, interitus.

2. Reg. 13 Talis & ille alius effrænis amor Amnonis, filij Dauid, erga sororem suam Thamar, in Libris Regum, qui per summam vim & contumeliam virginem oppressit; & insanis potitus, aut satiatus amoribus, adeò refriguit, vt amore in summum odium verso, major fuerit contumelia post opus nefandum, odisse, quàm violasse. Vt videas quid de Amicitiis ad tempus, ad horam, ad momentum efferuescentis æstuantisque libidinis, &

eodem

Digitized by Google

eodem puncto euanescentis, sentiendum putes.

Hujusmodi Amicorum de sęculi genio & sapientia afflatorum exemplum sit corruptissimus juxta & famosissimus Aulicus, Achitophel, Dauidi à Consiliis, inter Consiliarios sui æui facilè princeps; cujus tanti fiebat sententia, vt dicat Scriptura: *Consilium Achitophel, quasi qui consuleret Deum.* Propterea nil antiquius habuit rebellis Absalom, quam vt conjurationis suæ, partiumque suarum socium faceret & conscium; nil grauius habuit Dauid, quàm vt audiuit Achitophel à se defecisse, & ad partes transisse filij. Is ergo Aulicus, crimine & perfidia, quàm consilio, notior, coluit personam Dauidis, dum ejus potentia inconcussa stetit: sed vbi tantillum nutare visa est, & ad filium deuolui, à legitimo & optimo Principe deficiens, perduelli, tyranno, parricidæ junctus est; quem secuti sunt, quotquot tunc temporis sui similes, amici temporarij, partes Absalonis, ejusque fortunam amplexati sunt, populus scilicet omnis, vulgus sine numero; de quibus diceret nuncius ad Dauid: *Ecce toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom.*

Antè quieti, subditi, amici, prima temporis & rerum mutatione, alij, rebelles, inimici infensissimi. Proh fidei humanæ deploranda conditio! seu potiùs popularis perfidiæ, leuitatis & inconstantiæ nimis quàm stupendum exemplum! Vniuersus populus, Nobiles, Primates, Principes, Veterani sui Regis, tandiu armis protecti, aucti victoriis, deuincti officiis, beneficiis cumulati, prima occasione detrectant imperium, fidem ejurant, rebellant, quęrunt ad necem. Quid enim? Si filius in patrem conspirat, an plus fidei in populo requiras?

Quod spectat amicos Mensæ, nil plus fidelitatis ab eis expectes, quàm ab amicis temporis & fortunæ. Venter enim nunquam fidus promissi aut fidei depositarius extitit, malus creditor impensi beneficij, aut gratiæ.

Expunctis autem hujusmodi Amicitiis volaticis ac temporariis, de vera sinceraque sic pronuntiat: *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Quæ verba licet aliqui expositores in duas partiantur sententias, quarum altera, Amici officia tangat; altera, fratris; ego iis assentiendum duco, qui verosimiliùs autumant, vnicè de Amico intelligi; qui fratris instar existit, tam nomen, quàm munus fraternum affatim implens. Vnde enim frater dicitur quasi ferè alter; ita Amicus est alter ego. Fratrem fratri Natura conjunxit, Electio Amicum amico. Illos stringit cognatio carnis & sanguinis, hos morum & animorum probata similitudo copulauit. Vnde fit, vt quantò antistat animus corpore, tantò & animorum consensio ac necessitudo pręstet, copula carnis & sanguinis.

Prov.17

Propterea Salomon fraternitatis vinculo sacrum Amicitiæ nodum & nexum pręferens, ait: *Vir amabilis* (vel, vt alij legunt, *amicabilis*) *ad societatem magis amicus erit, quàm frater.*

Prov.18

Fratres puta veros amicos, dicebat aliquis. Quid enim mihi prodest frater, nisi sit amicus? & vbi amicus suppetit ad manum, quid opera egeo fratris? Ideò interrogatus aliquis, Quis esset amicus? optimè respondit, Alter ego. Sic S. Hieronymus ad S. Augustinum scribens, cum amico, velut cum altero se, vult esse loquendum.

Et re vera amorem fraternum non rarò Amicorum beneuolentia æquat aut superat.

Propterea quęrit S. Thomas, vtrùm Amicus juxta ordinem Charitatis

possit magis amari, quàm quiuis consanguineus, & quàm frater. Respondet affirmatiuè, quòd, quia Amicitia sociorum propria electione contrahitur, in his quæ sub nostra electione cadunt, puta in eligendis, preponderat hæc dilectio dilectioni consanguineorum, quæ in sola carnis cognatione consistit.

Dicit ergo Sapiens: *Omni tempore diligit, qui amicus est*: qui verus, qui non fucatus, aut adulterinus, Amicitiam nulla occasione dirimit, in nulla fortuna intermittit; & hunc esse sensum hujus sententiæ, Auctor cathenæ Grecæ confirmat, sic vertens: "Neque in letis, inquit, neque in tristibus, amicum deseras; aut tales parato, qui quouis tempore tibi adsint.,,

Quod inter fratres haud, aut perrarò, inuenias, quos parentum aut vndequaque fauor arridens diuidit, aut minimi commodi ratio separat, aut inuidia excedit, & inimicat. Notiores sunt fraternæ discordiæ ab initio vsque modò. Sacrificio Abelis flamma cœlestis aspirans, Caini mentem vssit, & fecit fratricidam. Ismaël persequitur Isaac legitimum. Ab vtero ipso Esaü & Iacob dissentiunt. Iosephi somnia, & Polymita, accendunt in eum fratres: *Oderant eum, nec poterant ei pacificè loqui.* Denique mutatio fortunæ in Iob, è diuiti, paupere; è valenti, vlceroso, dissipat consanguineos, confundit amicos; vt diceret: *Necessarij mei omnes recesserunt à me, fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit.* (Iob. 16)

Propterea Salomon idæam veræ Amicitiæ his verbis complexus est: *Omni tempore diligit, qui amicus est; & frater in angustia comprobatur.* Illa, illa Amicitia vera est, quam nec satietas regerit, nec dispendium ætatis perimit, nec turbat inuidia, nec commodi ratio dissipat, nec fortunæ varietas vlla percellit; quominus amicus socio quasi frater adhereat, in angustiis comprobetur; imò magis tunc fraternum animum amoremque ostendat. Quod Hebræa & Chaldæa versiones genuinè exprimunt, de amico enuntiantes, quòd *frater ad angustiam nascetur, vel ad tempus angustiæ natus est.* q. d. Amicus verus, qui tempore prosperitatis latebat occultus, tunc se promit, tunc se explicat, tunc occasione angustiæ natum se fratrem comprobat. Quod presenti materiæ & Titulo sufficiat.

Digitized by Google

TITVLVS LII.
DE AMICITIA.
FABVLA.
De Leone & Mure.

LEO, aliquando multo æstu & itinere fatigatus, molli super gramine recumbens, somno indulserat; quem Mures mortuum rati, circumdant; & in caput, in jubas, in corpus inuolantes, excitant; experrectus, vnũ ex illis vngue apprehensum tenebat; captus, orare, & obtestari vt sibi ignoscat, vitam & libertatem donet; Murem indignum ira Leonis, nec malitia peccasse in ipsum, aut odio; quod si dimittat, habiturum se perpetuum debitorem, & fieri posse vt vicem rependat. Leo Muris precibus motus, vt cujus proprium sit

Parcere subjectis & debellare superbos,

Dimittit Murem. Contigit non diu post, vt Leo à Venatoribus quæsitus dum fugeret, in retia & plagas Venatorum incurreret; quibus conclusus, & irretitus, rugire, non exire liceret. Rugitum ejus Mus nuper ab eo libertate donatus, audit; agnoscit benefactorem suum, promptus ad opem accurrit, rodit laqueos, Leo euadit, & præ gaudio exiliens, dicebat; Quam verum est, Amicum nullum æstimandum esse paruum! & potentissimos quosque vltimi hominum ope aliquando egere, aut adjuuari posse.

De Punica, & Malo, Arboribus.

PVnica & Malus arbores, de pulchritudine contendentes, in graues inimicitias & simultates inciderant, continuis se se conuitiis mutuò exagitantes; audiebat dissidentes Rubus, & *præclaras arbores mutua sese lacerare ac proscindere maledicentia deplangens, accessit ad eas, modum reconciliationis si posset, positurus. Nunquid satis, inquit, & plusquam satis decertatum est inter vos; si vos frugiferæ, & humano generi tam vtiles, vos ipsas proscinditis, quid facient inimici vestri? his & aliis in concordiam redeuntes, Rubo gratias egerunt, inter se agnoscentes, opem, consiliumque, vel ex humillimis & nullius momenti personis expectari posse. ac recipi. Quia Amicus nullus æstimandus est paruus.*

Digitized by Google

De Essedo & Fatuo.

IBat aliquando in curru cum aliis Fatuus, recreationis causa in consortio admissus; is animaduertens clauiculum, qui ante rotam in axe impactus erat, excidere, & sensim illam deuolui, satis intelligens fore vt Essedum corrueret, si semel rota sublato clauiculo exiret; subinde tacitus, & more stulti secum mussitans, dicebat, voce tamen quæ audiretur; Ne cadas clauicule, rota ne exeas, deridentibus qui aderant in parte, aliis animum non intendentibus; tandem deuoluta ex suo axe rota, corruerunt omnes cum curru in terram, & de casu surgentes, memores eorum quæ Fatuus dixerat, alter alteri, etiam aliquando, dicebant, & Fatui verum dicunt, etiam Fatui monita haud rejicienda. Non absurde ad mentem Apologi.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

AMICVS NVLLVS ÆSTIMANDVS EST PARVVS.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

NOn immeritò Socrates dicere solitus erat, *nullam pretiosiorem possessionem esse bono amico; veroque; nec aliunde plus fructûs aut voluptatis capi. Itaque præpostere facere multos, qui pecuniæ dispendium grauiùs ferant, quàm Amici jacturam.*

Laërt. l. 5. c. 1 — *Verus Amicus*, dicebat Xenophon, *desiderabile nomen, homo vix apparens, infœlicitatis refugium, vix inuenienda possessio, secretorum receptor, quies indeficiens, amanda fœlicitas.*

l. de Amicitia. — Cicero: *Amicitia*, inquit, *est optima & pulcherrima vitæ supellex.*

Herodotus: *Pretiosissimus thesaurus est*, ait, *& omnibus opibus antecellit, Amicus prudens & beneuolus.*

Serm. de amicitia — Vnde Alexander rogatus, *vbi thesauros haberet reconditos? In Amicis*, inquit. Ita Maximus.

L. de Amicitia — *Haud scio*, inquit Cicero, *an excepta sapientia quidquam sit homini Amicitia melius à Dijs Immortalibus datum. Solem è mundo tollere videntur, qui Amicitiam è vita tollunt.* Quo quid ad commendationem Amicitiæ dici potuit amplius? Tandem concludit eodem libro: *Amicus magis necessarius est, quàm ignis & aqua.*

Laërt. Lib. 5 — Inde fortè ex pretio raritas, aut ex raritate, pretium; vt dicat Aristoteles, *Multos Amicos nomine, paucissimos re inueniri, aut nullos.*

l. de amic Mult. — Et doctissimus Plutarchus celebrat cujusdam Menandri dictum insigne. *Præclarè*, inquit, *æstimes cum optimo quoque agi, cui Amici verè contigit etiam vm-*

Digitized by Google

bra. *Est enim*, subdit Plutarchus, *verus Amicus animal minimè gregarium.* Natura nil possidet rarius; vt rectè hinc consequatur, *ardentius amare, amarique, haudquaquam inueniri posse in turba.* Sunt ejus verba. Quo nomine Amicorum indignos censet combibones, ludorum aut negotiorum socios, communis hospitij participes, & turbas salutantium, qui ædes principum & ditium premunt, & dextras exhibent, quos Vulgus Amicos vocat: hujusmodi enim dicit esse veluti Muscarum examina, popinas cupediis instructas implentia, lautitiarum illuc odore attracta; inde quamprimùm auolatura, cùm nidor & fumus abscedet. *Ita*, inquit, *si istiùs spes desit, disperveam, si non protinus aulæ frequentatio in ipsissimam vertatur solitudinem.*

Idem dicebat Alphonsus Rex, conspicatus vultures triremem regiam circumuolitantes, & boletos à nauigātibus projectos arripientes, & statim auolantes. *Persimiles his auibus*, inquit, *sunt mei Aulici: non me, sed beneficia mea sed prædam & munera venantur, expectant, inhiant: vbi acceperunt, auolant.*

Panorm. L. 1. de rebus Alphonsi.

Propterea accuratè explorandos esse volunt, quos tibi Amicos conscribere decreueris. *Nam vt nummum exploras*, inquit Plutarchus, *num adulterinus sit, priusquam eo opus sit; sic probandus amicus, antequam eo vtaris.* Hinc Anthistenes illud imprimis damnabat in hominum moribus, quòd in auctionibus vasa diligenter inspicerent, priusquam emerent, vitam eorum non inspicerent, quos sibi in Amicitiam eligerent.

Ibidem

Eadem de causa Rex Antigonus Diis sacra faciens precabatur, vt se à simulatis seruarent Amicis. *Cumque ab eo quispiam percontaretur, quam ob rem tale quid à Dijs optaret.* Quia, inquit, *hostes cùm cognosco, caueo.* Innuens Amicum verum raram auem esse in terris, & difficile esse sincerum fidumque à falso discernere.

Maxim. serm. de Amicit.

Ratio autem, cur Amicus adeò rarus sit, & tanto pretio æstimandus, non vna est. Triplici enim nomine Amicus amico charus esse debet. Primò, quà Consiliarius fidus, ac veridicus. Nam rari sunt, qui Amico veritatem non celent. Vnde *Diogenes Cynicus* acutè *ad salutem opus esse cuique dicebat, aut fidis amicis, aut acribus inimicis. Vtrique enim dissimulare nesciunt.* Et Menander apud Stobæum: *Cui corpus malè affectum est*, inquit, *is opus habet Medico; cui autem animus, amico.*

Laërt. in Diog.

Ser. 114

Pulcherrimus locus Senecæ nostri in hanc rem, hîc meretur exscribi. *Neminem*, inquit, *tam altè secunda posuerunt, vt non illi eò magis amicus desit, quia nihil absit. Monstrabo tibi cujus rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit; scilicet ille qui verum dicat; & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, vindicet à consensu concentuque falsorum.* Quod probat exemplo.

Sen. l. 6 de benef. cap. 30

Cùm bellum Græciæ indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitumque quàm caduca confideret, nemo non impulit. Alius aiebat non laturos nuncium belli, & ad primam aduentùs famam terga versuros. Alius, nihil esse dubij, quin illa mole non vinci solùm Græcia, sed obrui posset: magis verendum, ne vacuas desertasque vrbes inuenirent, & profugis hostibus vastæ solitudines relinquerentur, &c. Alius, illi vix rerum Naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copijs campestria; vix patere cœlum ad emittenda omni manu tela. Cùm in hunc modum multa vndique jactarentur, Demaratus Lacedæmonius solus dixit, ipsam illam, qua sibi placeret, multitudinem, indigestam & grauem, metuendam esse ducenti; non enim vires, sed pondus habere; immodica nunquam regi posse, nec diu durare quidquid regi non potest. In primo, inquit, statim monte Lacones objecti dabunt

Cap. 31

Digitized by Google

tibi sui experimentum. Tot ista gentium millia trecenti morabuntur. Hęrebunt in vestigio fixi, & commissas sibi angustias tuebuntur, & corporibus obstruent; & cętera, quæ fastidiosum esset hîc persequi. Concludit: *Acciderunt quæ Demaratus prædixerat, Diuina atque humana impellentem*, &c. *Trecenti stare jusserunt, stratusque per totam Græciam Xerxes intellexit, quantùm ab exercitu turba distaret. Itaque pudore quàm damno miserior, Demarato gratias egit, quòd solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet*, &c.

Eodem l.6. c.32

Liceat & aliud quasi ex consequenti afferre, ex quo pretium raritatemque veri Amici intelligas, de D. Augusto, qui filiæ suæ adulteria & stupra, & domûs suæ turpitudinem ac dedecus (quæ non tam vindicanda Principi, inquit, quàm tacenda; quia quarumdam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) parum potens iræ publicauerat. Deinde cùm interposito tempore in locum iræ subiisset verecundia, gemens quòd non illa silentio pressisset, sępè exclamauit: *Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Mecœnas vixisset: adeò tot habenti millia hominum duos reparare difficile est. Cæsæ sunt Legiones, & protinus scriptæ, fracta classis, & intra paucos dies natauit noua. Sæuitum est in opera publica ignibus, surrexerunt meliora consumptis. Tota vita, vacauit locus Agrippæ & Mecœnatis*, &c.

L. de Amicitia.

Secunda ratio, cur tam pretiosus sit Amicus, est, quòd sit secreti tui solus conscius, particeps, depositarius. *Quid enim dulcius*, inquit Cicero, *quàm habere cum quo omnia audeas sic loqui, vt tecum.* Addit: *Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes amicum, qui illis æquè ac tu ipse gauderet?* Aduersa etiam ferre difficile esset, sine eo, qui illa grauiùs etiam quàm tu ferret.

Sen. l. de tranquill. animi c.7

Idem non minùs eleganter Seneca. *Nihil*, inquit, *æquè oblectauerit animum, quàm Amicitia fidelis. Quantum bonum est, vbi sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat? quorum conscientiam, minùs quàm tuam, timeas? quorum sermo solicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet?*

Vbi supr.

Ex his enascitur tertium Amicitiæ bonum, bonorum scilicet malorumque communio, seu indiuidua in vtraque fortuna societas. *Inter amicos*, inquit Cicero, *omnium rerum, consiliorum & voluntatum* (potuit addi & fortunarum) *sine vlla exceptione fit communitas.*

Lib.7. de ben. c.12

de remed fort. l.1 Dial.52

Et Seneca: *Non sic mihi cum amico omnia communia sunt, quomodo cum socios vt pars mea sit, & pars illius: sed quomodo patri matrique communes sunt liberi, quibus cùm duo sint, non singuli singulos habent, sed singuli binos*; vt benè Petrarcha cuidam dictitanti habere se amicum certissimum, respondeat: *Habes ergo rem dulcissimam, sanctissimamque, quæ vna, post virtutem solam, homini in hac vita nil melius contingere potest.*

Cic. vbi supra

Omnia breui sententia jam laudatus auctor conclusit, dicens: *Solem è medio tollere videntur, qui Amicitiam tollunt: non aqua, non igni, non aëre pluribus locis vtimur, quàm Amicitijs.*

Epist.49

Aut non sum amicus, dicebat Seneca Lucilio suo, *nisi quidquid agitur ad te pertinens, meum est. Consortium rerum omnium inter nos facit Amicitia. Nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi. In commune viuitur; nec potest quisquam beatè degere, qui se tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit.*

Ex dictis, quàm pretiosus, quamque rarus sit Amicus, abundè probauimus: consequenter, Amicum nullum esse æstimandum paruum, cujus beneficio tot bona assequaris. Sed thesaurum, igni, aqua, aëre, Sole ipso,

Digitized by Google

vtiliorem; quo tua amara dulcescant, tua dulcia amici participatione augeantur; qui secretum tuum custodiat, qui veri Consiliarius adhęreat, tristem foueat, nutantem fulciat, & errantem ad rectum reducat.

An forte ista non sufficiunt, nisi demus exempla singularium qui summis beneficiis summos viros affecerunt, & ex paruis hominibus, maximæ amicitiæ argumenta prębuerunt?

Quis tantus est, inquit Seneca, *quem non fortuna indigere etiam infimis cogat?* Quid verò abjectius seruis? aut quod beneficium majus vita dari potest? Refert autem multorum exempla seruorum, qui in dominos suos, & fidelitatis, & fortitudinis eximiæ monumenta reliquerunt. *Dedit*, inquit, *aliquis domino suo vitam, dedit mortem, seruauit periturum; & hos, si parum est, pereundo seruauit*, &c.

Lib. 3. de ben. c.

Testis hujus rei sit Darius, Persarum atque Medorum Rex potentissimus, qui cùm Malum Punicum ingens aperuisset, & granorum varietatem mirabundus contemplaretur, multitudinemque; & quidam ab eo sciscitaretur, cujus rei tantum numerum habere voluisset, quantus illic esset granorum? *Zopyrorum*, respondit, *non thesaurorum, aut gemmarum, aut militum*. Is erat vir bonus, Dario super omnes suæ ditionis subditos fidelissimus. Hoc responso significans, quanti faciendus sit Amicus. De eodem, qui se fœdum in modum ore, naso auribusque deformauerat, vt Babylonem in manus Regis traderet, dicebat Darius, *se pluris facere vnum Zopyrum, quàm centum Babylonas*; homuncionem tanto Rege pręferente, sed fidum amicum, centum ciuitatibus, qualis erat Babylon, regni sui sedes, & Imperij.

Quid quòd Augustus Cęsar, cùm Alexandriam longa obsidione cœpisset, omnibus ciuibus vnum ob Arium Alexandrinum, olim sibi amicum, pepercit? Aurelianus Tyanæ, in gratiam Apollonij ex ea oriundi, cognomento Tyanæi? Rex Demetrius Rhodi, ob vnum Protogenem, egregium pictorem? Sciebant quippe magni illi Principes: quo pretio nomen Amicitiæ, seu Amicus æstimandus esset.

Pro Tituli hujus Colophone appingam hîc lubens Emblema Alciati, cui hæc Inscriptio: *Auxilium nunquam deficiens*, occasione cujusdam Myrtili, egregij militis, qui clypei sui beneficio in pręliis terrestribus sępè tectus & saluus, eodem in mari naufragus, saluus, Emblemati argumentum fecit, cui amicum verum compares.

Embl. 161.

Bina pericla vnis effugi Myrtilus armis,
Cùm premererque solo, cùm premererque salo.
Incolumem ex acie Clypeus me præstitit; idem
Naufragum apprensus littora ad vsque tulit.

Verus Amicus, huic clypeo comparandus, auxilium est nunquam deficiens.

Digitized by Google

AMICVS NVLLVS ÆSTIMANDVS EST PARVVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

TOT & tam prçclara elogia amici fidelis habent sacræ Paginæ, & prçcipuè Libri Sapientiales, vt nihil luculentius legas apud Profanos; nihil magnificentius, quàm quæ passim agglomerat Salomon in Prouerbiis, & Syracides in Ecclesiastico, ad probationem nostræ sententiæ, AMICVS NVLLVS ÆSTIMANDVS EST PARVVS.

Hìc enim, Capitulo sexto Ecclesiastici, totus est in describendis & commendandis veræ Amicitiæ officiis; ex quo pro prçsenti titulo has sententias decerpo ex pluribus.

Eccl. 6 *Amicus fidelis*, inquit, *protectio fortis: qui autem illum inuenit, inuenit thesaurum.*

Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.

Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & Immortalitatis; & qui metuunt Dominum, inuenient illum.

Quibus verbis, quid succulentius, & ad rem nostram accommodatius? quippe quæ tria officia, quæ in prçcedenti Annotatione ex Profanis, Amicum amico prçstare debere diximus, contineant.

Primum Amici officium sit, Consilium dare sincerum & verum; non adulantium more, vitiis amici abblandiendo: quod Scriptura sçpenumerò reprehendit: *Fili, si te lactauerint peccatores*, inquit, *ne acquiescas eis.* Item: *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit per viam non bonam.*

Prov. 1 c. 16

Vnde aduertas prohiberi à Sapiente ne quis amicum lactet, quod maternum opus est, & maternas sapit blanditias; sed patris jura vsurpet & munia, sincerè & extra fucum verum dicens: qualem qui inuenit, inuenit thesaurum; quia veritatem per eum, latentem & occultam, inuenit, & protectionem fortem. *Corripe amicum tuum*, ait Ecclesiasticus, *ne fortè non intelligat & dicat, Non feci; aut si fecit, ne iterùm addat facere.*

Cap. 19

Quòd vt scias Amicitiæ jura non lçdere, sed fouere & exequi, perfectæ Charitatis assertor Christus, quæ fraterna major esse non potest, dicit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Et quis bonæ menti & frugi redditus amici consilio, non dicat: *Amicus fidelis, protectio fortis; qui inuenit illum, inuenit thesaurum?*

Marci 18

In quo peccasse Heli scribitur, crudeli indulgentia lactans filios, non paterna auctoritate corripiens. *Eò quòd nouerat*, inquit sacer Textus, *indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Quantò meliùs Propheta Nathan egit in Dauidem, subditus licet in Regem, filius in patrem, peccatum suum illi objiciens, & ad pœnitentiam inuitans? Aut serui Naaman domino suo fastuosè indignanti in Eliseum, & jam jam infecta opera, quasi malè receptus fuisset, reuertenti? *Pater*, inquiunt, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta,*

1. Reg. 3

4. Reg. 5

certè

Digitized by Google

certè facere debueras; *quantò magis*, *quia nunc dixit tibi*; *Lauate*, *& mundaberis?* Suaue & salubre consilium magno Principi, ex parte seruorum. Occurrit & hoc in negotio aliquid mirabile in rem pręsentem; nempe quòd & tam salubris hujus consilij, & recuperandæ salutis Naaman causa fuit vna puella captiua de terra Israël, quæ nuper fortè à latrunculis capta, & abducta in fines Syriæ, obsequio vxoris Naaman deseruiens, adeundi Prophetæ consilium, & spem miraculi, suggessit. Ex quo veritati hujus sententiæ subscribas, *Amicus, nullus æstimandus est paruus*.

Ibidem.

Sed ad correctionis fraternæ, vnde digressi sumus, consilium, in Euangelio a Domino pręscriptum, reuertentes, habemus Paulum, Apostolorum licet nouissimum, Petrum ipsum, Apostolorum principem & caput totius Ecclesiæ à Domino constitutum, ausum reprehendere. *In faciem*, inquit, *ei restiti*; *quia reprehensibilis erat*. Nunquid cum dispendio Charitatis? aut cum offensione Amicitiæ inter tam sanctos viros, & tam fidos amicos? Minimè verò. Non lędit Charitatem, quod eam reparat & astruit.

Secundum Amici officium est secreti inuiolabilis custodia, & fides. Illa enim societas vbi secretorum communio; aut fidelitas in commissis, non est, Amicitia non est, dicente infida licet ipsa Dalila suo Samsoni: *Quomodo dicis quòd amas me*, *cùm animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi*, *& noluisti dicere in quo sit fortitudo tua*. Et Christo Domino Apostolis suis ita perhibente: *Iam non dicam vos seruos*, *sed amicos*; *quia quæcunque audiui à Patre meo*, *nota feci vobis*.

Iudic. 16

Ioan. 15

Propterea dicit Siracides: *Amico fideli nulla est comparatio*, *& non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius*. Nihil enim æquè Amicitiam probat, ac plena secretissimorum animi recessuum communicatio. Ea de causa dicebat Sapiens: *Causam tuam tracta cum amico tuo*, *& secretum extraneo ne reueles*.

Eccl. 26

Prov. 25

Quo loci pręclara se offert Scripturæ obseruatio, factum Dauidis morti proximi curiosius consideraturis: scrupulum enim facilè mouebit, cur tantus Rex, tam pius, & misericors, filio suo Salomoni testamento cauerit, ne Ioab Princeps militiæ suæ pacificè & impunè decederet. *Nosti*, ait, *quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ*, *& quæ fecerit Abner & Amasæ*, &c. Quid istis fecerit, & quid ideò commeruerit, scitur: quam autem in Dauidis personam offensam contraxerit, vnde meruerit in testamento ipsius tam funesta nota rubricari, Princeps alioquin maximis Dauidem erga pacis bellique muneribus functus, non legitur, non scitur. Respondetur igitur ex sententia Lyrani, & Hebræorum, peccasse Ioab grauiter in Dauidem, ob proditum secretum Regis, de Vria occidendo. Secretum Regium prodidit, fidem fregit, Regem scandalizauit. Verba Lyrani sunt hæc: " Per hoc intelligitur malum quod fecit Ioab contra personam Dauid, ostendendo aliis literas, quas sibi secretò miserat de morte Vriæ; & sic Regem scandalizauit. Vnde Nathan dixit ad Dauid: *Fecisti inimicos blasphemare Nomen Domini*. Nec istud factum fuit reuelatum per Dauid, neque per Bersabeam; quia celabant crimen suum, quantum poterant. Vnde verosimile est, quòd per Ioab fuit reuelatum, ad excusandum se erga milites de morte Vriæ, quòd non fuisset mortuus per incautelam suam, sed per Regis mandatum. " Hæc ille. Vnde inferas, quantùm in Amicitia secreti custodia importet, cujus violatio à tam pio Principe non potuit impunè dimitti.

3. Reg. 2

Lyranus in 3. Reg. c. 2

Digitized by Google

Tertium denique munus Amici est, in qualibet fortunæ vicissitudine Amicum non deserere; in aduersis maximè prestare opem, consilium, facultates, seipsum pro Amico impendere, calamitatem Amici suam facere. Quod aurea hac sententia Ecclesiasticus complexus est: *Amicus fidelis, Medicamentum vitæ & Immortalitatis; & qui metuunt Dominum, inuenient illum.* Quasi diceret: Non est cur paupertatem causeris, bonorum jacturam, domûs ruinam, statûs & gradûs dejectionem, cui amicus fidelis superest. Is enim, instar Panaceæ, est Medicamentum vitæ & Immortalitatis. Præclarum sanè, sed non inane aut fallax, Amicitiæ Elogium. Est enim Amicitia Pharmacum vitæ; quia re vera medetur amicus fidelis languoribus & ægritudinibus tam corporis, quàm animi, consulendo, compatiendo, juuando; horum omnium Medicus fidelis Amicus est; vt Sapiens ea ratione dicat: *Lingua placabilis, lignum vitæ.* Quid enim dulcius afflicto aduersantis vndequaque fortunæ ictibus concusso, lingua consolatrice Amici fidelis; si sciat superesse, ex tot falsis, vnum, qui vicem suam plangat, qui condoleat, qui se in angustiæ partem societatemque conscribat? Verè enim dixit aliquis, Lydium lapidem Amicitiæ aduersitatem esse, quæ veros a falsis amicos discernat.

Prov. 15

Talis fuit Dauidi egresso ab vrbe Ierusalem, fugientique nudo capite & pedibus à facie Absalonis filij sui, Ethai Getheus; ipse alienigena, & peregrinus; qui, licet vniuersus Israël toto corde sequeretur rebellem, partibus Dauidis constanter adhæsit, fortunam suam quocunque verteret secutus, quamuis vt ad suos se hospes reciperet, à Rege sollicitatus. *Viuit Dominus*, inquit, *& viuit dominus meus Rex; quoniam in quocunque loco fueris, domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.*

4.Reg.15

Non dissimile fidelitatis argumentum Dauidi in eadem circunstantia rerum & temporum præstitit Chusai, sapiens Consiliarius, quà euertendo consilia Achitopel, quà secreta Absalonis Regi clam insinuando. Talibus amicis indigent Reges, & raros inueniunt, qui in dubiis & periculosissimis temporibus fideles sint.

Quanquam & aliud est consummatæ fidelitatis argumentum, etiam in deploratis ac perditis rebus, amici sortem, si nulla ope sustentare queas, at affectu & lachrimis sentire ac deplangere. Quomodo se habuisse legitur Propheta Samuël, & Pontifex, erga Regem Saül, quem vnxerat, & vnctum, firmatumque in regno suis consiliis, curis, precibus, pro viribus adjuuabat, opitulabatur, aderat. Sed vbi ex bono mutatum vidit, ex optimo pessimum, inobedientem, quibus lachrimis reprobum deplanxit; vt etiam à Domino inde argueretur: *Vsquequo tu luges Saül, cùm ego projecerim eum?* Illæ enim lachrimæ, veræ Amicitiæ indices sunt, non quæ fortunæ inclinationem, quales erant lachrimæ Samuëlis super Saüle, aut temporalium jacturam lugent, sed animæ sortem conditionemque, gaudente exteriùs in oculis hominum florente fortuna. Tales & lachrimæ Dauidis super filio suo Absalone, non quæ vita functum simpliciter flerent, sed miseræ statum animæ complorarent.

Tales denique lachrimæ Resphæ, concubinæ Saül, piissimæ fœminæ, quæ deseuiente in stirpem Saül ira Dei, appensa videns in cruce corpora septem filiorum ejus, duorum ipsa mater, operta cilicio, tam fideli luctu parentauit, & tam chara pignora prosecuta est, vt in petra considens, perdia & pernox à feris defenderet. *Tollens Resphæ Cilicium*, ait Scriptura, *substrauit sibi super petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo; & non*

2.Reg.21

Digitized by Google

dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem. Exemplum raræ etiam post mortem, Amicitiæ superstitis.

Habuit Gentilitas Amicorum paria, quæ tantoperè jactaret: etiam sacræ Amicitiæ Scriptura sua habet. Vt vtrique sexui suus honor sit, vtriusque exemplum esto.

Hominum, primò in limine, Dauid & Ionathas occurrunt, nobile par amantium; hic filius, ille gener Regis; qui licet non alio nomine Saüli inuisus esset, nisi quia præsentit Saül Dauidem regno succedere; quod Saülem in Dauidem incendit, idem Ionathæ in eum amorem accendit. Amat virtutes in eo Imperio dignas, Ionathas: etiamsi regni successorem, non potest odisse, quem Amicum elegit: *Anima Ionathæ conglutinata erat animæ Dauid*, ait Scriptura. *Expoliauit se Ionathas tunica sua, vt indueret Dauid*; *dat & gladium, & arcum, & baltheum.* Modò frangit dictis iram patris, modò lenit; modò detegit insidias; & cùm odium patris molitur auertere, in se excipit. Sed vbi vidit se in eo operam perdere, surgit è mensa jejunus, vt currat nunciare Dauid, vt fugiat: qua in occasione mutua in oscula ruentes, fundunt lachrimas, quæ decidentes in terram, si Hebræis fides, in gemmas versæ sunt, & lapides pretiosos, quæ posteris colligentibus indicarent, de fide & fœdere duorum Principum perfectè se amantium.

1. Reg. 18

Alterum raræ Amicitiæ par & exemplum inter fœminas non immeritò celebrari potest, Ruth & Noëmi: illa Moabitis, & Gentilis; hæc populi Dei, Bethleemites: illa in flore juuentæ, licet vidua; hæc inclinantis jam ætatis: quas tam sinceræ nexus amicitiæ astrinxit, vt cùm Noëmi patriæ reuisendæ teneret amor, duæ Nurus socrum secutæ sint; cumque jam fines Moabitarum attigissent, & altera, socrûs precibus victa, reuertisset ad suos, Ruth nullis rationibus adduci potuit, vt Noëmi relinqueret; dicentique, *En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos*, respondit: *Ne aduerseris mihi, vt relinquam te, & abeam. Quocunque enim perrexeris, pergam; & vbi morata fueris, & ego pariter morabor: populus tuus, populus meus; & Deus tuus, Deus meus. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si non sola mors me & te separauerit.* Quod vt verbis promisit, sic opere & facto præstitit. Rarum Amicitiæ exemplum, quo factum est vt sapiens fœmina è nutu socrûs suæ perpetuò pendens, meruerit alienigena in plebē & sortem populi Dei transcribi, nobilitari fide, conjugio, prole; denique inter Auias Christi Domini annumerari.

Ruth 1.

Digitized by Google

TITVLVS LIII.

DE INIMICIS

FABVLA.

De Aquila & Scarabeo.

AQVILA venabatur lepusculum, qui tantum non captus, Scarabei fortè occurrentis opem implorat, seque ejus tutelæ commisit; tantam quantam posset, promittit Scarabeus. Interea Aquila persequitur Leporem, intercedit Scarabeus, orat illæsum linquere, in suam fidem receptum. Aquila Scarabeo despecto, ac pro nihilo habito, utpote minutissimo animalculo, nil preces cunctatus, in ejus oculis prædam deuorat, & ad nidum satur deuolat. Obseruat locum Scarabeus, & iras corpore majores concipiens, cum aliquando ad terram descendisset, alis ejus se implicuit, & in nidum delatus oua ejus deuoluit, & humi dejicit. Aquila jactura ouorum, & spe prolis frustratus, ut Iouis ales ad eum euolat, postulat locum tutum vbi oua excludat, & pariat. Concedit Iupiter ut in sinu suo nidificet; sed nec ibi tutus est ab insidiis Scarabei, nam globum è fimo conficit, & alis Aquilæ, ut antea adhærescens, in ipsum Iouis sinum deportatus, pilam stercoream immittit, cujus fœtore turbatus Iupiter, dum vestes excutit, oua simul incautus excussit. Eapropter Aquila quo tempore Scarabei existunt, non amplius parit, satis suo damno edoctus, nullum inimicum, quantumuis paruum, esse contemnendum.

De Culice & Leone.

CVlex tam fastidiosum quam vile animal, offensus Leonis superbia, eum prouocauit ad pugnam. Nec quod Rex, inquit, quadrupedum diceris, aut quia viribus polleas, dentibus mordeas, vnguibus laceres, plus æquo glorieris; neque quod rugitum emittis, nam & fœminæ dentes habent & vngues, cum in rabiem aguntur. Ego vero quanquam corporis mole, non tamen animo, aut voce, aut aculeo inferior tibi sum. Descendamus in arenam. Igitur accepta vtrinque pugna, Leo tuba cecinit, illico Culex aduolans naribus Leonis se feruidus immittit, & suo aculeo tam acriter pupugit, vt Leo Culicem auertere non valens, propriis se dentibus dilaniarit. Prostrato Leone Culex victor in ædes vicinas transuolat, cumque huc & illuc volitat, incidit in telas Aranearum, quibus intextus & irretitus, dum ab eis deuoraretur; Me infœlicem, dicebat, qui Leonis

Digitized by Google

victor, sordidissimi animalis jam præda fio. Gemino exemplo docens, nullum esse tam vilem hostem, aut paruum, à quo tibi timere non debeas.

De Tauro & Mure.

PAscebat Taurus quidam præualidus propter dumeta, quo loci Mus habebat cauum suum, qui Tauri præsentiam ægrè ferens, eum pede momordit, & fugit; acto in rabiem Tauro, terram pede, aërem cornibus quatienti, & mugitu cuncta replenti, Mus in antro suo securus insultat, an quia, inquit, robustus es, & cornua in fronte geris neminem times? Disce à Mure, non nimium fidere viribus tuis.

Aquila & Cuniculus.

AQuila pullos Cuniculi raptos in nidum detulerat pullis suis. Mater supplex accedit, rogat, obtestatur per Iouem, & quidquid est numinis, vt suis parcat, sed nil obtinet. Cuniculus mærens & ejulans ad suos reuertitur, exponit suæ Genti factum Aquilæ, & ita eos doloris sui acerbitate mouet, vt ad vnum omnes ad eruendam arborem in qua nidificauerat conuenirent, & tantum pedibus terram fodientes, & radices dentibus eruentes effecerunt, vt nutans arbor, ventis impulsa decideret, & pulli Aquilæ seu casu disjecti & discerpti, seu à feris laniati, perirent.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

INIMICVS, NVLLVS ÆSTIMANDVS EST PARVVS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

NATVRALE dissidium, quod Aquilam inter & Scarabeum, vilissimum insecti genus, intercedit, occasionem Æsopo confingendæ hujus fabulæ, qua Delphos à sua nece conabatur auertere, dedit. Hic enim occulta Naturæ antipathia quasi illatam ab Aquila alitum principe injuriam vlturus: quod minùs vi aperta potest, dolo & astu perficit: considente enim in terra Aquila, condit se sub ejus alis, & eo auolante deportatus in nidum, absente Aquila oua ejus confodit ac disjicit. Documento sanè haud spernendo, nullum hostem, quamuis despicatissimum, & infimæ fortunæ, contemnendum, aut irritandum. Quod Alciato fabricandi Emblematis ansam dedit, sub hac Inscriptione, *A minimis quoque timendum*, his versibus:

Ita in Æsopi vita

Alciatus embl. 168

Bella gerit Scarabeus, & hostem prouocat vltro,
Robore & inferior, Consilio superat.
Nam plumis Aquilæ clam neque cognitus abdit

Digitized by Google

Hostilem ut nidum summa per astra petat
Ouaque confodiens prohibet spem crescere prolis,
Hocque modò illatum dedecus ultus abit.

Notum est illud Publii Mimi.

Inimicum quamuis humilem docti est metuere

Plutar. in Lacon.

Et illud Brasidæ Ducis Lacedæmoniorum, quem cum ficus legentem Mus momordisset, exclamasse ferunt, *ô bone Iupiter, nullum est tam minutum animal quod sui vindicandi cum subest occasio, tempus non quærat.*

l. 11. c. 2

Plinius Naturæ opificium in minimis insectis demirans, ait, *In magnis siquidem corporibus, aut certè majoribus, facilis officina, sequaci materia fuit. In his verò tam paruis, atque tam nullis quæ ratio? quanta vis? quam inextricabilis perfectio?* Et paulò infra. *Turrigeros Elephantorum humeros miramur, Taurorumque colla, & truces in sublime jactus, Tygrium rapinas, Leonum jubas, cum rerum Natura nusquam magis, quam in minimis tota sit.*

L. 9. hist. Anim. c. 7

Consentit Aristoteles Plinio, *Omnino*, inquit, *ratio brutorum magnam refert vitæ humanæ similitudinem, magisque in minori genere, quam in majori videris intelligentiæ rationes.*

Quod magis mirere majoribus Animantibus Natura indidisse videtur terrorem minimorum, vt illa ad horum occursum, aspectumque exhorrescant. Sic Elephas viso Mure exterritus fugit; Leo Gallo gallinaceo. Imò Cristis & cantu istius terretur. Ceruus Viperæ aspectu. Asinus ab Achantide aue. Crocodilus ab Ichneumone pisciculo.

Aldrouād lib. 5

Et quoniam in Crocodili mentionem incidimus faciet ad rem nostram mentemque Apologi, si ejus efferatissimæ Belluæ magnitudinem, & hostes quos ei Natura opposuit, eorumque bellandi morem è Plinio desumamus. Quod magnitudinem spectat sic ille. *Crocodilum habet Nilus quadruplex malum, & terra pariter & flumine infestum, &c. Magnitudine excedit plerumque duode viginti cubita; nec aliud animal ex minori origine in majorem crescit magnitudinem. Contra tam immane monstrum Ichneumonem Natura inimicauit, quippe Crocodilum, cum satur & somno pressus est, apertis faucibus hiantem conspicatus vt telum aliquod immissum, per easdem fauces intrat, & aluum erodit.*

l. 8. c. 25

Addit Plinius. *Verum in Crocodilo major erat pestis quàm vt vno esset ejus hoste contenta Natura. Itaque & Delphini immeantes Nilo, quorum dorso tanquam ad hunc vsum cultellata inest spina, abigente eos præda, ac velut in suo tantum amne regnantes, alioqui impares viribus ipsi, astu interimunt. Callent enim in hoc cuncta animalia, sciuntque non modò sua commoda, verùm & hostium aduersa: norunt sua tela, norunt occasiones partesque dissidentium in bellis. In ventre mollis est, tenuisque cutis Crocodilo, ideò se vt territi immergunt Delphini subeuntesque aluum, illam secant spina.*

Quin & gens hominum huic belluæ aduersa in ipso Nilo; Tentyritæ ab insula in qua habitant appellata. Mensura eorum parua, sed præsentia animi in hoc tantum nisu, mira. Terribilis hæc contra fugaces bestia est, fugax contra insequentes, sed aduersum ire soli hi audent, quinetiam flumini innatant, dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os claua dextra ac læua tenentes, extrema ejus vtrinque vt frenis in terram agunt captiuos, ac voce etiam sola territos cogunt euomere recentia corpora ad sepulturam.

Poterant quæ ad rem præsentem faciunt exscribi breuiùs; sed nec grauia Lectori putaui, cui sermo Plinianus sapiet.

Ex his summatim colligas, quòd si tam immani feræ, & tam crudeli

Naturæ prouidentia non vnum sed tres hostes, Ichneumonem, Delphinum, & Nanos Tentiræ; hostes inquam, non mole corporis, aut virtute, aut celeritate, sed astu & industria superiores. Et si maximis quibusque animantibus minutissima animalcula opposuit, quæ timerent, & à quibus confoderentur, cui non probabitur hujus Apologi titulus, *Inimicus, nullus æstimandus est paruus?*

Maxime cum minuta quæque animo & industria præpolleant. *Magnorum fluminum capita veneramur*, inquit Seneca, *subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet, & bene, sed quæso*, quid sunt ista magnorum fluminum capita? nisi riuuli exigui, angusti, parui, quos è terra scaturientes non difficile sit saltu peruadere, ac præterire. Et vnde ea veneramur, nisi quia ex tam paruis initiis in tantam solent immensitatem terrarum & aquarum extendi?

Epist. 41

Vnde Ouidius,

Flumina magna vides paruis de fontibus orta
Plurima collectis multiplicantur aquis.

1. de remed.

Idem alibi

Quem Taurum metuis, Vitulum mulcere solebas,
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.
Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo,
Quaque venit multas accipit, amnis aquas.

2. de Artē

In minimis rebus sæpe res magnæ deprehenduntur, ait Seneca. *Quos Natura mole corporis ampliauit, extenuauit & abjecit mente.*

Vt vere quis dixerit,

Major in exiguo regnauit corpore virtus;
Nulla in tam vasto est corpore mica salis.

Claudian in Thebaide

Idem dicit Cato in Disticis.

Corporis exigui vires contemnere noli
Ingenio pollet, cui vim Natura negauit.

Cato in Dist.

Huc etiam spectat Prouerbium Arabum. *Ne despicias debilem in conuersatione ejus, nam Culex fodit oculum Leonis.*

Cent. 4 n. 24

Etiam Musca, inquit vetus adagium, *habet splenem. Et formicæ inest sua bilis*: Ἔχει ϗ ἡ μυῖα σπλῆνα, ἔνεστι κα̉ μύρμηκι χόλος.

Non abs re monebat Marsilius Ficinus, *Parua contemnere periculosum esse. Parua enim scintilla contempta, maximum excitat incendium.*

Epist. 5

Huic proposito non absurdè referri potest quod refert in Historia Augusta Iulius Capitolinus de Maximino patre, Imperatore, viro tam notæ fortitudinis, & molis giganteæ, quàm crudelitatis; qui cum sæuiret in multos, & sic viribus suis confideret, quasi nullum timeret, aut à nullo posset occidi, quidam eo præsente dicitur recitasse hos versus:

Hist. Aug in Maximino

Et qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis est, & occiditur.
Leo fortis est, & occiditur.
Tygris fortis est, & occiditur.
Caue multos, si singulos non times.

Timeant igitur Potentes sæculi, quibus videtur Natura opposuisse pusillos, quos aut animo aut industria majori instruxit, ne illi plus æquo glorientur, aut insolescant. Nam vt bene quidam,

Parua necat morsu spaciosum Vipera Taurum.

Ouid. 2. de rem.

Digitized by Google

A cane non magno sæpe tenetur aper
Causa pusilla nocet, sapiens nocentia vitat.

Et Claudianus de gente Alana, parua sed generosa ac bellaci.

Claudian.
Cui Natura breues animis ingentibus artus
Finxerat, immanique oculos infecerat ira.
Vulneribus pars nulla vacat, præcisaque cunctis
Gloria fœdati splendet jactantior, oris.

INIMICVS, NVLLVS ÆSTIMANDVS EST PARVVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

Eccl. 4

NON solùm, quia, vt ait Ecclesiastes, *Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti*, sed etiam quia nulla virtus est, quantumlibet parua, quæ vt juuare, ita & nocere non possit. Isai Bethleemites multæ prolis masculæ parens vocatus à Propheta Samuele ad solennes victimas, jussus interesse cum filiis, cum septem grandioribus natu accessit, relicto domi paruulo ad caulas ouium, vti nullius momenti, vix inter filios computando. Agebatur de Rege è filiis Isai deligendo, quem sors Diuina monstrasset. Incipit igitur Samuel à primogenito, & sigillatim Diuinum Oraculum explorans de vnoquoque, *Num coram Domino est Christus ejus*, audit: *Nec hunc elegit Dominus* de septem, vno post alium. Obstupescit Propheta, ex eo numero tot filiorum, regia sede dignorum, nullum admissum, recisos omnes; & quasi de eluso Oraculo dubius, petit à patre: *Nunquid jam completi sunt filij?* Respondet Isai: *Relictus est*, inquit, *paruulus, & pascit oues*. Iubetur adduci; & Dominus Samuëli: *Ne respicias*, inquit, *vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus; quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Vbi adfuit puer, dicitur Samuëli: *Surge, & vnge eum; ipse est enim.* Quis stupor Prophetæ, parenti, filiis, & ipsi Dauidi!

1. Reg. 16

Sed longè major fuit vniuerso Israëli, cùm inspectante hinc & inde vtroque exercitu Hebræorum & Philistinorum, in arenam procedens visus est is puer, is pumilio in gigantem congredi; Dauid juuenculus, inermis, belli rudis, in Goliath. Illius animum frustra Rex Saül frangere conatus, dixerat: *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersùs eum; quia puer es: hic autem vir bellator ab adolescentia sua.* Quem vt vidit gigas, erubuit cum inæquali concurrere, putauit gloriæ suæ contumeliam parari; *despexit eum, & maledixit in Dijs suis.* Sed statim expertus est quantum virtutis in corpore exiguo lateret. *Præualuit namque Dauid in funda & lapide*, & caput Goliath proprio ense amputauit.

1. Reg. 17

Quanto exitio fuerit Aman, Regis Assueri Ministro regni primario, secundo à Rege, qui patris loco habebatur, inuidisse Mardochęo, ac in tantum

Digitized by Google

tantum despexisse, *ut pro nihilo duceret in eum solum mittere manus suas*; *magisque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem*; nullus nescit. Ita enim ille despectus, humilis, ira Aman minor, proscriptus cum tota sua gente, superior euasit, vt superbissimum hostem suum Aman suspendi fecerit, eodem in patibulo, quod sibi ille parauerat; & proscriptos in toto regno Iudęos, conuersa in suorum fauorem fortuna, de suis inimicis victoriam reportare, simul & exercere vindictam. Ita Diuina quasi ex improuiso apparente Prouidentia, somnium Mardochęi impletum est: *Et fons ille paruus* (Mardochęus scilicet, & gens Iudęa, quos pede atterere putabat Aman) *creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit*; in quibus ipse & hostes submersi extinctique fuere.

Hoc exemplo liquidò ostenditur, nullum Inimicum, quamuis paruus despicatissimusque videatur, esse contemnendum. At enim illud egregiæ virtutis, sed masculæ, specimen est? Quid si imbellis fœminæ audias, quæ non militi de turba, sed duci potentissimo, capite amputato, vitam, exercituique ejus numerosissimo victoriam de manibus sustulerit, & ad suos transtulerit? vt ipsi confusi stupentesque dicant: *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonozor*; nimirum incomparabilis Iudith.

Iudit. 14

Accedit & specialis, eaque mystica ratio, cur despiciendus non sit quis, quantumuis paruus & abjectus, nempe singularis Dei amor & protectio erga humiles, auersio erga altos & sublimes. Res nulla non Scripturæ pagina testata. *Excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit*, inquit Psalmista. Cujus sententiæ mysterium reserans & confirmans Apostolus, ait: *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret; vt non glorietur omnis caro in conspectu ejus*. Vnde patet, quòd humilia & parua Diuinæ sunt specialiùs prouidentiæ ac protectioni subjecta.

Psal. 137

1. Cor. 1

Quod appositis quibusdam rerum humilium ac tenuium exemplis & similitudinibus insinuat Sapiens in Prouerbiis, his verbis: *Quatuor*, inquit, *sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora Sapientibus. Formica, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.*

Prov. 30

Lepusculus plebs inualida qui collocat in petra cubile suum.
Regem Locusta non habet, & egreditur per turmas suas.
Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.

Quibus fusius explicandis, non moror. Sufficiat primò, à Salomone addiscere ex his quatuor animalculis, astu & industria majora superantibus, sapientiam non consistere in mole, aut robore corporis, sed in solerti industria, infatigabili opere, & prouidentia, quibus quis sibi in necessariis animi & corporis prospicit. 2. Admirabilem esse in minimis Dei potentiam, prouidentiamque, dicente Augustino, " Magis elucet Dei sapientia in exili ape, formica, Culice, musca, quàm in Cœlo; non solùm quia illa animalia sunt, Cœlum inanime; sed etiam ob diuersitatem sensuum, membrorum; officiorumque. „ Et Tertulliano: " Animalia minutiora maximus Artifex de industria ingeniis aut virtutibus ampliauit, &c. Imitare, si potes, inquit, apis ædificia, formicæ stabula, Araneæ retia, bombycis stamina. „

L. 1. cont. Marcion c. 14

Tertiò, nullum spernendum ob paruitatem pusillitatemque; cùm quos Deus statura aut forma abjecit, ingenio ac virtute locupletauit, & speciali suæ curæ protectione muniuit. Quod sapienter Rabi Ben-Azai his ver-

Digitized by Google

in Pyrche Anoth. c 4 bis docet: *Nullum hominem spernas*, inquit, *aut rem quampiam nihili facias, quantumuis tibi nullius ponderis esse videatur. Cuique enim rei suus locus est & vsus, sicut & cuilibet homini suum tempus.*

Apud Cornel. à lapide In c. 30 Prover. Cui enim non admirationi sit formicæ opera, sollicitudo, prouidentia? aut Lepusculi, seu Cuniculi solertia, sibi cauos in petris fodientis, & quasi vallo se contra canum impetus munientis? Aut cui non stupori sit locustarum, licet ducem non habentium, tam concors per turmas egressio? aut stellionis pulchritudo, quasi tot stellarum, quot colorum, varietate pellucens? vnde addiscant homines à formica rei domesticæ prouidentiam, à Lepusculo habitandi scientiam, à Locusta concordiam, a Stellione gratiam, venustatemque.

Apud Cornel. in c. 30 Prover. Alij in his minimis adumbratas volunt vitas hominum: Communem, ac Ciuilem, quæ in formica doceat corporis & animæ sollicitudinem; vnde pigro à Salomone dicatur: *Vade ad formicam, piger; imitare sedulitatem ejus, operis instantiam*, perseuerantiam laboris. In Lepusculo, aliam sapientiæ ciuilis partem, Architectonicam scilicet, seu securè inædificandi industriam. In Locustis, egrediendi per turmas ad bellum, proficiscendique in castris ordinem. In Stellione, decorem, comitatemque, quo Principum Magnatumque aucuperis beneuolentiam.

Hugo Card. Alij his animalculis intelligunt quatuor hominum spiritualium, seu humilium species, in quibus specialiùs Diuina relucet Sapientia: In formicis, Monachos; in lepusculis, Doctores; in locustis, Anachoretas & Solitarios; in stellionibus, Christianos.

Salazar. n. 25 Sunt qui designari volunt quatuor hominum genera Rempublicam Christianam componentia: per formicam, Agricolas; per lepusculos, ciues, seu habitatores vrbium, ciuilis vitæ officia curantes; per locustas, Milites, acies exercituum qui vrbes & regna custodiunt, & ab hostium tutantur incursibus: denique per Stelliones, Aulicos, qui Regum aulas & palatia obsident. Quorum omnibus applicationibus supersedeo indagandis.

Eccl. 11 Huicce proposito dicit Syracides, *Breuis in volatilibus Apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Id est, principatum tenet dulcoris vel primas obtinet, vt vertit Complutensis. Quasi dicat, licet Apis sit corpore parua, specie horrida, aculeo pungens, est tamen sapientissima volatilium, imò animalium. " Vel sicut apis, inquit Rabanus, aculeo pungit, & opera mellis conficit, sic & in breui corpusculo sępè ingeniosa inhabitat anima, quæ & acumine viget, & in doctrina sua nouit proferre suauitatem sapientiæ.,, Ex ape ergo parua, & quoad speciem vili, docet Syracides neminem ob paruitatem debere contemni; quantò magis Inimicum?

epist. 155 Posset hîc non absurdè afferri quod eruditè S. Doctor Gregorius Nazianzenus scribit ad Nicobulum, quem grauiter objurgat, quod Alipianam filiam S. Gorgoniæ sororis suæ, suam verò conjugem ob paruitatem & curuitatem despiceret: " Alipianam, ait, apud nos cauillis incessis, vt paruam, ac tua proceritate indignam. O magne, & vastè, ac gigantine tum forma, tum corpore. Nunc demùm intellexi animum mensuræ subjici, & virtutem expendi, ac rupes margaritis pręstantiores esse, carnesque luciniis augustiores. Tu verò magnitudine tua, & cubitis fruere. Equum ducis, & hastam vibras; & feræ tibi curæ sunt. Ipsa autem, inquis, nil operis patrat; nec enim magni operis radium ferre, & colum tenere, & ducis telæ assidere, quod fœminarũ decus est. Adjicias eam orationis causa

Digitized by Google

humi curuam esse, ac per magnas mentis agitationes perpetuam cum Deo consuetudinem, &c. Si hæc consideres serio, jocari desines. „ Ita S. Doctor

Addam hîc & aliud memorabile in eundem sensum, & commendationem paruorum. Fertur in vita S. Gregorij Turonensis Episcopi, quod cum visitaret limina Apostolorum; & à S. Gregorio Papa introductus fuisset in basilicam S. Petri, subiit mentem S. Pontificis Romani, Diuinam mirari dispensationem, quòd in hominem adeò paruum, breuisque staturæ, tanta cœlestis gratiæ copia inundasset. Quam mentem cùm Deo reuelante persensisset Gregorius Turonensis, placido vultu Romanum respiciens, ait: *Dominus fecit nos, & non ipsi nos; idem in paruis, qui & in magnis.* Cumque secretæ suæ cogitationi id responsi factum agnouisset S. Pontifex, magis eum venerari cœpit, eumque aurea cathena donauit, quæ etiamnunc à Turonensibus religiosè asseruatur.

die 17. Nouemb.

Quod in hac materia sufficiat pro commendatione paruorum, si per Apem, breuem inter omnia animalia, magnæ clementiæ & suauitatis Auctorem Christum mysticè dixero designari; cui possit dici: *Mel & lac sub lingua tua.* Sed nunquid non timendus, quia dulcis, & lenis, & paruus in carne. Enimuero huic Api in primo aduentu mellificanti, in secundo erit aculeus exertus & pungens in specie Majestate judicantis.

Cant. 4

Denique percelebre ænigma est, Quodnam est maximum in minimo? Est *Verbum abbreuiatum*, vt ait Isayas, seu Incarnatum; *Verbum caro factum*, Deus infans, Puer sapiens, Antiquus lactens. Melius S. Fulgentius: " Quis est iste Rex Iudęorum? Pauper & diues, humilis & sublimis, qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus. Paruulus in pręsepio, immensus in Cœlo; vilis in pannis, pretiosus in stellis. Et tamen is ille Infans, inualidus infantilibus membris, inuolutus infantilibus pannis, adoratur à Magis, timetur à malis. Timuit enim eum Herodes paruulum. Quid, cùm visurus est Regnantem, & iratum Iudicem? „

cap. 10

serm. 1. de Epiph.

A proposito non abhorret, si consideremus quibus armis Deus potentissimum Regem Pharaonem, vniuersumque ejus populum voluit debellare. Nunquid in eum armauit Legiones Angelorum, aut militiam cœlestem, Astra, ventos ac procellas immisit? aut fortè expediuit Elephantos? Nunquid Leones, Vrsos, Pantheras, vel serpentes, in eos instruxit? Minimè verò: sed minima aëris & terræ, & aquarum animalcula; sed ranas, sed Cyniphes, sed muscas, sed locustas elegit, arma Diuinæ potentiæ, conculcandæ simul & proterendæ humanæ superbiæ idonea ac sufficientia.

Quod etiam potentiori juxta & arrogantiori Deus indicare voluit, Nabuchodonozori Regi Babyloniorum, in illa statua ingenti, excelsa, terribili, quam licet è fortissimis quibusque metallis, auro, argento, ære ac ferro compactam, non vis vlla de Cœlo, aut manus humana, sed *lapillus de monte sine manibus excisus* in summos pedum articulos decidens, deturbauit non solum ac prostrauit, sed & contriuit in puluerem minutissimum, & in fauillam ventorum ludibrium redegit simul aurum, argentum, æs & ferrum. Quod ipse mons si in statuam totus incubuisset ac corruisset, vix erat effecturus. Vt inde superba mens mortalium disceret à minimis sibi timendum sub Dei potestate & imperio, & florentissima regna Assiriorum, Persarum, Gręcorum & Romanorum, successiuè dominantium, casura in nihilum, si vel leuissimo oris Dei impulsu, flatuque

Digitized by Google

fuerint tacta.

Eandem ob causam, ipse se Dominus grano frumenti comparauit; quod atteri & mori debuit, vt ex se attrito & mortuo infinita ad vitam grana resurgerent, ac multiplicarentur in cœlestia horrea deportanda. Adeo saluti humilitas, & imbecillitati fortitudo, & morti gloria indissolubili nexu gaudent confœderari.

Quid quod non solum se Christus grano frumenti, sed ipsum Cœlorum Regnum comparat grano Synapis. *Simile est*, inquit, *Regnum Cœlorum grano Synapis*, & ne cui dubium esset, hanc amore humilium affectasse similitudinem, addit protinus, *Quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, majus est omnibus oleribus.* Exclamat hic Chrysologus, & dicit. " Quærens in Cœlo & in terra, nil inuenit nisi granum Sinapis, in quo potentiam totam supernæ Dominationis includat, & illud Regnum singularitate potens, æternitate fœlix, Diuinitate fulgens, diffusum toto cœlo, tota terra dilatatum, in grani Sinapis coarctat & concludit angustias. " Et suæ admirationi occurrens respondet, " Fratres non facile dominicis moueamur in dictis, nam si infirmum Dei fortius est hominibus, & stultum Dei sapientius est hominibus; hoc minimum de tota magnitudine mundi inuenitur magnificentius. "

Math. 13

Petrus Chrysol. Ser 98

TITVLVS LIV.

DE HOMINE.

FABVLA.

De Lupo & Agno.

LVPVS famescens & prædam quærens, cum ad fontem biberet vidit infra Agnum è riuulo bibentem, accessit ad eum fremens, & exprobrans quod aquam suam turbaret, ille excusare se & dicere, non potuisse fieri, cum tu in capite fontis biberis, ego inferius in riuulo defluentę aquam primis vix labris degustarim; sed agrum mihi, inquit Lupus, pascendo deuastasti, herbam ô bone Lupe hucusque ait, non attigi, solo matris lacte contentus. Tu, rursus Lupus, ante sex menses malè dixisti mihi, ignoscas quæso te domine Lupe, nondum eram natus. Nihil agis, inquit Lupus, venter meus esurit, rationes non audit, à me deuorandus es. Talis est effrænis potentia diuitum & magnatum, quos justitia & ratione non possunt inuadere, potentia opprimunt.

De Cato & Gallo.

CAtus inuolarat in Gallum, jamque mordicus tenebat, cum Gallus: Quid enim tibi mali feci? cur me insontem deuorare vis? quid commerui? satis, inquit Catus, & plusquam satis; nunquid non tu, auis obstrepera & importuna mortalibus, noctu dormientes excitas, & somnum

Digitized by Google

dirumpis? Nulli, inquit Gallus, facio injuriam, cum ad hoc natus sim, ut horas noctis, & solis accessus prænuntiem; insuper, Mortales ad sua opera excitem. Catus contrà, sed tu cum propria matre rem habes, & propriis sororibus misceris; ita me Natura fecit & voluit, respondit Gallus, ut Gallinæ heris nostris oua parerent. Catus cum minus rationibus, quod objiceret aut criminaretur haberet, nihil proficis scelesté inquit, nocens aut innocens quando te teneo, à me deuoraberis. Ostendens contra vim potentis rationem pauperum mancam esse ac debilem.

De Hydro & Rana.

HYdrus, serpens est aquatilis, in palude venabatur Ranam, quæ cum non posset euadere, cœpit Hydrum supplicare, ut se dimitteret, nulli mortalium in terra aut in aqua noxiam; imò omnes suo cantu ac musica recreantem. Cui ille, & idcirco inquit, tibi infensus sum, quod mihi, & omnium caput obtundis inconditis tuis & importunis coaxationibus: quod si ut dicis nulli noces, impotentia tua est, quæ dentes non habes, non virtus tua, aut innocentia, quamobrem hodie me cibabis.

De Anguilla & Serpente.

ANguilla aliquando cum Serpente confabulans, sciscitabatur ab eo, quidnam causæ esset, cur cum similitudine & genere tam cognati essent, homines tamen se insequerentur, ipsum verò fugerent & timerent. Quia, inquit, nemo me lædit impunè, sciunt me aculeo & veneno armatum, & mos est hominum, ut tenues opprimant, fortes metuant; ideò me fugiunt, te verò innoxiam persequuntur.

De Columbis & Accipitre.

COlumbæ imbelles infestabantur à Myluo, quem ut expugnarent, & vindicarent, confugerunt ad Accipitrem, quem in Regem suum delegerunt, & in sua receperunt, existimantes sub ejus umbra ac protectione tutas fore, sed longè à votis contrà accidit, is namque tam opportunam occasionem nactus prædandi, hostem agens, non Regem, Columbas nihilo segnius, ac Miluus, prædatur, laniat, rapit. Ita faciunt potentes sæculi in plebem, & pusillos, certatim grassantur in eos, & sæuiunt.

De Aucupe & Merula.

AVceps Volucribus tendebat, quem intuens Merula percontabatur ab eo, quid rei ageret, Vrbem, inquit condo, & se eminus abdidit, accedit Merula, nimis credula, ad escam, & in retia incidit, quod videns Auceps, accurrit, cui Merula siccine, ait, conduntur vrbes captandis, carcerandisque hominibus, non locandis? Si ita est, non multos habebis incolas. Sic faciunt Tyranni, dicunt seruire Reipublicæ, dum priuatos depopulantur, carcerant, dilapidant.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

POTENTI RARO VOLVNTAS, NVNQVAM PRÆTEXTVS DEEST NOCENDI PARVIS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

NVNQVAM profuit tenui cum Potenti litigare, aut contendere pauperi cum diuite, subjecto, cũ Principe. In lite enim qui plus, vt vulgò dicitur, habet æris, plus habet juris. Quia pars potentior bilancem alteram trahit deorsum, & alteram in inane leuat.

Obseruant quidam in lucta Lupi contra Taurum, quod vbi ille se viribus imparem sentit, & leuiorem, vorat arenam, ejusque pondere se grauat, & saburrat, & sic saburratus, & grauior, certamen iterat, & Taurum prosternit; ita est causa diuitis cum paupere; jure leuior & minor, aureis arenis, & argenteis saburratus fit grauior, & potentior.

Fabulantur idcirco Poëtæ Herculem Cerbero offam medicatam in os ingessisse, itaque illud clausisse, ne allatraret, aut morderet, sic qui offam in ora Iudicum injiciunt, illa claudunt & obmutescere faciunt, ne pro paupere & justitia judicare audeant, vt canit Horatius.

Hor. l.3 Ode 16

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

Centur. 1 n. 2.

Non absurdum erat Consilium Alcibiadis, *Cùm licet fugere, ne quære litem*. Conuenit & illud Arabum, *Ne jace sagittas in Idolum ferreum*, id est, ne jace verba in potentiorem te, neque obsistas aduersarius illi qui tibi præpollet. Sagittæ enim in Idolum ferreum vibratæ illud non transfigunt aut penetrant, sed resilientes jacientem potiùs lędunt; sic potentes imbecilliorum conatibus non lęduntur, sed eos potiùs in ipsos retorquent & feriunt.

Seneca in Prover

Itaque quocùmque te vertas, periculosum est cum Magnis commercium, anceps negociatio, societas dubia. *Si in clientelam fœlicis hominis potentisque perueneris*, ait Seneca, *aut veritas, aut amicitia perdenda est*. Addi poterat, *& res tua omnis perdenda*.

Plin. l. 8. c. 18

Potentes enim facere solent sicut Cameli aut Elephantes, qui bibituri, ait Plinius, prius aquam pedibus turbant; *Cameli*, inquit, *bibituri obturbata proculcatione prius aqua, aliter potu non gaudet*. Ita faciunt fermè potentes, quibuscum tenues rem habent, sua auctoritate, famulitio, minis, clamoribus, rei veritatem ita turbant, vt nec jus tuum, nec sua iniquitas si possint appareat. Frustrà igitur cum eis litigas, qui aquam limpidæ veritatis & justitiæ proculcant & turbant. Vt idem sit cum potente litigare, ac cum igne belligerare, cum potiùs ab eo lędendus sis, quam eum lędas. Idem, ac si pumilio Herculem, Lepus Vulpem, Hinnulus Leonem prouocet, à quo ipse lędatur, & deuoretur.

Digitized by Google

Propterea Artaxerxes cuidam Acclidæ dicacii dixit; *Tibi quidem licet quælibet in Regem obloqui, mihi verò licet non tantum proloqui, sed & efficere & præstare.*

Augustus in Pollionem fescenninos versus scripserat ludibrij causa, quibus non aliter respondit Pollio, nisi sic, *ego taceo*, referente Macrobio; *non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere*, vt de facto dicendi & scribendi libertas causa fuit, cur Augustus Ovidium in exilium ejecerit, & Ciceronem Antonio permiserit.

Macrob. l.2. satur. c. 4

Themistocles multa effutiens in Alexandrum à quodam hoc versu Homerico repressus est.

Cur libet irritare virum miserande ferocem?

Odyss. 21

Adeo verum est apud Principes veritati aut libertati locum non esse. Id sentiebat insignis vir Thomas Morus Angliæ Cancellarius, Henrico VIII. Regi Angliæ in primis charus, quandiu Rex fidem & justitiam tenuit, sed vbi insano Annæ Bolenæ amore abreptus, à recto & fide desciuit, incestasque contraxit nuptias, Thomam dissentientem suis cupiditatibus, carcere & capite mulctauit. Quod antea peruidens sic luserat ad amicum scribens.

Sæpe mihi jactas faciles ad Principis aures,
Liber & arbitrio ludis vt ipse tuo.
Sic inter domitos sine noxa sæpe leones
Luditur, at noxæ non sine sæpe metu.
Infremit, incerta crebra indignatio causa,
Et subito mors est, qui modo ludus erat.
Tuta tibi non est, vt sit secura voluptas,
Magna tibi est; mihi sit dummodo, certa, minor.

Diogenes asserebat *Diuitias nihil aliud esse quàm velamenta malitiæ*, ij enim cum nihilo sint aliis meliores, putant sibi omnia in omnes licere.

Hoc malum diuitiarum est, & magnarum fortunarum, vt diuites & elati, in iram procliuiores sint. Quod Seneca pluribus docet & queritur. *Non vides* inquit, *vt majorem quamque fortunam major ira comitetur? In diuitibus, Nobilibusque & Magistratibus præcipuè apparet, cum quidquid leue & inane in animo erat, secunda se aura sustulit fœlicitas iracundiam nutrit, vbi aures superbas assentatorum turba circumstetit.*

Lib. 2. de ira, c. 21

Idcirco seriò monet eos, qui cum Potentibus versantur, vt offensi ac læsi, offensionem suam ac dolorem dissimulent, quasi non senserint. *Potentiorum*, inquit, *injuriæ hilari vultu, non patienter tantùm ferendæ sunt. Facient iterum, si se fecisse crediderint. Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes, quos læserunt, & oderunt.* " Quod exemplis confirmat.

Cap. 33.

Notissima vox est ejus, qui in cultu Regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem? injurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo. Sæpe adeo injuriam vindicare non expedit, vt ne fateri quidem expediat. *C. Cæsar Pastoris splendidi Equitis Romani filium, cum in custodia habuisset, rogante Patre vt salutem sibi filij concederet, quasi de supplicio ejus admonitus, duci protinus jussit. Ne tamen omnia inhumane faceret aduersus Patrem, ad cœnam inuitauit eo die. Venit Pastor, nihil vultu exprobrante. Propinauit illi Cæsar heminam, & posuit illi custodem. Perdurauit miser non aliter quàm si filij sanguinem biberet. Vnguentum & coronas misit, & obseruare jussit, an sumeret, sumpsit eo die, quo filium extulerat, &c. Cum interim non lachrimas*

Digitized by Google

emisit, nec dolorem aliquo signo erumpere passus est. Cœnauit tanquam pro filio exorasset, *quæras quare? habebat alterum, lætum se & oblitum quid eo die actum esset, præstitit. Perierat alter filius, Si carnifici conuiua non placuisset.* Vides stupendum crudelitatis barbaricæ exemplum, in Principe, nec minoris patientiæ in patiente. Ex quo concludit Seneca ira abstinendum esse, *siue par est qui lacessendus, siue superior, siue inferior. Nam cum pari contendere, anceps est. Cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum.*

Cap. 34

Lib. 3. de ira, c. 14

Idem libro 3. aliud profert exemplum impotentis iræ aut sæuitiæ, cujusdam potentis in vnum ex suis aulicis. *Cambysen Regem nimis deditum vino Prexaspes vnus ex charissimis monebat vt parcius biberet, turpem esse ebrietatem in Rege, quem oculi omnium, aure sque sequerentur. Ad hoc ille, vt scias, inquit, quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo jam, & oculos post vinum in officio esse & manus. Bibit deinde liberaliùs quàm aliàs, capacioribus sciphis, & jam grauis & vinolentus, objurgatoris sui filium procedere vltra limen jubet, alleuataque super caput sinistra manu, stare. Tunc intendit arcum & ipsum cor adolescentis, id enim se petere dixerat, figit, recisoque pectore hærens in ipso corde spiculum ostendit, ac respiciens Patrem, an satis certam haberet manum interrogauit. At ille, negauit Apollinem potuisse certius mittere. Dij illum male perdant, &c. O Regem cruentum! ô dignum in quem omnium suorum arcus verterentur! Accessit itaque (Pater) ad numerum eorum qui magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent Regum amicis bona consilia.*

Non dubito quin Harpagus quoque tale aliquid Regi suo, Persarumque suaserit, quo offensus liberos illi epulandos opposuit, & subinde quæsiit, an placeret conditura? Deinde vt satis illum plenũ malis suis vidit, afferri capita illorum jussit, & quomodo esset acceptus interrogauit. Non defuerunt misero verba, non os concurrit. Apud Regẽ, inquit, omnis cœna jucunda est. Necessaria est ista doloris refrænatio vtique hoc sortitis vitæ genus, & ad Regiam adhibitis mensam. Funeribus suis arridendum est. Hucusque Seneca. Longa citatio, inquies, sed quia exemplis agendum erat, nobiliori stilo vtendum non fuit.

Vides vt ludant Principes in vita & sanguine suorum, & quo pretio experiantur & tentent humanam paternamque patientiam.

Plerumque diuites quasi tyranni affectant videri truces & immites erga paruulos & humilis fortunæ homines, vultus semper atrox & minax, oculus ferox, vox dura, sermo pœnas & mortes semper intentans. Hanc mentis duritiem sic describit Seneca. *Quid istud Dij boni*, inquit, *malum est, occidere, sæuire, delectari sono cathenarum & ciuium capita decidere, quocumque ventum est multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere & fugare? Quæ alia vis esset, si Leones, Vrsique regnarent? si Serpentibus in nos, ac noxiissimo cuique animali daretur potestas? Illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata abstinent suis, & tuta est etiam inter feras similitudo, apud homines tantùm, nec à necessariis quidem rabies temperat sibi, &c.*

Lib. 1. de clem. c. 26

Quid sub illis Potentibus ac Dominis pusilli? nisi sortem suam plangere, & illud Martialis vsurpare.

Dente timetur aper, defendunt cornuą Ceruum
Imbelles Damæ, quid nisi præda sumus?

In hoc sensu fertur illud optimi Principis Ludouici duodecimi Regis Galliæ, dicentis, *Plebem & rusticos pascua esse tyrannorum & militum, tyrannos autem & milites, pascua esse diabolorum*, quod dictum vtinam ad aures & cor Principum, & ab auribus & corde, ad manus operatione & imitatione deueni

Digitized by Google

deueniret; plebs importabili sub iugo renascentibus in dies exactionibus, & rapinis exhausta & oppressa, mortem, vita dulciorem, non oppeteret, & in bonis duceret. Pauci hodie in populos suos nomen Patris, aut Pastoris ambiunt; non probant illud celeberrimum Tiberij, *boni Pastoris esse, tondere pecus, non deglubere.* Illi enim ouem integram, pellem, & vellus, & carnes deglubunt ac deglutiunt; & malorum olitorum instar, quod vetabat Alexander Seuerus, *radicitus herbas exscindere & euellere* gaudent; fitque re vera, quod sicut in corpore humano, quo splen fit auctior & tumidior, tabem & maciem ceteris partibus & membris inducat. Quod inter Emblemata sua retulit Alciatus:

Embl. 146

Humani quod splen est corporis; in populi re
Hoc Cæsar fiscum dixerat esse suum.
Splene aucto reliqui tabescunt corporis artus;
Fisco aucto, arguitur Ciuica pauperies.

Quod Alciati Commentator illustrans, *Trajani*, inquit, *id Apophtegma fuit; siquidem fiscum, splen seu lienem appellabat; quod eo crescente, reliqua membra tabescerent. Magno certè regni & Reipublicæ malo Princeps auarus nascitur, cui nimirum census publici & vectigalia plus æquo placeant; quo fit vt miserrima plebecula cogatur ad egestatem & extremam pauperiem, cùm tyrannis in suorum possessionem violenter irruit, eorumque peculium depeculatur.* Hæc ibi ille.

Meminisse Potentes deberent sententiæ Marci Catonis, qui dicebat, *Potentes potestate parcè vti debere, vt semper vti possent.* Quod benè Poëta Tragicus in Thyeste:

Acto 3

Vos, quibus Rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidosque vultus.
Quidquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis dominus minatur:
Omni sub regno grauiore, regnum est:
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens, jacentem.

POTENTI NVNQVAM VOLVNTAS, AVT PRÆTEXTVS DEEST NOCENDI PARVVLIS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

APPOSITE ad mentem Apologi sapiens Syracides pluribus sententiis dat consilium, ne quis se potenti committat: *Non litiges*, inquit, *cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius*, Grçcè διαμάχου, id est, ne certes. Quod sequenti versu videtur repetere: *Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituat litem tibi.* Grçcè, *ne fortè constituat contra te pondus.* Quod Iansenius sic explicat: q. d. Ne fortè suis diuitiis te prçgra-

Eccl. 8

Digitized by Google

uet in judicio, & etiam si jure non vincat, pecunia vincat. Sumpta, ait, similitudine à Bilance (quæ Iustitiæ tribuitur) in qua altera pars librata, oppositam sua grauitate vincit, & alteri pręponderat, sic enim in lite, pars potentior, quia plus potest, sępè alteram vincit, non jure sed ære. Vnde Tygurina vertit, *Ne contendas cum homine opulento, ne se ex aduerso librans, pondus tuum eleuet*, vel ne tibi pręponderet. Illustrat hanc explicationem Palacius exemplo luctæ Lupi cum Tauro. Ille enim, vt pręcedenti annotatione retulimus, arena se saburrat, & sic vincit. Sic vincit diues in lite pauperem; jure leuior, ære fit grauior. Vnde subdit Textus: *Multos enim perdidit aurum & argentum.*

Eccl. 13 Versu 4

Confirmat quæ dixit cap. 13. his verbis: *Diues injustè egit*, inquit, *& fremet; pauper autem læsus tacebit.* Tigurina vertit: Si diues injuriam intulit, insuper minabitur; aut si pauper passus est injuriam, oportet esse supplicem. Ex quo quàm iniquè & acerbè se habeat diues erga pauperem, seu potens in inferiorem, inde liquet, quòd licet iste sit à potente injuria affectus & lęsus, passus, quasi qui intulit injuriam, offensam priùs deprecari debet, & supplicare, potiùs quàm dare veniam.

Hoc luculentè demonstrat versu 23. ejusdem capitis. Nam postquam dixit: *Quæ pars diuiti ad pauperem?* quasi dicat: Quid pauperi à potente expectandum? respondet & subdit quod sequitur: *Venatio Leonis, Onager in eremo: sic & pascua diuitum sunt pauperes.* Aptissima comparatio ad describendum morem ac genium diuitum, quo vtuntur erga humiles ac paruos. Onager enim est asinus syluestris; cujus carnes maximè appetunt leones, & venantur eum super omnes feras; tum quia in deserto abundant, & timidissimi sunt & imbelles, propterea mira velocitate prediti; cum etiam cum natura frigidi sint, contrà Leo igneæ naturæ ac calidæ, & ideò audax, fortis & pugnax Onagris dominatur & pascitur. Accedit, quòd Asinus ex suo genere est animal seruile, omnia dorso onera circumferens. Vnde propriissimè tenues & humilis fortunæ viri comparantur Onagro, Leoni verò diuites & potentes.

Sallian. Lib. 4. de gubernat Dei

Aduertit hoc Saluianus vitium diuitum; vnde sic in hunc locum ait: *Venatio Leonis Onager in eremo: sic pascua diuitum sunt pauperes.* Quanquam tyrannidem hanc non pauperes tantum, sed penè vniuersitas patiatur generis humani. Quid enim omnium aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatum? aut quid aliud quorumdam, quos taceo, quàm preda? nulla siquidem major populorum est depopulatio, quàm potestas? Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione soluatur? quo quid indignius esse potest? Reddunt miseri dignitatum pretia, quas nos emunt. Commercium nesciunt, & solutionem sciunt. Vt pauci illustrentur, Mundus euertitur. „ Ita ille malum nostri æui, suo deplangens.

Iob. 24

Hoc est quod pręsenserat Iob, cùm ait: *Subuerterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ.* Ita subinde miseri agricolæ fiunt pręda Nobilium & militum; miseri Mechanici pręda sunt causidicorum auarorum, ait Palacius. Addamus: Plebeij, Iudicum; Nobiles, Principum; Principes, Regum. Vt verè dixerit Habacuc: *Et facies homines sicut pisces maris.*

S. Basil. Hom. 7. Hexam. Aristot. l. 9. hist. anim. c. 2

“ In mari enim majores pisces pręlium semper habent contra minores, „ inquit S. Basilius: & idem perhibet Philosophus. Major enim & robustior quisque minorem, inferioremque deuorat. Sic fit in sęculo inter homines, dicit Propheta: *Et facies homines sicut pisces maris.* De diuite enim hæc

Digitized by Google

verba dicit Psalmista: *Oculi ejus in pauperem respiciunt; insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua; insidiatur, vt rapiat pauperem.* Et Propheta Isayas: *Principes tui Infideles, socij furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Non dissimiliter Sophonias: *Principes ejus*, ait, *in medio ejus, quasi Leones rugientes. Iudices ejus, Lupi vesperè, non relinquebant in mane.* Sic ergo impletur quod dixit Ecclesiasticus: *Venatio Leonis, Onager in eremo: sic & pascua diuitum sunt pauperes.* Et denique querenti: *Si communicabit lupus agno aliquando; sic peccator justo*, seu diues pauperi? Respondetur, Communicant, sed communicatione leonina & lupina, lupus rapit & dispergit oues. Respondet Rabanus: " Sicut rapacitas lupi cum agni innocentia non conuenit, sic auari rabies cum simplici modestia nullo modo concordat. Itaque nulla parilitas est superbi diuitis, cum humilitate pauperis Christi. Ille enim ad deprehendendum semper paratus est, iste ab omnibus se abstrahit; ille proximum per elationem mentis despicit, iste aduersarium suum per humilitatem patientiæ sustinet: sed ille imitator Diaboli factus, de sublimi in tartarum decidit; iste verò vestigia Christi secutus, de terrenis ad cœlestia regna conscendit ".

Psal. 9. Isaiæ 1. Sophon 3. Ioan. 10.

Iterum Psalmista de hujusmodi lupis loquens, dicit: *Deuorant plebem meam*, inquit, *sicut escam panis* q. d. non segnius, aut scrupulosius exsugunt pauperes, pupillos defraudant, viduas compilant, quam escam panis comedunt, aut sicut quotidie panem comedunt, ita quotidiana illis esca paupetes sunt. Hodie istum, cras alterum.

Psal. 13

Propterea Paulus maximè timet diuitibus. *Qui volut*, inquit Discipulo suo Timotheo, *diuites fieri, incidunt in tentationẽ & in laqueum diaboli, &c.* Et paulo post. *Diuitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere*, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, &c. Et hoc quid est nisi Lupinos & Leoninos mores deponere, & viscera misericordiæ induere? Non insidiari substantiæ pauperum, non opprimere humilem, non deuorare plebem sicut escam panis.

1. Tim. 6

Ad quod nec occasio, nec prætextus potentibus vnquam deest. Nunquid defuit prætextus Dauidi, tot omnium diuiti, inuadendi, rapiendi, deuorandi vnicam illam ouem pauperis? scilicet vt peregrino illi apponeret, qui ad se venerat. *Parcens ille sumere de ouibus & de bobus suis vt exhiberet conniuium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini qui venerat ad se.* Hoc colore tantæ immanitatis facinus attentauit.

2. Reg. 12

Nabuchodonosor Rex Assiriorum supra modum elatus deuicto Rege Medorum, *gloriabatur quasi potens*, inquit Scriptura, *In potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum, & cum habuisset cum Ducibus & Bellatoribus suis mysterium Consilij sui, & dixisset cogitationem suam in eo esse vt omnem terram suo subjugaret Imperio.* Et cum ad multas gentes, Regna, & Prouincias Nuncios misisset, vt sibi obedirent, idque se facere vnanimes recusassent. *Indignatus Nabuchodonosor, aduersus illos omnes, jurauit per Thronum & Regnum suum, quod defenderet se de omnibus Regionibus his.* Hoc prætextu furor ambitionis ejus armatur & incenditur ad debellandas liberas nationes, & quod tyrannica inuasio est, defensionis nomine colorat.

Iudith. 1. & 2

Nunquid & Regi Achab prętextus defuit inuadendi vineam Naboth, & occidendi eum, reluctantem suæ cupiditati? de vicinia vineæ ejus ad

Digitized by Google

Palatium Regium occasionem prætexit propriæ commoditatis. *Vt faciam mihi*, inquit, *hortum olerum, quia vicina est & prope domum meam.*

3.Reg.21

Mirabantur parentes Samson, quod is puellam Philistinam deperiret, & vellet sibi habere vxorem, & dicebant ei, *nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & omni populo meo, quia vis accipere vxorem de Philistiim qui incircuncisi sunt? Sed nesciebant*, inquit Scriptura, *quod inde quæreret occasionem contra Philistiim* tunc dominantes Israël. Iam quæro qua re fretus Samson quærebat occasionem contra Philistiim? Haud dubie fortitudine sua, ordinaria & humana longe majori, qua præditus erat, in qua confidebat; occisis semel in Ascalone triginta, deinde alias mille viris in mandibula asini forte inuenta: alia vice, sublatis ambabus portis vrbis Gazæ cum suis vectibus ac seris, quas humeris impositas in verticem vicini montis portauit, fecit & multa prodigiosæ fortitudinis suæ in perniciem Philistæorum, pericula, & tandem in suam; quod potentibus ferme accidit, vt abutantur potentia sua, vnde contingit vt postquam eis Deus, quasi flagello, & virga furoris sui vsus est, ad correptionem suorum, aut ad emendationem, abutatur eis in furore suo, juxta votum & orationem Prophetæ, *fiant corruentes*, inquit Ieremias, *in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.*

Iudic. c. 14

Ierem.18

Sic apud Isaiam imprecatur Regi Assiriorum, quem tamen indignationis suæ Ministrum in populum suum suscitauerat, dicens, *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.*

Isaiæ 10

Propterea Potentes in sacra Pagina Deo videntur exosi, & cæteris durius Diuinis vltionibus impendere, ac percelli, dicente Salomone, *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet, exiguo enim conceditur Misericordia, Potentes autem potenter tormenta patientur.* " Et beatissima Virgine in suo Cantico, *Deposuit Potentes de sede, & exaltauit humiles.* An quia is status per se Deo inuisus est? Minime vero, respondet Iob, & ipse citra casum potens. Sic enim ait, *Deus Potentes non abjicit cum ipse sit potens, sed non saluat impios, & judicium pauperibus tribuit.*

Sap.14

Lucæ 1

Iob.36

Ratio igitur cur Deus odit Potentes, est, quia potentiæ humanæ vt plurimum adjuncta est superbia, & crudelitas, illa, in Deum injuriosa, hæc in proximum; quam vtramque pestem Deus summè odit & vindicat. Exemplum vtriusque tam noxæ, quam pœnæ, habes in vno Herode, Principe mortalium sui æui flagitiosissimo. Abusum potentiæ suæ Acta Apostolorum clarè describunt in nece injustissime illata Iacobo Apostolo, & detentione Principis Apostolorum Petri, eodem mortis genere, si per se licuisset, demerendi. *Misit Herodes*, inquiunt, *Rex manus vt affligeret quosdam de Ecclesia.* Quam gratis, & nulla prouocatus injuria, aut ratione, nisi sæuiendi voluptate, apparet ex his verbis. Sed ex sequentibus quam atrociter & proculcata omnis juris & legum forma longe amplius. *Videns autem, quia placeret Iudæis apposuit vt apprehenderet & Petrum quem cum apprehendisset misit in carcerem tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo*: Ita Sacer Textus; vnde apparet per fas & nefas innocentissimis viris Herodi Regi carceres, vincula, mortes intentare licuisse, *quia placeret Iudæis*, & sibi libuisset. Sic aperte legibus vis infertur, jura violantur, de rebus & vita hominum decernitur, auræ popularis demerendæ & expiscandæ causa.

Actor.12

Ex quo videas quam juste conqueratur Iacobus Apostolus, *Nonne diui-*

Digitized by Google

res per potentiam opprimunt vos? Quod sufficiat de crudelitate effræni Herodis in proximum. Iam quod superbiam in Deum, quam diximus sæpe sæpius crudelitati adjunctam, spectat, & pœnam vtriusque sequacem, eodem capite Actorum refertur, quod in vrbe Cæsarea *Herodes vestitus veste Regia sedit pro tribunali, & concionatus est ad populum, populus autem acclamauit, Dei voces, & non hominis!* Quam ille adulatoriam vocem pro vera laude, vane arripiens, & sibi abblandiens, ita Diuinam in se prouocauit iracundiam, vt illico ab Angelo percussus interiret. *Confestim autem*, inquit, *percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit.* Dignum tanto reatu supplicium, vt qui infidæ plebi turpi complacendi studio sanguinem Sanctorum fuderat, de suo versuram solueret, & applaudente sibi populo ac Diuinos honores tribuente vanitatis culpam vermibus arrosus expiaret. Talis est plerumque exitus Potentium sua potestate abutentium, quibus nec voluntas nocendi paruulis, nec prætextus deest.

Actor. 12

TITVLVS LV.

DE POENA TALIONIS.

FABVLA.

De Leone senio confecto.

LEO grauatus annis, qui olim cunctis Animalibus aut terrori fuerat, aut exitio, jam factus senex, prædari, & excurrere impotens, & solitis ex rapinis victum quærere, dolebat effœtæ ætatis vicem, quòd qui solo rugitu juuenis ferociora quæque exterreret, fugaretque, jam cuncta ipsi insultarent dentibus frenderent, insurgerent. Si latito, inquit, fame pereo. Si erumpo, hostibus objicior. Tum me Aper ferox dentibus impetit, Taurus cornu, Equus calcibus, & ignauissimus omnium, Asellus, calces illidit. Sic merito pœnas exsoluo senex, eorùm quæ juuenis mala commisi, & per quæ peccaui, torqueor.

De Vipera & Filiis.

VIpera dicitur non eniti fœtus suos, sed vi parere, id est, illis jam ad partum maturis perrodi viscera. Igitur illa memor dolorum quos fœta senserat à Filiis, improperabat ipsis aliquando impietatem suam, & immanitatis grauiter arguebat; cum illi vicissim ferendũ ipsi esse dicebant à Filiis, quod ipsa matri intulisset; quinetiam se patris sui interitum vltos esse, sicque sanguinem justissime sanguine rependi. Et per quæ peccasset, ipsam torqueri.

Digitized by Google

Aquila & Vulpes.

AQuila & Vulpes societatem inierant, cujus fortius stringendæ ergo, statuunt prope habitare cum filiis suis. Aquila nidum ponit in ramis proceræ arboris. Vulpes propter arborem ipsam, caueam suam facit. Accidit autem vt hæc filiis domi relictis, prodiret foras longiuscule ad prædam. Aquila ejus absentiam subodoratus, inuolat in caueam Vulpis, vulpinos necat, & pullis suis deuorandos ad nidum defert. Reuersa Vulpes, orbata filiis suis furens, malæ vicinæ furtum agnoscit, & ad pedes arboris infidam hospitem maledictis, cœlum clamoribus incessit, Deos vltionem precatur; Aquila desuper ridente, & Vulpis dira, & inanes nenias contemnente. Contigit autem eo loci ferias rusticanas celebrari, immolari victimas, & exta mactati pecoris adoleri. Aduolat Aquila ad exta & viscera, & dum semesa carnium frusta rapit, adhærent fauillæ accensæ alis & pennis ejus, quas cum incauta per inane portat in nidum, concepta flamma nidus ardere cœpit, fitque vt dum Aquila putat excutere incendium, pullos excussit, quos Vulpes decidentes ad terram inspectante Aquila, deuorat manifesto Deorum judicio, vt per quæ Aquila peccarat, per ea justè torqueretur.

De Coruo & Scorpione.

COruus esuriens, Scorpionem in aprico vidit, inuolat, rapit. Sed cum rostro dilacerare vellet, Scorpio Coruum momordit, & lethale virus per totum corpus effudit. Vnde moriturus Coruus, heu me, dicebat, miserum, qui quam noxam alteri inferre volui, ipse recipio.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

PER QVÆ QVIS PECCAT, ET TORQVETVR.

Probatur primò & illustratur,

EX PROFANIS.

NON abs re Licurgus dicere solebat, duabus potissimum rebus Rempublicam contineri, & consistere, præmio & pœna, scilicet, vt quos virtus per se non allicit, pœnæ metus exterreat, vt bene Lyricus.

Hor. l. 1 Epist. 17

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Plato l. 2. de leg

Optime tunc, dicebat Socrates, *Ciuitates gubernantur cum injusti ac facinorosi*

Digitized by Google

districtè plectuntur. Et Cicero, *Nec domus, nec Respublica stare potest, si in ea, nec rectè factis præmia extent ulla, nec supplicia peccatis.* Item, *Noxæ par pœna esto, ut in suo quisque vitio plectatur.*

3. de nat. Deorum
3. de legib.

Huic argumento locum Plutarchi refero libro de sera Numinis vindicta. *Hîc maximè*, ait, *audiendus est Poëta Hesiodus, dicens: Non sicut Plato, pœnam semper subsequi peccatum, sed æqualem ipsi esse, & coæuam ætate ac tempore; in eodem fundo, eademque ex stirpe utramque congenitam.*

Plut. l. de sera Num. vind.

Quicunque alterius concepit mente ruinam,
Præstruit in proprium perniciem ipse caput.

Perinde, ait, *atque Cantharis habere in se dicitur aliquod antidotum suo veneno contrarium, ex quadam oppositione naturæ; sic iniquitas parit ultricem quandam molestiam, non modò postquam perpetratum est scelus sæuientem, sed ab eodem instanti, quo mente conceptum est, & opere patratum, incipientem vindicare, & jugi supplicio afficientem; adeò ut non sit sceleratus quisquam, qui si reos videat in crucem agi ac torqueri, ipse liber, & immunis, proprio non afficiatur supplicio ac tormento, quod propria infligit conscientia, mirabilis vitæ infœlicis ministra & artifex; quæ laborans jugi ignominia, perpetuis agitatur cruciatibus, flagellis atteritur; adeò ut licet ultimi ictum supplicij effugiat, non effugiat tamen vindictam; sed proroget; nec post longum tempus sontes plectantur, sed diutius. Et si ad senium usque, & canos, latet crimen, non toto illo decursu pœna caruisse censendum sit, sed in ea consenuisse.* Hæc magnus vir, & ad rem nostram aptissime. Producamus è scrinio Magni Senecæ alterius sapientiæ Moralis Oraculi gemmeam hac in materia sententiam. *Minimum*, inquit, *ex nequitia, leuissimumque ad alios redundat. Quod pessimum ex illa est, & ut ita dicam spississimum, domi remanet, & premit habentem. Quemadmodum Attalus noster dicere solebat, Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit. Illud venenum quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent, non est hic simile, hoc habentibus pessimum est.* Hucusque Seneca. Vnde jam suscepti Moralis probatur veritas, si enim in mente peccatoris, vbi incipit & cuditur delictum quod postea in opus exit, illico etiam innascitur pœna & tormentum, profectò, *Per quæ quis peccat, & torquetur*, donec reipsa totam fęcem sui criminis ebibat, eodemque supplicio plectatur.

Epist. 81

Quid vero æquius, dicebat alter facundiæ parens. Quintilianus, *Quid justius esse potest? grassatus est aliquis ferro, præbeat & ipse ceruices; miscuit noxium virus, refundatur in suum facinus auctorem. Oculos rapuit, effodit, reddat de sua cæcitate solatium. Breuissima justitia est vindicta, cum facinus pœnæ mensura est, atque si naturam vltionis inspicias, optime vindicatur quisque quo modo miser est.*

Decla. 11

Plutarchus vbi supra memorat Callippum tyrannidem post Dionisium occupare tentantem, eodem ipso pugione, quo Dionem interemerat, à Syracusanis confossum fuisse, jugulatumque.

Suetonius in vita Iulij Cæsaris obseruat percussorum Iulij Cæsaris, qui multi fuere, nullum naturali morte decessisse, *Percussorum*, inquit *fere neque triennio quisquam amplius superuixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu periit: pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem illo pugione quo Cæsarem violauerant, interemerunt.*

Sueto. in V. Iul. Cæs. c. 89

Sic Thomiris Regina Scythiæ caput Ciri abscissum jussit in vtrem humano sanguine repletum injici, ei exprobrans insatiabilem cruoris sitim, pœnasque occisi ab eo filij sui exigens, dicensque, *Satia te sanguine, qui sanguinem tantopere sitiisti.*

Digitized by Google

Sic M. Crassus Romanorum ditissimus, & auri idem cupientissimus, auaritiæ inexplebilis nomine, vbique male audiens, cum ejus exsatiandæ, vt ferebatur, bellum Parthicum suscepisset, à Parthis cæso exercitu, & ipse cæsus, in ejus os liquefactum aurum ingestum est, cum hoc scommate, *Qui viuus semper aurum sitiisti, mortuus saltem auro te satia.*

Embl. 171 Quod genus pœnæ peccato simillimæ Alciatus duplici Emblemate expressit, primum sub ista subscriptione justa vindicta. Fabulam Poetarum de Polyphemo Cxclope referens ex Ouidio 14. Metam.

Dum resides Cyclops sinuosi in faucibus antri
Hæc secum teneras concinit inter oues,
Pascite vos herbas, sociis ego pascar Achiuis,
Postremumque Vtin viscera nostra ferent.
Audijt hæc Ithacus, Cyclopaque lumine cassum
Reddidit, en pœnas vt suus auctor, habet.

Notior est fabula quam vt hìc à me debeat renarrari. Secundum, repræsentat Coruum Æsopi de fabula in hoc titulo contenta.

Raptabat volucres captum pede Coruus in auras
Scorpion, audaci prœmia parta gulæ,
Ast ille infuso sensim per membra veneno,
Raptorem in stygias compulit vltor aquas.
O risu res digna! aliis qui fata parabat,
Ipse perit, propriis succubuitque dolis.

Seneca de Alexandro, Pompeio, Mario loquens qui multis exitio fuerant, *Pestiferam*, inquit, *illi vim, qua plerisque nocuerant, ipsi quoque sentiunt,*

Lucret. Lib. 5 Lucretius Poeta.

Circum retit enim vis, atque injuria quæque,
Atque vnde exorta est ad eum plerumque reuertit.

Hujus generis innumera exempla suppetunt, à quibus abstineo, si vnum retulero, quod loco jam citato Plutarchus memorat, quia vim quandam

Plut. l. de sera Num. vind. Diuinæ Iustitiæ scelera persequentis ac vindicantis præ se fert. *Rex Pyrrhus*, inquit, *cum copiis iter faciens reperit in via cadauer hominis occisi, cui Canis triduo impastus assidebat. Quod Rex miseratione ductus humari jussit, & canem assumi. Non diu post cum delectus militum ageretur, Rege presente, & transeunte milite, Canis qui ponè Regem quietus insederat vbi percussorem Domini sui aduertit, mox in iras exarsit, & horrendum latrans in eum veluti in reum acturus, ac deuoraturus insiluit; interdum Regem demulcens, quasi ab eo justitiam peteret, quo indicio homicida detentus, scelus tandem gehenna adactus confessus est, & suo sanguine, eluit alienum*; adeò justum est sanguinem sanguine rependi, noxium pro innoxio, vt ipsa bruta videantur repetere.

Senec. in Herc. fur Actu 3

Quod quisque fecit patitur; Auctorem scelus
Repetit: suoque premitur exemplo nocens.

Hoc idem optimè expressit in sua Anthologia Iacobus Billius subjectis versibus.

Lædere qui tentas alios, quæ mittis in altum
In caput hæc recident aspera saxa, tuum.
Vrere quo tentas alios, hoc vreris igne
Quodque paras aliis, hoc peris ipse malo.
Et velut is qui mixtum aliis lethale venenum,
Inscius ipse bibit, fraude peritque sua,

Aut

Digitized by Google

Aut certe instar apis quæ cæco rapta furore,
Protinus vt stimulum fixerit, ipsa perit.

PER QVÆ QVIS PECCAT, ET TORQVETVR.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

MAGNVM frenum Mortalibus, agnitio Iustitiæ Diuinæ, scire nil sceleris occultum, impunitum nihil, nihil non vindicatum aliquando; serò licet, certò tamen Deorum molas molere, reum neminem impunè euadere, laneo licet ac lento, at at indubio Nemesim pede noxiis adrepere & occurrere.

Hic ille est chamus & frenum, quo nullus non stringitur, vel indomitus; vel *sicut pullus Onagri se liberum putans*; de quo Psalmista: *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Sed quis est ille Chamus, explicat, dicens: *Multa flagella peccatoris*: Scire & credere, de omni scelere & noxa, esse, *qui requirat & iudicet.* — Psal. 31; Ioan. 8

Item: *Peccatores persequitur malum, & justis retribuentur bona.* Ex Salomone in Prouerbiis. — Prov. 13

Item: *Memento iræ, quoniam non tardabit.* Grande frenum maxillis peccantium, scire sępiùs pręsto esse, & ad januam, pœnam, flagella, supplicium. — Eccl. 7

Denique in peccatorum caput Liber Sapientiæ detonat *terribile Iudicium*, cum dicit. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Quam sententiam pro mente præsentis Tituli probandam præfiximus. — Sap. 11

Hanc legem, quam Talionis vocant, Deus à principio justissimè instituit, sic enim ad Noe, *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* — Gen. 9

Et in Exodo: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* — Exod. 21

Væ qui prædaris, inquit Isayas, *nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Et Ieremias: *Qui te vastant, vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam.* — Isaiæ 33; Ierem. 30

Fortè antiquatum causaberis in Euangelio? Vnde igitur est illud? *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis; & duplicate duplicia, secundùm opera ejus, in poculo quo miscuit, miscete illi duplum; quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Item: *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet; & qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* — Apoc. 18; Apoc. 1

Hujus veritatis tot exempla passim suppetunt, vt laboremus in delectu. Hoc in Cain non obscurè patuit, cui nihil profuit quæritasse à Deo offensionis tutelam, & signum, quominùs fratricidij reus, parricidio periret, à pronepote suo Lamech pro fera occisus; dilata vsque ad septimam ge-

Digitized by Google

nerationem mortis pœna. Quod his verbis docti Interpretes cum S. Hieronimo significatum volunt, *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, id est *septima generatione*. Quamquam ad veritatem literæ, noxæ & pœnæ grauitas secundum Glossam longe major appareat. Ex eo quod "Cain videns se derelictum à Deo, & in tanta miseria constitutum, desiderauit cito mori, vt sua miseria terminaretur, & eo sensu dixerit, *Omnis qui inuenerit me, occidet me*; cui Dñs: *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui te occiderit septuplum punietur*. q. d. Non morieris cito, sicut tu vis, pro remedio tui reatus, *sed punietur*, impersonaliter, id est, punitio fiet de te, *septuplum*, quia viues in cruciatu vsque ad septimam generationem, in qua à Lamech occideris. Qui sensus secundum 70. euidentiùs patet. *Omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exoluet*, id est, quicumque te in septima generatione occiderit, exoluet te à cruciatu per mortem, qui vsque ad tempus illud reseruandus es in vita tantum ad pœnam, quæ pœna cito finiretur, si cito interfectus esses." Ita Glossa. Alij per septuplum intelligunt quod diu & perfectè punietur, quia non debuit, inquit S. Hieronimus, homo occidere eum cui Deus reseruauit vitam, vel ad pœnam ipsius, vel ad correctionem aliorum.

Gen. 4. Epist. 215 ad Dam.

Gloss. hic Pererius Lib. 7. in Gen.

Non dissimili judicio: *Super Sodomam Deus pluit ignem & sulphur*. Et fœtido eas vrbes imbre consumpsit, scilicet, "In ipsa qualitate vltionis (dicit S. Gregorius) notauit maculam criminis, sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem," vt qui tam putido igne exarserant, vt ad cœlum vsque fœtor ascenderet, igne & fœtore consumerentur.

Gen. 19

Quid causæ putatis, cur Nadab & Abiu filij Aaron de igne alieno Deo litare cupientes, alio cœlitus immisso deuorantur, nisi vt qui per ignē peccauerant, per ignem plecterentur. Idem clarius elucet in plagis Ægipti.

Prima plaga fuit conuersio aquarum fluuij Nili in sanguinem; duplici ex ratione, vtraque nostro poposito congruente. Prima, vt qui Nilum suum ad Deum prope colebant, & diuinis honoribus habebant, per ipsum à vero Deo punirentur. Secunda est Origenis in Glossa, "Aqua fluminis, inquit, vertitur in sanguinem, cui Hebræorum pueros tradiderant necandos, vt auctoribus sceleris, poculum redderent sanguinis, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculauerant, potando sentirent. Non dissentit ab Origene Lyranus: "Vt pœna, inquit, esset culpæ correspondens, qua pueros in flumine extinxerant." Theodoretus: Fluuius enim ille, inquit, mutatur in sanguinem velut conquerebatur de cæde puerorum per Ægiptum commissa. Idem sentit D. Augustinus: "Iusto Dei judicio, ait, factum est vt de illo fluuio sanguinem biberent, in quo infantium Hebræorum sanguinem fuderant.

Orig. Glossa in Exod. 8

Lyran. hic Theod. q. 19. in Gen. q. 9. in Exod.

Addit Thedoretus Ægyptios eandem ob causam in mari rubro fuisse demersos. "Tradidit, inquit, justissimus Iudex exitio aquarum Pharaonem cum toto exercitu, quia per aquam interemerat infantes Hebræorum." Sic in Apocalipsi, *Iustus es Domine, quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere* (scilicet in mari rubro, aut in Ægipto) *digni enim sunt*.

q. 25. in Exod.

Apoc. 16

Secunda plaga Ægypti fuit Ranarum è Nilo ebullientium, & inde totam Ægyptum, palatia, cubicula, mensas, operientium, de qua Lyranus, "Ista plaga, inquit, correspondet culpæ puerorum, ibidem submersorum, qua hoc modo interficiebantur, vt cum minori strepitu & tumultu

Lyranus In c. 8 Exod.

Digitized by Google

extinguerentur. Fiebat contra vt Ranæ importuna coaxatione Ægiptiorum aures obtunderent, poena adhuc culpæ persimili, vt obseruat Theodoretus.

Tertia plaga fuit Sciniphum immissio, puluere terræ in hæc importunissima animalcula conuerso. De qua Lyranus "Plaga illa producta ex Elemento terræ correspondet culpæ Ægiptiorum, qui affixerunt filios Israel in operibus terrenis luti & lateris."

Lyran.

Quarta Ægypti plaga præcedentibus grauior fuit Muscarum omnis generis productio. Et respondet ista plaga ex multitudine diuersarum Muscarum culpæ Ægiptiorum, qua affixerant Hebræos in multis modis seruitiorum vilium, immunditiis deportandis, & fossis faciendis.

Probant igitur quatuor prędictæ Ægypti plagæ sępe numero peccatores à Deo per ea ipsa per quæ deliquerunt grauiter castigari, vt discant justitiam Dei, vbique peruigilem formidare, quæ de nobis ipsis accipiat modum pœnæ, vnde nos cruciet & torqueat.

Sic Samuel Propheta Diuinam in Regem Amalec Agag, cui Rex Saül contra Dei voluntatem pepercerat, sententiam completurus, mucrone jam ad jugulum intentato pronunciat, *sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit mater tua*, quo dicto cum interemit, ostendens juste gladio perimendum, qui tot gladio peremisset.

1. Reg. 15

Profecto Diuini Censura Iudicij non mihi minus admirabilis videtur in Adonibezec, Rege Chanaan, qui vt libro Iudicum legitur, viuus à filiis Israël captus, hoc supplicio ab eis affectus est, summitates manuum & pedum ejus pręciderunt; & tam singularis in eum æquitiæ ne quis auctores argueret, eos ipse inuidia ac crimine sua sententia absoluit, exclamans in ipso tormento, *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Iam quæso, quid justius?

Iudic. 1

Eidem causæ Diuinæ Nemesis similia sceleribus supplicia infligentis referunt non inepte quidam; Quod illi Israëlitæ, qui aurum suum, & monilia, & inaures & annulos, Idolo fabricando contulerant, conuerso in puluerem vitulo, auri ramenta in aquam sparsa, & infusa, Moise propinante bibentes criminosi agnoscerentur, aurato, vt dicunt mento, adhærente labris arenula aurea, & suæ idololatriæ inde pœnas luerent; qui sceleris immunes, etiam pœnæ, existerent.

Hebræi apud Lyran. Exod. 32

Vt finem faciamus, is est mos Iustitiæ Diuinæ hac Sententia à Salomone expressus, quod, *quia filij Israël errantes colebant mutos serpentes & bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt scirent quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.*

Sap. 11

Idem in prouerbiis dicit. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Cujus ratio, & similium esto lex Talionis, sancita à Deo primum, deinde à Christo, his verbis. *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis*, tam ab hominibus quam à Deo, qui sicut in misericordes misericors est, ita durus in duros. Exemplum in diuite Epulone; qui clamantem & sitientem Lazarum non audiens, in inferno receptus guttam aquæ postulans non impetrauit, clamans non exauditur. Quod perpendens S. Augustinus. "Pensantur, inquit, pro diuitiis pœnæ, refrigerium pro paupertate, pro purpura flamma, refectio pro nuditate, vt salua sit æquitas stateræ, & non mentiatur modus illius men-

Prov. 21

Lucæ 6

Ser 237 de tēp. & Hom 25 de verbis Dom sec. Luc.

Digitized by Google

surae : *In qua*. inquit, *mensi fueritis mensura*, ita *metietur vobis*. Ideo negatur in pœnis misericordia diuiti, quia ipse dum viueret et noluit misereri, ideo rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris. „ Ita S. Doctor.

in Psal. Hom. 48

Idem in Psalm. “ Ideo te quærit major raptor, quia prior cepisti leporem, præda tibi fuit minor, preda eris majori. Et Hom. 48. inter 50. Majores nostri, ait, ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant; modo autem quia discessit deuotio, accessit indictio fisci. Nolumus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur, hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. „

Quæ sufficiant huic Titulo & Libro perficiendis, in nomine Domini, cui honor & gloria.

FINIS CENTVRIAE II.
seu Libri II.

Digitized by Google

MITHOLOGIA
SACRO-PROFANA,
SEV
FLORILEGIVM
FABVLARVM
IN CLASSES, ET LOCOS MORALES
DIGESTVM:

LOCIS, SENTENTIIS, HISTORIIS, TVM
PROFANIS, CVM SACRIS, EX PVRIS FONTIBVS SCRIPTVRÆ,

ILLVSTRATVM.

Centuria III. Liber III.

Authore P. IRENÆO à S. CATHARINA, BLESENSI,
Ordinis Carmelitarum, Prouinciæ Turoniæ.

Θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος
Καὶ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει κόπος.

Deo dante, nil potest invidia;
Deo non dante, nil potest labor.

FLEXIÆ,
Apud GERVASIVM LABOE Typographum.
M. DC. LXVI.
Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

Digitized by Google

LECTORI.

HEM, amice Lector, Ecce tibi duobus præcedentibus tertius Liber it comes, quo fidem meam, quam tibi obligaueram, libero. Quod initio pollicitus eram, magna ex parte exequutus: è quatuor Libris, in quos vniuersum fabularum corpus digesseram, tres edens, quasi præter opinionem meam. Creuit opus inter manus fere nescienti. Accidit enim mihi, quod iis, qui Amicis suis exeuntibus, animi causa & Societatis, viæ se comites dedunt, & inter colloquendum, fallente consortio, vltra quam putabant, se progressos sentiunt.

Cum huic operi primùm mentem admoui, quasi ludens, & omne aliud cogitans, feci; non ea ratione, qua à Seneca dictum est, *Nihil turpius quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem.* Scilicet, vt mihi nomen facerem; longe mihi alia ratio fuit, qualis, vt semper occupato Cella dulcesceret, ne quis per domum exerrantem offensaret, maxime verò, ne quod vitæ supererat, otio efflueret, aut temporis male collocandi, quod vitium nimis frequens video, essem exemplo.

Quærebat aliquando Philippus Macedo à Dionisio Iuniore, quî, aut quibus horis pater suus, versus quos scripserat, elucubrasset? iis respondit, quas nos Principes, tu & ego, somno & ludis, & compotationibus impendimus & perdimus. Id ipsum ego sexagenario major, certò dixerim, sciscitanti quo tempore quibusue horis, ne quidem punctum vitæ communis, & officij ac regularitatis prætermittens, hoc Opellæ quantulumcumque est, exarauerim, responderim inquam, animum intendendo, cum alij soluunt; vigilando, cum dormiunt; libros consulendo, cum secum confabulantur. Sed jam tempus est receptui canere, & vasa colligere, quippe

Digitized by Google

Vitæ ſumma breuis ſpem vetat inchoare longam.

Deſiderabis forte quartum noſtræ Mythologiæ librum, de virtutibus & vitiis, qui ex toto abſoluendæ, deeſt, jam in mente conceptus eſt, ſed an lucem viſurus, ambigo, nec deſpero, ſi Deus vitam, & tuus fauor animum dabit.

Indicem rerum generalem non damus, id enim rei ſemel aut iterum aggreſſus, manum retraxi, ſuperuacaneum putans, & actum agere, cum quiſque liber particularem præfixum habeat materiarum, quæ in eo tractantur, quos conſulens, primo intuitu videbis in vnoquoque titulo bene multa ex Profanis, & ex Sacra Scriptura, quæ anxiè per minutias repetere, longum foret.

Digitized by Google

INDEX

TITVLORVM, FABVLARVM, MORALIVM.

Centuriæ III. ſeu Libri III.

Digitized by Google

Titulus 63. In immisericordes.

MORALE, *Eadem mensura qua quis alios mensus est, & ipse remetiēdus.*

Titulus 64. de Perfidis.

MORALE, *Perfidis non credendum, nec miserandum.*

Titulus 65. de Foro, & Litigantibus.

MORALE *Lis, & Forum, calamitatis & iniustitiæ ara.*

Titulus 66. de Foro, & Litigantibus.

MORALE, *Forum omnia consumit.*

Titulus 67. de Timore bono.

MORALE, *Vbique, & semper timendum.*

Titulus 68. de Timore bono.

MORALE *Sapiens à minimis timet.*

Titulus 69. de vano Timore.

MORALE *Insipiens non timet timenda, timet non timenda.*

Titulus 70. de Periculo fugiendo.

MORALE, *Qui euasit periculum ne se iterum committat.*

Titulus 71. de Labore.

FABVLA { De viro Agricola. / Pater, & Filius. } 592 593

MORALE, *Labor improbus omnia vincit.*

Titulus 72. de Labore.

FABVLA { De Miluo, & Accipitre. / De Lupo, Ouis pelle contecto. } 602

MORALE, *Ab opere quisque dignoscitur.*

Titulus 73. de Labore.

FABVLA { Cassita. / De Patre familias, & Cane. / Formica, & Cicada. } 610 611

MORALE, *Quod per te potes, ab aliis ne expectes.*

Titulus 74. de Amore.

FABVLA { Sol, & Aquilo. / De Leone, & Vulpe. / De Quercu, & Arundine. } 619 620

MORALE, *Plus amore, quam vi.*

Titulus 75. de Exemplo.

FABVLA { Opilio. / De Cancris, Matre & Filio. } 929

MORALE, *Plus exemplis quam verbis.*

Titulus 76. de Arte.

FABVLA { De Cornice. & Vrna. / De Mustella, & Muribus. / De Vulpe se mortuam simulante. / Piscator. } 636 637

MORALE *Plus Arte quam Natura.*

Titulus 77. De celeritate & diligentia.

FABVLA { De Lepore, & Testudine. / De Psirtaco. } 645

MORALE, *Plus Studio, & Diligentia quam Viribus.*

Titulus 78. de Sapientia.

FABVLA { De Diuite ignaro, & Paupere literato. / Lepus, & Vulpes. } 652

MORALE *Plus Sapientia, quam Opibus.*

Titulus 79. de Vita sobria.

FABVLA { De Ficedula & Turdo. / De Cuculo & Accipitre. / De Mure vrbano, & Villatico. / De Asino & Porco. / De Lupo, & Cane. } 659 660 661

Digitized by Google

FINIS.

Digitized by Google

MITHOLOGIA SACRO-PROPHANA.

CENTVRIA TERTIA.

LIBER TERTIVS.

TITVLVS LVI.

DE CONCORDIA.

FABVLA.

De Agricola & Filiis.

QVIDAM Agricola multos habebat Filios, sæpius inter se discordes, rixantesque, quos vt in Concordiam coire faceret, omnes adesse jussit, & in vnum congregatis, fasciculum tot virgarum, quot essent fratres, bene compactum, ligatumque fecit apponi, quem primogenito dedit, vt si posset rumperet. Deinde secundo, & successiuè singulis, qui cum facto, sed inani conatu, tentassent fascem, nec potuissent confringere, præcepit solui, vt singuli singulas acciperent, & frangerent, quod cum facili negotio præstitissent; Ait illis, Filij mei, ita prorsus de vobis erit, si bene semper inter vos conuenerit, nullus vos hostis vincet, nulla vis superabit vnitos, concordes, vnanimes; minima, diuisos, diffidentesque. Quo docemur Concordia res paruas foueri, debiles firmari, tenues conseruari.

Digitized by Google

De Tauris & Leone.

PAscebant simul quatuor Tauri concorditer, cunctis idem stabulum, eadem pascua, vna voluntas, communis salus, commune periculum, commune præsidium. Dum sic concordes degunt, venit sæpius Leo, videt simul pascentes, aggredi non audet. Tandem dissidio inter eos nato, soluta amicitia, diuisos, segregatosque prædatur ac deuorat. Quo monemur, debiles, Concordia protegi & reddi inuincibiles, discordia facile superari.

De Vulpe, Gallinis & Cane.

VVlpes rustici cujusdam Gallinis insidiabatur, sibique videbatur tempus, & operam perdere; nam interdiu dum famuli domus, nocte Canis domesticus eas custodirent, Vulpis expectatio ludebatur. Contigit autem, vt alio transportarentur, & absque custodibus liberius vagarentur, quod vbi intellexit Vulpes, & vbi degerent, & vbi siderent, metu Canis vacua, illuc se conferens, dispersas, vagantesque inuenit, & omnes ad vnam occidit, & deuorauit.*

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

CONCORDIA INVINCIBILIS.

Probatur primò & illustratur,

EX PROFANIS.

Apud Plutar. & Stob. Serm.

SCYLVRVS Scytha, vt Plutarchus refert, octoginta filiorum Pater, diem obiturus, conuocatis filiis, fasciculum jaculorum vnicuique singulatim porrexit, jussitque confringere, quod cum singuli pertentassent, nec potuissent, ipse soluto fasce jacula separata accipiens facile perfregit, indeque occasione capta, *vidistis*, inquit, *ô filij mei, vt collecta in vnum jacula, nullus vestrum frangere valuit, diuisa separataque inualidus ego senex facile confregi, idem de vobis judicium. Si concordes persliteritis, vestris hostibus terrori, & exitio eritis, sin contrà, dissidiis ab inuicem distrahemini, expugnatu faciles eritis.* Quæ res adeo cum Apologo præfixo conuenit, vt aut fabulæ historia similis sit, aut fabula historiæ, & difficile sit dicere, vtrum res gesta occasionem dederit fictæ, aut ficta gestæ.

Saluft. in Iugurt.

Non dissentit quod Salustius de Micipsa Rege Numidiæ refert, qui moriens tribus filiis suis Atherbali, & Hiempsali ex se genitis, & Iugurthæ adoptiuo, in societatem Regni ascito, concordiam cum Regno commendans, dixit. *Ego Regnum vobis trado firmum, si boni eritis, sin mali, imbecillum. Nam concordia paruæ res crescunt, discordia, maximæ dilabuntur.* Aurea &, Regia sententia, cui M. Agrippa multum se debere profitebatur,

Digitized by Google

apud Senecam, ejusque beneficio se fratrem & amicum optimum factum, nec immerito, nam omnis æui experientia probatum est, Concordia res paruas crescere, Discordia maximas dilabi. epist. 94

Propterea optime Liuius, *Equidem sagittas*, ait, *saltus impeditos, auia commeatibus loca, grauis armis miles timere potest, mille acies grauiores quam Macedonum atque Alexandri, auertit, auertetque, modo sit perpetuus pacis amor, & ciuilis cura Concordiæ.* Lib. 9 Decade 1

Et Ammianus Marcellinus, *Rerum acerbitates jam conclamatas & perditas*, inquit, *Concordia meliorem reuocauit in statum, studendum est ergo Concordiæ viribus totis, per quam res minimæ coalescunt.* Lib. 16

Significat Concordiæ bonum Seneca propriissima comparatione fornicis, cujus si vel vnus lapis tollatur, aut subruat, tota concamerati ædificij machina subruat necesse sit. *Omne hoc quod vides*, inquit, *quo Diuina atque humana conclusa sunt, vnum est; membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit.* Sen. epist 95

Societas nostra, addit, *lapidum fornicationi simillima est, quæ casura nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinetur.*

Idem lib. 2. de ira in eadem comparatione corporis vnius, ait, *Vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula seruari totius interest: ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sumus. Salua autem esse societas, nisi amore & custodia partium, non potest.* Lib. 2. de ira, c. 31

Placet hic ex Aulu-Gellio eximium locum exscribere, in hac materia non vulgaris notæ. Sic autem se habet. *In legibus*, inquit, *Solonis antiquissimis legem esse Aristoteles refert scriptam ad hanc sententiam. Si ob discordiam dissentionemque seditio atque discessio populi in duas partes fieret, & ob eam causam irritatis animis vtrinque arma caperentur, pugnareturque; tum qui in eo tempore, in eoque casu ciuilis discordiæ non alterutri parti sese adiunxerit, sed solitarius, separatusque à communi malo ciuitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto exul extorrisque esto. Cum hanc legem*, addit citatus Auctor, *Solonis singulari sapientia præditi legissemus, tenuit nos grauis quædam in principio admiratio. requirentes quam ob causam dignos esse pœna existimarit, qui se procul à seditione & ciuili pugna remouissent. Tum qui penitus atque altè vsum ac sententiam legis inspexerat, non ad augendam, sed ad desinendam seditionem, legem hanc esse dicebat. Et res prorsus sic se habent. Nam si boni homines, qui principio coërcendæ seditionis impares fuerint, populumque percitum & amentem non deterruerint, ad alterutram partem diuisi se adjunxerint; tunc eueniet, vt cùm socij partis seorsum vtriusque fuerint, eosque partes ab ijs vt majoris authoritatis viris temperari ac regi cœperint, Concordia per eos potissimùm restitui, conciliarique possit; dum & suos, apud quos sunt, regunt atque mitificant; & aduersarios seruatos magis cupiunt, quàm perditos.* L. 2. Noct. attic. c. 12

Hoc idem Phauorinus Philosophus inter fratres quoque aut amicos dissidentes oportere fieri censebat, vt qui in medio sunt vtriusque partis beneuoli, si in Concordia amittenda parum authoritatis, quasi Amici ambigui habuerint; tum alter in alteram partem discedant, ac per id meritum, viam sibi ad vtriusque Concordiam muniant. *Nunc autem plerique*, inquit, *partis vtriusque amici, quasi probè faciant, duos litigantes restituunt, & relinquunt, deduntque eos Aduocatis maleuolis, aut auaris, qui lites animasque eorum inflamment, aut odij studio, aut lucri.* Hucvsque ex Aulu-Gellio.

Quem locum, vt singularissimæ notæ, omittere nolui, vt aduertant

Digitized by Google

quidam frigidi Politici, qui vt vespertilio de fabula se è communi causa & alea subtrahunt, & dum veluti Amphibia neutrius partis sunt, ab vtraque expelli, imo ex albo hominum expui, & expungi merentur, hominem enim, quod est, esse decet; & communem quæ vertitur aleam fortunamque experiri. Ea occasione Suetonius in Nerone, refert quod Cn. Pompeius quemdam Domitium, Neronis auum, consulens quid de Mediis, qui neutram partem secuti erant, fieret; Solus censuit, ait, hostium numero habendos.

Sed ad propositum, si quoquo modo deflexımus, redeuntes, sapienti semper summæ curæ esse debet seruandæ concordiæ, & vitandæ discordiæ, vt pestis societatis humanæ, ostendit effatum illud Catonis. Qui amicitias, quæ non placerent, sensim censuit dissuendas, non discindendas; digna vox tanti viri, ne geminum graue damnum incurras, vt simul & amicum perdere, & hostem quærere, ac facere velle videaris.

Cic. in Lælio

Beneficio Concordiæ domos & familias firmari, ac consistere volebat Anthistenes, qui *Fratrum qui concordes essent conuictum, omni muro fortiorem esse dicebat. Contra si dissiderent, quanto propiores essent, eò citius quasi peste vastante discordia deperire, ac contabescere.*

Laërt. de vita Philos. lib. 6

Eamdem ob causam notat Eusebius Ethnicos solitos cum conjugia celebrarent, in sacrificiis Iunonis, quam vt nuptiarum præsidem, ac pronubam colebant, victimam sine felle immolare, vt significarent fausta fortunataque fore conjugia, è quibus omnes rixarum fibræ, occasionesque procul amandarentur. Quod etiam quotiescumque Concordiæ sacrificabant obseruare soliti erant, Fel animalis mactandi ab eo separantes, vnde vocabatur Cinxia, tum quia Nuptarum cingulum soluebat, cum quia corda nubentium Concordiæ nexu cingebat.

Lib. 3. de præp. Euang. c. 1

Alex. ab Alex.

Non tantum priuatis familiis, aut Conjugiis Concordia salutis ac prosperitatis seminarium vbique extitit, sed & ciuitatibus & rebus publicis, atque ipsis imperiis. Vnde Agesilaus percontanti cuidam, *Cur Sparta mœnibus non cingeretur, Ciues armatos ostendit, & vnanimes. Hi*, inquiens, *Spartæ mœnia sunt.* Indicans Respublicas nullo vallo, aut munimento tutiores reddi quam virtute & consensione ciuium. Addebat, *Nequaquam vrbes Saxis lignisue, quauis calce cœmentoque cohærentes, fortius muniri quam habitantium mutua affectione ac conspiratione.*

Plutar. in Agesil.

Hinc cum aliquando frementibus circa fines suos hostibus periclitari viderentur, & de mœnibus fabricandis consultarent, Isæus Sophista media in concione hunc Homeri versiculum recitauit:

Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir.

& adjecit: *Sic state, Lacedæmonij, & muris cincti sumus.*

Plutar. in Lacon.

Concordia est illa siderum Musica, seu Harmonia, tot vocibus ac tonis constans, quot Cœlum Planetis, secundùm Pythagoram apud Plinium. Concordia ciuilis est etiam Scipioni, quasi concentus Musicus, ex dissimilibus sonis ac vocibus concordi quadam modulatione temperatus atque conueniens; illa symphonia legum & animorum consensio, arctissimum atque optimum in Republica vinculum incolumitatis, quæ esse sine Iustitia nullo modo potest, vt ex Scipione refert Cicero, & ex Cicerone D. Augustinus.

L. 2. c. 22

Lib. 2. de Rep.

L. 2. de c. D. c. 21

Concordia igitur regni, seu Reipublicæ, est populi vnio cum Principe, sub Deo, cui istum tam subdi par est, quàm populum Principi, vt

Digitized by Google

perfectam harmoniam faciant; à quo cùm Princeps deuiat, & Diuinas in se leges proculcat, harmoniam soluit, Concordiam rupit; vnde nil mirum, si Deo vindice patiatur sæpe versuram. Quàm benè hoc quidam Diotogenes Pythagoricus apud Stobæum: *Vt inter præstantissima Naturæ Deus excellit; sic terrenis hominibus,* inquit, *Rex antecellit. Nempe vt Deus ad Mundum; ita se Rex ad ciuitatem habet; & vt Ciuitas ad Mundum, ita se Rex ad Deum. Ciuitas enim ex multis diuersisque concinnata, Mundi structuram & harmoniam imitatur; Rex autem, Imperium gerens nulli obnoxium, & lux viua existens, Dei figuram inter homines repræsentat. Proinde oportet Regem à voluptate non vinci, sed ejus victorem esse; nec similem vulgo, sed longè alium, & præstantiorem.*

Ap. Stob. serm. 46

Non ineptè Antiqui per Lyram Concordiam designabant, quòd vt in Lyra diuersæ chordæ simul in vnum temperantur tonum, sic in Republica dissimiles animi, status, Ordines, in vnum quasi harmoniæ concentum sub vno sapiente Moderatore conueniunt.

Propterea Plato animum Harmoniæ & Concentûs nomine appellauit; quem quia Imperator Nero pessimè regeret, Isidorus Cynicus ei exprobrabat, *quòd cùm Musicæ operam daret, Nauplij mala benè caneret, sua verò bona malè disponeret, neque vllum in moribus concentum seruaret.*

Et Diogenes Musicos stultitiæ arguebat, qui Lyræ chordas & modos optimè pulsarent, animum verò pessimè componerent.

Plutarc.

Nec illud pretereundum, quod cùm Achilles vellet furentem animum ad rationis ac Iustitiæ amussim reducere, Lyræ modulis ad sese reuocabat

Ingeniosè Alciatus Maximiliano, Duci Mediolanensi, in fœdera cum Principibus Italiæ coëunti, gratulans, Emblemate decimo ei Lyram pro corpore Emblematis appingit; cujus hos versus excerpo:

Alciat. embl. 10

Placeat nostrum hoc tibi tempore munus,
Quo noua cum socijs fœdera inire paras.
Difficile est, nisi docto homini, tot tendere chordas,
Vnaque si fuerit non benè tenta fides.
Rupta ve (quod facile est) perit omnis gratia Conchæ,
Illeque præcellens cantus, ineptus erit.
Sic Itali coëunt Proceres in fœdere; concors
Nil est quod timeas, si tibi constet amor.

Socialis vitæ communia bona, Concordiæ attribuens, ad rem concinit Poëta Tibullus:

Tibul. l. 1 Eleg. 1

Interea pax arua colit. Pax candida primum
Duxit araturos sub juga curua boues.
Pax aluit vites, & succos condidit vuæ,
Funderet vt nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerque vigent. At tristia duri
Militis in tenebris occupat arma, situs.

Non inelegantiùs Poëta Satyricus idem prosequitur;

Iuvenal. Sat. 15

Mundi
Principio, indulsit communis Conditor illis (sup. brutis)
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præstare juberet;
Dispersos trahere in populum, & migrare vetusto
De Nemore, & Proauis habitatas linquere syluas,
Aedificare domos, Laribus conjungere nostris

Digitized by Google

Tectum aliud tutos vicino limine somnos
Vt collata daret fiducia, protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem;
Communi dare signa tuba, defendier isdem
Turribus, atque vna portarum claue teneri.
Sed jam serpentum major Concordia, &c.

Itaque pro certo habendum, quod apud Xenophontem dicit Socrates: *Sine Concordia neque ciuitas benè gubernabitur, neque domus benè habitabitur*, neque quisquam bene viuet. Sed etiam pro indubitato habendum neque Ciuitates tranquillas fore, neque domos fœlices, nec quemquam beatum, nisi priuatus quisque rationi obtemperet & pareat, domus Iustitiæ, Ciuitates legibus, Rex Deo. Hoc stante stabit firma & inconcussa Concordia, nutante nutabit, euerso & concusso, concidet, quod ne vsquam fiat, à Lyrico liceat mutuari hoc votum pro sospitate imperij.

Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes ad arma
Concitet, Imperiumque frangat.

CONCORDIA INVINCIBILIS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

Eccl. 25

QVANTVM accepta sit Deo Concordia, luculento testimonio probat Syracides: *In tribus placitum est spiritui meo*, inquit, *quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & Amor proximorum, & Vir & Mulier sibi benè consentientes*. Verba sunt non Syracidis, sed Sapientiæ; aut si illius, at ex hujus mente, vt Rabanus, & Græca significant. Hæc enim Charitas, seu Concordia, prima & princeps virtutum est; qua Deo conciliamur, & hominibus. Cujus ratio à priori est, quòd *Deus Charitas est; & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quid autem est Charitas, nisi Concordia? & quid est Deus, nisi prima, increata, summa & perfectissima Concordia? Propterea summè amat Concordes, vtpote sibi similes, imò vt opus suum; vt dicat Psalmista: *Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.*

Psal. 67

Nam & Sancta Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, summè concordes sunt, vnius moris, oris & cordis, non ex accidenti, sed ex essentia. Vnus Deus, quia tribus Personis est vna eademque numero Essentia, consequenter Mens vna, vna Voluntas, vnaque Concordia. Vnde quod vna vult Diuina Persona, V. G. Pater, hoc essentialiter & necessariò volunt duæ aliæ personæ, Filius & Spiritus Sanctus. Eapropter Sanctissima Trinitas hanc sui Concordiam Cœlis, Elementis, homini, animantibus, creaturis, rebusque omnibus communicauit & impressit. Atque hic est Cœlorum concentus, in dissonanti tot orbium, stellarum, motuum consonantia, & discordi concordia resonans; quam admirans vnius amicorum Iob,

Digitized by Google

Baldad, Suhites, ait: *Qui facit Concordiam in sublimibus.* Et ipse Iob non minori cum stupore: *Quis enarrabit Cœlorum rationem? & concentum Cœli quis dormire faciet?* Et quid est illud Sapientiæ? *Omnia in mensura, numero & pondere disposuisti*; nisi Diuinæ Triadis Vnitatem, & Vnitatis Triadem singulis rebus inditam, agnoscere?

Iob. 25 & 38

Sap. 11

Habemus aliud in nouo Testamento, non minus illustre & expressum, Concordiæ Elogium, apud Mathæum: *Si duo ex vobis*, inquit, *consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Stupenda certè & mirabilis dignatio, vt duo vel tres in Dei nomine congregati, consentientes, vnanimes, cœlestem Trinitatem secum aduocent & accersant, securi, quidquid petierint, impetrare.

Math. 18

Adeò potens est Concordia, vt vbi est, ibi Deus est; ibi Pater est, ibi Filius est, ibi Spiritus Sanctus est; tota Trinitas.

Sicut autem nihil in tota æternitate mirabilius, nil in Cœlo Diuinius, esse potest, quàm quod tria sint vnum, & vnum, tria; putà tres Personæ, vnus Deus; & vnus Deus, tres Personæ: quod efficit summa trium Concordia & vnio; sic nec in terra quidquam mirabilius excogitari potest, quam Consensus, seu Concordia familiæ, regni, Ecclesiæ, in quibus vir & mulier, dominus & serui, Rex & subditi, familiæ, domus, ciuitates, regna, homines, sine numero in vnam coalescant Rempublicam, vnum regnum, vnam Ecclesiam. Hoc tamen facit amor & Concordia, qua præstante sunt, *Cor vnum, & anima vna*; à communi enim corde, fit Concordia: illa ergo res Cœlestis, & Diuina sit oportet, vt pote à Deo intime manans. Ex aduerso Discordia, quæ etiam paucos dissociat, diuellit, & dissipat, vt inter se dimicent & confligant, infernalis est, & diabolica, vt pote manans à Lucifero; qui primus Discordiam in Angelis inuexit; Cœlo intulit, ideoque instar fulguris momento præcipitatus est in baratrum. Concordia fecit Paradisum, Discordia infernum. Concordia facit ex peccatoribus justos & Sanctos. Discordia ex hominibus, reprobos. Illa nos populo Dei associat, filios Regni facit, filios Dei; hæc à societate Sanctorum exturbat, & rectori tenebrarum perpetuò addicit.

In Actibus Apostolorum. Paulus Græciam perambulans, eamque Fidei lumine illustrans, cum Athenas peruenisset, videns eam Ciuitatem maxime Idololatriæ deditam, Athenienses que super omnes Græciæ populos superstitiosiores, argumentum vnitatis Dei ipsis prædicandæ solertissime duplex assumpsit; alterum ex parte Dei, alterum ex parte hominis. Vt igitur auocaret eos à vano cultu multiplicium Deorum, simulachrorumque vnum Deum quem ignari colerent, cuique aram fecissent, colendum esse insinuauit. *Præteriens enim*, inquit, *& videns simulachra vestra inueni & aram in qua scriptum erat*, IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc annuntio vobis, Iesum Christum, &c.*

Actor. 17

Ex alia parte vnius Dei colendi, obligationem hominis, ex eo quod maximè vnus esset, & cognatione generis Deum proxime attingeret, sapientissime insinuauit. *Deus*, inquit, *qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, fecit ex vno omne genus hominum, &c. sicut & quidam Poetarum vestrorum dixerunt,*

Ipsius enim & genus sumus.

Quod si Apostolus ex eo quod Deus vnus sit, & ab eo vno, & vno ho-

Digitized by Google

mine nos omnes conditi, ejusdem naturæ humanæ cognatione participes sumus, collegit esse vnicè amandum; quis consequenter non colligat, homini cum homine concordissimè viuendum?

Et verò cetera animantia creata sunt duo & duo, diuisim species, diuisim sexus. Ex aqua, volatilia, & pisces, & reptilia. *Producant aquæ*, ait, *reptile animæ viuentis, & volatile, & pisces.* E terra, animantia, quadrupedes, reptilia: *Producat terra animam viuentem in suo genere, jumenta, & reptilia, & bestias*, &c. De homine verò sic pronunciat Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* De fœmina: *Tulit vnam de costis Adam, & fecit Euam.* Quomodo, inquies, Euam ex homine eduxit? Fortè cum dolore? Minimè verò, sed placido in somno; ne si dolor, sicut in partu, fuisset, rixandi aut conquerendi materiam induxisset. Ne Adam, sentiendo, inquit S. Chrysostomus, dolorem ex muliere ex se formata, posteà doloris memor, infensus fieret. Vnde concludat Apostolus: *Genus ergo cùm simus Dei, ab vno, & ex vno omnes.* Ab vno Principio, Creatore Deo; ex vno principio, creato homine; quid inde? nisi *det vobis idipsum sapere in alterutrum; vt vnanimes vno ore honorificetis Deum.* Et Augustinus: " Vnum creauit hominem, vel ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in sua societate, non solum similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo, teneretur. "

Et tamen, proh dolor! ex omnibus viuentibus nullum est à Natura tam vnum, tam sibi simile, & propinquum, quàm homini homo; à vitio & peccato nullum est animal tam discors, dissimile, alienum, quàm homo.

Exod. 25

Commendandæ hujus Concordiæ causà voluit Deus duos Cherubin Arcæ insidentes appingi, ad se mutuò conuersos, & humana figura, ex communiori sententia, decoratos; imò virili ac muliebri specie, secundùm aliquos, vt necessitudinis quasi Conjugalis, qua arctior esse nulla potest; vt eo perpetuo symbolo, quod ob oculos haberent, intelligerent homines, non nisi ad Deum, & ad sese conuersis mutua beneuolentia animis, accessum sibi patere, aut speranda Diuinæ pietatis Oracula. Igitur inter duos Cherubinos, pacis ac Concordiæ amatores, Dominus residebat; quia summus pacis amator Deus, non nisi inter Concordes & vnanimes sedet.

Cant. 2
Serm de Nat. Virg Mariæ

De quo vt dicit Sponsa, *Dilectus meus pascitur inter lilia.* Quod explanans S. Bernardus, obseruat, " Lilia odore potiùs, quàm sapore, placere; ac proinde ex liliis non fieri dulce conuiuium, sed posse fieri dulce consortium. Fortè, ait, non cibo, sed consortio, pascitur liliorum; id est, Deus Concordia animarum præcipuè delectatur. "

3. Reg. 6
Exod. 20
Theodor

Valde mirum est quod de Templo Salomonis Scriptura perhibet, quòd *Malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Quod re vera in Exodo districtissimè prohibebatur: *Si Altare lapideum feceris mihi*, inquit, *non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Ratio hujus prohibitionis à Theodoreto apud Lippomanum est, " Vt cędem, & sanguinis humani effusionem, hoc exemplo vitandam fugiendamque doceret. " A Rabbinis clariùs apud

in Iosue 8

Massium: " Quia ferrum (inquiunt) ad perniciem hominum comparatum, Diuino cultui seruire non decet, & quidquid Concordiæ & Charitati violandæ instrumentum est. " Quod etiam apud Paganos lege cautum erat, dicit Tullius:

2. de leg.

" Æs & ferrum arceto à delubris, duelli instrumentum, non fani. "

Hom-

Digitized by Google

Hanc Concordiam Christus Apostolis suis, Euangelium pacis per vniuersum orbem portaturis, præcipuè commendatam voluit, cùm dixit: *Ecce ego mitto vos, sicut Agnos inter Lupos.* At quo præsidio fultos, agnos imbelles, contra lupos rapaces? Charitate, Pace, Concordia. Nam vt præmiserat Textus; *Misit illos binos & binos ante faciem suam.* In binario enim, vt interpretatur D. Gregorius, Charitas intelligitur, Deum & proximum stringens; qua Apostoli instructi, lupos rugientes non timent, nec Tyrannos. Vt huic proposito Salomon dixerit: *Frater qui adjuuatur à fratre tanquam ciuitas firma.*

Lucæ 10

Prov. 18

Propterea etiam, si S. Ambrosio credimus, Christus Prædicatoribus suis omnium rerum proprietatem interdixit. *Nolite,* inquit, *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, neque peram in via, neque virgam;* quia ista sunt incentiua litis, & instrumenta dissensionis. Alibi apud Marcum dixit: *Habete in vobis sal & pacem; habete inter vos hæc duo.* Nihilne præterea? Nihil. Sufficiet sal, non illud terrestre, saliendis cibis; sed sapientiæ, condiendis de Euangelio animis. Insuper pro omni commeatu, annona, supellectili; *Pacem habete inter vos;* id est, Concordiam. Hæc duo abundè suffectura, quibus instructi, Concordes, inermes licet, Principes debellent armatos; ignari, sapientibus sæculi stultitiam Crucis suadeant; nudi, egentesque, diuitibus paupertatem, voluptuosis pœnitentiam.

Math. 10

Marci 11

Denique cùm tanto successu, vt de ipsis dici possit quod Moyses de quibusdam è populo Israel: *Vtinam intelligerent. Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?* Quasi dicat, Tanta est Diuinæ in hos protectionis potentia, vt ea affulgente, vnus aliquando persequatur mille hostes, & duo fugent decem millia. Quod de facto in Israële visum est. Nam Ionathas filius Regis Saül cum Armigero suo fugauit exercitum Philistiim, eosque graui clade afflixit.

Deut. 32

1. Reg. 14

Sed in præallatis verbis est aliquid, quod singulariter meretur expendi. Dicit enim, quòd Deo bene fauente, *vnus* è populo Dei *persequatur mille* aduersarios: quod nemo nisi miraculo Diuinæ protectionis attribuet. Subdit verò, *& duo fugent decem millia.* Quæso? exaggeratio est ista, an potiùs simplex enunciatio veritatis? Si Spiritus Sanctus, Auctor Scripturæ, Moysi, vt hoc scriberet, auctor fuit; postquam dixit, Deo duce fieri, vt *vnus persequatur mille;* cur posteà addit, *& duo fugent decem millia?* Nam si vnus sufficit mille persequendis, hac proportione seruata, duo fugare non debent nisi duo millia; & tamen dicit, *duo fugent decem millia.* Sed societatis sanctæ hîc, atque Concordiæ, vim, meritumque ad decuplum vsque ascendentis, voluit commendari; quatenus, si vni seruo Dei Deus confert gratiam, quæ magna dici possit, decuplo major duobus in sancta Charitate & Concordia fundatis à Deo conferatur; vt, *Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?*

Et re verà quot & quanta millia hominum Discipuli à Christo missi, bini & bini, tanquam messis Euangelicæ grana, in horrea cœlestia congregarunt? quot & quanta sine comparatione plura, duodecim Apostoli in retia sua comprehenderunt? quis valeat enumerare aut æstimare? Quæ, quanta quanta sint, Concordiæ Apostolicæ, Charitati, consensuique sunt deputanda ac referenda.

Non alia de causa Sponsa illa Canticorum, tot dotibus singularis, Auroræ, Lunæ, Soli comparata, dicitur *terribilis vt Castrorum acies ordinata;*

Digitized by Google

Ecclesia scilicet; quia licet toto orbe dispersa, tot membris instructa, tot distincta Ordinibus, tot copiis abundans, tanta fidei & Charitatis consensione coalescit, vt quàm Cœlo conspicua, tam Inferno ac Diabolo existat terribilis, & omnino inuincibilis, vt castrorum acies bene ordinata.

Ita est, Ecclesia nihil timet membris suis, nisi diuisionem, nisi Discordiam. Propterea apud Lucam Dominus dicit Petro: *Ecce Sathanas expetiuit vt cribraret te sicut triticum. Ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Preclara & mira sententia. Quid est enim, *Sathanas expetiuit vt cribraret te*, nisi vt ab vnitate fidei excideres? à societate, Concordia & Communione veritatis te excluderet, ac diuideret? Quid enim fit cribrando, nisi bona grana à malis secernuntur? Et Petrus jactatus, impulsus & euersus est, vt caderet; cecidisset non resurgendus, nisi Dominus cadenti supposuisset manum suam, & releuasset. Propterea dicit: *Oraui pro te*, &c. *& tu aliquando conuersus*, & reuersus ad Concordiam fidei, ad vnionem Ecclesiæ, *confirma fratres tuos.*

Lucæ 22

Mirantur non sine causa aliqui, cur Christus Carnem suam tam facilè hostibus suis permisit flagellis, spinis, clauis lacerari, tundi, comminui; Ossa verò sua, ne frangerentur, tam sollicitè custodiuit. Mihi in promptu hæc ratio est, quòd Caro Humanitatem repręsentabat, in qua passurus erat; Ossa, Ecclesiam, fidei stabilitate donandam. Ideo laceretur Caro; fundatur Sanguis, meæ pretium redemptionis. Integra Ossa permaneant, non comminuantur, Ecclesiæ vnitatem, Concordiam, firmitatem; significantia: quia de eo scriptum erat: *Os non comminuetis ex eo*, &c.

Exod. 12

Ob eandem causam Christus Tunicam illam suam inconsutilem diuidi non est passus, sicut olim Ahias Propheta pallium suum nouum in duodecim partes scidit. Quia, vt Interpretes sacri testantur, Synagoga à Christo diuidenda erat, & multis in se discordiis discindenda. At verò Ecclesia Christo semper vnicè adhęrens, per Tunicam illam figurata, abhorret diuisionem, retinet vnitatem; qua perseuerante, vt in fide est indiuisibilis, sic manet inuincibilis.

S. Cypr. de vnit. Eccles.

Quod ad pręsens satis.

Digitized by Google

TITVLVS LVII.

DE DISCORDIA.

FABVLA.

De Membris cum Ventre dissidentibus.

HVMANI artus ventrem otiosum ac desidem intuentes, & nihil nisi implere se operantem, conuitiari cœpere, & ab eo dissidere; in tantum, vt nequicquam cibi illi amplius ingerere decernerent; sed cum ipsi quoque vacuo, ac esuriente ventre, vnde alebantur, deficerent, agnouere culpam suam, & cum eo in gratiam rediere. Innuit rusticos & Nobiles, plebem & Magnates, alterum alterius auxilio indigere, vigere Concordia, Discordia tabescere & interire. Hoc Apologo vsus legitur vir insignis Menenius Agrippa ad populum Rom. qui quod tributa & Militiam toleraret, à Senatu in montem Auentinum secesserat, eoque flexit, ac in Concordiam cum Nobilitate reuocauit.

De Mure & Rana.

CErtabant Mus & Rana de paludis imperio, totis viribus, infensissimis animis, ancipiti fortuna. Miluus circumuolitans, dissidentes vidit, prælianteſque; & cum neuter ab eo caueret, ille tertius in campum desilit, vtrumque decertantem rapit, pugnam dirimit. Accidit hoc frequenter inter homines, vt cum duo mutuis se petunt dissidiis, ac contentionibus, superueniente tertio, diripiantur ipsi, & succumbant, juxta illud prouerbium, Gaudebit tertius hæres.

Leo & Vrsus.

LEo & Vrsus hinnulum opimum offenderant, quem dum sibi quisque vendicare, ac prædari contendit, acerrime secum confligere ac decertare cœperunt, & tamdiu, tamque obstinatis animis, donec exhausto spiritu, ac viribus, quasi exanimes prostrati jacerent; hoc aduertens Vulpes, anhelantes eos, & Hinnulum intactum, cautè accedens surripuit, & præda potita, abiit. Post aliquod tempus, resumpto spiritu, exurgentes Leo & Vrsus, prædam non inuenientes dicebant. Quid fecimus, ecce quid nostra nobis dissidia profuerunt, alteri laborauimus, non nobis.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

DISSIDIA, RVINA DISSIDENTIVM

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

HOMO, non ab humo, dicit Varro, doctissimus Romanorum, quæ communis ipsi est cum animantibus; sed a Concordia, quæ Græcè ὁμόνοια, & hominis specialis est; quia homo Natura socialis est. Non improbanda obseruatio, nisi homo à passionibus actus, totus à se dissideret. Vnde bene Plinius, miseram hominis, præ cunctis animantibus varij & irrequieti, natiuitatem describens, à primis Naturæ suppliciis inde per majora semper, vbi adoleuerit, vitam lancinantis, sic ait: *Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pauor confusior, nulli rabies acrior. Denique cætera animantia in suo genere probè degunt, congregari videmus, & stare contra dissimilia: Leonum feritas inter se non dimicat; serpentum morsus non petit serpentes. Ne maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diuersa genera, sæuiunt. At Herculè, homini plurima ex homine sunt mala.*

Plin. in Proœmio lib. 7

Adeò nulla humano generi fœcundior malorum Lerna, quàm seditio ac discordia; imò sine ea, nulla; Vt bene Boëtius: *Nostine igitur*, inquit, *omne quod est, tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit vnum? sed interire atque dissolui pariter, quando vnum esse desierit?*

Lib. 4. de cons. phil

Quàm optabile bonum Concordia, tam ferale malum ac detestabile, Discordia; & tamen ea est inconstantia hominis & leuitas, vt societati natus homo, semper discors sit, aut ipse secum, aut cùm aliis. Quot intestina in se bella? quas sustinet dissensiones in carne & sensibus? quantas à vitiis, vt secum semper diuersus, pugnet, auertatur à seipso vnus, nusquam sibi constet? Ex illa interiori pugna atque discordia, alterum genus incurrit dissidij, quod eum à cęterorum communione dissociat. Tam proximo dissonus est atque dissentiens, quàm sibi, frater fratri; liberi, parentibus; amici, sociis. Vnde fortè Discordiam Aristophanes vocauit omnium Dearum maximam, seu potentissimam; quia ciuitates & populos, regna & Imperia suis facibus incendit, turbat, euertit, & in Cœlum vsque tędas diuisionis ejaculatur. Inde fabulantur, quòd quia in Nuptiis Thetidis & Pelei inuitata non fuerat Conuiuio Deorum, grauiter ferens, Pomum aureum elegantissimum cum hac Inscriptione, *Pulchrior accipiat*, clam supposuit, & litem trium Dearum mouit; vnde rixæ inter Numina; vnde tot bella Gręciæ Reges inter & Principes, & Trojæ ipsius incendium, & regni euersio secuta.

Natal. Comes l. 6. c. 24

Adeò verè dixit Liuius: *Opulentis Ciuitatibus venenum seditio, magna Imperia, mortalia reddidit.* Item: *Discordiarum fraternarum horrendi euentus, fratres ipsos, stirpemque suam, domos, regna, fundum, euerterunt.*

Tit. Liu. l. 2. dec. 4 l. 9

Imò vbi semel sanguis à sanguine desciuit, iterum coire nequit, adeò implacabiles sunt fratrum discordiæ. Quod Plutarchus ostendit exemplo

Plutar. in Moral.

Digitized by Google

Spini & Hori, duarum auicularum valde dissidentium, quarum dissidia ad sanguinem vsque transeunt, ita vt vtriusque cruores nulla arte misceri possint, sed hinc & inde discreti maneant. Easdem auiculas vocat alibi Agathallos & Agathilides, quarum dissidium in sanguine duret; nisi tamen diuersæ sint. Idem non raro euenit inter fratres.

Quod obseruauit Aristoteles: *In Prouerbijs,* inquit, *dicitur, Fratrum Contentiones & iræ sunt acerbissimæ; & qui se nimium amant, nimium se oderunt.*

Nota est Polinices & Eteoclis fratrum, Oedipi Thebanorum Regis filiorum, dissensio; quibus cùm pater sponte in exilium proficiscens regnum ea lege reliquisset, vt alternis annis regnarent, & primas regnandi vices Polinices fratri, vt natu majori, concessisset, & secundas vicissim repeteret, Eteocles dare, & regno semel degustato cedere noluisset; exinde tam implacabili odio alter in alterutrum exarsere, & tàm infensis animis dimicauere singulari certamine, vt mutuis vulneribus simul conciderent. Qua in re illud mirabile extitit, quòd amborum corpora eidem rogo, vt cremarentur, imposita, vna eademque flamma consumere non potuit; sed eodem odio, quod viuos inter exarserat, etiam inter mortuorum cadauera & cineres perseuerare, monstrauit.

Statius in Theb.

Meminit Aristoteles cujusdam Auis, quam Cybindum vocat, quæ bellum internecinum gerit cum Aquila, adeo vt coherentes sepenumero prendantur. Quod has inter aues contingit, contingit & sepius in societate ciuili, vt dum mutuum inter se bellum odiumque Principes gerunt, vtrique subuertantur, & pereant, tertio quopiam inuadente.

Arist. de nat. Anim. l.9. c.12

Quadrat huic materiæ illud Scipionis Africani, qui capta à se & diruta Numantia, cùm percontaretur à Tyresio, Principe Celtico, quî ciuitas illa tam potens, prius inuicta, jam capta & diruta esset; respondit Tyresius: *Ne mirere, Imperator, Concordia victricem, Discordia victam, effecit.*

Plutar. in Lacon.

Quæ cuique statui mala Discordia secum ferat, expressit Cicero: *Neque enim ciuitas,* inquit, *in seditione potest esse beata, nec in discordia dominorum, domus, quo minus animus à seipso dissidens secumque discordans gustare partem vllam liquidæ voluptatis & liberæ potest. Atque pugnantibus & contrarijs studijs consilijsque semper vtens, nihil quietè videre, nihil tranquillè potest.*

Lib. 1. de fin. bon. & mal.

Hoc significare voluerunt, qui fabulati sunt, Araneas, cùm ocio & pace gauderent, telas ad Cereris templum niueo candore amabiles offerre solitas; sed postquam intestinis odiis, bellis ac rixis ardere cœperunt, stamina atro colore infuscata texuisse.

Itaque quandiu Respublicæ seruandæ colendæque Concordiæ studuerunt, & vitam sine cupiditate agere, domi, forisque floruerunt. Sed vbi primùm a se, & legibus, pessimis moribus; & deinde ab aliis malis artibus & vitiis, maximè dominandi libidine, dissentire quisque cœpit, & suis cupiditatibus seruire, quid mirum si priuatis odiis diuisi Rempublicam pessundederunt? & sicut Thyreus lapis, quamuis pręgrandis, dicitur integer aquis innatare, idemque comminutus ac sectus in partes, mergi. Quod etiam de lapidibus è Scyro Insula natis, ferunt, fluctuare integros, diuisos sidere in profundum. Ita Status, regna, Imperia, quandiu indiuisa, seu vnita, nulla dissensione tacta, vigent ac florent; cùm in partialitates desciscunt, illico conficiuntur, pereunt ac contabescunt. Exemplo sint Athenæ, & Romanum Imperium. Vtraque Respublica, dum concors sibi constitit, illa Gręciæ, hæc orbis principatum tenuit; dum in se diuisa est,

Plin. l.2 c.106

l.36.c.17

Digitized by Google

perdidit; adeo vt de hac non male Epitaphium hoc posuerit aliquis:

Qui Romam in media quæris nouus aduena Roma,
Et Roma in Roma nil reperis media, &c.
Vicit vt hæc Mundum, visa est se vincere, vicit,
A se non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victa in Roma victrix Roma illa sepulta est,
Atque eadem victrix, victaque Roma fuit.
Albula Romani restat nunc nominis Index,
Quæque etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Disce hinc, quid possit Fortuna. Immota labascunt,
Et quæ perpetuò sunt agitata, manent.

Certum igitur est, Discordia regna florentissima quæque interire, vt Concordia ac mutuo consensu populorum, & Principum, vigere ac perennari. Quod Alciatus expressum voluit Emblemate 38. quod hoc titulo prænotauit, Concordiæ symbolum; in quo visitur sceptrum Aræ insidens, quod Cornicum turba circumuolat, cujusmodi fertur Numisma Faustinæ Augustæ, cum hac voce, Concordia. Cornicem autem pro Concordiæ symbolo haberi testis est Pierius lib. 20. Hieroglif. & Orus Apoll. Sic autem Alciatus:

Cornicum mira inter se Concordia, vitæ est
Mutua, statque illis intemerata fides.
Hinc volucres hæc sceptra gerunt, quòd scilicet omnes
Consensu populi stantque caduntque duces.
Quem si de medio tollas, Discordia præceps
Aduolat, & secum regia fata trahit.

Eapropter quisquis sapiens Reipublicæ gubernaculis admotus seditionis semina aduertit, sui potiùs ac publici juris aliquid remittat aut perdat, quàm ea crescere & in flammas erumpere sinat. Hoc Tiberius Gracchus non attendens, ingens sibi & Reipublicæ malum adsciuit. Quod eleganter Velleius Paterculus: *Hoc initium in vrbe Roma Ciuilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit. Inde jus vi obrutum, potentiorque, habitus prior; discordiæque ciuium antea conditionibus sanari solitæ, ferro dimicatæ; bellaque, non causis inita, sed prout eorum merces. Quod haud mirum est; non enim ibi insistunt exempla, vnde cœperunt; sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissimè euagandi sibi viam faciunt, & vbi semel à recto deerratum est, in præceps peruenitur. Nec quisquam sibi putet turpe, quod alij fuit fructuosum.*

Quæ iste auctor soluta oratione mala Discordiæ ciuilis eleganter describit, Horatius non minùs stricta:

Horat. Epod. 7

Quoquo scelesti ruitis, aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non vt superbas inuidæ Carthaginis
Romanus arces vreret;
Intactus aui Britannus vt descenderet,
Sacra cathenatus via?
Sed vt secundùm vota Parthorum, sua
Vrbs hæc periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus

Digitized by Google

Vnquam, nisi in dispar genus.
Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? Responsum date.

Idem eodem libro Romam suam mutuis dissensionibus concidentem sic deplangit:

Epod. 16

Altera jam teritur bellis ciuilibus ætas;
Suis & ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus.
Aemula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Nouisque rebus infidelis Allobrox:
Nec fera cærulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Hannibal, &c.
Barbarus heu cineres insistet victor, & Vrbem
Eques sonante verberabit vngula.

Ita apud Virgilium Rusticus Mantuanus agros suos vastatos aut perditos imputat ciuilibus discordiis:

Virgil. Eclog. 1

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? En quò Discordia ciues
Reduxit miseros!

Et ipse Poëta mala Discordiæ vberiùs depingit:

Georg. 1

Quippe vbi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,
Tam multæ scelerum facies, non vllus aratro
Dignus honos, squalent abductis arua Colonis,
Et curuæ rigidum fasces curuantur in ensem.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ, ruptis inter se legibus, vrbes
Arma ferunt; sæuit toto Mars impius orbe.
Vt cùm carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt in spatia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

DISSIDIA, RVINA DISSIDENTIVM

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVAM grata acceptaque Diuino Spiritui Concordia, vt ex præcedenti Titulo vidimus, tam ipsi exosa, & inuisa, imò & execrabilis, Discordia, Salomone attestante: *Sex sunt, quæ odit Deus, & septimū, detestatur anima ejus*; scilicet, *qui seminat inter fratres discordias.*

Prover. 6

Hujus vitij grauitas meliùs expendi non potest, quàm iis recensitis & perpensis sex, quibus istud præponderat, & magis Deo inuisum est. Sunt autem illa: *Oculi sublimes, lingua mendax, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferens mendacia testis fallax.* Hæc nempe odit Deus odio magno: sed quia

plus est detestari, quàm odisse; odit illa Deus, detestatur seminantem discordias supra illa. Propterea Apostolus dicit, *Susurrones Deo odibiles.* Nam licet Homicidium sit vnum ex illis, quod grauius sit susurratione, cum hæc amicitiam tollat, hoc vitam; tamen susurratio ex effectis & adjunctis est grauior, atque detestabilior; quia Charitatem occidit, quæ vita naturali prçstantior est. Audiendus hîc S. Gregorius. " Hinc perpendam, inquit, seminantes jurgia, quàm multipliciter peccant, qui dum vnam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In vno enim malo innumera peragunt; quia seminando discordiam, charitatem, quæ virtutum omnium mater est, extinguunt. Quia autem nil pretiosius est Deo, virtute dilectionis; nihil est delectabilius diabolo extinctione Charitatis? Ita S. Doctor. "

Rom. 1

3. p. pastoral. admonit. 24

Prçdicabat aliquando turbis confertissimè affluentibus Christus Dominus, media in concione, quidam de turba cùm rogare cœpit: *Magister, dic fratri meo Vt diuidat mecum hæreditatem.* Videbatur haud injusta petitio, nec contemnenda. Quid verò ad illum Dominus? Non modò grauatè accepit, sed etiam durè repulit. *Homo,* inquit, *quis me constituit Iudicem, aut Diuisorem supra Vos?* Grauis sine dubio repulsa, & contra vsum, moremque Saluatoris; non tamen sine causa. Agebatur de diuidenda hçreditate, vno verbo de Diuisione. Hæc causa displicet Christo; ipsa vox diuisionis offendit aures ejus: propterea dicit; *Quis me constituit Diuisorem?* Quasi dicat: Ego vnionis Mediator sum, non diuisionis. Diceret Apostolus: Apage hanc postulationem: *Non enim Dissentionis est Deus, sed pacis.* " Prçceps cupiditas, inquit S. Petrus Chrisologus, & incauta, eum fieri voluit diuisionis auctorem, qui ad restituendam venerat humani generis vnitatem. "

Lucæ 12

1. Cor. 14

Serm. 162

Fabricatores jurgiorum ac discordiarum odit Deus, & hujusmodi machinatores vtplurimùm suammet perniciem ac ruinam assequuntur; vt mihi apud Iob videatur ad rem expressè dictum: *Vidi eos qui operantur iniquitatē, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo perijsse, & spiritu iræ ejus esse consūptos.* Qui sunt enim illi qui dolores seminant, & metunt eos, nisi discordiarum amatores ac seminatores, qui sibi & aliis mala accersunt, cùm dolor ex diuisione secundùm Physicos oriatur; cùm & Interpretes, per labores hîc intelligant ærumnas multiplices à maleuolis perfidisque in bonos procuratas, quarum justo Dei judicio iidem satores, sint etiam Messores.

Iob. 4

Ruinam Regum Samariæ non alteri causæ Propheta Osee attribuit, nisi diuisioni. *Diuisum est,* inquit, *cor eorum; nunc interibunt.* Certus enim est cordis diuisioni interitus; hæc pars non patitur diuisionem. Et re vera, vt Rupertus interpretatur, postquam Concordiam fregerunt regni, & se à Dauidis imperio, vnione, fide, subtraxerunt, decies in se rebellarunt, & mutuis se dissidiis, bellis, vulneribus confecerunt. Vnde etiam ab eodem Propheta spumæ maris comparantur. *Transire fecit,* inquit, *Samaria Regem suum quasi spumam super faciem aquæ.* " Quia sicut in feruente olla superiores aquæ in spumam bullasque erumpunt, subsilientesque colliduntur, inquit idem; ita Samaria, vel decem Tribus, jugi feruentes igne discordiæ, Reges alios super alios erearunt, & vsque ad decem vices percusserunt. " & sic quia diuisum est cor eorum, statim interierunt; vt sordes, & maculæ, & spumæ, vilia maris ejectamenta, perierunt.

Oseæ 10

Quod ad mores optimè transferes. Vt enim cor diuisionem pati non potest, quin statim sequatur interitus. Sic quoties aliquem videbis in cor-

pore

Digitized by Google

pore suo facere diuisionem, aut scissuram, putà à fide, ab Ecclesia, à professione, ab ordine decidere, non temerè vsurpaueris illud Prophetæ: *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.*

Sic moriente Christo Domino, funesta inter Synagogæ pereuntis omina illud prçcipuum extitit, quòd velum templi scissum est in duas partes, a summo vsque deorsum, vt Mathęus scripto mandauit. Cujus rei rationem reddit S. Ambrosius: " Vt diuisum regnum tabulis manifestaretur insignibus, destruendum, & verè diuisum, quando hoc quod erat Christi, cœpit esse Diaboli. Neque enim poterant indiuisi manere, qui à Patre Filium separabant. „ Quasi diceret: Quia populus iste se a Christo diuisit, planè meruit vt totus à Deo diuisus, destrueretur.

Math. 27

Placuisse Deo sacrificium Abelis, displicuisse Caini, Scriptura fidem facit. Discriminis tanti rationem eadem assignat, secundùm versionem Septuaginta. Vbi enim vulgata habet: *Nonne si benè egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit*; illi vertunt: *Nonne si rectè offeras, non autem benè diuidas, peccasti?* Quasi diceret Dominus: Quid miraris tuum mihi displicuisse sacrificium? qui malè diuisisti. Quod explicans Rupertus: " Cain non recte, inquit, diuisit; quia cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuit, cor suum sibi retinuit, & fructus terræ obtulit Deo, repositum se habens in cupiditate terrena. „ At verò S. Isidorus: " Rectè offerebat, quia Deo: sed non rectè diuidebat; quia exteriora dabat, & se in negotia confirmabat. „ Meliùs Procopius: " Abel, non vt Cainus, quidquid immolauerat, totum tribuit Deo, nec cum illo diuiduum facit, &c. „ Sed ad rem nostram optimè S. Bernardus: " Quid moraris, ô Cain, si non respicit ad te, quia ita diuisus es in te? Si manum deuotioni, quid animum das liuori? Non concilias Deum tibi, discors tecum: non placas, sed peccas. „ Ex quibus clarè colligitur non respexisse Dominum ad Cain, & ad munera ejus; quia cor ejus erat diuisum, quod vnum & totum Deo debuit. Iam mente sciderat vnitatem, pacem fregerat, violauerat Concordiam, priùs fideicida, posteà fratricida.

Lib. 4. in Gen. 4

Patriarcha Iacob moriens, benedicturus filios suos, Ruben primogenitum suum graui maledictione percussit, his verbis: *Effusus es vt aqua, ne crescas.* Quæ maledictio posteros ejus æterna quasi vastitate ac solitudine feriebat. Elapsis multis post sęculis, Moyses etiam moriturus, conuocatis ordine Tribubus benedictionem impertiens incipit à Ruben, & antiquam maledictionem patris grandi benedictione immutat. *Viuat Ruben*, inquit, *& non moriatur.* Res mirabilis! quantum pater mali asperserat, tantum Moyses boni refudit: justa prioris succensio & pœna, ob maculatum incesto concubitu torum patris; sed etiam non immerita Prophetæ indulgentia, quæ gentilem maculam benedictione noua abstergat, & paternam offensam fraterna charitate ac miseratione compenset. Cujus rei ratio est, quòd Moyses mente reuoluens quod fecerat Ruben, cùm innocentem Ioseph fratres ejus vlceratis liuore animis vellent occidere, quomodo nitebatur eum de manibus eorum liberare, & reddere parenti, reuocauit primam sententiam, dicens: *Viuat Ruben*, & posteritas sua, *& non moriatur.* " Fraternus amor Ruben, inquit Theodoretus, fuit illi benedictionis occasio, nam illius ergo liberatus est à maledictione. „

Gen. 49

Deut. 33

Accedit in illa benedictione Moysis aliud mirabile, huic materiæ congruens. Dignum enim obseruatione videtur, quòd Moyse cunctas Tri-

Digitized by Google

bus benedicente, vna tribus gratia benedictionis excluditur, Symeonis scilicet; de ea omnino siletur, non memoratur. Cujus rei rationem Hebręi apud Lyranum reddunt; quod " Symeon, inquiunt, quasi discordiæ auctor, primus de venditione Ioseph verba fecerat, & reliquos fratres suam in sententiam traxerat." Quam opinionem Theodoretus suo calculo reddit probabiliorem, dicens: " Ego arbitror eum auctorem fuisse pręcipuum structarum in Ioseph insidiarum." Quod inde conjicere licet, quod Diuinus ille vir, Ioseph, jam Ægypti Prorex, dimissis aliis, hunc in vincula conjecerit, retinueritque, hic tacita semper quasi agens ex justitiæ regula, violatorem fraternæ charitatis, auctorem discordiæ, secreto vindicando detensione carceris, Moyses priuando eum benedictione; vterque quasi audiuisset; *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eju*, eum scilicet *qui seminat inter fratres discordias.* Quod haud dubiè fratres non latuit, homines gnauos, rerum peritos æstimatores.

Fauet huic conjecturæ ingenium Symeonis pręceps, audax, violentum, ciendis motibus in proximum, ad arma furens. Testis crudelis Sichimorum strages; de quo pœnas reposcens Iacob, etiamnū moriturus, dixit: *Symeon & Leui, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non intret anima mea,* &c. *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.* Quibus verbis, magni ponderis, quia vltimis patris, inter alias pœnas, hæc grauissima decernitur in auctores discordiarum justissima, quod diuisi sunt & dispersi inter Tribus, & in partitione terræ Promissionis nullam partem habuisse leguntur, sed promiscuè, quasi precariam vitam agerent, cum fratribus. Maximè vero Tribus Symeon bonam partem hujus maledictionis ebibit, inter fratres vaga, pauper, exerrans. Si verum est quod apud Lyranum, qui Iudæus fuerat eorum secretis versatissimus, citati Hebræi dicunt; " Non est pauper Scriptor, nec Pędagogus, nisi de Symeon." Declarant insuper quod de Tribu Symeon discurrebant per sortem aliarum ad quęrendum victum, scribendo, vel pueros edocendo; sicut Clerici pauperes faciunt apud Christianos. Deus immortalis! quanta tot sęculorum pœna hujusmodi discordiarum auctores & satores sequitur!

Gen.49

Notum est in illo judicio discretionis veræ matris à falsa, in quo sapientia Salomonis major humana resplenduit, veram matrem infantis viui diuisionem, vt suorum viscerum, abhorruisse; mendacem, concupiisse. *Diuidatur*, inquit falsa. *Non diuidatur*, exclamat vera: *obsecro, ô domine date illi infantem viuum.* Vt scias discretionis judicium, malorum à bonis inde maximè petendum; quod illi jurgia, rixas, diuisiones vbique sectentur ac seminent; isti exhorrescant, Concordiæ retinentissimi & pacis.

3.Reg.3

Mirum est, quantum Dilectus & dilectionis Apostolus tribuat dilectioni & fraternæ concordiæ, vt alias videatur deprecare virtutes, vt hanc vnam dilaudet & commendet, referente S. Doctore Ecclesiæ Hieronymo, quod cùm " B. Apostolus Ephesi moraretur (ipsius verba sunt) vsque ad vltimam senectutem, & vix inter Discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem Discipuli & Fratres qui aderant, tędio affecti quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia pręceptum Domini est; & si solum fiat, sufficit." A quo non valde abhor-

S.Hieron in cōment Epist. ad Galat.c.6

ret S. Pontifex Gregorius in suo Pastorali. " Discordes, inquit, admonendi sunt vt certissime sciant, quia quantislibet virtutibus polleant, spirituales fieri nullatenus possunt; si vnire per Concordiam proximis negligant: scriptum quippe est, *Fructus autem spiritus est Charitas, gaudium pax.* Qui ergo seruare pacem non curat, ferre fructum spiritus recusat. Hinc Paulus ait. *Cum sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* Rursus, *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus, &c.* „

par.3.admon.23

ad Galat.5

1.Cor.3

ad Ephes. 4

Hujus verò rei occasione eodem loco, S. Doctor præclaro conceptu commendat Concordiam, sine qua vitæ Pœnitentis austeritates, abstinentias, flagellationes, jejunia, & alia id genus, parui pendat, aut flocci faciat. " Sæpe, inquit, nonnulli quo quædam specialiter dona percipiunt, superbiendo donum Concordiæ, quod majus est, amittunt. Vt si fortasse carnem præ cæteris gulæ refrænationem quis edomat, concordare eis, quos superat abstinendo, contemnat. Sed quid abstinentiam à Concordia separat, quid admoneat Psalmista perpendat. Ait enim, *Laudate eum in tympano & choro.* In tympano namque sicca & percussa pellis resonat. In choro autem; voces sociatæ concordant. Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit; Deum quidem laudat in tympano, sed tamen eum non laudat in choro. „ Ita S. Doctor, non minus subtiliter quam vere, vnde colligant, qui vel in sæculo, vel in monasterio austerioris vitæ cultu præfulgent, ne inde superbiant, aut Concordiam deserant, qui enim vitæ austeritate carnem exterius affligit, & fratres non diligit, *Laudat Deum in tympano, sed non laudat in choro.* Notent diligenter sapientiam, quæ desursum est, primum esse ex Apostolo Iacobo, pudicam, deinde pacificam. Vt dicat Apostolus, *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Quod præsenti titulo sufficiat.

Epist. can 3

Ad Rom. 12

TITVLVS LVIII.

DE DISCORDIA.

FABVLA.

Accipitres & Columbæ.

ACCIPITRES in se inuicem inimicantes, propriis odiis intenti, alias aues non infestabant. Columbæ eorum vicem dolentes, putarunt rem dignam se facturas, si eorum componendis dissidiis, animisque reconciliandis operam darent; igitur missis legatis, habitisque multis colloquiis effecerunt, vt Accipitres inter se pacati, coirent; sed vbi reconciliati sunt, alias aues, & ipsas Columbas, prædari, diripere, lacerare, cœperunt. Tunc Columbæ attendentes quod fecerant, factique pœnitentes, sim-

Digitized by Google

plices nos aiebant, quæ hostes nostros reconciliauimus! quam utilior erat discordia, quam concordia, nostræ genti! Nam eorum pax & consensus, nostra pernicies & ruina est. Quia malorum dissidia, bonis sunt utilia, optanda, & procuranda.

Lupus & Vulpes.

LVpus & Vulpes litem inter se habentes mutuo consensu, sui arbitrum negotij, Simium elegerant, coram quo dicta die causam agût. Cumque non rationibus, sed conuitijs decertarent, & mutuis se probris impeterent, nec criminandi finem facerent, Simius impetrato silentio fert sententiam, seu judicium, in hunc modum. Te quidem, ô Lupe, inquit, bestiarum rapacissimum scio, & te, ô Vulpes, fraudulentissimam. Quod spectat vestra conuitia, uterque plura meretur. Eapropter perpetua inter vos discordia esto, cæterum cum animalibus cujuscumque generis perpetua pax. Sic decerno. Quo Iudicio, magis inter se dissidentes effecit, & sapienter indicauit bonis optabiliorem esse malorum discordiam, quam concordiam, amicitiamque.

De Fure & Sicario.

DVo insignes Nebulones, quorum alter Fur erat, alter Sicarius, amicitiam societatemque facinorum, furtorumque inierant. Igitur nocte concubia in ædes Agricolæ venerant, ut ejus bona expilarent. Facta est autem inter eos dissentio, quæ consilium & operam lusit. Fur enim supellectilem omnem non solum ducebat asportandam, sed etiam animalia è stabulis abigenda, & ab his incipiendum, ut si tumultus fieret, & fugiendum esset, cum gregibus cederent, nec vacui abirent. Sicarius contra, ante omnia Patrem familias, & si qui alij forent, jugulandos dicebat, quo tutius amoto omni arbitro & timore, omnia raperent; non annuente Fure, contendente Sicario, rixantium strepitu excitatur Herus, seruos vocat, vociferatur, surgunt, ad arma currunt, sicque perterriti Fur & Sicarius, fuga præcipiti saluti suæ consulunt re infecta. Suo exemplo probantes, dissidia malorum, bonis utilia esse.

Piscator.

QVidam Piscator jacta sagena in fluuium, ut pisces captaret, aquam prælonga fuste circumquaque verberabat, ut congregaret, & turbata aqua pisces in retia compulsaret. Quod cernens quidam artis piscatoriæ ignarus, ægre ferebat limpidas aluei aquas inquinari, & limum moueri, quærens à Piscatore, quidnam ista faceret. Cui ille, ne succenseas, Amice, non sine causa aut fructu fit ista turbatio, neque enim tu, aut Ciuitas quidquam piscium ederet, aut ego expiscarer, nisi turbarentur aquæ. Innuit, ut pisces non nisi in aqua turbida capiuntur, sic aliquando bonis ac Reipublicæ prodesse, malos aliquando turbari.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

DISSIDIA MALORVM BONIS VTILIA, OPTANDA, PROCVRANDA.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

PLVTARCHVS libro de vtilitate ab Inimicis capienda, sic initio: *Priscis mortalibus satis erat, si non læderentur à diuersi generis animantibus; & hac modo fini, cum noxijs bestijs depugnabant. At posteriores, ratione deprehensa quî feris vterentur, non solùm ab illis non offenduntur, verùm etiam vtilitatem capiunt, dum carnibus illarum aluntur, pilis vestiuntur, fel & lac ad morborum remedia adhibent, denique earumdem se pellibus armant & muniunt,* &c. *Vt verè Xenophon eos sapere dixerit, qui non solùm nil mali ab Inimicis capiunt, verùm etiam vtilitatem ab eis percipiunt.*

l. de vtil. ab inim. cap.

Idem de Discordia vsurpari posse existimo; quæ cùm feris & belluis societati humanæ trucior sit & tetrior, quilibet tamen sapiens & bonus ab ea non modò nullo damno afficietur, sed magis cautior ac tutior existet, & non modicam vtilitatem capiet, non secus ac homines à feris, vt dictum est, & Medici à venenis; præsertim si non in suo, sed in alieno fundo, disseminari ac foueri curent.

Hac de causa periti militiæ duces inter bellicæ rei stratagemata nullum prius aut antiquius habuere, quàm si in castra hostilia possent dissentiones serere, satas fouere, & accendere.

Inter hostes, inquit Vegetius, *discordiarum serere causas, sapientis est ducis. Nulla enim, quamuis minima sit, natio citò potest deleri ab aduersarijs, nisi proprijs simultatibus seipsam consumpserit: nam ciuili odio, ad Inimicorum perniciem nihil efficacius.* Ita ille. Et alius: *Nihil est*, inquit, *tam optabile sapienti cuiquam, quàm vt discordia, & contentio, & rixæ in hostilibus castris oriantur: quod omni vel pretio, vel industria tentandum est, cùm non modò Prouinciæ infringantur suis viribus per bella ciuilia, sed etiam sponte plerumque veniant in potestatem oppugnantium.*

Veget. de re milit. L.3. c.10.

Natal. Comes lib. 30

Vt enim Scorpius lethale venenum habet, Aconitum lethalius, inquit Plinius; quod in vsus salutis humanæ vertere, scorpionum ictibus aduersari experiendo, datum in vino calido. *Ea est Natura, vt hominem occidat, nisi inuenerit quod in homine perimat. Cum eo solo colluctatur, veluti pari intus inuento. Sola hæc pugna est, cùm venenum in visceribus reperit; mirumque, exitialia cùm sint per se ambo, duo venena in homine commoriuntur, vt homo superstit.* Hæc ita Plinius; quod in integrum excerpere placuit. Magnum haud dubiè Naturæ miraculum, quòd duo venena, quorum vnum sufficeret perimendo homini, saluo homine sese absumant. Vt igitur duo venena in homine, dum colluctantur in se inuicem, seruatur homo; eodem modo duorum pestilentium ciuium discordia, dum vtrique exitio est, salus Reipublicæ est.

Plin. l.27 c.2

Vnde Melantius quidam, siue seriò, siue ioco, dicere solebat, *Rempubli-*

Plutar. in Lacon.

Digitized by Google

cam Athenienſium ſeruari diſſidijs Oratorum; qui dum ſe mutua altercatione, dicacitate, diſcordia, lacerant, ſaluam Rempublicam intactamque relinquunt.

Hoc enim euenit non raro, vt dum Principes & populi mutuum inter ſe bellum gerunt, vtrique ſubuertantur, tertio quodam ſuperueniente, ac inuadente rem de qua litigatur, fructum ex aliorum diſſidiis capiente.

Ita Philippo Macedonum Regi obtigiſſe legimus, qui primariis Græciæ ciuitatibus diuturnis bellis, ſola æmulatione gloriæ ſuſceptis, fractis & exhauſtis, ſuperueniens, opulentiſſimum Græciæ regnum nullo labore occupauit.

Quid enim profuit Athenis & Spartæ per tot annos vario Marte & fortuna inter ſe pro Græciæ dominatu dimicaſſe, & ſuis præcipuas vrbes diſcordiis implicaſſe? niſi quod Athenienſes ſub Lyſandro duce proſtrati, triginta Tyrannis colla ſubmiſere; & qui ne Spartam ſuæ æmulam gloriæ, ſuperiorem aut parem paterentur, tot annos conflixerant, triginta dominis ſubacti coacti ſunt ſeruire.

Sabellic. L.7.c.2

Quod Græciæ & Athenis, hoc florentiſſimæ Iudæorum Reipublicæ accidit, vt eleganter deſcribit Sabellicus: *Ex bello*, inquit, *quo Hieroſolyma Orientis clariſſima exciſa ſunt; nil magis funeſtum & exitiale ciuitati fuit, quàm Eleazari & aliorum ducum diſcordia, quæ non minùs obſeſſam ciuitatem intus afflixit, quàm foris hoſtis Romanus, qui mœnibus adhæſit. Agente porrò cœlitus ac mouente diſcordias Diuina Ira, hujus populi peccata ad cumulum vſque, & præter omnem malitiæ menſuram, ſupergreſſa, vindicante.*

Quod Romanus Imperator Titus Veſpaſianus palàm profeſſus eſt; cui cùm omnia circumquaque loca mortuorum oppleta cadaueribus finitimæ gentes ſtupentes cernerent, & coronam ob reportatam victoriam offerrent; hunc honorem auerſatus, *obteſtatus eſt Deos*, vt ſcribit Philoſtratus in vita Apollonij, *ſe talium operum auctorem non eſſe, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti ſuas tantùm manus præbuiſſe.*

L.6. c.14

Ita Romanis profuere diſſidia Iudæorum, quorum mortales diſcordiæ fata maturauere ad vindictam peccati omnium maximi, indigniſſimè à ſe occiſi & acti in crucem Saluatoris.

Plutar. vbi ſup.

Huc etiam referri poteſt quod tradunt de quodam Oenomademo, qui cùm aduerſam factionem ciuitatis ſuperaſſet, quibuſdam conſulentibus omnes diuerſarum partium vrbe pellendos; id expedire negauit, dicens, *vereri ſe, ne omnibus inimicis ad vnum ejectis, inter amicos ipſos diſſidia orirentur, ſentiens ſic eſſe multorum ingenia, vt ſi deſint inimici, in quos Naturæ malitiam exerceant, amicos impetant.*

Quod Plutarchus approbat, appoſita comparatione eorum qui in eadem naui verſantur, qui ſi omnes in idem latus nauis inclinent, ſubmerſionis periculum facient; aliis autem in alteram nauigij partem incumbentibus, tunc maximè libratur. Ita ſeditio & diſſentio Rhetorum atque Poëtarum inter ſe dicebat efficere, vt minùs audientium animos inficerent, nec Rempublicam labefactarent.

Non ſecus, inquit, ac periti agricolæ roſas, & lilia, & violas, meliores putant futuras, ſi cepas & allia ſerant in proximo; quòd quidquid in illis acris ac grauis odoris eſt, in hæc tranſeat, & repurgetur. Sic in Ciuitate, bonis proſunt malorum vitia, diſcordiæ, ſimultates; quidquid in moribus illorum auſteri ac incompoſiti eſt, quaſi in ſe trahentes ac deriuantes.

Confirmat eandem materiam Sententia Q. Metelli, quam in Senatu

Digitized by Google

pronuntiasse dicitur. *Deuicta Carthagine nescire, illa victoria boni ne plus, an mali Reipublicæ esset allatura. Quoniam vt pacem restituendo profuisset, ita Hannibalem submouendo, nonnihil nocuisset. Ejus enim transitu in Italiam, dormientem populi Romani virtutem excitatam esse; metuique debere, ne acri æmulo liberata, in eumdem somnium relaberetur. In æquo igitur malorum posuit, vri tecta, vastari agros, exhauriri ærarium, & prisci roboris hebetari neruos.* Hæc Valerius Maximus.

L. 7. c. 2

Hucusque quàm ex Italia fuerint Iudæis, Græcis, Romanis, propria dissidia, quam omnium statuum ruinam maturent, minenturque, vidimus satis; sed, proh dolor! in ea vitia, mores, tempora deuenimus, quando jam non boni proficiunt ex malorum discordiis, sed Impij, sed Heretici, sed Mahumetæ ipsi, ex perpetuis Christianorum inter se digladiantium Principum odiis, seditionibus, bellis, incomparabili Christiani nominis dispendio, res suas, iniquitatis Regnum, Imperium Ottomanum promouent. Vt verè nimis Solymannus ille Turcarum Imperator Ferdinando Imperatori Catholico per ejus Legatum insultarit. *Se Draconem esse vnius capitis, sed multarum caudarum. Ferdinandum verò Imperatorem Christianorum esse Draconem multorum capitum, sed vnius Caudæ.* Cautè, arguteque insinuans, Christianum Imperium tot capitibus esse diuisum, quot Regibus ac Potentatibus abundans, sed vnius caudæ, id est exiguæ virtutis, ac roboris. Suum verò, & Hæreticorum Imperium, vnius esse capitis, concordiæ, conspirationis, ac consensionis Fidei Regno persequendo, destruendo, atterendo. Sed caudarum multarum, id est, multiplicis virtutis & potentiæ, bellum inferendo. Ita Draco ille, magni Draconis Rufi primarius Artifex, Operator; Emissarius vterque nunquam melius res Christianorum prædatur, expiscatur, inuadit, quam in turbida aqua, similes piscatori de fabula, pisces dum multus limus in imo excitatus aquas infecit, facile capienti. Quod Aristophanes Cleoni Atheniensium Duci exprobrabat.

Apud Cornel. à lapide in Proëm in 12. Prophet.

Namque id quod iis Anguillas qui captant vsu tibi venit,
Vt vnda si stabilis fiet, nil quicquam capere possint,
Sin susque deque concitauerint lutum in palude,
Captura præsto est, vt lucrum tibi mota ciuitate.

Cujus rei Alciatus Emblema composuit, cui titulus. In Diuites publico malo.

Embl. 88

Anguillas quisquis captat, si limpida verrat, &c.

Quæ facile est legere apud Auctorem.

DISSIDIA MALORVM BONIS VTILIA, OPTANDA, PROCVRANDA.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

PRobatur hæc Sententia multiplici testimonio Scripturarum. Et quidem in ipsis mundi primordiis, cum serpentinæ illapsus formæ diabolus primum hominem per fœminam summa fraude seduxisset, seductumque

Digitized by Google

lethali plaga pupugisset, ne gloriaretur impostor, in vno totum humanum genus perdidisse, suoque eripuisse Conditori; affuit statim operi suo Auctor misericordissimus, & fluente adhuc tabo ac sanie, audaciam serpentis coërcuit, languentique homini remedium per ipsam, qua corruerat, fœminam, ostendit, quæ nobiles discordias, aperta odia, inimicitias immortales cum eo exerceret, & tandem serpentinum ejus caput contereret. *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuum.*

Gen. 3

Quo ex loco patet quod Deus, qui secundum Apostolum *Non est dissentionis Deus, sed pacis*, est tamen causa dissentionis, & inimicitiarum, quas boni exercent in dæmones. Quod hæc verba sonant, *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, vt verè sit primæ Auctor discordiæ ac dissentionis in Mundo, bonos inter & malos; ac cruciatæ Bullæ, seu Confœderationis belli sancti, contra communem electorum hostem mouendi.

Nec minori consideratione dignum, quòd à Diluuio cùm terra esset labij vnius, & sermonum eorumdem, vbique summa consensio, non solùm linguarum, sed & cordium, ad opus scilicet humanæ superbiæ, immisit Deus inter eos spiritum diuisionis ac confusionis; formidanda quippe, adeoque terribilis est malorum in malo consensio, vnioque, vt etiam Deo, si liceat dicere, aliquo modo timorem incutiat, eique discindendæ cogat cogitare & incumbere. *Venite*, dicunt illi, alter ad alterum, *faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum*, &c. Grande facinus, audax consilium; sed communi omnium hominum mente, sermone, manu, ausu, consensione, concordia, incœptum; perficiendumque, si per eos liceret. Quid ad hæc Deus, cujus in jura hæc conspiratio? *Ecce*, inquit, *Vnus est populus, & vnum labium omnibus; cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras.* Conuocantur in vnum his verbis, Venite, &c. non Angeli, sed Diuinæ Personæ, simul allaboraturæ, vt obseruant Patres. " Hæc verba, inquit Procopius, Patris ad Filium & Spiritum Sanctum referuntur, non ad Angelos. „ Creatoris est nouas formare linguas; Spiritûs Sancti opus est linguas mutare, vt discimus Apostolorum exemplo, quibus donum linguarum sub specie ignis immisit. Et Glossa Interlinearis ait, " Trinitas in personis vt ibi, Faciamus hominem. „ Sic Rupertus in hunc locum: " Cùm dicit pluraliter, inquit, Venite descendamus, & confundamus, non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, sed ad feriendam superbiam se adesse testatur tota Trinitas & vnus Deus. „ Ita D. Prosper. " Quàm mirabilis, ait, erga cohibendam illam insolentiam fuit Diuinæ censura Iustitiæ, quæ vnam illorum populorum loquelam septuaginta duarum linguarum varietate confudit, vt inter dissonas voces operantium pereunte concordia, insanæ molitionis machina solueretur. „ Et S. Doctor Gregorius: " Qui contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem vnius linguæ perdiderunt: in iis autem qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes vnitæ; hîc ergo humilitas vnitatem meruit, illic superbia confusionem. „ Quod S. Pontifex humilitati & superbiæ ascribit, ad rem nostram, & secundùm literam, bonorum Concordiæ & Discordiæ malorum deputandum est, vt malorũ concordiam sequatur Deo auctore confusio, bonorum autem omnis fœlicitas.

Gen. 11

Procop.

Rupert. in hunc locũ

S. Greg.

Ex

Ex dictis colligere licet, esse Discordiam, quam optare liceat, & procurare, malorum scilicet inter se, quando ejusmodi Deus ipse auctor est, qui & vindex.

Quam verò noxia & exitialis sit Impiorum in malo Concordia, vel inde liquet quod à Sanctissima Trinitate eguerit debellari ac propulsari. " Etenim, si malorum vnitas noxia non fuisset, (inquit jam laudatus Gregorius) nequaquam Diuina Prouidentia superbientium linguas in tanta diuersitate dissipasset, nec de Ecclesiæ hostibus Propheta diceret, *Præcipita Domine, diuide linguas eorum.* Nam malorum Concordiam Deus præcipitare & diuidere solet.

Psal. 54

Concludat ergo superius dicta, sicut noxium esse solet, inquit, Si vnitas desit bonis, sic perniciosum est, si sit in malis; peruersos quippe vnitas corroborat dum concordant, & tantò magis incorrigibiles, quantò vnanimes facit. "

L.33.mor c.33

Psalmista, inquam, regius non sine causa petit. *Præcipita Domine, diuide linguas eorum.* Et rationem subdit: *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in Ciuitate.* Ecce vt se expediat ab hostibus suis, postulat à Deo vt diuidantur inter se, & dissipentur. Glossa ex Cassiodoro, " Ne sit superba vnitas, ne malitia habeat effectum, propterea præcipita Domine, & diuide. " " Id est secundum Genebrardum, perde, absorbe, demerge, & diuide. Quomodo fregit consilium Achitophel, disseca sententias & dissolue consilium eorum & animorum concordiam, vt in varias sententias dissipentur. "

Hoc stratagemate, Deus non semel prostrauit incirconcisos, inimicos populi sui, vt habes primo Regum, cum Philistinorum aciem vnius Ionathæ, & armigeri sui gladio, & suis propriis confodit. " *Et factum est miraculum in castris & per agros*, inquit Scriptura, " scilicet, *Ecce versus fuerat gladius vniuscujusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.*

1.Reg.14

Non dissimili modo Gedeoni parauit victoriam cum trecentis viris circa castra Madian tubis personantibus, *Immisitque Dominus gladium*, dicit Sacer Textus, *in omnibus Castris, & mutua se cæde truncabant.*

Iudic. 7

Hic ille est spiritus vertiginis quem miscuit Dominus in medio Ægypti, dicit Propheta Isaias, *Et errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.* Explicat autem spiritum illum vertiginis, his verbis, *Et concurrere faciam*, inquit, *Aegyptios aduersus Aegyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, ciuitas aduersus ciuitatem, Regnum aduersus Regnum.* Non ergo mirandum, si Psalmista precatur, quod Iudæorum vnitas diuidatur, inquit noster Michaël Ayguanus, Psalmorum illustrator nobilis, quia mali quanto amplius sunt vniti, tanto fortiores sunt in malo, & magis incorrigibiles.

Isaiæ 19

Id stratagematis ad miraculum oportunè cessit D. Paulo Apostolo, vt in Actibus Apostolorum legitur. Cum enim in Consilio Iudæorum productus fuisset, vt fidei suæ rationem redderet in medio Sacerdotum, & jam jubente Principe Sacerdotum in facie percussus fuisset, & cæteri Iudæi in eum insurgerent, in maximo vitæ discrimine positus, *Sciens quia vna pars*, inquit S. Lucas, *esset Sadducæorum, altera Pharisæorum*, quos inter perpetua in dogmatibus fidei dissensio, eleuata voce, *Exclamauit in Concilio. Viri fratres ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum. De spe & resurrectione mortuorum ego judicor; & cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sad-*

Actor.23

Digitized by Google

ducæos, & soluta est multitudo. Sic pomum discordiæ cautè jecit Paulus inter aduersarios, & diuisit adeo vt qui priùs contra se vniti conspirabant, jam diuisi, inter se contenderent. Melius enim erat, dicunt Interpretes, eos inter se diuisos contendere, quàm veritatem impugnare concordes.

Ex dictis nemo jure merito colligat licitum esse, aut non graue peccatum, discordiam inter ciues disseminare, vt quis res suas agat; hoc enim axioma, Machiauellum saperet, magis quàm Christianum, si vis regnare, diuide. Verùm vbi Impij in Ecclesiæ aut Reipublicæ perniciem, vel meam coeunt, ac conspirant, tunc licere dicimus inter eos dissensionem serere; vt eorum consilia dissipentur. Sic S. Thomas, « Causare, inquit, discordiam, per quam tollitur mala Concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile. Et hoc modo laudabile fuit, quod Paulus posuit dissensionem inter eos, qui erant Concordes in malo. Nam & Dominus de se dicit. Non veni pacem mittere sed gladium. »

2. 2. q. 37 a. 1

Claudet hunc Titulum hæc sententia Isidori. Sicut multa bona, ait, habet communis vita Sanctorum, sic plura mala affert societas malorum. Melius ergo est habere malorum odium, quàm consortium, sicut enim optandum est, vt boni pacem habeant ad inuicem, sic optandum est, vt mali sint ad inuicem discordes.

Beda ex Isid. in locis com. c. 61

TITVLVS LVIX.

DE BENEFICENTIA.

FABVLA.

De Formica.

FORMICA sitiens venit ad puteum, aquæ guttulam in crepidine fontis quæritans, quod dum faceret cecidit in puteum. Prospectans Columba in arbore considens, miserta est pereuntis, & præcisum rostro ramum, projecit in aquam, cui adrepens formica incolumis enatauit ad ripam, & acceptam gratiam cito rependit, nam insidiantem Columbæ Aucupem periculum minime aduertenti Formica pede momordit, quo stimulatus, dum se mouet, Columba strepitu & motu excita auolauit, & se periculo liberauit. Sic vtraque dum altera alteri beneficium oportune reddit; vicissim recipit, experimento comprobans, gratiam Deo sic volente, non posse perire.

De Viro benefico & Latronibus.

VIr quidam liberalis & munificus, cum iter faceret, in manum Latronum incurrit, à quibus captus, cum eum non solum bonis spoliare, sed etiam vita priuare vellent, ab vno eorum agnitus est, qui allegatis multis beneficiis ab eo à se receptis, apud socios intercessit, ne quid mali pateretur, sicque incolumis saluis omnibus ad suos se recepit. Innuit gratiam seu beneficium nunquam perire, etiam inter Sicarios & Latrones.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

DIVINVM EST BENE MERERI DE PROXIMO.

Probatur primò & illustratur; EX PROFANIS.

HOc grauiter, & mascula, qua solet, eloquentia Plinius: *Deus*, inquit, *mortali juuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac Proceres iere Romani, hac nunc cœlesti passu cum suis liberis vadit maximus æui rector Vespasianus, fessis rebus subueniens.* in Procem

Pythagoras interrogatus qua re homines Diis similes euaderent, respondisse fertur, duobus id modis posse: Si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerent.

Inter diuina effata Socratis illud habetur, *Dare, esse ipsam substantiam gloriæ; recipere necessitatis & indigentiæ: illud Deorum, hoc hominum esse.*

Affine huic est illud Strabonis: *Rectè quidem*, ait, *dictum est Mortales tum maximè Deos imitari, cùm benefici sunt.* Lib. 10

Quatenus autem benè mereri de proximo, Diuinum est, etiam regium est, & maximè decet Reges. Inde nulla Alexandro major fœlicitas videbatur, potestate habendi ad largiendum & gratificandum; & hæc vna res erat, in qua à nemine vinci vellet, Beneficentia.

Vnde de quodam Rege Indiæ egregium illud memoratur, quòd occurrens Alexandro, dixit: *Prouoco te, non ad pugnam, aut bellum, sed ad aliud certaminis genus. Si inferior es, à nobis accipe beneficium: si superior, da, & vinces.* Placuit Alexandro hæc magnificentia regia, in qua vt in cęteris omnibus victor, in hac maximè superari nollet. *Ergo*, inquit, *inter nos certandum est vter benefaciendo alium superet.*

Theophrastus interrogatus quodnam vitam conseruaret humanam, *Beneficentia*, inquit, & merito: siquidem, *beneficium vinculum est inter se duos alligans*, inquiebat Seneca. Et Aristoteles eleganter dicebat, *Qui beneficia inuenit, compedes inuenit.* Iuxta quod *Amor*, dicit Leo Hebræus, & nos pro Amore, dicamus, *Beneficentia* (cùm Amor, non nisi benefaciendo, Amor sit) *est quoddam commune vinculum, superiora cum inferioribus, inferna cum supernis, spiritualia cum corporeis, nec non corpora cum spiritibus, æterna cum mortalibus, caduca cum perpetuis, Creatorem cum creatis, & creaturas cum Conditore copulans.* Ap. Stob. serm. 4 L. de Amor.

Et hic Amor sic beneficus, propriè Dei est. *Nunquam satis profectum erit*, inquit Seneca, *nisi qualem debet Deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Quæ causa est Dijs benefaciendi? Natura. Errat, si quis putat illos nocere velle: non possunt; nec accipere injuriam queunt, nec facere: lædere enim, & lædi, conjunctum est.* Ita ille, quàm religiosissimè de Deo, & congruenter nostro proposito. Quod amplius elucescet, disquirendo, quid sit beneficium, & quæ leges ejus. Quod non ex alio fonte Epist. 95

Digitized by Google

quam è Seneca, quem vnum ferè in his quæ de beneficiis amplè disseruit, consulemus; quæ breuiter decerpam.

Et summa sequar vestigia rerum.

Sen. lib. 1 de benef. cap. 25

Tria igitur potissimum vult in beneficio concurrere. 1. Vt ex animo & affectu sponte profluat. *Multum*, inquit, *interest inter materiam beneficij, & beneficium. Quia nec aurum, nec argentum, nec quicquid eorum quæ à proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. Beneficium non in eo quod fit aut datur consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Sicut nec in victimis licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed pia ac recta voluntas venerantium.* Vnde addit. Plerique sunt qui beneficia asperitate & supercilio in odium adducunt, eo sermone vsi, ea superbia, vt impetrasse pœniteat.

Cap. 6

l. 2. c. 7

Propterea ingeniosè Fabius Verrucosus, *Beneficium ab homine duro asperè datum, panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit esse acerbum.* Vt enim mandentis panem, si lapillum forte dente offenderit, obtriueritque, totum corpus inhorrescit, ac fremit, sic extorta ab homine illiberali ac sordido gratia, cor ingenuum non minus pungit, exulceratque.

L. 2. c. 1

Vnde istud Paradoxi simile effatum. *Nulla res carius constat, quàm quæ precibus empta est.* Quod vtique verum est, vbi gratia difficilis venit, & non tam data, quàm vi & arte acquisita, ac parta videtur.

c. 10

Quam gratiosius illud Arcesilai, qui amico pauperi ac verecundo nequidem efflagitanti clam succurrit, puluino ejus ignorantis sacculum subjiciens, vt quod desiderabat, inueniret potius quàm acciperet.

Beneficia Diuina hujusmodi sunt; ignaris nobis, etiam indignis, etiam ingratis, etiam inuitis veniunt. Quod perpendens Seneca; *Dij, quodcunque faciunt, nihil præter ipsam*, inquit, *faciendi rationem sequuntur. Omnia sine mercede, sine vllo ad se perueniente commodo, faciunt; gratuitos habemus Deos, quos si imitaris, da & ingratis Beneficia: nam & sceleratis Sol oritur, & Pyratis patent maria.* Egregia sententia, quam ex Euangelio didicisse & collegisse diceres.

Lib. 4. de ben. c. 25

Cum eo coincidit Epictetus, Solem proponens imitandum: *Quemadmodum*, ait, *Sol non expectat preces & præstigias vt exoriatur, sed illico fulget ac salutatur ab omnibus; ita neque tu expectaueris plausus, strepitus & laudes, vt benefacias; sed sponte confer Beneficia, & æquè ac Sol amaberis.* Optimè quidem, modò non à Sole, sed ab eo qui fecit Solem, Beneficium hoc gratuitum lucis expectet.

Secunda Beneficij lex ab vtilitate rei, & oportunitate opis metienda est. *Neque enim illud omne quod alicui placet, ideo Beneficiũ est. Sunt enim*, inquit, *quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare, Beneficium est*, &c. *Exorari in perniciem rogantium, sæua bonitas est.* Sed etiam posito quòd vtile sit quod confers amico, non propterea statim beneficus audies, sed officiosus, nisi muneris præstiti ratio, momentumque mereatur. *Beneficium*, inquit, *est opera vtilis; sed non omnis opera vtilis, Beneficium est: quædam enim tam exigua sunt, vt Beneficij nomen non occupent. Duæ res coire debent, quæ Beneficium efficiant. Primùm, magnitudo rei*: quædam enim sunt infra hujus nominis mensuram.

L. 2. c. 14

L. 4. c. 29

Quis Beneficium dixit quadram panis, aut stipem æris abjecti, aut ignis accendendi factam potestatem? & interdum ista plus prosunt, quàm maxima: sed tamen vilitas sua illis, etiam vbi tempore facta sunt necessaria, detrahit pretium. *Quanquam etiam*, vt alibi perpendit, *nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parua magnificè, qui Regum opes animo æquauit; qui exiguum*

L. 1. c. 7

Digitized by Google

tribuit, *sed libenter*; *qui non voluntatem tantùm juuandi habuit*, *sed cupiditatem*; *qui accipere se putauit Beneficium*, *cùm daret*, &c. Quod confirmat exemplo Æschinis, Socratis auditoris, qui cùm esset pauper, & nihil quod Socrate dignum daret, haberet, seipsum Magistro suo dedit. *Dono tibi*, inquit, *quod vnum habeo, meipsum. Hoc munus rogo, qualecunque est, boni consulas*, *cogitesque alios, cùm multùm tibi darent, plus sibi reliquisse*. Cui Socrates: *Quidni tu*, inquit, *mihi magnum munus dederis? nisi fortè paruo te æstimas? Habebo itaque curam, vt te meliorem tibi reddam, quàm accepi*. Vides, inquit Seneca, quomodo animus inueniat materiam liberalitatis, etiam inter angustias paupertatis?

L.1. c.8

Cap.9

Vno verbo, *Gratissima*, inquit, *sunt Beneficia parata, facilè occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia*: *primum est, antecedere desiderium cujusque*, *proximum sequi*, *illud meliùs occupare, antequam rogemur*.

L.2.c.1

Contra ingrata sunt, licet re ac specie videantur magna, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt: *Multoque gratius venit quod facili*, *quàm quod plena manu datur. Exiguum est quod in me contulit, sed amplius non habuit. At hic, quod dedit, magnum est*; *sed dubitauit, sed distulit*; *sed cùm daret, gemuit, sed superbè dedit*.

Et hinc tertia conditio Beneficij attendenda, vt quo animo & modo incœpit, liberaliter honestissimeque claudatur. *Beneficium*, inquit, *qui dedit, taceat*; *narret*, *qui accepit*.

L.2.c.11

Hæc enim Beneficij inter duos lex est: *Alter statim obliuisci debet dati, alter accepti nunquam*. Lacerat animum & premit frequens meritorum commemoratio.

L.2. c.10

Sæpè etiam Beneficium, inquit, *manet*, *nec debetur*, *si secuta est dantem pœnitentia*; *si miserum se dixit quod dedisset*; *si cùm daret*, *suspirauit*, *vultum obduxit*, *perdere se credidit, non donare*; *si sua causa, aut certè non mea, dedit*; *si non desiit instare*, *gloriari & vbique jactare*, *& acerbum munus suum facere*. Manet itaque Beneficium, quamuis non debeatur.

L.6.c.4

Libet exclamare, inquit, quod ille Triumuirali proscriptione seruatus à quodam Cæsaris amico exclamauit, cùm superbiam ejus ferre non posset: *Redde me Cæsari. Quousque dices, Ego te seruaui, Ego te eripui morti?* Istud si meo arbitrio memini, vita est; si tuo, mors est. *Nihil tibi debeo, si me seruasti vt haberes quem ostenderes*. Adeò exprobrare Beneficium, quodcunque illud fuerit, etiam vitæ ipsius, intolerabile in amicitia est, & morte ipsa amarius! vt etiam argutè Poëta Martialis:

L.2.c.11

Mart.l.5 Epig.53

Quæ mihi præstiteris, *memini*, *semperque tenebo*:
Cur igitur taceam? Posthume, *tu loqueris*.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: *Dixerat ipse mihi*.
Non bellè quædam faciunt duo. Sufficit vnus
Huic operi: *si vis vt loquar*, *ipse tace*.
Crede mihi, *quamuis ingentia*, *Posthume*, *donas*,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Hæc omnia ita cum Titulo, seu mente Apologi, coëunt, si dicas proprium benefacere, esse attributum Dei; ipsius proprium dare, conferre, largiri hominibus; primò, ex puro amore ac Charitate; secundò, dare magna, vtilia, opportunè; tertiò, dare honestissimè, non exprobrare.

Vnde concludas vnum homini officium incumbere, Auctori & Largi-

Digitized by Google

tori bonorum omnium, Deo, se & omnia perpetua gratiarum actione rependere. Sic enim fiet, quod sapiens Epictetus diuinè monuit: *Oportet*, inquit, *vt omnia principia, quasi conuerso orbe, redeant ad vnum principium, omnia pulchra ad vnum pulchrum; omnia vera ad vnum verum, omnia bona ad vnum bonum; omnia Diuina, ad vnum Deum; omnia vna, ad vnum ter vnum.* O stupor! Digna Paulo, aut magno Dionysio, sententia!

Epict. ad Arrian.

DIVINVM ETS BENE MERERI DE PROXIMO.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVÆ tria solent ex regula sapientum in Beneficio requiri; primò, vt ex amore ac corde gratis procedat: secundò, vtilitati nostræ necessitatique consulat, & opportunè accedat: tertiò denique, vt gratiam Beneficiumque non exprobret, sed quo pede incœpit, amanter, liberaliterque concludat: quia vix ista inter homines reperiri mortalis angustia sinit, quippe qui omnia sua consilia proprio commodo metiri soleant, pauca alieno; vel quia exigua sit illis penus, & illiberalis animus. Propreреà solus Deus verè beneficus ac liberalis audire meretur; quia solus has leges vbertim & excellenter implet.

Quod Apostolus Iacobus paucis, sed luculentis verbis, expressit: *Si quis vestrûm*, inquit, *indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Viden omnes Beneficentiæ numeros & leges affatim impletas? Primam, *dat omnibus*, imò effundit plenis manibus: homines rarissimè stillant, & paucissimis. Secundam, dat *affluenter*, pretiosa, copiosissimè; vtilissima, opportunè. Tertiam, dat rogantibus, & non rogantibus; dignis, & indignis; volentibus, & etiamnum inuitis; *& non improperat*, non exprobrat, dicente Apostolo: *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei*: dat vitam, largitur gratiam, retribuit gloriam; dat Mundum vniuersum, præbet Cœlum, donat seipsum.

Epist. can c. 1

Ad Rom. 11

Resumamus singula, & seorsim retractemus, dispicientes quàm liberalem habeamus Deum, quàm gratuitò amantem.

Quòd si Philosopho Gentili licuit dicere; Dij quodcunque faciunt, nihil præter ipsam faciendi rationem sequuntur. Omnia sine mercede, sine vllo ad se perueniente commodo, faciunt. Gratuitos habemus Deos, quos si imitaris, da & ingratis beneficia: nam & sceleratis Sol oritur, & Pyratis patent maria; Hæc non Idolis, seu falsis Diis, qui nihil sunt, sed vero Deo, conueniunt; cujus est propria hæc vox in Euangelio: *Diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filij Patris vestri, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos.*

Math. 5

Nec dubium quin Diuina Beneficia condita ab ejus amore procedant, qui totus substantialiter Amor est, cui nulla causa agendi, nisi suus sibi Amor est.

Vnde obseruant Hebræi, in tribus primis vocibus Geneseos, *Creauit*

Digitized by Google

Deus Cœlum & terram, vsurpari nomen Elohim, quod æqualiter significat creare, & ligare, vt in condendis creaturis intelligeretur Deus, homini beneficus, tot eum sibi vinculis deuinciens, quot erat creans. Et hoc summè gratis: *Quoniam bonorum meorum non eges*, inquit Psalmus. Et Apostolus in medio Areopagi: *Hic Cœli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* Et idcirco ait: *In Charitate perpetua dilexi te, & attraxi te miserans.* Sed quo amore, vel ex quanto diligat nos, ipse indicat ex Scripturis.

Psal. 15
Actor. 17
Ierem. 31

Diligit nos, vt pastor oues suas, & gregem; dicit enim, *Ego sum Pastor bonus.*
Vt Herus, seruos: *Seruus meus es tu, Israël.* — Isaiæ 49
Vt Dominus, subditos: *Subditi ergo estote Deo.* — Iacob. 4
Vt Rex, populum suum: *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.* — Psal. 46
Vt Regni hęredes: *Elegit pauperes in hoc mundo, hæredes regni.* — Iacob. 2
Vt hęreditatem suam: *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hæreditatem sibi.* — Psal. 32
Vt pupillam oculi sui: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* — Zach. 2
Vt corpus suum, & membra corporis sui: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* — 1. Cor. 12
Vt Vir sponsam: *Sponsabo te mihi in sempiternum.* — Oseæ 2
Vt Mulier portans in vtero: *Audite me, domus Iacob & Israël, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua.* — Isaiæ 46
Vt Nutrix, lactentes ad vbera: *Ego Nutritius tuus, Ephraim.* — Oseæ 11
Vt Pater, filios suos: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit te, & creauit te.* — Deut. 32
Vt Redemptor, perditos: *Ego Redemptor tuus sanctus, Israël.* — Isaiæ 42
Vt Saluator, redemptos: *Tu es Deus Saluator meus.* — Psal. 24
Vt Deus ex se, Deos à se: *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi, omnes.* — Psal. 81

Accedit ac superaddit jam dictis Domini sententia: *Sic Deus dilexit Mundum, vt filium suum Vnigenitum daret, &c.* Vel Apostoli, omnia vno verbo concludentis: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

Ioan. 3
Rom. 8

Quod spectat Diuinorum vtilitatem opportunitatemque donorum, Ecclesia id palam gratulabunda deprędicat, dum sic orat: Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita supplicum excedis, & vota. Magna certè, & solius Diuinitatis propria, liberalitas, quæ humanæ voluntatis vel immensam non modò æquet, sed vincat, esuritionem!

Fugiebat Iacob, metu fratris, à domo paterna; & prima nocte foris cubans, lapide pro Ceruicali capiti supposito resupinus, Angelica visione recreatus, *votum vouit Domino. Si fuerit*, inquit, *Dominus mecum, & custodierit me in via, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste in titulum.* Ecce, satis ei erat in votis, si victum vestitumque cum vita sufficeret; & post aliquot annos regrediens, mutata fortuna, non pietate, eadem itinera remetiens; *Minor sum*, inquit, *cunctis miserationibus tuis! In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.*

Gen. 28
Gen. 32

Satis erat Abrahamo jam seni, si viueret filius suus Ismaël, ex ancilla genitus: superauit mensuram votorum Diuina largitas: *Sara vxor tua*

Gen. 17

Digitized by Google

pariet tibi filium, in quo benedicentur omnes gentes.

Salomon postulauerat à Deo sapientiam & intelligentiam, & impetrauit; *in tantum*, dicit illi Dominus, *vt nullus ante te similis tui fuerit; nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam.* Ezechiæ morituro, vt conualesceret: *Adjiciā super dies tuos quindecim annos.* Vides vt excedit vota, sic etiam & merita? Ita enim ait: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Quanta dignatio! sed *fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Impleuit quod promisit. Ioseph in tribulatione, in vinculis, in fouea positus clamauit ad Dominum. Quid ille? Non tantùm exaudiuit eum, sed etiam *descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum*, &c. Quàm tenax promissi! quia dixerat: *Cum ipso sum in tribulatione.*

3. Reg. 3 — Psal. 90 — Psal. 144 — Sap. 10

Tres filij Captiuitatis Babylonicæ missi in fornacem ignis colligati, in medio fornacis inuocarunt; & non solùm exauditi sunt, sed etiam ascendit cum illis in fornacem. Tres intrauerunt, & quatuor in camino apparuerunt. *Nonne tres viros*, inquiunt, *misimus in medium ignis compeditos? & ecce ego video quatuor viros solutos, & species quarti, similis Filio Dei.*

Dan. 3

Non secus Danieli in lacu Leonum posito affuit; vt Ionæ, in ventre Ceti, & Paulo naufraganti; vt verè à Psalmista nuncupetur, *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

Ionæ 2 — Actor. 27 — Psal. 9

Dat igitur omnibus affluenter, & non improperat; quæ tertia est conditio Beneficij, & Diuinæ Beneficentiæ. Adeò non improperat, vt cum magna reuerentia disponat nos, & tam liberaliter agat, vt vna gratia sit semen alterius, & nouæ irritatio liberalitatis. Eo sensu Creatio hominis, ait Tertullianus, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus, scil. Incarnationis.

Sap. 12

Propterea hoc agnoscens Dauid, & suæ gratitudinis vicem volens rependere, dicebat: *Benedic anima mea Domino, qui coronat te*, inquit, *misericordia & miserationibus.* Qui cingit te, non vna, sed innumeris, sese amplexantibus beneficiis & gratiis. Trucidauerat Sanson mille Philistæos Diuino fretus auxilio in mandibula Asini, & carmen triumphale concinens pro parta cœlitus victoria, Mandibulam in trophæum erexit, Deo suæ gratitudinis monumentum. Et locum hoc lemmate signauit; *eleuatio Maxillæ*: cumque post tantum facinus ardentissima siti premeretur, nouam à Deo ausus gratiam postulare, impetrauit, aquam scilicet. *Clamauit ad Dominum: En siti morior.* Mira & stupenda prorsus Diuinæ liberalitatis inuentio, non quòd subuenit sitienti Dominus, fundens puros aquæ latices Sansoni, quibus reficeretur; sed quia non è terra scaturire fecit, sed è dente Mandibulæ. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla Asini, & egressæ sunt ex eo aquæ*; *quibus haustis, spiritum & vires recepit.* Cujus tam inusitati miraculi ratio alia non est, nisi quòd tam placuit Deo prioris gratiæ testificatio, ac significatio, vt illico, non è terra, aut rupe, erumpere fontem jusserit, sed è dente maxillæ victricis, quasi diceret; reddidisti gratiam, quam accepisti; prouocasti liberalitatem meam, gratiæ meæ non vnæ veniunt, Implicatæ sunt inuicem, prima secundæ, hæc sequentibus. Mandibula Asini peperit victoriam, dens Mandibulæ aquæ fontem.

TITVLVS

Digitized by Google

TITVLVS LX.

DE GRATITVDINE.

FABVLA.

De Porco, Hero gratiam vsque ad mortem differenti.

CVIDAM Rustico prædiuiti erant Boues, Oues, & Porci, quæ omnia diligenter curabat, fructum non mediocrem ab illis referens. Inter ea autem alebat domi Porcum, cui exsatiando & saginando præcipuam nauabat operam: cui propterea cætera animalia inuidere cœperunt, & exprobrare abdomen, saginam, fœtorem, & ingluuiem insatiabilem. Insuper cum aliquando simul essent, eo processerunt odia, vt ipsi ingratitudinem erga Herum objectarent, cui nullam per totam vitam gratiam rependeret, aut emolumentum. Cum nos, dicebant Boues, perpetuò sub jugo & labore senescimus, senes Domino saginamur, nihil non nostri Domino cedit. Tu verò immundissimum animalium, vni rei seruis, ventri tuo & saginæ. Nos etiam, aiebant Oues, ex quo natæ sumus, lanam, lac, butirum, caseos, agnos Hero ministramus, parum aut nihil constamus. Tu ingrate, quid Domino confers? quid rependis? Tunc Porcus grunniendo, vos quidem minutim, & per partes Domino fructificatis, ego semel totum rependo. Si viuus gratiam non refero, refero mortuus. Innuens, gratitudinem quæ tardè venit, si non primas beneficij partes habet, saltem aliquas obtinere.

Mens Fabulæ, seu Morale.

SERVM BENEFICIVM, VIX BENEFICIVM.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

INTER errores inconsultè viuentium non immeritò Seneca reponit, quod *homines nec dare beneficium sciunt, nec accipere.* Peccant in primum, qui dignitatem honoremque Beneficij non satis perspectum habentes, putant perdere quod Amico impendunt. Quo in genere M. Antonij generosam illam vocem extollit, qui sibi nihil relictum videns, ex-

Digitized by Google

clamauit illud Rabirij Poetæ: *Hoc habeo, quodcunque dedi.* Cui illustrando opportunissime faciunt ea, quæ Cyrus & fecisse & dixisse narratur libro octauo παιδείας, vt Crœsum doceret; *Optimè pecunias apud Amicos deponi, neque illos eis tutiores ac fideliores thesauros esse.* Sed & illud Alexandri Magni, suas diuitias, Beneficia in Amicorum sinum congesta, reputantis.

Alphonsus Siciliæ Rex interrogatus *quid sibi seruaret, qui tam multis tam multa donaret. Ea,* inquit, *ipsa quæ dono; cætera enim in meorum numero non habeo.* Tractabant illi perhonorificè Beneficentiam. Quod eleganti Epigrammate conclusit Martialis:

L. 5. Epig 43

Callidus effracta nummos fur auferet arca,
Prosternet patrios impia flamma lares,
Debitor vsuram pariter, sortemque negabit,
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit Amica,
Mercibus extructas obruet vnda rates.
Extra fortunam est, quidquid donatur Amicis,
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Grauius alij impingunt qui beneficium proprium contumelia inhonorant, & media in Gratitudine ingrati sunt.

Quod vitium graphicè Sapiens noster depingit & carpit. *Quis nostrum,* inquiens, *contentus fuit, aut leuiter rogari; aut semel? Quis non cùm aliquid à se peti suspicatus est, frontem adduxit? vultum auertit? occupationes simulauit? longis sermonibus de industria non inuenientibus exitum occasionem petendi abstulit? & varijs artibus properantes necessitates elusit? In angusto verò comprehensus aut distulit, id est timidè negauit; aut promisit, sed difficulter; sed subductis superciliis, sed malignis & vix exeuntibus verbis?* Sic ille, præpositæ hujus Tituli sententiæ patrocinans, qua dicimus SERVM BENEFICIVM, VIX BENEFICIVM. Quia plurimum de beneficio ejus decedit, qui moras nectit, plurimum contra accedit ei qui moras & cunctationes præuertit.

Inde est celebratissima illa vox, *BIS DAT QVI CITO DAT.* Quæ si vera est, opposita erit etiam vera, VIX DAT QVI TARDE DAT. Quæ cum nostro Morali conuenit. Serum beneficium vix beneficium, cujus veritas, multis nominibus innotescit.

Primò, quia cum Gratia, seu beneficium ex voluntate pendeat largientis, qui tardè dat, minus voluisse demonstrat; vel vt ait Seneca, *Qui tardè fecit, diu noluit. Ingratum est autem beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est, & sic dare tanquam eriperetur. Gratissima enim sunt beneficia parata, facilia, occurentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia.* Idem, *Omnis benignitas properat, & proprium facientis libenter, cità facere, qui tarde dedit, & diem de die trahens, profuit, non ex animo fecit;* ita duas res maximas perdit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis. Auget & cruciat nimis mentem expectantis gratia dilata. Mallet semel negari. Hoc argute Martialis.

L. 6. epig

Mutua te centum sestertia Phœbe rogaui,
Cum mihi dixisses exigis ergo nihil,
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus
Teque decem crucias, jam rogo Phœbe, nega.

Lib. 7

Et alibi, siue in dando, siue in negando, diligentiam placere, ait.

Primum est vt prestes, si quid te Cinna rogabo,

Digitized by Google

Illud deinde sequens, vt cito Cinna neges.
Diligo præstantem, non odi Cinna negantem,
Sed tu nec præstas, nec cito Cinna negas.

Secundò, quia beneficium, cum sit liberalis donatio, non liberaliter datur quod venditur, aut qualecumque pretio emitur: emitur verò quod multis precibus comparatur, vnde vix beneficium est. *Non tulit gratis*, ait, *qui cum rogasset accepit, quoniam vt majoribus nostris grauissimis viris visum est, NVLLA RES CARIVS CONSTAT, QVAM QVAE PRECIBVS EMPTA EST.* Quod quam verum sit, quilibet apud se pensare potest, quanto alio pretio aliquando vellet redemptum, quod precibus comparandum est. Propterea ait *pulchrum sane & prædicandum beneficium nulla dilatione suspensum, nullis precibus redemptum, nullis meritis comparatum. Gratum est enim donum quod venit ante preces.*

Tertiò, quia qui citò dat, opportunè, & ad tempus commodè, amico subuenit; facit enim temporis ratio multum in eo qui beneficio eget, & quod Seneca comparatione ægri ostendit, cui aliquando oportunitas cibi salutare remedium est, etiam aqua tempestiue data. *Ita quamuis bene & vulgare beneficum sit*, inquit, *si præsto fuerit, si proximam quamque horam non perdiderit, multum sibi adjicit; gratiamque pretiosi, tamen lenti, & diu cogitati muneris vincit.*

Veteranus quidem Miles Cæsarianus, cum vocatus in jus periclitaretur, adiit in publico Cæsarem, rogans vt sibi vellet adesse, & patrocinari; Cæsar è Comitatu suo quemdam selegit, qui litigantem suo nomine apud Iudices & populum juuaret, & commendaret. Tunc miles non contentus, vociferari: *At non ego Cæsar, periclitante te Actiaco bello vicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui*, simulque cicatrices detexit. Erubuit Cæsar, & confestim descendit in aduocationem, veritus ne non modo superbus, sed etiam ingratus videretur. Adeo res magna est in beneficio celeritas.

Eras. l. 4 Apopht.

Quarta & vltima ratio sit, quod cunctando sæpe elabitur occasio gratiæ, abit enim tempus, poteras tunc, non poteris postea. Egebat tua opera ille, olim non egebit; igitur inferas licet, beneficium serum vix esse beneficium. Quod Lucianus hoc distticho comprehendit,

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι, ἢν δ' βραδύνῃ
πᾶσα χάρις κενὴ μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Id est, celeres Gratiæ dulciores, sin vero tardauerint, omnis Gratia vana, neque dicetur Gratia. Quod Ausonius sic transtulit.

Gratia quæ tarda est, ingrata est: gratia namque
Cum fieri properat Gratia, grata magis.

Propterea Antiqui finxere tres Charites, seu Gratias sorores, manibus implexis, juuenes & virgines, lætas, ridentes, pedibus alatas.

Par tribus est facies, qualem decet esse sororum:
Par tribus est ætas, par quoque forma tribus.

Tres sunt, inquit Seneca; quia vna est quæ dat Beneficium, altera quæ accipiat, tertia quæ reddat. Consertis manibus; quia ordo Beneficij, per manus transeuntis, ad dantem reuertitur, & totius speciem perdit, si vsquam interruptus est; pulcherrimus, si cohæsit, & vices seruauit. Iuuenes sunt; quia non debet Beneficiorum memoria senescere. Ridentes; quia promerentium vultus hilares sunt. Nudæ sunt, aut pellucidis tunicis; quia Beneficia conspici volunt. Denique pedibus alas habent, vt scias seu vo-

catas, seu non vocatas, ire, currere, volare; vt benè Alciatus:

Tres Charites Veneri assistunt, Dominamque sequuntur,
Hincque voluptates atque alimenta parant.
Lætitiam Euphrosine, speciosum Aglaia nitorem
Suadela est Pythus, blandus & ore lepos.
Cur nudæ? Mentis quoniam candore venustas
Constat, & eximia simplicitate placet, &c.
Addita cur nuper pedibus talaria? Bis dat,
Qui citò dat: Minimi gratia tarda pretî est.

Vides vt ex earum forma, habitu, actu & omni Choragio ablegetur tarditas. Vnde enim irrepet juuenibus, lętis, alatis? vt scias nil tam contrarium Gratiis, cunctatione & tristitia. Vnde Gratiis sacrificatum mittuntur tristes. Facit etiam ipsarum nomen attendere: nam prima quæ chorum ducit, est Euphrosine, quæ hilaritatem sonat, quæ decet dantis officium. Aglaia, honestatem & splendorem: quid enim æquè hominem illustrat, ac liberalitas. Tertia est Thalia, à Gręcis Πειθώ, Latinis Suada nominatur: nam Beneficio non parum honoris ab honestate verborum accedit. Restat igitur conclusio, quam ex Democrito mutuor apud Antonium in Melissa: *Si benefacturus es, statim facito: tarditas enim vitiosum reddit munus.* Parua potiùs promitte, & exequere.

Festiuum & lepidum est illud Martialis, qui in Pontilianum jocans, qui viuus nihil pręstaret, sed multa polliceretur, post mortem sic concludit Epigramma.

Lib. 12 Epig.

Nil tamen omnino præstas mihi. Mortuus, inquis,
Accipiam benè te. Nil volo, sed morere.

Talis beneficentia est propriè gratitudo Porci nostræ Fabulæ, qui tota vita accipit, edit, grunnit, facit saginam; & nil, nisi morte, quidquam rependit.

SERVM BENEFICIVM, VIX BENEFICIVM.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

Prover. 3

NE *dicas Amico tuo: Vade, & reuertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Consilium hoc, est Sapientis in Prouerbiis, quod proprissimè congruit pręfixæ hujus loci sententiæ, quam ex Profanis illustrauimus. Septuaginta addunt hæc verba, quæ in Originali Hebræo non sunt: *Non enim scis quid pariat sequens dies.* Quod S. Cyprianus etiam sic legit. Quæ vna ex causis non vltima est, cur hortetur non pręterire occasionem benefaciendi amico, ne effluat, & eam tempus, quod semper voluitur & mutatur, auferat; quæ ingens jactura esset, cùm nil tam Diuinum habeat homo, quàm vt de proximo benè mereatur. Quod optimè Antonius in Melissa ex S. Gregorio Nazianzeno refert: « Gratitudinis, inquit, specimen Deo exhibeas, quòd te fecerit vnum illorum, qui Beneficia pręstare

S. Cypr. lib. 3. ad Quirin.

Cap. 27 grat. 16

Digitized by Google

possunt, non autem qui opus habent accipere. Diues esto non solùm opibus, sed etiam pietate; non solùm auri, sed insuper virtutis possessione. Deus esto calamitosis, Dei Misericordiam imitando, nihil enim beneficentia Diuinius in hominem cadit. Misericordiam tuam ne nox intercipiat, ne dixeris, alias redi, & in crastinum dabo, ne quid fortè accidat inter propositum tuum, & beneficium, vnde impediatur. „ Optime, & ad sententiam Sapientis congruentissimè.

Hoc se præstitisse Iob profitetur, *Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.* Hoc etiam Boos fecisse legitur, homo potens & magnarum opum, eoque laude dignius, quo rarius, non expectare fecit pauperem Ruth Messorum spicas præ egestate colligentem, sed verecundam inuitauit, & *præcepit pueris suis, dicens; etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam, & de vestris quoque manipulis projicite de industria, & remanere permittite, vt absque rubore colligat.* Ea enim est perfecta tum demum Beneficentiæ species, quæ indigentis anteuertit verecundiam, ac præuenit necessitatem & preces.

Iob. 31

Ruth 2.

Huc referri potest illud Ecclesiastici: *Ne defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Quo sane consilio occasionem impartiendi beneficij, quasi thesauri bene collocandi, sollicite obseruandam impendendamque commendat, perinde ac si diceret; caue ne elabatur occasio, ne te incautum prætereat tempus beneficij, vide ne defrauderis à die bono. Græce est, μή σε παρελθέτω. Id est, non te præcurrat, aut fallat particula boni doni, quasi dicat, Si non potes multum, fac, age quod potes.

Eccl. 14

Hoc monebat S. Paulus Hebræos: *Beneficentiæ & Communionis*, inquit, *nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* En quanti æstimet beneficia, vt ea hostiarum loco ponat; & ipse Apostolus mirum quam gratanter accipiat, & quantum extollat collatam in se gratiam hospitalitatis, ea præcipue ratione, quia omnes beneficij numeros impleuerat. *Impertiatur Dominus*, inquit, *Misericordiam Onesiphori familiæ, quia sæpe me recreauit, & refecit, nec catenæ meæ eum puduit, sed cum Romam venissem, summa diligentia me quæsiuit, & inuenit; faxit vt illo die misericordiam consequatur.* Quæso, quod beneficium æquare potuit tantam gratitudinem Apostoli! sed vice versa, quid defuit gratiæ, & officioso obsequio quod Apostolo impendit Onesiphorus? In quo promptissima in eo curando voluntas cernitur, diligentia in perquirendo, fœlicitas in inueniendo. Non expectauit rogari, sed præuenit; obuiam iit; egenti, latitanti, catenato, subuenit; quid mirum, si cui hæc faceret, Paulum inuenit, tantum Apostolum? Obseruo enim quod quoties agitur de Charitatis officiis proximo impendendis, aut Diuinis jussionibus exequendis, homines bonæ voluntatis, prompti, alacres, ad opus veloces, perplacent Deo. Vtriusque rei exemplum in Abrahamo mirabile eluxit. Prioris, in occursu & hospitio illo trium Angelorum, sub specie peregrinorum, ad quos non inuitatus, sed inuitaturus occurrit, nec occurrit tantum, sed obuiam cucurrit, dicente Sacro Textu. *Cucurrit in occursum eorum de ostio Tabernaculi, & adorauit in terram*, & beneuolentissime excepit. Et cum putauit excipere homines, Angelos recepit. Vnde Apostolus, *Hospitalitatis nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio recepti.* Quam promptè, quam ardenter, quam beneuolè occurrit, inuitauit, excepit, ex Scriptura nosce; *Domine si inueni gratiam in oculis tuis*, inquit, *ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & buccellam*

Ad Heb. 13

1. Tim. 1

Gen. 18

Hebr. 13

Digitized by Google

panis, lauate pedes vestros, & requiescite, & confortate cor vestrum. Quale gaudium tantis hospitibus, qui etsi nihilo egerent, mirùm tamen quantum, liberali vultu, & obsequio inuitantis pascebantur. Nam festinat Abraham, accelerat Sara, currit Coquus, omnis familia impenditur, quod quia alibi, tetigimus, hîc amplius non retractamus.

Venio ad alterum, Pietatis scilicet, exemplum sancti Patriarchæ, in quo quid amplius mirere nescias, aut Diuini præcepti magnitudinem ac difficultatem, aut obediendi promptitudinem ac facilitatem, austeritatem Dei præcipientis, alacritatem Abrahæ obtemperantis. Austeritas præcipientis Dei patet his verbis. *Abraham, tolle filium tuum vnigenitum quem diligis, Isaac, & vade, & offer mihi in holocaustum in vnum montium quem monstrauero tibi.* Alacritas Abrahæ obtemperantis, vocatus respondet, *adsum*, jussus, nil cunctatus, nil questus, non distulit, non expectauit diem, non consulit matrem, non audiuit carnem, non hæsit, non dubitauit, non horruit. *Igitur Abraham de nocte consurgens*, inquit Scriptura, *strauit Asinum suum, ducens secum duos juuenes, & Isaac filium suum.* Et vbi venit ad locum, dimissis comitibus, ne quid tanto operi testis obesset, dixit ad pueros suos: *Expectate hîc cum Asino, ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur.* O mirabilem animæ Deo subjectæ & obedientis depositionem! Properat ad necem filij, quam ipse illaturus est, parens intrepidus; ad mortem vnigeniti, quem summè diligit, immotus; ad extinctionem hæredis, & sui simul nominis, & sanguinis, inconcussus, impauidus: jam alligatus est puer, pyræ compositus, euaginatus gladius, manus extenta, & vibrans, nec dum attendit quis sit ipse qui immolet, & quis sit, qui immolandus est. Vnum cogitat, aduertit, properat, obtemperare Deo jubenti. Inde vides quantum actionis augeat pretium promptus animus, voluntas expedita, & properans.

Gen. 22

Exemplum aliud non injucundum prioris generis ex Genesi habes in Rebecca, quam procurator Abrahæ Eliezer in futuram filij Domini sui Isaac sponsam exquirebat & augurabatur his vnis indiciis ac signis, si prompta, si alacris, si volens & lubens adaquatum se, & Camelos suos, se offerret. Sic enim ille secum. *Ecce sto juxta fontem aquæ, & virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me, Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua, & dixerit mihi; Et tu bibe, & camelis tuis hauriam, ipsa est Mulier quam præparauit Dominus Filio Domini mei.* Quid inde? impleta sunt vota Procuratoris, promptior fuit Virgo, obsequio impendendo quàm ille postulando. Vnde cùm tempus adfuit, quo ille reditum parare vellet, & futuri conjugij verba rata facere, *dixerunt, vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem, cumque vocata venisset*, sciscitantibus ab ea, *vis ire cum homine isto*; incunctanter respondit, *vadam*, & dimiserunt eam. His auspiciis, & qualitatibus meruit Virgo Filio Abrahæ nuptiis copulari, Isaac sponsa fieri & mater Iacob, & Auia Christi. Illud Oraculum implens, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Gen. 24

Ita est, tales vult sponsas Deus, tales quærit animas, quæ promptæ, alacres ac faciles in ejus verba consentiant, fœdera coëant, vota conspirent.

Eccl. 5 · Ecclesi. 9 · Ad Galat. 1

Propterea dicit: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem*, &c. Et apud Ecclesiastem: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* Propterea vocatus de Cœlo Apostolus, aurem aperuit, prostratus citò respondit: *Quid me vis facere?* Vnde ait: *Cùm autem placuit ei qui me*

Digitized by Google

segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelisarem illum in Gentibus, continuò non acquieui carni & sanguini. Quia Dominus tardos rejicit, & cunctantes, & cum fatuis virginibus sero ad beneficia Nuptiarum accedent, occlusa in faciem porta repellit. Quod ad propositam materiam satis.

TITVLVS LXI.

DE INGRATITVDINE.

FABVLA.

De Riuulo Fontem suum conuitiante.

QVIDAM Riuulus aquarum suarum abundantiam, & piscium quos alebat, & terrarum tractus quos ad vsus humanos circumibat, contemplans; cœpit non leuiter superbia intumescere, & despicere fontem suum, velut inertem & sterilem, & conuitiis lacessere, se & suas dotes insolenter jactans, vnde aliquando offensus & excandescens Fons, sic ad eum, sicine, inquit, radius lucis in Solem, au Riuulus in Fontem? Ingrate, & cujus sunt illæ diuitiæ quas jactas, vnde accepisti vt esses & flueres? vt igitur sapias, & te cognoscas, quisque nostrum sua habeat; & repressis suo in sinu vndis suis, alueus, aquis & piscibus subito decedentibus siccus euanuit. Ingratitudinis suæ meritas pœnas luens.

De Oue Pastori suo exprobrante.

OVis de grege muginari non cessabat, & exprobrare Pastori suo, quòd durè nimis secum ageret, non contentus lacte, quod bis in die mulgeret, insuper tempestiuè & intempestiue tonderet, & detonsam algere, aut vri, parum curaret. Hujusmodi querelis aliquando offensus Pastor, Agnellum ejus fremens ab ejus vbere rapuit, & mactandum ferens, Ingrata, *ait, mala bestia, sic meam curam, labores, vigilias, pro nihilo habes? Et vnde nisi ex me habes lac, & lanam, & fœtus? Nunquid non mihi licet te occidere, & Lupis aut Canibus deuorandam projicere? His auditis obmutuit, ac resipuit, agnoscens ingrati esse, & malè feriati animi, in eum murmurare; qui super nos habet potestatem vitæ & necis, & modica conditionis nostræ incommoda toleranda, pensatis bonis, quibus sua benignitate potimur.*

Olitor & Canis.

DEciderat fortè in puteum Canis Olitoris, nec sursum sine ope emergere poterat. Descendit ergo Herus in profundum, sed dum putat ferre laboranti suppetias; Canis ratus accessisse vt obrueret, Herum mo-

Digitized by Google

mordit, qui admorsus, mala bestia, inquit, sic injuriam pro gratia rependis? benefactorem tuum vt inimicum habes? Tales sunt hodie bene multi, pro bonis mala reddentes.

Pastor.

PAscentibus in querceto Ouibus, Pastor, stratis sub arbore vestibus, Quercum ascenderat glandes decussum, quas dum ad terram cadentes edunt, edunt etiam cum eis vestes sui Pastoris; quo agnito, ô pessima animalia, ait, quæ cæteris vellus & vestes, nihil vobis conferentibus præbetis, mihi vero Custodi vestro, & Pastori, etiam quas non præbuistis, aufertis? Tales hodie inueniuntur sæpius, qui extraneos aut immerentes afficiunt, quibus nihil debent, & contra flocci faciunt, quibus multis nominibus obstricti sunt.

De Cane, seu Asino, sene, Heri ingrati.

SEnuerat Canis venaticus, in juuentute sua strenuus, venandi arte, aut celeritate nulli secundus; sed annis grauis, cum amplius currere aut venari non posset, ab Hero crudeliter tractabatur. Frustrà objectabat acta seruitia, florentis ætatis merita, senium, non minus ab austero Hero verberabatur. Vnde conquerens & ejulans dicebat, ô ingratos homines, apud quos nulla præteriti ratio, sola præsentis commodi & vtilis habetur.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

INGRATVS, DEO ET NATVRÆ INIVRIVS.

Probatur primò & illustratur,

EX PROFANIS.

EO libentiùs ad hanc tractationem cursu venio, quo mihi optimè Seneca dixisse videtur. *Qui gratos esse docet, is hominum & Deorum causam agit.* Quibus nullius rei indigentibus, extra fortunam & desiderium positis, referre nihilominus gratiam possumus. Qua sententia non video quid homini ingenuo ac cordato contingere possit jucundius, quam vt Deo, de tantis quibus vbertim ac jugiter cumulatur beneficiis, possit sua gratitudine facere satis, aut quid turpius exprobrari ignauo, qui cum possit tanto Creditori debitum expungere, vitio suo ingratus esse malit.

Lib. 2. de ben. c. 30

Neque enim mihi vllo modo probatur illa vox cujusdam Furnij, adulationis olidæ quam veritatis plenior, licet Augusto perplacuerit, qui patris, Antonij partes secuti venia impetrata gratias amplas egisse putauit, dicens, *Hanc vnam Cæsar, habeo injuriam tuam, effecisti vt viuerem, & morerer*

L. 2. c. 25

moreret ingratus. Nemo enim cogitur viuere & mori ingratus: vel ipso Seneca dicente: *Nemo vinci potest beneficiis, si scit debere; si vult referre, si quod rebus non potest, animo aequat.* Hic quandiu in hoc permanet, quandiu tenet voluntatem, gratum animum signis approbat. Item, *Diis nihil aliud praeter voluntatem praestare possumus, sed si his quoque quibus gratiam referre debeo, nihil aliud praestare possum, quid est quare non eo aduersus hominem gratus sim, quo nihil amplius in Deos confero?*

Sed quò terrarum abducimur! cum hodie non pauci, vel à Deo se beneficium accepisse negent, vel acceptum minuent, vel alta ipsum obliuione obscurent! In hos omnes detonat Seneca. In primos. *Quantus*, inquit, *iste furor est controuersiam Diis muneris sui facere? Quomodo aduersus eos hic erit gratus, quibus gratia referri sine impendio non potest, qui negat ab his* (supple Diis,) *accepisse se, à quibus cum maximè accipit, qui & semper daturi sunt, & nunquam recepturi? Quanta autem peruersitas ob hoc alicui non debere, quia etiam inficianti benignus est, & continuationem ipsam seriemque beneficij argumentum vocare necessariò dantis? Non ideo de te meretur is, cujus liberalitas ad te etiam dum negat peruenit? Cujusque beneficiorum, vel hoc maximum, quod etiam querenti daturus est.*

Lib.6.de ben. c.23

Non dat, inquit Impius, *beneficia Deus? Vnde ergo ista quae possides? quae negas? quae seruas? quae rapis? Vnde haec innumerabilia, oculos, aures, & animum mulcentia? Vnde illa luxuriem quoque instruens copia? neque enim necessitatibus tantummodo nostris prouisum est, vsque in delicias amamur, &c.*

L.8. c.5

An verò illi non minuunt Dei beneficium? qui Diuinorum munerum iniqui aestimatores queruntur, quod non magnitudine corporis aequemus Elephantos, velocitate Ceruos, leuitate aues, impetu tauros? quod solidior sit cutis belluis, decentior Damis, mollior fibris? &c. Quòd sagacitate nos narium vincant canes, quod acie luminum Aquilae, spatio aetatis Corui? & cum quaedam ne coire quidem in idem natura patiatur, ex diuersis ac dissidentibus bonis hominem non esse compositum; Injuriam vocant, & *in negligentes nostri Deos querimoniam faciunt? Quòd non bona valetudo & vitijs inexpugnabilis data sit, quòd non futuri scientia; eò vsque prouecti impudentiae, vt murmurent quòd infra Deos simus, quòd non in aequo illis stetimus.* Quantò satius est ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reuerti & agere gratias, quòd nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri, quòd terrenis praefecerunt. *Proinde quisquis es iniquus aestimator sortis humanae, cogita quanta nobis tribuerit parens noster, quantò valentiora animalia sub jugum misimus, quantò velociora consequamur, quàm nihil sit mortale non sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot Artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento peruium est.* Sic Ethnicus ille, Diuina perquàm sapienter beneficia expendens, & Mortalium simul probrosissimam Ingratitudinem, Deo etiam contumeliosam.

L.2. c.29

Et unde Ingratus, Deo est injurius; inde etiam & Naturae est; vt proptereà sit vniuersale odium, & execratio omnium gentium.

Persae, inquit Xenophon, *vehementer causam agunt Ingratitudinis; & quem cognôrint posse referre gratiam, nec refert, in hunc seuerissimè animaduertunt; quippe qui arbitrantur eos, qui sunt ingrati, & Deos majorem in modum negligere, & parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinem verò potissimùm impudentia sequitur; quae ad omnem turpitudinem maxima est dux.* Sic ille, Ingratum locans inter Deorum hostes, & parricidas. Et Idem, libro de factis & dictis So-

De Cyri Paed. 1. r Ap. Stob. serm. 42

Lib.1. de dictis & fact. Socr. Ser. 77

cratis, colligit è colloquio magni hujus viri cum filio suo Lamprocleo, Ingratos, qui acceptis beneficiis non referunt gratias cùm possint, injustos esse, maximè inter homines, & injuriosos; & Ingratitudine majorem in hac vita non esse injuriam: quod optimè nostro Morali concordat.

Sen. l.1 de benef. c. 3

Ingratus, inquam, est maximè Naturæ injurius, quæ in efferatissimis belluis Gratitudinis sensum inseruit. *Nam & officia*, inquit Seneca, *fere sentiunt; nec vllum tam insuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à Magistris impunè tractantur; Elephantorum feritatem vsque in seruile obsequium demeretur cibus.*

Hîc inserenda venit historia Androdi, quam Aulu-Gellius refert, ab Appiano teste oculato collecta. Is conditione seruus, crimine fugitiuus, cùm Romæ damnatus fuisset ad bestias, & in Amphitheatro productus, & Leo in eum ex aduerso solutus, immanis staturæ ac feritatis, cognito de repente procul Medico suo, hospes mitis & gratulabundus accessit, more canum abblandiendo. Quæ res tam inusitata & admirabilis, cùm maximos populi clamores excitasset, narrauit Androdus sibi aliquando de domo heri sui fugienti, & per deserta Africæ palanti, obuium factum hunc Leonem, pede claudicantem, atque gemitus edentem, pedemque turgidum, quasi petendæ opis gratia, sibi monstrantem. Quo intellecto, vbi se ex timore recepisset, ingentem spinam extraxisse, saniem ac dolorem sensim extersisse: quod beneficium generosum animal recognoscens, ipsum secum de sua prȩda in eadem specu triennium enutriisse, vnde postea vterque seorsim captus, Diis sic volentibus, alter alteri objectus, hospes Leo sui Medici, priorem gratiam, posteriori gratitudine repensarit. Quam historiam terminans Aulu-Gellius, scribit, cunctis petentibus, dimissum Androdum, & pœna solutum, Leonemque ei suffragiis populi donatum. *Postea*, inquit, *videbamus Androdum, & Leonem loro tenui reuinctum, Vrbe tota circùm tabernas ire; donari ære Androdum, floribus spargi Leonem, omnesque ferè vbique obuios dicere: Hic est Leo, hospes hominis: Hic est homo, Medicus Leonis.*

Aquila rex auium, nec Leoni gratitudine, nec generositate inferior, à puella educata in vrbe Sextio, adeo gratiæ memor fuit, vt aues, quas venando caperet, afferret virgini; quæ cùm diem obiisset, & de more corpus ejus cremaretur, in eumdem rogum se generosus ales injecit, & vnà ambustus est.

Imperante Tiberio Cȩsare, Populus Romanus Coruum honorificè sepeliuit, duobus Æthiopibus feretrum ejus ferentibus, prȩcinente Tubicine ac Musicis, trucidato anteà eo qui Coruum occiderat, lapidibus scilicet obruto. Hoc autem egit; quia hæc auis nominatim manè Drusum ac Germanicum Cȩsares, ac multos prȩtereà alios, postremò totum populum salutabat. Quo patet, quantum laudis Gratitudo mereatur, quæ in homines exercetur, cùm erga irrationale animal victor gentium populus ea vti voluerit, inquit Fulgosius.

l.5. c.2 de Grat.

L.8. hist. nat. c.4

Canum nota fidelitas. *In nostro æuo*, inquit Plinius, *actis P. Romani testatum. Cùm animaduerteretur ex causa Neronis Germanici filij in Titum Sabinum, & seruitia ejus, vnum ex his canem nec à carcere abigi potuisse, nec à corpore recessisse, abjecto in gradibus Gemoniis, mœstos edentem vlulatus, magna P. R. corona circumstante; ex qua cùm cibum ei quidam objecisset, ad os defuncti tulisse. Innatauit idem cadauere in Tyberim abjecto, sustentare conatus, effusa multitudine ad specta-*

Digitized by Google

dam animalis fidem. Ita Plinius.

Sed & Aspidum ac serpentum Natura, quæ illis immansuetissima esse dicitur, accipiendæ reddendæque vicem gratiæ, minime incapax est. Testis ille, qui in Ægypto in tugurio pauperis cujusdam rustici enutritus, innoxius ibat ac redibat, tangebaturque à domesticis. Narrant autem in eadem Casa peperisse: accidisse autem, vt cùm rustici filiolus anguis filium forte durius manu tractasset, hic illum pupugerit, & illico per venas ad cor permeante veneno interierit. Quod vbi resciuit parens, filium scilicet hospitis interemptum, jus hospitij à suis violatum, omnes filios suos occidit, & abiit, nunquam posteà in domo conspectus.

Sed & Piscium Natura, licet omnium animalium immansuetissima, & vt ab hominum aspectu & habitatione, sic consuetudine, abhorrens; Beneficentiæ tamen non ignara aut incapax est. *Ne pluribus immorer, Delphinos hominum amasios historiæ loquuntur,* inquit Aulu-Gellius; & ex Appione narrat cujusdam amores erga puerum, lusus, gesticulationes, aurigationes. Contigit vt is puer Delphino amatus, morbo affectus diem obiret. Delphinus amans, vbi sępè ad littus solitum adnauit, & puer, qui primo vado aduentum ejus operiri consueuerat, nusquam fuit, desiderio tabuit, & exanimatus in littore jacens repertus est ab iis qui rem cognouerant, & in eodem pueri sepulchro humatus est.

Plin. l. 10 c. 74

Aul. Gell. L. 7. Noct. Attic.

Quæ prodigia Naturæ Auctor voluit forte conspici, vt pudeat homines, quos humanitatis ratio, & sanguinis communio, à feris distinxit, ferarum naturam induere, & vitia superare.

Propterea Ingratum Poëta Menander non male expressit per catulum Lupi, quem Capra lactaret, suam posteà Nutricem depascentem; cujus Epigramma sic quidam apud Alciatum vertit:

Agna Lupum pasco proprijs inuita mamillis,
Pastoris fatui sed jubet imperium.
Nutritus per me rursus, scio, sæuiet in me:
Vertere Naturam gratia nulla potest.

Hujusmodi Monstra producit quæque ætas, hominum in parentes, in Amicos, in benefactores insurgentium, & altores suos & nutrices, qui se aluerant, commandentium.

Vt nostra in aliis videamus, nihil orbis crudelius vidit cęde Iulij Cęsaris, medio in Senatu confossi ab ingratissimis Conciuibus, quos summis beneficiis sibi deuinxerat; referente Appiano, Pop. Romanum nulla re magis commotum exarsisse in auctores cędis, quam cùm lecto defuncti publice testamento compererunt, Populo Rom. hortos amplissimos, & singulis ciuibus qui in vrbe adessent, viritim legasse pecunias: sed illud præsertim intolerabile, omnes quotquot in mortem ejus conspirauerant, ex Pompeiana factione in potestatem ejus venerant, & pro suppliciis ad Magistratus Nationum & Præfecturas exercituum ab eo elati fuerant. *Miserandum porro,* ait, *vel in primis id visum est, cùm Decimum Brutum ex ejus percussoribus inter secundos hæredes scriptum cognouissent, &c. & ob id non mediocriter cunctorum animi turbati sunt, dirum ac nefandum existimantes Decimum in Cæsarem vltro conspirasse, qui ab illo filius esset nominatus.* Ex quo abundanter patet proposita veritas, INGRATVS, DEO ET NATVRÆ INIVRIVS.

Appian. L. 2. bel. ciuil. Rom.

Digitized by Google

INGRATVS, DEO ET NATVRÆ INIVRIVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

INGRATVS, Deo & Naturæ vel inde probatur injurius, quòd Deus & Natura vbique Gratitudinem doceant, & rebus omnibus imprimant.

Deus, si quando ingens aliquod patrauit facinus, aut beneficium magni momenti in homines contulit, voluit semper extare aliquod suæ gloriæ monumentum.

Sic in opere Creationis, instructo ditissima supellectile hoc Vniuerso, vltimò hominem condidit, in quo vno & sui imaginem impressit, & omnium creaturarum perfectiones inclusit, vt esset qui in admirationem tantæ Majestatis & amorem assurgeret, & de tot tantisque muneribus gratias ageret, & suas vices rependeret specialissimo cultu, sacrificio scilicet, quod idcirco instituit, & sibi offerri voluit; per quod etiam primum hominem, statim atque ab errore resipuit, Deo Creatori litasse, apud Interpretes extra dubium est, licet alto silentio in Scripturis defossum: Vt qui tam fœdis initiis vitæ primordia maculauerat, & origo peccati fuerat, de cętero memorari in sacris Fastis indignus esset, nisi in Religione & sacrificio filiorum, qui à patre edocti, pari ritu, sed dispari successu, Deo de suis obtulerunt.

Perer. in Gen. c. 4 l. 7 versu 2

Rursus mutata Natura, & rerum facie per Diluuium, repurgato scilicet Mundo, & saluato per aquas seminario generis humani, nouo beneficio noua debebatur gratiarum actio, noua hostia, quæ reliquias primæuæ sobolis, & futuræ spem, Deo consecraret; huic muneri nouus hominum Sator Noë non defuit, sed solennes hostias Deo gratissimas immolauit, dicente Scriptura: *Aedificauit autem Noë altare Domino; & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis.*

Gen. 8

Sic sanctissimos Patriarchas Abraham & Iacob, aliosque legimus, quotiescunque Diuinis reuelationibus, visis, aut promissis dignati sunt, loca illa confestim erectis altaribus sanctificasse, celebrasse sacrificiis, & promptos in vota ac fœdera cum Deo coiuisse.

Gen. 12 & 28

Ea de causa post eductũ è seruitute Ægypti Israëlem, Deus relligionem Phases seu esum Agni Paschalis specialissimo cultu celebrandum instituit in memoriam tanti beneficij. *Habebitis*, inquit, *hunc diem in Monumentum, & celebrabitis eum solennem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno, &c. Vt cùm dixerint vobis filij vestri, Quæ est ista Religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est.*

Exod. 12

Sic post transuadatum sicco pede Iordanem à populo Israël, ductore Iosuë, consistentibus hinc instar muri altissimi aquis, ex altera parte fugientibus; in tanti miraculi tesseram ac memoriam jussit Deus, juxta numerum duodecim Tribuum Israel, duodecim lapides prægrandes è medio

Digitized by Google

fluminis alueo asportari, & è regione figi; *Vt signum*, inquit, *sit inter vos; & quando interrogauerint vos filij vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt lapides isti? Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante Arcam fœderis Domini, cùm transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israël vsque in æternum.* Iosue 4

Sed illud longe mirabilius, quod multi scribunt, & inter eos S. Gregorius Turonensis, " Sulcos, quos rotæ curruum fecerant, vsque hodie permanere, & quantum acies oculorum videre potest, in profundo cerni: quos si modicum commotio maris obtexerit, illo quiescente diuinitus renouantur, vt fuerant. „ Sic ille. Quod fortasse Psalmista voluit significare, describens id miraculum: *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis.* Per hoc, si ita est, dans intelligi, quòd cùm homines plerunque in aqua vel arena beneficia ingrati scribere soleant, quòd citò ea è memoria expungant, videant Deum in ipsis aquis beneficia scribere, & mirabilia sua, quasi in ære ac marmore sculpta, æternare.

Tenet. & Orosius l. 1. c. 10 &S. Greg Turon. in hist. franc L. 1. n. 10

Psal. 76

Sic Samuël obtenta cœlitus victoria contra Philisthæos, in gratiarum actionem & monumentum cœlestis auxilij erexit lapidem eodem loco, & insigni Epigraphe illustrauit: *Tulit autem Samuël lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath & Sen, & vocauit nomen loci illius, Lapis adjutorij; dixitque, Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.* 1. Reg. 7

Sic Dauid reportata de immani Giganti victoria, & amputato ejus capite proprio gladio, arma ejus in facti memoriam sacro tholo appendit. 1. Reg. 21

Non secus formosa illa, nec minùs casta Bellatrix, Iudith, *vniuersa vasa bellica Holophernis*, inquit sacer Textus, *quæ dedit illi populus, & Conopæum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis*, id est, in detestationem Ingratitudinis. Quia, vt Angelus Tobiæ monuit, *Opera Dei reuelare, & confiteri, honorificum est.* Iudit. 16 Tob. 12

Eodem mouente Spiritu, sacra Cantica in Scriptura celebrantur, quæ magnæ quædam de Deo afflatæ animæ cecinerunt, post pręclarum aliquod editum opus, aut victoriam ex hostibus partam, aut gratiæ alicujus singularis collationẽ, eaque sacris literis ad posteritatis fidem consignarunt. Quale fuit Canticum Moysis, post demersum in mari rubro Pharaonem, Ægyptiumque militem; Carmen Epicinicum. *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare:* quod Leuitæ & Sacerdotes vnus Chorus & Maria Prophetissa soror Moisis & Aaron cum mulieribus secundus Chorus, cum tympanis & choris Mose præcinente, istis succinentibus, mira alacritate, concentu ac jubilo personarunt. Vel ejusdem Moisis illud alterum quod morti proximus suauissimus olor modulatus est beneficia Dei in populum prope infinita perstringens, juxta & Iudæorum ingratitudinem.

Exod. 15 secund. Philon. & Oleast.

Deut. 32

Ita Dauid in toto Psalterio. Ita Debbora sui sæculi Heroina, cæso Sisara; Iudith trucidato Holopherne. Tres filij captiuitatis medio in fornace, ac igne. Ezechia Rege, obtenta sanitate & prorogato vitæ spatio. Ita Anna, nato Samuele. Ita denique Zacharia recuperato linguæ vsu, nato Ioanne. Simeon viso Christo infante, & præ omnibus beatissima Virgo, sacris in visceribus Christum portans suum *Magnificat*, suauissimum hominibus & Angelis Tripudium intonuit.

Iudic. 5 Iudit. 16 Dan. 3 Isaiæ 38 1. Reg. 2 Lucæ 1 Lucæ 2 Lucæ 1

Ex quo inferas quam inuisus sit Deo ingratus, quo vel extra jubente, vel interius mouente sancti homines post accepta ab eo beneficia toti in

gratiarum actiones & hymnos statim prorumpant.

Naturæ etiam injuriam facit Ingratus; quia naturaliter impellimur benefactores nostros diligere, gratiam & vicem pro viribus rependere. Hoc ratio Barbaris, hoc ius Ethnicis, hoc Natura cunctis gentibus, & feris ipsis vel immanissimis ipsa præscripsit, vt beneficio affectæ vicem & gratiam reddant; adeò Natura horret Ingratos.

Prima mulier duce Natura, jam Gratiæ primæuæ expers, se genuisse lętata, & pro singulari beneficio cœlitus dato reputans, grati animi sui sensum operis Inscriptione, & filij Nomenclatura significauit, ac Deo dedicauit, dicens: *Possedi hominem per Deum; & Cain vocauit, id est, possessio.* Quidni verò exultaret, quòd nuper mortis sententiæ addicta, fructum vitæ peperit; ideo in ipso nomine impressam voluit esse tanti beneficij, & suæ gratitudinis testificationem, vt bene Procopius. " Mulier, inquit, quæ virum in Paradiso ad peccatum impulerat, nunc jam de Paradiso ejecta melior effecta est: hoc ipsum dedit disciplina. Deo enim adscribit filij sui creationem: quæ prius despiciebat Deum, nunc eum Dominum agnoscit, & ad eum vt Dominum confugit; quæ antea circumuenit virum, filium decenter instruit, nomen illi imponit, quo audito semper admoneatur se esse donum Dei. Dum ergo petit Nomenclaturam à munere Dei, quasi perpetuum doctrinæ argumentum filio parat. " Hæc Procopius. Contra quod, Ingratus ac perfidus nominis sui rationem inuertit. Nam si credimus D. Ambrosio, " Cain dicitur Acquisitio, quòd omnia sibi acquireret; Abel, gratus & pius, omnia ad Deum referret. Nam Abel idem esse vult, ac Ad Deum. "

Procop. Gaz. in Gen. 4

L. de Cain. & Abel. c. 1

Iethro, Gentilis Sacerdos Madian, vt nouit virum Ægyptium filias suas à Pastoribus inquilinis defendisse, & greges adaquasse; *Vbi est,* inquit? *quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem,* &c. Is est Moyses, breui gener futurus.

Exod. 2

Assuerus & ipse Ethnicus, Rex potens, centum viginti Prouinciis imperans, & ideo beneficio omni superior, nocte quadam insomni cum ex Annalibus suorum temporum legisset Mardochæum insidias domesticorum suorum detexisse, & noxam à capite regio auertisse; protinus vocatis Cubiculariis, *Quid pro hac fide,* inquit, *honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt: Nihil.* Statimque vocato Aman, amplissimos ei honores mercedemque decernit.

Esther. 6

Quid quòd bruta ipsa Gratitudinis leges homini ipsi præscribunt, vt propterea sic conqueratur de homine per Prophetam Spiritus Dei: *Filios enutriui & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me. Cognouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.*

Isaiæ 1

A multis quæritur, quid faciat in Sacra Historia, Tobiæ, canis ille qui tam accuratè describitur, secutus Iuniorem in comitatu Angeli, ad Gabelum in Rages, ciuitatem Medorum, pergentem? *Profectus est autem Tobias,* inquit, *& canis secutus est eum.* & iterum redeunti præiuisse, prænuntius gaudij ac lętitiæ communis. Sic enim habet Textus: *Tunc præcucurrit canis qui simul fuerat in via, & quasi nuncius adueniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.* Nunquid puerilis, aut ociosa descriptio? Apage istam blasphemiam à mente sana. Nihil ociosum est in Scriptura, quam dictauit Spiritus Sanctus. " Talis canis viator, & comes Angeli est (inquit S. Ambrosius)

Tob. 6

Lib. 6 Hexam. cap. 4

Digitized by Google

quem Raphaël in libro Prophetico non ociosè sibi & Tobiæ filio adjungendum putauit, quando perrexit vt Asmodæum fugaret, & firmaret copulam Conjugalem. Vides vt Angelus, & tantus Angelus, non dedignetur aut despiciat consortium Catelli. „ ex S. Doctore. Rationem autem cur id fecerit, subjungit: " Quia ex supremo & infimo ordine, nil Angelo ad Gratitudinem propensius, nil inter animantes, cane. Memoris enim, ait S. Doctor, affectus gratia, pellitur Dęmonium, stabilitur Conjugium, & mutæ specie bestiæ S. Raphaël Angelus Tobiam juuenem, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectu. Quis enim (concludit) non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati. „ Quod sit satis.

TITVLVS LXII.

DE INGRATITVDINE.

FABVLA.

Cerua & Vitis.

CERVA à Venatoribus acta, in vineam se saltu injecerat, & frondosa ac patula sub Vite se absconderat, donec canum latratus, aut Venatorum vestigia perderet; vbi nil audiuit, desinit timere, sublatoque timore, se in tuto rata, cœpit vitis frondes & folia, quibus tegebatur, depascere. Sed confestim subodorantibus prædam suam canibus, redeunt Venatores, & conuersis in vineam oculis, quo latratus canum monstrabant, agitata folia quæ carpebat, intuentes, animaduerterunt eminentem media sub vmbra bestiam, & propius accedentes, sagittis confoderunt, ipsa autem moriens dicebat, justa patior, stulta & ingrata, quæ hospitalitatis jure violato, meam seruatricem offendi, vnde me Dij vindices justè perdunt. Innuit ingratitudinis vitium vix effugere Diuinam iram.

De Rustico & Colubro.

RVsticus videns Colubrum in niue frigore rigentem, miseratus illius tulit in domum, & ad ignem calefaciendum admouit, & ad sua foras exiuit. Serpens igne recreatus, resumptis viribus, cœpit intra ostium exerta lingua sibilare, minari, furere. Redit Rusticus, & apprehensa sude: Tu-ne, inquit, hanc mihi pro beneficio referes gratiam, vt vitam ei auferas, cui debes tuam? Et hæc dicens, Anguem percussit & occidit. Genuina tabula hominis ingrati! Quoties in vita putasti beneficiis Amicum facere, & fouisti inimicum? Recipere apud te hospitem, & hostem, seu serpentem excepisti? Qui in te linguam & virus, quo te inficeret exeruit?

Digitized by Google

De Serpente, Homine & Simio.

SErpens ex aliquo accidente sub lapide oppressus jacens, prætereuntem hominem rogauit vt saxum amoueret, ingentem pro hac gratia thesaurum promittens; assensit vir simplex, amouit saxum, liberauit oppressum, & petit mercedem: Serpens negare, conuitiari, litem facere. Illis contendentibus transiit Simius, qui mutuo vtriusque litigantium causæ arbiter electus est. Is auditis partibus, se non satis rem capere posse dixit, nisi in eundem statum se Serpens reducat, in quo antea fuerat: ergo lapidi vir serpentem supposuit, ad quem Simius: Perfidum, inquit, animal, ingratum, immite, Diis & hominibus exosum, meum hoc esto judicium, vt sub hoc lapide, omni ope Deorum hominumque destitutus, æternum maneas. Digna ingratis pœna.

De Lupo & Grue.

LVpus nimiæ animal voracitatis, osse prædæ quod gutturi adhæserat, non parùm angebatur, imo strangulabatur; cum Gruem prope transeuntem aduertens, rogauit, vt rostro suo faucibus ingesto, os extraheret, mercedem amplam pro gratia rependere promittens. Annuit Grus spe mercedis, os eduxit, ægrum sanauit. Postulauit ergo mercedem, cui Lupus subridens, & dentes exerens; Nunquid tibi satis esse putas, ait, quod ex faucibus Lupi illæsa & salua exiisti? Innuit ab ingrato, nil gratiæ sperandum, sed omnia jura, Diuina & humana, violari.

Apiarius.

QVidam latro nocte concubia in hortum Coloni ingressus fauos mellis abstulerat. Paulo post Colonus alueolos visitans, intus & foris inuestigans, & furtum agnoscens, ab apibus exacerbatis punctus est. Qui sic ad eas, ô ingrata animalia, inquit, quæ furem impune dimisistis, & Dominum vestrum, qui vos curat, pascit, nutrit, hostiliter laceratis. Hoc sæpe vsu venire solet, vt homines inimicos suos audiant & credant, Amicos verò oderint, cane vt dicitur pejus & angue.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

INGRATO NIL PEIVS, EODEM NIL COMMVNIVS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

INGRATITVDINIS vitium vituperare, tam videtur superuacuum, vtpotè quod omnium Mortalium sermo condemnat, quàm ex æquo otiosum; quia vbique gentium commune. Percurre omnes virtutes, nulla erit tam laudata probataque, quin vituperatores inueniat: at Gratitudinem nulla barbaries gentium, nulla morum immanitas vituperabit. Contra, recense singula vitia, etiam ea quæ in perniciem humanæ societatis excurrunt, excusationem aliquam admittunt, aut preferunt; sit auarus, sit adulter, sit fur, sit sicarius; habebunt aliquas defensiones. Ingratus, vitium suum excusare non audebit, sed negare.

Huic vni rei non est posita lex, inquit Seneca, *tanquam satis Natura cauisset: quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis jubet: superuacuum est enim quò Natura imus, impelli; ita ne ad hoc quidem vt honesta & debita per se petat. Vt enim per se expetenda est grati animi affectio, sic per se fugienda res est, Ingratum esse.* Nec aduersus Ingratum datur actio, aut pœna decreta est; quia, ait, nec quid sit, aut quantum, beneficium, benè constat; cùm sæpè qui reddidit quod accepit, ingratus est; & qui non reddidit, gratus; vel etiam quia huic actioni nullus Iudex satis idoneus reperitur, aut denique quia huic rei omnia fora vix sufficerent.

Lib. 4. de ben.

lib. 3

Sed quæ pœna Ingrato digna posset irrogari? quia criminum omnium reus est? Vetus Prouerbium est, Adjutorem Ingratus non inueniet. Marcus Antoninus Imperator, cognomento Philosophus, Cassium rebellem, Prouincias Romanas incursantem, non alia pœna mulctauit, quàm declarando eum Ingratum; quò probro omnia probra continentur. Nam quid aliud esse dicas Ingratum, nisi summi Numinis contemptorem, erga patriam, parentes, amicos, contumeliosum?

Denique quidquid de Ingrato dici potest, vno verbo conclusit Seneca; quum ingrato omnia vitia inesse, asseruit. Is enim post descriptos sæculi corruptos mores, his verbis; *Cæterum id semper de nobis pronuntiare debebimus, malos esse nos, malosque fuisse, inuitus adjiciam, & futuros esse. Erunt homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores.* Addit, *infra ista omnia ingratus est, nisi quòd omnia ista ab ingrato animo fluunt, sine quo vix vllum magnum facinus accreuit. Hoc tu caue, tanquam maximum crimen, ne admittas.*

Sen. lib. 1 de benef. c. 10

2. Exaggerat atrocitatem hujus vitij ex hoc quòd duo præcipua vitæ humanæ fulcimenta ac præsidia funditus diruit, Concordiam scilicet vitæ, seu societatem, & Rationem. Sic autem ille: *Per se fugienda res est, Ingratum esse. Quoniam nihil æquè Concordiam humani generis dissociat ac distrahit,*

L. 4. c. 18

Digitized by Google

quàm hoc vitium. Nam quo alio tuti sumus, quàm quòd mutuis juuamur officijs? Hoc vno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio.

Quod deinde pulchra Inductione probat imbecillitatis Naturæ humanæ, quæ non aliò se vallo à ferocitate animalium defendit, quàm societate & mutua Concordia. *Fac nos singulos*, ait. *Quid sumus? Præda animalium & victimæ, ac vilissimus & facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in sui tutelam satis virium est. Quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt. Hominem Imbecillitas cingit, non vnguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Nudum & infirmum societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validissimum facerent, Rationem & Societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur.* Societas illi dominium animalium dedit; societas terris genitum, in alienæ Naturæ transmisit imperium, & dominari etiam in mari jussit. *Hanc tolle, & vnitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes: tolletur autem, si effícies vt ingratus animus non per se vitandus sit; sed quia aliud illi vitandum est. Quàm multi sunt enim, quibus Ingratis esse tuto licet?*

Idem dic de Ratione, quæ Concordiæ ac societatis radix & præsidium est, quam nihil æquè labefactat, confundit ac destruit, ac Ingratitudo. Vt enim nil tam Rationi consentaneum est, quàm Beneficentia; sic nil magis ab ea abhorrens & odiosum, vt animus Ingratus.

Majori probatione non indiget prima pars assumpti Moralis, INGRATO NIL PEIUS, nisi aduocemus in hunc concentum Poëtas.

Optimè in hoc argumentum Petrus Crinitus ex professo: (Lib. 2 Poëm. de fugiend. Ingrat.)

Ingratus est vitandus, vt dirum scelus:
Nihil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portentosius quicquam puto.
Ingratus aut malè facit, aut malè cogitat,
Sibique tantùm parcit, alijs detrahit,
Et odit omnes, qui bonis benefaciunt:
Ingratus est audacior, quò nequior,
Et impudens; ad omnia scelera trahitur,
Audaxque cuncta semper in pejus mouet.
Ingratus est seminarium scelerum omnium:
Hinc est auara mens, & animus perditus;
Hinc fastus impotens, & ambitus grauis.
Ingratus hoc vnum benefacit, cùm perit:
Nam tellus ipsa fœdius nil creat.
Portentum id omnium habendum est maximum.

Hæc omnia vno verbo concludit Ausonius:

Ingrato homine terra pejus nil creat.

Plautus: (in Persa) *Improbus est homo,*
Qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.
Nihil amas, si Ingratum amas.

Lucianus Ingratum dolio pertuso comparat:

Malus vir dolium est perforatum, in quod omnes
Immittens gratias, in vanum effudisti.

Vel vt Cornarius metro reddidit:

Perfusum vas est, Ingratus homuncio: semper

Digitized by Google

Omne quod infundis, perfluit in nihilum.

Altera Moralis nostri pars, INGRATO NIL COMMVNIVS; non operosior probatu est. Sufficeret hic exscribere quæ Seneca fusissimè habet; ex quibus exscerpere aliqua iuuabit, ne longior citatio fastidio sit Lectori. *Omnes*, inquit, *stulti & mali sunt; omnes ergo ingrati sunt. Quid ergo? Non vndique humano generi conuitium fit? Non publica querela est, beneficia perisse, & paucissimos esse, qui de benè merentibus non inuicem pessimè mereantur.*

Lib.5. de ben.

Quod vt aliquali Inductione per singula monstremus, Ingrati maximè sunt Potentes, Monarchæ, Principes. Nolunt meminisse acceptorum: pudet eos ad priorem fortunam cogitatione reuocari, qui in summa consistunt. Sic Tiberius dicenti cuidam, *Meministi?* antequam plures notas familiaritatis veteris proferret, sermonem abrupit. *Non memini*, inquit, *quid fuerim.* Vox Tyranno, quam optimo Principe, dignior. Ab hoc, dicit Seneca, *nedum esset repetendum beneficium, optanda erat obliuio; auersabatur omnium Amicorum notitiam, & illam solam præsentem fortunam suam aspici, illam solam cogitari, ac narrari volebat.*

L.5. c.25

Quo in genere Magnatum ingratorum ponit primarios Romani Imperij Duces, Coriolanum, Marium, Syllam, Pompeium magnum, Antonium, & ipsum Iulium Cęsarem; de quibus dicit: *Ipsi patriæ manus afferre, & fascibus suis illam premere, Potentia ac dignitas est. Humili se ac depresso loco putat stare, quisquis non supra Remp. stetit. Accepti ab illa exercitus, in illam conuertuntur; & Imperatoria concio est: Pugnate contra Coniuges; pugnate contra liberos; aras, focos, Penates, armis incessite.*

Ibidem Cap.15

Nec tam insolens ac mirum videri debet, si pręcipui quique ac Principes viri in Rempublicam Ingrati recensentur, quando in magnos viros & optimos Consules, Duces, Imperatores suos, ipsa Respublica ingratissimè se habuit, & non minus sępè peccauit in suos, quam in ipsam peccatum est. *Camillum*, inquit, *in exilium misit, Scipionem dimisit; exulauit post Catilinam Cicero, diruti eius Penates, bona direpta; factum quicquid victor Catilina fecisset. Rutilius innocentiæ pretium tulit, in Asia latere. Catoni Populus Romanus Præturam negauit, Consulatum pernegauit.*

Denique sic concludit: *Ingrati publicè sumus, se quisque interroget. Nemo non aliquem queritur ingratum. Atqui non potest fieri vt omnes querantur, nisi querendum est de omnibus. Omnes ergo Ingrati sunt.*

Taceo Gręcos in hoc genere vitij nulla non Gente deteriores. Quid Phocioni, Epaminondæ, Themistocli, Demostheni, fecerunt, & sexcentis aliis, non repeto; neç Cicutam sapientissimo Mortalium, Socrati, propinatam ab ingratissimis ciuibus. Vnde Aristoteles cuidam interroganti, *cur exularet Athenis, atque inde profugisset? Ne hi*, inquit, *in Philosophiam peccarent*; subobscurè taxans Atheniensium Ingratitudinem, & mortem Socratis, & suum periculum innuens.

Quid quod ipse ingeniorum apex Aristoteles, & idem summus Philosophiæ Professor, ab hac communi lue haud legitur immunis? Taxatur enim Ingratitudinis aduersus Magistrum suum Platonem, vt propterea iste Aristotelem Mulum vocaret, quod Mulus, cùm saturatus est materno lacte, calcibus petit matrem; sic ille, cùm prima quæque & maxima Philosophiæ semina a Platone ebibisset, & pulcherrimis tanti Magistri notionibus impinguatus & suffartus fuisset, Magistrum auersatus, Scholam contra Scholam in Peripato aperuit; opiniones Platonis impugnauit; per-

Digitized by Google

petuus, dum vixit, ei aduersarius fuit. Qua in re & hodie non paucos habet imitatores; vnde satis & plusquam satis pateat Moralis assumpti veritas, INGRATO NIL PEIVS, EODEM NIL COMMVNIVS. Vt benè Catullus:

Desine de quoquam quicquam benè velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt Ingrata; nihil fecisse benignè est,
Imò etiam tædet illud, obestque magis.

Habes in præmissis Fabulis Ingrati fortunam & mores graphicè depictos. In Cerua, vitem, tutelam suam ac benefactricem, depascente, iustam vindictam. In Colubro, accepto hospitio abutente, Ingrati animi Naturam: vnde Prouerbium, *Foue Colubrum, & punget te.* In Serpente, dignas perfidiæ pœnas luentem. In Lupo & Grue, perfidiam, gratiam in contumeliam vertentem. In Apibus Herum pungentibus, & Furi parcentibus; quod sæpè vsu venit, vt benefactores & veros amicos Ingratus quis non agnoscat, falsos & traditores pro Amicis habeat.

INGRATO NIL PEIVS, EODEM NIL COMMVNIVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

SANCTISSIMVS Patriarcha & Dux populi Israël, Moyses, antequam Reipublicæ gubernacula, & spiritum vitæ Deo resignaret, non committendum putauit è vita decedere, quin priùs solenni Cantico, quasi testamento, immensa Dei beneficia contestaretur, & populo Ingratitudinem illa æquantem exprobraret, quo se Deo, & grati animi sensum probaret, & ingratitudinis maculam noxamque, quomodo posset, elueret.

Igitur enumeratis Dei fauoribus sic in Gentem suam ingratam inuehitur: *Hæccine reddis Domino, popule stulte & insipiens?* Exprobrat illi stultitiam & insipientiam, quæ tantò probrosior sit, quòd ex adipe, abundantia & pinguedine beneficiorum Dei procedat. Vnde dicit: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus.* Quid sequitur? *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Addit, per summum stuporem: *Deum qui te genuit dereliquisti! & oblitus es Domini Creatoris tui!* Quo dicto hìc hæsit, & hìc conclusit Gentis suæ malitiam, & suæ Ingratitudinis detestationem. *Oblitus es*, inquit, *Domini Creatoris tui!* Contumeliosa in Deum obliuio, peccatorum maximum! Non potuit huic cumulo quicquam amplius addere. Tam benè Profanus aliquis, si tamen non Christianus, dixit, "Ingratus est qui beneficium accepisse se negat, quod accepit; ingratus est qui dissimulat, ingratus qui non reddit; ingratissimus omnium qui oblitus est. Illi enim si non soluunt, debent, & extat apud illos vestigium meritorum, intra malam conscientiam conclusorum, & aliquando ad referendam gratiam conuerti ex aliqua causa possunt, si illos pudor admonuerit, si immutauerit facilis occasio: hic nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est."

Deut. 32

Sen. l. 3. de benef. c. 1

Digitized by Google

Denique post recensitas multiplices Iustitiæ Dei pœnas in hujusmodi gentem ingratam, peruersam, infidelem, sanctus Propheta suppliciorum vltimum intentat, scilicet, quod eos Deus ex memoria hominum, & sua delet, obliuionem obliuione castigat. *Dixi*, inquit, *vbinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* q. d. Quando isti, mei penitus obliti sunt, & benefactorum meorum, eo deueniam vt amplius eorum non recorder. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*, & sint sicut ij, de quibus Psalmista ait, *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.* Apposita comparatio stragis magnæ in die cruenti prælij, in qua promiscuè & confusè tumulantur occisi cum vulneratis, quod sæpe accidit, vt pro mortuis condantur, habeanturque vulnerati, dormientes; qui, si præberetur auxilium, si medica manus accederet, si eorum quis meminisset, viuerent, quia re vera occisi non sunt, sed tantùm vulnerati, & tamen miseri pereunt, quoniam non est qui sit eorum memor amplius. Ita Impii, spiritui gratiæ rebelles, ingrati, licet vulnerati per peccatum, non penitus occisi & extincti, quia in eis superest forte Fides, & dona multa naturalia, sapientiæ, & doctrinæ, & merita mortificata quæ reuiuiscerent, & ipsi vulnerati ad vitam redirent, si esset qui eis manum daret, opem ferret; sed quia eorum non est qui sit memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt, & pereunt, & cum mortuis sepulti moriuntur. Sic se habet Deus erga Ingratos, superbos, obliuiscitur eorum, quod est cumulus iræ Dei, quia priores obliti sunt Domini Creatoris sui, quod est cumulus malitiæ Peccatoris. *Sic viæ omnium qui obliuiscuntur Deum*, inquit Iob.

Psal. 68

Psal. 87

Iob. 8

Hoc vnum peccatum iam ante præsenserat Moises, & tantopere commendauerat vt cauerent, in Deuteronomio. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua jurauit patribus tuis, & dederit tibi Ciuitates magnas & optimas quas non ædificasti, Domos plenas cunctarum opum quas non extruxisti, Cisternas quas non fodisti, Vineta & Olіueta quæ non plantasti, & comederis, & saturatus fueris, caue diligenter ne obliuiscaris Domini qui eduxit te de terra Aegypti de domo seruitutis.* Impegit tandem in scopulum, de quo toties monitus fuerat, vt caderet, & in horribiles multiplicesque ærumnas, pro quibus apud Ieremiam Dominus sumit lamentum & conqueritur: *Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris?*

Deut. 6

Idem improperat per Psalmistam varia & sibi inuicem in speciem litera, non sensu. *Quadraginta annis*, inquit Deus, *offensus fui generationi huic, & dixi*, &c. Vbi notandum est in editione seu versione Romana, & veteri, quam sequitur S. Augustinus & alij, legi, pro, offensus fui, proximus fui Generationi huic, &c. Quæ diuersitas optimè conciliatur & conuenit in bonum sensum, ex quo magis Gentis Iudaicæ peruicacia, & ingratitudo conuincitur.

Dicit ergo Deus, *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & offensus.* Proximus & offensus, Amicus & auersus, beneficus & iratus. Quadraginta annis adhæsi populo huic viæ dux & comes, beneficia beneficiis, miracula miraculis accumulans, & ideo *proximus.* Quadraginta annis generatio hæc, meis beneficiis ingrata, miraculis incredula, præceptis refractaria fuit, & ideo *offensus.* Quadraginta annis eductos ex Ægypto, sicco per mare rubrum vestigio, filios Israël in deserto præeun-

Digitized by Google

te columna nubis de die, & ignis de nocte deduxi, & ideo, *proximus*; & vix è mari saluus ad aquas amaras murmurauit, *offensus*. Plui illis manna, panem Cœli, panem Angelorum manducauit, *proximus*. Statim super cibo isto nauseant, & post ollas carnium, & Allia, & Cepas, & Porros, Ægypti suspirant, *offensus*. Dantur vespere murmurantibus carnes, coturnices aduolant, vt saturi taceant, *proximus*. Sed, *adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum*, & ira Dei ascendit super eos, *offensus*. Confidentibus ad radices montis Sinai exhibet Deus Majestatis suæ præsentiam, & legem dat proprio digito scriptam, *proximus*. Moise paulo diutius cum Deo morante, tumultuantur, rebellant, Idolum conflant, adorant, *offensus*: & sic succedentibus temporibus continuis gratiarum riuulis jugiter manantibus, continuis reciprocisque injuriis & offensis responderunt; vnde tandem lassus dicat, *Iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Inde non immerito obseruarit D. Hieronimus, Moisem post datam Hebræis Legem, & Prophetam Isayam post infinitas ingratæ hujus gentis præuaricationes, simili vtrumque modo contestatos esse Cœlum & terram, omniaque Elementa in testimonium aduocasse, dicente illo: *Audite Cœli quæ loquor, & terra, verba oris mei.* Et isto: *Audite Cœli, & auribus percipe terra quoniam Dominus locutus est, filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Et testentur & videant quam justè aliquando vocentur Cœli & terra, & armentur in vltionem, pugnaturo pro eo orbe terrarum contra insensatos, seu ingratos.

Deut. 32

Isaiæ 1

D.Iren. L.4. c.24

In hanc rem S.Irenæi succulentum verbum juuat attexere. "Nec Deus ait, cessat aliquando in benefaciendo & complectendo hominem, neque homo cessat beneficium accipere & ditari à Deo. Exceptorium enim bonitatis & organum clarificationis ejus homo est, ei gratus qui se fecit. Et iterũ exceptorium justi Iudicij ejus est homo ingratus.,, Aurea certè sententia, qua nil potest dici altius in commendationem grati hominis, quàm si voces eum Diuinæ exceptorium bonitatis, nec majus in detestationem Ingrati, quàm si dicas eum exceptorium esse Diuini judicij, seu iræ Dei. Totus quantus est Deus se beneficium in cor hominis pij transfundit & mersat. Totum è contra iratum & potentem in se excipit ingratus. Vnde colligas licet quantum peccatum sit ingratitudo, vt non immerito Paulus id vitij recenseat, & ponat inter grauiora illa crimina, quæ periculosis temporibus appropinquantis judicij abundabunt. *Erunt*, inquit, *homines seipsos amantes, &c. ingrati.*

2.Tim. 3

Vt nil pejus habet terra homine ingrato, sic nil communius, dicente Psalmista. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Quis enim hujusmodi est, nisi ingratus? Diuina recipiens, & à Deo deficiens & se auertens? Sic autem quæsito respondet. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

Psal.13

L.de pœnit.

Caput Ingratorum, qui & hominum, Adam communiter à SS.Patribus scribitur, haberturque male vsus de donis, quibus à Deo supra omnes mortales cumulatus fuerat. "In hoc enim peccator fit culpabilior, (dicit S. Augustinus) quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit.,, Primus homo à Creatoris laude mutus perstitit, (inquit Rupertus,) qui obstinatis labiis ab omni gratiarum actione abstinuit, & ingratum Domino silentium tenuit.,, Nec tantum singula-

Lib.2. in Gen.c.39

Digitized by Google

rium est vitium istud; in illud gentes integræ abeunt.

Quantis nominibus deuincta erat Ægyptus Patriarchæ Ioseph? Quæ gens amplioribus beneficiis obligari poterat, quàm Rex Ægypti, aut Proceres Regni, & viritim omnes, Ioseph? apud quos meritò Saluatoris nomine donatus fuerat, sed quia nulla res est, cujus tam cito memoria consenescat, sicut beneficij, vt quidam aiebat, *Surrexit Rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph*, inquit Scriptura. Tam tota Ægyptus oblita erat Ioseph, quàm vnus olim pincerna ejusdem benefactoris sui, de quo dixit Sacer Textus, *Succedentibus prosperis Præpositus pincernarum oblitus est Interpretis sui.*

Exod. 1

Gen. 40

Hæc illa est mater Ingratitudinis Prosperitas, quæ dementauit Saülem & fecit Dauidis insidiatorem & hostem infensissimum; licet immerentis & innoxij, imo Regi & Regno vtilissimi. Hæc Salomonem infatuauit, & fecit ingratum tot & tantis Diuinis muneribus. Hæc Ieroboam ex famulo Regem renunciatum, & ex duodecim Tribubus Israël decem Imperantem, Deo vero relicto, conuertit ad vitulos aureos.

1. Reg. 19

Hæc denique Ioas Regem Israël diffamauit, eique maculam tantæ ingratitudinis aspersit, & fœdauit, vt præclara prioris ætatis tempora infœlicissimo exitu & fine terminarit, nam ab ipsis cunis à cæde seruatus, clam in Templo enutritus, & beneficio ac fide Ioiadæ Summi Pontificis in Thronum Patris sui sublimatus, ejusque consilio prosperè in omnibus vsus filium ejus Zachariam indignissimè interfici, & lapidari fecit, sæuiens in filium ejus, cui & vitæ & Regni debitor erat; propterea ejus memoriam Scriptura turpissima ingratitudinis labe inurens, dicit, *Non est recordatus Ioas Rex, Misericordiæ quam fecerat Ioiada Pater illius secum, sed interfecit filium ejus, qui cum moreretur, ait, Videat Dominus & requirat*, audiit vocem sanguinis Iustissimus Vindex. Nam vix euoluto anno à Syris percussus, & turpissimis plagis affectus, occisis cunctis Principibus, & præda diuitiarum omnis generis asportata, tandem à propriis seruis in eum conspirantibus trucidatus est, dicente Sacro Textu. *In Ioas quoque ignominiosa exercuere judicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Surrexerunt autem contra eum serui sui in vltionem sanguinis filij Iojadæ Sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est, sepelieruntque eum in ciuitate Dauid, sed non in sepulchris Regum.* Hucusque Scriptura. Quæso quanta supplicia in vno homine, minora tamen scelere suæ perfidiæ, & ingratitudinis. Quæ fuerint autem ignominiosa illa judicia, Scriptura non explicat; Hebræi scribunt Ammonitas & Moabitas in eum insidiatos esse, pro injusta nece Zachariæ, aggrauantes crimen Israëlitarum, qui Sacerdotem Dei vlcisci noluerunt, quem ab alienigenis vindicari oportuerit. A quibus perfidus Princeps multis plagis cum exprobratione sui parricidij affectus, relictus fuerit viuus, vt quo vita productior, longior etiam pœna esset. Addit S. Hieronimus, inter rudera & ruinas Templi, & Altaris, olim monstrari lapides rubricatos, quos Sancti Pontificis sanguine dicebant fuisse intinctos & pollutos.

2. Paralip c. 24

Digitized by Google

TITVLVS LXIII.

IN IMMISERICORDES.

FABVLA.

De Aquila & Cuniculo.

AQVILA propter nidum vbi pullos habebat, conspicata Cuniculi filios apricantes, inuolans rapuit, & ad nidum detulit. Cuniculus accurrit ad radicem arboris, & Aquilam per amicitiæ & vicinitatis jura, blandis quibus potest verbis, rogat vt filios suos sibi restituat, sed superbus ales nec vt amicum, nec vt vicinum dignatus attendere, aut curare ejus preces, aut iram, areptos in oculis patris filios vngue & rostro dilaniat, & pullis suis dat epulandos. Quo supra modum commotus Cuniculus, dira imprecatus, jurauit tantam se injuriam vindicaturum. Et confestim tota conuocata gente, amicis & cognatis, omnes vno impetu, dentibus & pedibus radices arboris effodiunt, quæ leni deinde ventorum flatu concussa, decidit, & vnà pulli Aquilæ implumes, esca, ac præda terrestrium animalium facti. Quo docemur sæuis & crudelibus factis, pari sæuitia justissimè vicem rependi.

Asinus & Ranæ.

ASinus dorso portans quoddam onus paludem dum pertransiret, media in via, ac limo cecidit, lapsus lamentabatur, & suspirabat surgere sine ope non valens; audiunt cadentem Ranæ paludis, audiunt & suspirantem, sed immites bestiæ nec opem mærenti, nec compassionem lapso præstantes, tam sibi bene in luto suo quam malè Asino, coaxando illudunt & cauillantur. Heus tu! inquiunt, Aselle, modo cecidisti in limo, & jam plangis & ejulas. Quid igitur faceres, si per dies & menses, & annos integros per totam vitam tibi vt nobis in palude & aquis conuiuendum foret? Bono animo sis, & canta. Arguit immitem eorum genium, qui proximo in afflictione posito, nec opitulari sciunt, nec compati. Indigni & ipsi misericordia, si quando in miseriam decidant.

De Seruo Asinum Heri præcipitante.

QVidam Agaso Asinum Domini sui quotidie onera portantem ductans cœpit tædere vitæ hujus, & laboris, apud se reputans, si Asinus occideret, multo se onere leuatum iri; igitur Asinum suum de summa rupe præcipitem egit in mare, & Hero renunciauit, casu id & culpa Asini non sua accidisse, qua excusatione nihilo placatus coëgit eum

Digitized by Google

suis humeris ferre quæ prius Asinus portabat. Dehinc igitur sortem suam lugens; Merito, inquiebat, plector, & crudelitatis meæ pœnas exoluo, qui conserui nil miserans immisericordi Domino seruire cogor.

De Accipitre Columbam insequente.

ACcipiter venabatur Columbam, quæ vt euaderet vngues persequentis, in ædes Rustici cita inuolauit, quo eam insequutus Accipiter, putans capere captus est à Rustico, quem blandè obsecrans vt se dimitteret; dimitte me oro, inquiebat, nulli enim vsui tibi futurus sum. Cui Rusticus; eris alteri: sed, inquit, nil nisi prædari & venari scio. Scis & capi & pati. At ego nil vnquam te læsi. Et illa quam insequebaris Columba, quid te læserat? Iustum est, vt qua mensura proximũ mensus es, eandẽ patiaris.

De Equo & Asino.

EQuus & Asinus à quodam Rustico ducebantur, ille vacuus, iste sarcinis & mercibus onustus, qui sub onere fatiscens cum sentiret se deficere, rogat Equum, vt se parte oneris leuaret, si velit saluum ad destinatum locum accedere. Renuente opem Equo, moritur Asinus. Vnde contigit, omne onus Asini Equo portandum dari, & insuper Asini corium, seu pellem quam mortuo Herus exuerat. Quo onere prægrauatus, Væ mihi, inquiebat, qui cum misericordiam proximo nolui impendere, merui injusto onere pergrauari.

De Cane & Asino.

CAnis prægrandis, de eorum genere quos Molossos vocant, cum Asino panibus onusto, longum iter faciebat; cum hora prandij instaret, & vterque fame prameretur, Asinus in prato virenti diuertit, & ventrem largè herbis impleuit: Canis verò rogat Asinum, vt cibum præstet de panibus quos portabat, sed iste nequicquam attendit aut curat rogantem, rudit & immurmurat. Quis enim, inquit, impedit te quominus, vt ego, pascas, & ventrem herbis infercias? Dum sic altercantur, conspicitur Lupus. Tum Asinus tremens, rogare cœpit Canem ne se deserat, sed deffendat. Oportunè, inquit Canis, cui famescenti negasti panem, ab eo contra Lupum posceis opem; tuere jam te calcibus, si potes, esca Lupo breui futurus. Et abiit; & Lupus Asinum deuorauit. Innuit Immisericordes, & duros ope quam aliis negarunt, vicissim ipsos justè frustrari.

De Lupo in fossam lapso.

LVpus syluam inambulans forte incidit in fossam lupariam; Vulpes non diu post, illac transiens conspicit fossam, & intus Lupum, & stans ad marginem fossæ, dum ludibunda magno cachinno Lupum irridet, nil sortem ejus miserata, & quis huc eum misisset, quæreret, pars terræ cui insidebat è continenti sponte auulsa decidit in fossam, & vna Vulpes. Ad quam Lupus; Perfida, inquit, & immitis benè huc veneris, quæ mox meam sortem irridebas, jam salta & lusita, si juuat, quod me spectat, jam contentus moriar cum te meæ infœlicitatis consortem videam. Innuit Immisericordes misericordia indignos male perire.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

EADEM MENSVRA, QVA QVIS ALIOS MENSVS EST, ET IPSE REMETIENDVS.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

HANC legem à Supremo Iudice positam, nulli non justissimam visam pauci nocentes euadunt, vt qui erga proximum inhumaniter se gesserunt, ipsi alienum sanguinem non retalient, & vt plurimum ex hac vita. Quod antequam rationibus & exemplis fulciamus, aliquid etiam humanitati indulgendum ac Misericordiæ impendendum sapientissimi quique voluerunt.

Ap. Stob. Serm. 1

Vnde, *Aram è fano, neque Misericordiam ex humana vita tollere conuenit*, dicebat Anthisthenes.

Ap. Stob. serm. 44

Misereri oportet justorum hominum, non improborum, dicebat Sophocles: non autem inter improbos habendus est omnis qui peccauit; quia forte peccauit inuitus. *Nemo autem malus est*, ait, *qui peccauerit inuitus.*

Eapropter Biantem damnaturum quempiam ad mortem, lachrimari solitum ferunt. Cui cùm aliquis dixisset: *Quid est quod fleas, cùm penes te sit condemnare hominem?* Respondit: *Quia necessarium est Naturæ quidem condolere, Legi autem suffragari.* Sapientissima responsio.

Et hoc etiam habebant Romanæ Leges, vt seueritatem Legum aliquo misericordiæ affectu temperarent, & furor & ira a suppliciis abscederet.

Lib. 1, de ira,

Audiam° Senecam hanc sedatam Magistratûs faciem describentē: *Itaque etsi peruersa induenda Magistratui vestis, & conuocanda classico concio est, procedā in Tribunal non furens, nec infestus, sed vultu Legis, & illa solemnia verba, leuiore magis quam rabida voce concipiam, & agi jubebo non iratus, sed seuerus. Et cum ceruicem noxio præcidi imperabo, & cum parricidam insuam culeo, &c.* Quo ex loco, ex peruersa illa veste Iudici induenda dabant intelligi, hoc moeroris, & compassionis esse significationem, quam humanitati, etiam in ipsis tormentis, indulgebant, adeo sæuitiam exhorrebant.

Et verò quem alterius miseret, vel qui calamitoso Misericordiam impendit, huic semper quod tribuit, Deo sic volente, rependitur. Hujus rei, vnum aut alterum exemplum proferre non pigebit.

Cic. l. 1. de Diuinat.

Cicero in l. quos de diuinatione inscripsit, refert de quodam Symonide, qui cum ignotum quemdam mortuum projectum vidisset, eumque pietate motus humasset, haberetque forte tunc in animo nauem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo quem sepulturæ mandauerat, si nauigasset fore vt periret. Itaque Symonidem rediisse, periisse cæteros qui tunc nauigassent.

Quid simile de Piscatore ferunt, qui cum hamum misisset in mare, & mortui caput sustulisset, humanitatis misericordia motus cum humi man-

Digitized by Google

daret, thesaurum inuenit, quod Alciatus his versibus clausit.

Cum curuos Piscator aquis educeret hamos,
Naufragij anfractum sustulit ære caput.
Maxima mox hominis flens infortunia, paruo
Quæ super hinc fuerant condidit ossa solo.
Pondera sed fodiens ingentia repperit auri.
Iusto homini nunquam gratia facta perit.

Alciat.

Quæ de hac materia sufficiat prælibasse, & ipsa fortè videbuntur à scopo aliena, non consideranti contrariorum contrarias esse illationes, vt si misericordiam facienti rependatur gratia; immiti & crudeli etiam pœna non sit defutura. Infinitum foret & superuacuum omnia consectari inhumanitatis & sæuitiæ exempla: pauca igitur & insignia proferam eorum qui inter homines, vt feræ ac belluæ, veriùs dixerim, vt monstra apparuerunt, qui vtplurimùm violenta morte defuncti sunt.

Propterea Thales Milesius interrogatus quid maximè stupendum vidisset? respondit, *Tyrannum senem*: quia rarum est Tyrannum senescere, & naturali fato decedere.

Plutar. in Lacon.

Quod eleganter Satyricus:

Iuvenal Sat. 10

Ad generum Cereris sine cæde ac vulnere pauci
Descendunt Reges, & sicca morte tyranni.

Idem crudelium hominum sui temporis sæuitiam describens.

Sat. 15

Sed jam serpentum major Concordia, parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando Leoni
Fortior eripuit vitam Leo? Quo nemore vnquam
Expirauit aper majoris dentibus Apri?
Indica Tygris agit rabida cum Tygride pacem
Perpetuam, sæuis inter se conuenit vrsis.
Ast homini ferrum lethale incude nefanda
Produxisse parum est, &c.

Quot hujusmodi monstra Crudelitatis tulit Roma, postquam subactis tot gentibus potens, cœpit mole ruere sua, & suis se viribus impetere. Inprimis, quot riui Romani sanguinis exsatiandæ crudelitati Marij & Scyllæ inuicem se impetentium, & mutuis odiis conciuium suorum victimas immolantium fluxere? Non est facile dicere; præsertim cùm absente Scylla Marius Romam rediisset, quotquot ciuium ipsum salutantium non resalutaret, aut non responderet alloquentibus, aut manum non extenderet, illico trucidabantur. Postmodum verò Scylla, cùm cæso Mario victor Romam intrasset, tantam Nobilium stragem & cædem edidit ciuium, vt non abs re à Catulo moneretur, *temperandum sibi à cæde, vt haberet quibus imperaret.*

Plutar. in Mario & Scylla

Is verò, de quo dicitur, *quòd cùm bene, nemo meliùs; cùm malè, nemo pejùs Rempublicam administrauit*; cùm laxis habenis ejus desæuiret furor, septem millia Romanorum qui Marianas partes secuti fuerant, simul & vno die jussit occidi; ac cum in vicino ad ædem Bellonæ sedens exaudisset exclamationem tot millium sub gladio gementium exterrito Senatu; *Hoc agamus*, inquit, *P. C. seditiosi pauciculi meo jussu occiduntur.* Sed quem finem tandem vterque habuit post exercitam quasi ouium tam cruentam sine misericordia lanienam? Marius ille septies Consul, à Scylla Mynturnis prostratus, & fusus in palude latitans, mortem euasit, quam sibi postea exul,

Plutar. & Bruson. L. 2. c. 9

Digitized by Google

egens, & nudus conscivit. Scylla vero cęde & rapinis civium saginatus & satur, Dictatura se abdicans, Diuinæ Iustitiæ reseruatus, singulari supplicio sibi & omnibus intolerabilis, vermibus è suo corpore scaturientibus exesus interiit. Quo mortis genere obseruo magnos homicidas & sanguinis innoxij effusores, Deo percutiente, consumptos. Sic Antiochum, sanctorum Machabæorum crudelissimum Lanistam sic Herodem, magni Ioannis Baptistæ, & S. Iacobi, & sexcentorum aliorum truculentissimum Interfectorem, legimus vermium vicissim infinita multitudine corrosos periisse.

2. Mach. 9
Actor. 12

Quis Hannibalem exitus habuit, cujus vxor, dignum tali patella operculum, inspecta humani sanguinis fossa lętis oculis, pulchrum spectaculum esse mulier scelerata testata est. Et hic Pœnus, monstrum sęuitiæ, ingens flumen Gelo corporum Romanorum ponte facto, quo exercitum traduceret, idem captiuos Romanos, oneribus & itinere fessos, summis pedibus decurtatos in via relinquebat; & quos in Castra viuos perduxerat, paria jungens ferro decernere quasi bestias in Amphitheatro cogebat; nec ante sanguine videbatur exsaturari, quam omnes ad vnum trucidaret, ipse tandem suis suspectus, odiosus, exul, profugus ad Antiochum se recepit, sed nullibi consistere ausus, fidem quam nulli seruauerat, omnium suspectam habens, hausto quod in annulo gestabat veneno, de se supplicium sumpsit, quanquam alij ab ipsis Carthaginiensibus velint lapidibus fuisse obrutum, alij cruci affixum.

Plutar.
Oros. 4. 20
Liuius l. 9.

Quid Mithridatem alium Romani nominis perpetuum hostem, notissimæ crudelitatis virum? qui vna Epistola octoginta millia Romanorum in vniuersa Asia negotiantium vna nocte mandauit occidi, tantæque Prouinciæ hospitales Deos injusto, sed non inulto cruore respersit, qui Laodicem conjugem, & sororem, & matrem propriam, & fratrem, ac tres impuberes filios, totidemque filias, interfecit? Et ad vltimum à Scylla fusus, dein à Lucullo & Pompeio omnibus viribus exutus, & in propria Regia obsessus, sanguinarium spiritum, quem veneno è corpore exturbare non poterat, gladio ejecit.

Mitto alios sine numero ejusdem farinæ Principes, sola crudelitate, qua minus homines sunt, nomen sibi consecutos, vt Tiberum, Caligulam, Domitium, Neronem, &c. quorum potentia mundo exitialis fuit, transitus aliis formidabilis, exitus tandem sibi ipsis funestissimus extitit, vt ad Vitellium aliud monstrum crudelitatis deueniam; hic crapula & sæuitia, quam Imperio notior, postquam occisum Othonem in campo Bebriaci cognouit, eoque venisset abhorrentibus vniuersis cadauerum tabem, carnifice digniorem quam Imperatore vocem emisit, *Optime olere occisum hostem & melius ciuem*, sed non diu in hoc fastigio visus est, nam post occisum Sabinum, Flauii Vespasiani fratrem, & in scalas Gemonias conjectum, ipse à Vespasiani militibus victus & captus est. Victorius Aurelius sic de eo loquitur, *Vinctus à tergo*, inquit, *manibus productus circumducitur ad spectaculum vulgi, ac ne homo impudens in extremis saltem malorum quæ gesserat rubore faciem demitteret, subjecto in mentum gladio seminudus, multis cœno, fimo, & cæteris turpioribus dictu purgamentis vultum ejus incessentibus, per scalas Gemonias trahitur, vbi Sabinum Vespasiani fratrem paulò antè necari permiserat, numerosis ictibus confossus interijt.* Hæc ille.

Victor Aurel. in Vitellio

Ab hoc vitio fœminæ vt minimè immunes, sic nec supplicio liberæ.

Digitized by Google

Testis illa Tullia, filia Seruij, sexti Romanorum Regis, Tarquinij superbi nupta, quæ regnandi libidine, vt maritus ejus, exæstuans, consilio ipsi fuit patris sui, soceri ejus, interficiendi; & audita ejus morte, curru elata, ad maritum properans gratulabunda, cùm substrato media in via cadauere equi & auriga constitissent, horrerentque mortuum conculcare, Mulier nefaria per calcatum patrem currum agi jussit, sed non impunè; Vt Tragicus:

Val. Max

Senec. in Oct.

> *Dedit infandi*
> *Sceleris pœnas cum Tarquinio*
> *Tullia conjux, quæ per cæsi*
> *Membra parentis egit sæuos*
> *Impia currus; laceroque seni*
> *Violenta rogos nata negauit.*

Ejusdem pœnas apud Inferos describit Silius:

Silius Ital 13

> *Cum subito aspectu turbatus Scipio, poscit*
> *Quæ pœnæ causa, & qui sint in crimine manes?*
> *Tum Virgo, patrios fregit quæ curribus artus,*
> *Et stetit adducta super ora trementia frænis*
> *Tullia, non vllos satis exhaustura labores,*
> *Ardenti Phlegetonte natat fornacibus atris*
> *Foni rapidus furis, atque vstas sub gurgite cautes*
> *Egerit, & scopulis pulsat flagrantibus ora.*

Concludat horum sententiam Tragicus in Hercule furente:

Actu 3

> *Quod quisque fecit patitur. Auctorem scelus*
> *Repetit, suoque premitur exemplo nocens.*

EADEM MENSVRA, QVA QVIS ALIOS, ET IPSE REMETIENDVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVI *fodit foueam*, inquit Sapiens, *incidit in eam; & qui lapidem vibrat, ad eum reuertetur.* Quod nostro proposito rectè quadrare potest, vt qui foueam crudelitatis fodit, in eam ipse tandem incurrat; quique lapidem vibrauit in aliquem, ab eodem repercutiatur. Videtur enim hæc lex à Deo & Diuina Iustitia posita; vt *quæ seminauerit homo*, secundùm Apostolum, *hæc & metet.* Vt bene Oseas: *Ventum*, inquit, *seminabunt*; quid putatis dicturum? *& turbinem metent.*

Prov. 26

ad Galat. 6

Oseæ 8

Nullius autem rei Deus est fidelis redditor & vindex, sicut sanguinis, & crudelitatis in proximos & sui similes exercitæ; vt propterea dicat Sapiens: *Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.* Quid autem de eo expectandum, nisi vt malè sibi consulat in die vindictæ? nam *Viscera Impiorum crudelia.*

Prov. 11

Prov. 12

Veteri Testamento, noui oracula concinunt. *Iudicium sine Misericordia illi, qui non fecit Misericordiam*, inquit Apostolus Iacobus. Quod ita esse, à Domino, dum in viuis ageret, ipse didicerat. Quibus enim dicit Domi-

Epist. can 2

Digitized by Google

nus in Sermone de Iudicio, *Discedite*: nisi iis, quorum viscera clausa fuerant pauperum clamoribus, esurientium & afflictorum necessitatibus, dicente dilecto Apostolo: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Quod si tam districti Iudicij fulminatrix sententia manet eos qui misericordiam non impenderunt, qua pœna digni erunt qui sanguinem fuderunt? qui crudeles & inhumani fuerunt? quibus illud Prophetæ Amos non inepte applicari possit: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Suggillat ibi duritiam cordis filiorum Iacob aduersus fratrem suum Ioseph, qui jam mente fratricidæ, polimita veste exuto, & projecto in Cisternam, edebant & bibebant, vt dicit Scriptura, ad gemitus fratris sui & preces saxea corda gestantes, nil compatientes super contritione Ioseph. Vnde postea ab ipso incognito in Ægypto duriusculè tractati, dicebant ad inuicem: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus. En sanguis ejus exquiritur.*

Amos 6. Gen. 42

Talis in Euangelio describitur diues epulo, Impius in Deum, in pauperes saxeus & Immisericors, qui in purpura & bysso splendens, totus epulis & crapula calens, *sepultus est in Inferno.*

Lucæ 16

Talis & ille alius Nabal, si tamen alius, petitioni Dauid humillimæ durè insultans: *Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Hoc responso, hac rusticitate seu contumelia excepit Dauid Principem regni, Regis Generum, quem injusta Saülis persecutio foris armauerat. Nabal, homo ille tam diues & affluens, quàm tenax & sordidus, dignus qui à Scriptura vocetur *vir durus, pessimus & malitiosus*; à propria vxore, mox futura sponsa Dauid, ex nominis proprij Ethymo, *stultus, iniquus, & ebrius.* Denique dignior, qui quamprimùm Deo puniente è viuis tolleretur.

1. Reg. 25

Sed quoniam eò loci deuenimus, non puto prętereundum silentio, quod sapientissima mulier Abigail, cujus mox mentionem fecimus, in illo eodem rerum & temporis articulo, ad nostrum propositum, Dauidi furenti ac offenso occurrens dixit: *Viuit Dominus*, inquit, *qui prohibuit ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi*, &c. Sic ait, congratulans jam placato. *Si enim* (addit) *surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum*, &c. *Non erit tibi hoc in singultum & in scrupulum cordis domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, & ipse te vltus fueris.* Qua ex oratione, in qua quot gnomæ, imo quot voces, tot gemmæ, duo sufficiat annotare, quæ sapientissima mulier ad placandum & leniendum Dauidem assumpsit: alterum, *Si surrexerit*, inquit, *homo persequens te*, &c. *erit anima tua custodita quasi in fasciculo viuentiũ.* Id est, eris seruatus, saluus & tectus contra cujuscunque insidias; Deus proteget te, & vitam tuam; quia alienæ pepercisti. Alterum: *Non erit tibi hoc in singultum cordis, quòd effuderis sanguinem innoxium*, &c. Quæ duo singularissima dona si non effundendo sanguinem Dauid consequebatur, vt à Deo vallatus & tectus foret contra cujuscunque hostis insidias, & cor ejus non tunderetur singultibus & scrupulis; ex regula Contrariorum colligendum, eum qui effudit sanguinem innoxium, perpetuis singultibus lancinantis conscientiæ, & cordis morsicantibus scrupulis fieri obnoxium; insuper perpetuis incurrendæ mortis

Digitized by Google

periculis obuium, qui vt alter Cain fratricida, tremebundus dicat: *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Gen. 4

Et hic sensus tam à natura homini inditus est, & ingenitus, malefactoribus & homicidis pœnas esse subeundas, vt etiam Barbari hanc Conscientiam habeant. Sic in Actis Melitenses videntes Viperam ab igne exilientem, & inuadentem manum Pauli se calefacientem, dicebant, *Vtique homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere.* Actor. 28

Notanda hic occurrit precandi formula Iob, crudelitatis vitium, quàm longissimè à se propulsantis; *Si leuaui*, inquit, *super pupillum manum meam, etiam cum me viderem in porta superiorem.* Quid inde cum dicturum putatis? *humerus*, inquit, *meus à junctura sua cadat.* Grandis haud dubiè imprecatio hominis potentis licet, superioris licet, & malum inferre valentis, vt si, vel leuata manu minatus fuerit pauperi pupillo, cuilibet, de plebe vltimo, optet sibi vt humerus à commissura sua cadat, marcidus cadat, confringatur, computrescat. Quæso? quid hic potentes, quid diuites, qui pauperes, qui viduas, qui pupillos, qui humiles & abjectos, Cyclopum more exsugunt, verberant, mutilant? Iob. 31

Sciebat hoc optime idem supra laudatus Dauid, quàm apud Deum & homines male audiat crudelitas, & sanguinis innoxij effusio, qui audita nece Abner Principis militiæ Isboseth Regis Israël proditoriè facta à Ioab, ab ea adeo abhortuit, vt publicè protestaretur: *Mundus ego sum, & regnum meum, apud Dominum vsque in sempiternum à sanguine Abner filij Ner, & veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris ejus, nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.* Qua imprecatione major in tota Scriptura vix reperietur. 2. Reg. 3

Propterea non parcebat homicidis; sed quod sanguine peccatum erat, volebat sanguine rependi ac vindicari. Sic Rechab & Baana, fratres, & Principes latronum, qui summa perfidia Isboseth Regem Israël dormientem trucidauerant, in præsentia jussit occidi. *Viuit Dominus, quoniam eum qui annunciauerat mihi, & dixerat, Mortuus est Saül, qui putabat se prospera nunciare tenui & occidi, &c. Quanto magis nunc cum homines impij virum innoxium in domo sua interfecerunt, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, & auferam vos de terra?* Quod eo mirabilius est, quod mors Isboseth quocumque modo accidisset, Regnum afferebat Dauid, & res suas miro modo juuabat, & promouebat. 2. Reg. 4

Vnum aut alterum maximæ Crudelitatis & sæuitiæ, plusquàm ferinæ exemplum, simili modo vindicatum, habes in Historia Regum. Primum Athaliæ matris Ochosiæ Regis Iuda, quæ dominandi auiditate incredibili, Regis filij sui omnes filios, vt Regnum inuaderet, extinxit, vno excepto, clam latenterque ab internecione subtracto, sed breuem cursum perfida mulier Regni, & vitæ consequens, pari sæuitia, & ipsa gladio, tot neces Regij seminis & proprij, suo exoluit. Alterum est Ioram Regis Iuda, vxore malæ stirpis, pejoris mariti, qui ratione primogenituræ patris sublimatus in Throno, bona fratrum à Patre ipsis testamento relicta, & vitam pariter inuidit; itaque sex fratres suos interemit, & vna multos Principes, summam ejus sæuitiam auersantes: his hostiis, & cruentis victimis initia sui Regni dedicauit, vnde & meruit vt de Cœlo, quæ in eum pluitura erant mala, moneretur. Modo scilicet sui nouitate & miraculo adeo stupendo, vt inter prima Scripturæ mirabilia recenseri mereatur. 4. Reg. 11 4. Reg. 2

Quippè à Propheta Elia nouem annis postquàm curru igneo, & equis igneis raptus, & receptus erat in Cœlum, literas minaces accepit, ordinem Diuinæ Iustitiæ in se exequendæ continentes. *Allatæ sunt autem*, inquit Sacer Textus, *ei literæ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat, Hæc dicit Dominus Deus Dauid Patris tui. Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, & in viis Asa Regis Iuda, sed incessisti per iter Regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem; imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis, & vxoribus tuis vniuersaque substantia tua; tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.* Hic tenor literarum Prophetæ à raptu suo in Cœlum terrarum solicitudinem non dedignantis. Quæ literæ quanquam alicui videantur scriptæ à Propheta, antequam raperetur in Cœlum, communis tamen sententia obtinet scriptorum, nouem vt diximus à recessu annis scriptas, mandatasque fuisse.

2. Paralip c. 21

Chron. Heb. c. 17 Lyran. hic Sallian. ad annum m. 3148

Quæ eo quo scripta sunt ordine constat fuisse impleta, suscitante Domino in Ioram Philistinos, & Arabes, qui vxores ejus, & filios omnes vno excepto, & omnia ejus bona diripientes, abduxerunt, ipso vidente & superstite, miserabilem trahente vitam, ac spiritum, in maximis languoribus, donec tabe consumptus, languorem simul & vitam amitteret. Nec his contenta Diuina Iustitia, visa adhuc est sæuire in mortuum, ipse enim nec more Regum exequiis, nec sepulchro Regio dignatus, infletus abjicitur.

Ex quibus satis videtur tituli & apologi præfixæ sententiæ veritas. EADEM MENSVRA, QVA QVIS ALIOS MENSVS EST, ET IPSE REMETIENDVS.

TITVLVS LXIV.

DE PERFIDIS.

FABVLA.

Mulus & Lupus.

OCCVRRERVNT forte in sylua Mulus & Lupus, & de improuiso occursu attoniti, Lupus audacior; Qui vocaris, inquit? Ego nescio, infit Mulus; quia pupillus parentes perdidi meos, de patre non memini, at matrem habuisse excellentem equam permemini. Vt video, respondit Lupus, Nobilitas tua ex fœminis est, ergo pater tuus fuit aliquis Asellus, sed captans occasionem in eum irruendi, Igitur non mihi dices quis sis? Ne irascaris, ait, Domine Lupe, ego enim ignarus sum, sed tu qui fuisti scholæ, & literas didicisti, statim addisces, audiui enim à matre mea nomen meum in exteriori vngula exaratum legi, vertit se Lupo vt legeret, & tam fortiter ei calces illisit, vt cerebrum confregerit, & sic

perfidi

Digitized by Google

perfidi perfidiam lusit. Adfuit eo momento Vulpes, & morienti Lupo illudens, ô bone literate, inquit, & istic credo ludum literarium aperies, & quis sit Mulus, rectè docebis.

De Vulpe & Rustico.

R*Vsticus Vulpi, quæ multas ei Gallinas deuorauerat, tetendit pedicas in quas tandem Vulpes incurrit. Accedit Rusticus immani fuste mortem intentans, orare Vulpes, veniam postulare, precari, polliceri, & sanctè jurare Deos omnes se nunquam illi vel suis damnum illaturam. Cui Rusticus: Ignoscerem libenter, inquit, perfida bestia, nisi te Vulpem esse scirem, subdolam, ac fœdifragam, hoc vnum verè dixisti, quòd meis Gallinis nusquam damnum illatura sis, hoc te fuste prophetam facio, ac veridicam. Quo dicto, fuste egregie percussit, & occidit.*

De Asino & Lupo.

A*Sinus infixa in pede spina claudicans Lupo occurrit, à quo, cum se fuga ac cursu proripere non possit, gemebunda ac lachrimabili voce, heus tu! ô bone Lupe, ait, cernis, vt præ dolore morior, breui futurus esca tua, & Vulturum, nec abnuo, sed vnum te rogo, & contentus moriar, si priùs spinæ aculeum meo pedi infixum eduxeris, quod dente facilè efficies. Accessit Lupus, & cum mordicus spinam auellit, Asinus ferratos pedes in caput Lupi tam fortiter illidit, vt fracta fronte, naso & dentibus semimortuus jaceret Lupus, interim dum fugit Asinus, Lupus prostratus dicebat. Merito hæc patior, qui cum hactenus nil nisi lanius fuerim iumentorum, nunc Medicus & Chirurgus esse præsumpsi. Innuit justè perfidos, perfide tractari.*

De Rustico & Angui.

C*Reuerat Coluber in tugurio cujusdam Rustici, qui aliquando iratus Colubrum securi percussit, qui inflicto vulnere euasit. Ab illo tempore nescio quo fato rebus suis male se habentibus existimauit Rusticus aduersam fortunam sibi contingere, ex quo Colubrum offenderat & læserat, quasi violato jure hospitij; propterea in gratiam cum eo redire voluit, rogauitque vt in domum redire vellet, & vt antea conuiuere. Homini ait, qui à me nil læsus me percussit, qui securi in domo armatus incedit, & iterum percutere potest, Amens sim, & mente captus, si me fidero. Innuit non credendum esse [illegible] m perfidis.*

Mens Fabulæ, seu Morale.

PERFIDIS NON CREDENDVM, NEC MISERANDVM.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

PERFIDIS non credendum aut fidendum docuit Cicero, scribens ad Atticum, Epicharmi illud allegans: Νῆφε ϗ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τ͂ φρενῶν. *Abstine, & memento non credere facilè, hæc esse robur mentium.* Quis enim ebrioso, aut perfido, impunè credat?

In Philippicis

Rectè Demosthenes dixit: *Vrbibus ad custodiam multa inuenta esse, valla, fossas, mœnia, quæ omnia manibus conficiuntur & magno constant. At vnum commune munimentum à Natura inesse animis hominum prudentum, idque cùm cæteris salutare esse, tùm maximè plebi, contra Tyrannos, nempe Diffidentiam.*

Non malè Scorpioni in cauda virus lethale gestanti homo vafer ac perfidus in occulto pungens assimilari solet, cui non fidendum, nisi ereptis armis, vt nec Scorpioni, nisi exsecta cauda. Vt quidam hoc Disticho:

Non nisi desecta credam tibi, Scorpio, cauda;
Armaque in pœnas, fœdera nulla dabo.

Perfidi longè deteriores sunt vel ipsis manifestissimis hostibus, & longè grauiore pœna: nam facile est cuiuis ab istorum insidiis sibi cauere, & eos hostiliter aggressos quiuis repellere potest; sed ab amicis qui perfidè se gerunt, neque sibi cauere, neque propulsare facile est.

Dion. Halic. lib. 3

Hîc referri potest quod Cleomeni contigit. Hic Lacedæmon, cum Argiuis quos obsidebat pactus septem dierum inducias, cùm tertia nocte deprehendisset somno indulgere, fidentes pactis induciis, noctu adortus est, & cepit. Cùm autem illi probro daretur violata jusjurandi fides; *De diebus*, inquit, *pactus sum, non de noctibus*; fortè illud Poëtæ in mente habens: *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* Sed perfidus ipse etiam fuit illusus: nam mulieres arreptis è templis Deorum armis, quasi Diis offensis perfidiæ ipsius pœnas sumentibus, ipsum vltæ sunt; vnde in dementiam versus, ferro seipsum exenterauit. Tam malè vt plurimùm perfidis cedit perfidia sua; vt Poëta cecinit:

2. Æneid

Silius l. 13

Dubio qui frangere fidem
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquet amici.
Non illi domus aut Conjux, aut vita manebit
Vnquam expers luctus, lachrimæque aget æquore semper
Ac Tellure premens, aget ægrum nocte dieque
Despecta ac violata fides.

De perfidis ac perfidia juuat attexere quæ eleganter & scitè Carolus Paschalius. *Fidei*, inquit, *inimica est infidelitas, seu perfidia, quæ est data ac debitæ fidei violatio, ad cujus mentionem solam omnis probitas contremiscit. Mens hac*

De virt. & vit. cap. 31

Digitized by Google

tanta diritate maculata, omnis Diuinæ puritatis exors est; perfidus est Mortalis omnium Mortalium impurissimus, vtpote Diuini Numinis irrisor, sacramenti desertor, Religionis contemptor, omnis sanctitatis euersor. Ergo prudenter Poëtæ finxerunt perfidos Titanas igne cœlesti deflagrasse, &c. *Porro quisquis semel perfidiæ dolis est inumbratus; cui, quod aiunt, neque fides, neque ara, neque jusjurandum manet, vix posteà cum fide in gratiam redire potest. Quia vberior merces ostenditur, illò ad omne momentum versatilis est. Quisquis fidem exuit, hic quoque suæ famæ contemptor, id vnum agit, vt porro sua infidelitate hunc aut illum perdat euertere.* Hæc ille, perfidiam vt fidei violationem solum capiens. Nos verò paulò latius etiam sęuitiam sibi annexam extra fas modumque in sanguinem & cędes exundantem jungimus, quæ vtplurimùm ipsa sibi ruinam struit.

Hoc in genere sapientia Areopagitarum eluxit, cùm in pueros animaduersum voluerunt, quorum alter in ipsis pueritiæ annis Coturnicum oculos eruisset, alter verò viuo arieti Corium detraxisset, augurantes eum qui adhuc tener cum alite tam trucem ludum luderet, eumque qui in feram tantâ sęuitiâ ferretur, jam suscepisse in se scelus, & præ se ferre argumenta mentis crudelissimæ, quæ jam multis perniciem minitaretur, & castigatione matura mereretur tanquam fręno retineri, aut compesci.

Perfidia maximè societati humanæ inimica est, ideoque eam Deus & homines persequi solent & vlcisci.

Tissaphernes Persarum Dux cùm initum cum Agesilao fœdus violasset, & bellum denunciasset, Agesilaus Legatis dixit habere se gratiam Tissapherni, quòd perjurio suo & Deos & homines sibi infensos reddidisset, suæ verò parti propitios.

Plutar. in Lacon.

Eapropter in hanc rem loquens Valerius Maximus: *Perfidia*, ait, *tantum incommodi humano generi affert, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quam illa laudis consequitur.* Subdit exemplum Tatij Sabini:

Val. Max. L. 9. c. 6

Romulo, inquit, *regnante, Sp. Tarpeius arci præerat, cujus filiam Virginem, aquam Sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, vt Sabinos secum in arcem reciperet, corrupit, mercedis nomine pactus, quæ in sinistris manibus gerebant. Erant autem hæc, Armillæ, inaures & annuli, magno ex pondere auri. Loco potitum agmen, puellam præmium flagitantem, donis obrutam necauit, perinde quasi promissum, quod ea quæ læuis gestauerant, soluit. Absit reprehensio: quia impia proditio celeri pœna vindicata est.* Hæc Valerius Maximus.

Perfidiam vt vitiorum omnium cumulum generositas Romana semper abhorruit. Nec, vt aliquis, *Perfidiam amo, Perfidos odi*; illi neutrum probauere.

Hujus rei exemplum habes apud Gellium, singularis notæ & commendationis. Cùm Pyrrhus in Italia prosperè pugnasset, quidam Timochares Regi familiaris ad Caium Fabricium Consulem furtim venit, ac præmium petiit; & si de pręmio conueniret, promisit Regem veneno necare; idque sibi perfacile, quòd filij sui Regi pocula ministrarent. Eam rem Fabricius ad Senatum scripsit. Senatus Legatos ad Pyrrhum misit, mandauitque vt de Timochare nil proderent; sed monerent vt Rex circumspectius ageret, atque à proximorũ insidiis salutem tutaretur. Alij aliter narrant, & dicunt Senatum non Legatos, sed literam, misisse his verbis: *Consules Romani salutem D. Pyrrho Regi. Nos pro tuis injurijs continuo animo strenuè commoti, inimiciter tecum bellare studemus. Sed communis exempli & fidei ergo visum est vti te saluum velimus; vt esset quem armis vincere possemus. Ad nos*

Aul. Gell. L. 3. c. 8

Digitized by Google

venit Nicias familiaris tuus, qui sibi pretium à nobis peteret, si te clam interfecisset. Id nos negauimus velle, neue ob eam rem quidquam commodi expectaret, & simul visum est, vt te certiorem faceremus, ne quid ejusmodi, si accidisset, nostro consilio ciuitates putarent factum, & quòd nobis non placet præmio aut pretio, aut dolis pugnare. Tu nisi caueas, jacebis. Quo in exemplo, quid in detestationem perfidiæ majus dici possit, aut in laudem Romanæ generositatis, non video.

Alexander Magnus Indos quosdam sibi infestos contra fidem datam in itinere oppressit: *hinc labes ei adhæsit, breuisque & tristis exitus.* Ita Plutarchus.

Carthaginensis Senatus Saguntum, contra fœdus quod Hasdrubal cum Romanis icerat, excisum ab Hannibale, non tantùm probauit, sed & in Romana Curia defendit. Verùm hoc cauillum & hæc perfidia Carthaginis excidio vindicata est.

Procop. & Blond.

Theodatus Gothorum dux, bello vndique pressus, ad Iustinianum Imperatorem legatos misit, pacem petens, eique totum Gallorum & Italorum Imperium obtulit; posteà verò interitu Mundi, Ducis Iustiniani, animatus, fidem fefellit, arma mouit: sed in iis occubuit, à suis interfectus anno regni sui tertio.

Aistulphus Longobardorum Rex, quia contra datam fidem Gregorio III. Pontifici arma inferebat, Pontifex pacis formulam de vexillo crucis suspensam, exercitui præferri curauit, cunctis contra perfidum hominem, Deum inuocantibus: nec irritæ preces: nam à Pipino Gallorum Rege subactus Aistulphus miserè tandem periit.

Recentiùs, Carolus, vltimus Burgundiæ Dux, supra modum audax & crudelis, & fidei parum tenax, post 250. Heluetios contra fidẽ circumuentos, & suspendio necatos; mox alios 300. Granseij occisos, anno Dñi 1476. tertia post die, Heluetij cæde suorum in rabiem acti, in Burgundum armis irruunt, & in fugam tunc vertunt; & tandem sequenti anno, Duci Lotharingo à Carolo intra Nanceium obsesso juncti, cruentam de eo victoriam reportant, ipso multis vulneribus trucidato, inter mortuos vix agnito. Tam malè cedit perfidis, perfidia sua.

PERFIDIS NON CREDENDVM, NEC MISERANDVM.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

CRIMEN perfidiæ quantum sit, & quàm detestandum, vel ex eo conjectare licet, quòd Patriarcha Iacob moriens, conuocatis filiis benedictionem imperiturus, post primogenitum Ruben, seruato geniturae ordine, Simeon & Leui aggressus, pro benedictione maledictionem impertiit. *Simeon, inquit, & Leui, fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, &c. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.* Ecce quibus verbis grandæuus Senex euerberat filios homicidas, ob laniena

Gen. 49

Digitized by Google

ac cædem in Sychimitas patratam, in vltionem ſtupri ſororis ſuæ Dinæ. Mirum! quadraginta & vnus anni ab eo crimine effluxerant, deleti Sichimitæ, ampliata fortuna Iacob, alio tranſlata familia, mutati mores filiorum, Simeon & Leui ſexagenariis majores, iuuenilem furorem ætate prouectiore decoxerant, melioribus apud patrem factis & conſiliis ante acta correxerant, aut compenſauerant. Et tamen morienti Iacob, viuit ejus ſceleris tam recens in ejus mente memoria, ac ſi heri aut nudius tertus præteriiſſet. Quid cauſæ dicendum, niſi facti atrocitas? quæ malitiam ejus perfidiæ contineret, a cujus contagione & conſortio vir ſanctiſſimus immunem ſe, incontaminatumque teſtari percuperet. Nam ſi ſcelus fuit violaſſe virginem nobilem, non erat majori ſcelere vindicandum: Imo ſtupri excuſatior erat culpa, & minor, aut nulla offenſio, quò nullum non tentauerant remedium ejus eluendæ, aut reparandæ, coëundo mutuo gentis fœdere, conjugio, Religione; quibus nonobſtantibus, poſt condonatam injuriam, pacta fœdera, datam fidem, ſuſceptam religionem, fœdifragi ac perjuri, viros innoxios; exteri, indigenas; armati, inermes; ſani, ægros, adoriuntur; & tam ſontes, quàm inſontes, omnem ſexum, ætatemque ad vnum contrucidant, occidunt, delent; & furum inſtar, poſtquam ſęuitum eſt in viuos, bona cęſorum diripiunt, prędantur, dilapidant. Quis poſteà miretur, ſi juſtiſſimus Patriarcha publicis tabulis moriens vult teſtatum extare poſteris, deprecari ſe communionem ſceleris, abhorrere ſacrilegos, perfidiam deteſtari, ſęuitiam filiorum abominari.

Nihil æquè turbat conuictum & ſocietatem hominum, ſicut perfidia; ideò nihil tam exoſum Deo & hominibus, nihil quod Deus & homines vlciſci & perſequi æquè videantur.

Nota eſt ex libro Iudicum hiſtoria Leuitæ illius, qui cùm itinerando perueniſſet in Gabaa Benjamin pernoctandi gratia, & ibi à quodam ſene receptus eſſet hoſpitio cum vxore ſua, coactus flagitioſiſſimis ciuitatis illius viris conjugem exponere, ne ipſe vitiaretur, abutendam, & vi ſtupri intemperantique ſua libidine occidiſſent mulierem, cum illuxiſſet dies inuentam exanimem ſparſis in limine manibus, rei nouitate & atrocitate permotus, in duodecim fruſta exectam ad omnes & ſingulas tribus concisi cadaueris partem miſit, quo quaſi claſſico vndecim tribus animatæ, in vnam tribum Benjamin ad arma conclamarunt in vltionem tantæ perfidiæ, & vindicandæ hoſpitalitatis & fraternitatis jura tam fœdè violata, vt dicerent, *Nunquam res talis facta eſt in Iſraël.* Denique commiſſis vario Marte tribus præliis tantus ſanguis effuſus eſt, vt ſexaginta quinque hominum millia gladio perempta fuerint, & vniuerſa ferè tribus Benjamin ferro flammaque deleta & extincta.

Iudic. 19

Iudic. 19

Mitto perfidiam Regis Sedeciæ, fœdus cum Nabuchodonoſore initum violantis; qui cùm, Deo ſic volente, Regem Ioachim, & omnes Principes ac Primates Iuda, & magnam partem populi, militiæque, Babylonem captiuos tranſtuliſſet, ſuffecto in Regem loco Ioachim, Sedecia, patruo ejus; iſte in Benefactorem ſuum rebellans, poſt duos annos obſidione captus, pœnam ſuæ perfidiæ exſoluit, trucidatis priùs in oculis ſuis, filiis ſuis; deinde exoculatus, & catenis vinctus, in Babylonem adductus eſt.

4. Reg. 25

Mitto peccatum Saülis in Gabaonitas ſæuientis, trium annorum fame ſterilitateque à Deo vindicatum, quos contra fidem olim datam Rex iniquus percuſſerat; quorum juſtæ offenſioni ſeptem filiorum ejus interne-

2. Reg. 21

Digitized by Google

cione litatum est.

Hæc, inquam, & alia prętereo, vt ad id, quod primo Regum de Saüle & Amalecitis habetur, veniam, Diuinæ iustitiæ exemplum, documentumque, Perfidis non parcendum, nec miserandum.

Samuel igitur Saüli recens inaugurato in Regem ex parte Domini pręcipit: *Hæc dicit Dominus. Recensui quæcunque fecit Amalec Israëli, quomodo restitit ei in via, cùm ascenderet de Aegypto. Percute Amalec, & demolire vniuersa ejus; non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid; sed interfice à viro ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, & camelum, & asinum.* Stupendæ nimis exemplum Iustitiæ! grandis ira Dei, quæ nulli parcit, sæuit in omnes, vsque in mulieres, vsque in infantes, vsque in animantes, vsque in ipsas res inanimas! & ne quis rationis aut justitiæ modum prętergressum putet, occurrit Propheta, dicens: *Recensui quæcunque fecit Amalec Israëli.* Chaldæus vertit, *Recogitaui.* Septuaginta, *Nunc vlciscar.* q. d. Reuocaui in memoriam peccata Amalec, vt meritam de illis pœnam exigam. Igitur quod fuerit peccatum Amalec cujus tot decursa retro secula, nec obliuionem induxerint, nec minuerint grauitatem, diligentius exquirendum. Quadringenti enim anni & amplius elapsi numerantur, ex quo Israëli ab Ægypto fugienti in armis occurrit & obstitit.

Sallian. Mendoc. Cornel. à lapid. hic

Multas autem easque grauissimas populo Dei ab Amalec inuenio illatas injurias, quas ad quatuor reducam, quæ non abs re Diuinam exacerbauerint iram.

Prima est, quòd omnium primus Amalec Israëlem oppugnauit hostiliter, & aliis gentibus vt idem facerent præiuit exemplo. Secunda, quia astu & fraude in via ipsi restitit, insidias tendens, & à tergo inuadens infirmos exercitus, & lassos sine misericordia trucidauit. Vnde illis exprobrando Deus dicit in Deuteronomio: *Memento quæ fecerit tibi Amalec, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit.* Hebræa legit, *decaudauit in te debiles.* Hebræi, Leprosos & Immundos intelligunt, secundùm Legem extra Castra manentes; vt Glossa & alij obseruant.

Deut. 25

Huic alterum crudelitatis genus additur, quòd speciali ignominia in mortuos sęuiit, quod ipsis vulneribus longè acerbius & atrocius existit. Tradunt enim Hebræi, vt refertur ab auctore Hebraicarum quęstionum apud Angelomum hoc loco, & Rupertum, Amalecitas eorum, quos lassos, & ægros ac miseros ceciderunt, circumcisionem amputasse, & non sine Diuino ludibrio ac contemptu in Cœlum ejaculatos esse, sęuitiæ ignominiam accumulantes.

& alij Lib. 1. in Deut. c. 40

Quarta, omnium grauior, injuria est, quòd omnia jura Diuina & humana violauerunt, pietatis scilicet & consanguinitatis. Nam Israëlitæ & Amalecitæ consanguinei erant; isti ab Esaü, illi à Iacob. Dum igitur Amalecitæ hostiliter in Israëlitas irruebant, pietatis jura temerabant; quo quid execrabilius, aut grauissimis suppliciis dignius? Quod Theodoretus expendens, & quærens cur Amalecitæ deleri juberentur, respondet: « Erant, inquit, impij, & fratres oderant: nam cùm ab Esaü genus ducerent, primi susceperunt bellum aduersùs Israëlem, qui tamen procul erat, & necdum attigerat terminos eorum. „ Hæc Theodoretus.

Theodor q. 33. in Deut.

Scilicet fraterna odia, Iacob & Esaü inter exercita, Amalecitis altiùs in mente hęrebant; voluebant animo, quomodo minor supplantauerat ma-

Digitized by Google

jorem, primogenita abstulerat, benedictionem præripuerat patris, hæc tractando recrudescebant odia, & acrius, quo arctius consanguinitatis jura intercedebant. Igitur audita Israëlis liberatione ex Ægypto, transitu mirabili maris rubri, submersione Ægyptiorũ, fœlici in omnibus successu, prima occasione inuidia frementes occurrunt & occupant itinera, veteres si possint inimicitias ferro vlturi, & cruento prælio eorum memoriam, & nomẽ extincturi. Quid mirum igitur, si in Diuina Misericordia locum non habent, qui charitati fraternæ nullum reliquerunt? si eorum scelera nulla apud Deum obliuione delentur, qui suorum cognatorum injurias perpetua recordatione augent potius quam minuunt? Quid mirũ, si Deus Amalecitarum peccatum suo scribit in corde, si ex illo die dicit Moisi. *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue. Delebo enim memoriam Amalec sub cœlo.* Si illud repetit in Deuteronomio, *Delebis nomen ejus sub Cœlo, caue ne obliuiscaris.*

Exod. 17

Deut. 25

Denique, si per recens inauguratum Regem Saülem jubet antiquas minas executioni mandari. *Recensui quæ fecerit Amalec Israëli.* Si tam seuerè jubet cum ea gente tractari, vt nullus excipiatur sexus, nulla ætas immunis, nulla personarum conditio euadat, sed in omnes Diuina vltio euagetur, non solum in homines, sed etiam animantes, imo & ipsæ res inanimæ supplicio inuoluantur, vt bene 70. πάντα τὰ αὐτοῦ. Quæcumque ejus sunt, nulli rei velit ignosci, denique nil Amalec reseruari, vt exemplum sit Diuinæ Iustitiæ, & documentum fratricidis & perfidis non parcendum, non miserandum.

Vnde illa Psalmistæ tam acerba & grauis imprecatio. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem.* Optat Dominum memorari in vindictam Edom, seu Idumæorum, qui vt Amalecitæ orti erant ab Esau, & consanguinei, vt & ipsi Hebræorum, quorum exprimit odium perfidiamque his verbis. *Qui dicunt, Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Non mirabitur mansuetissimum Dauid injuriarum sibi factarum facillimum condonatorem, tantam vltionem de Idumæis exposcere, qui eorum attenderit perfidiam & crudelitatem, ipsi enim minus venia digni videntur, quod cum, vt ait S. Chrisostomus, "Intercederet inter eos cognatio, hostibus fuere acerbiores. Acerbitas odij eorum apparet ex eorum sermonibus. *Qui dicunt, exinanite Ierusalem, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Quasi dicat eorum crudelitas in fratres suos Hebræos excessit omnem modum. Neque enim placatur eorum furor, desæuiens in corpora, & in animantes eorum, & bona, sed insuper postulant eorum loca, & vrbes deleri; & ita vsque ad fundamenta conuelli, ac subrui, vt eorum memoria penitus deleatur, pereat, annihiletur. *Qui dicunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. Propterea memor esto Domine filiorum Edom.* Recorderis in die iræ eorum perfidiæ, memor esto ad vltionem, non ad remissionem, ad vindictam, non ad veniam.

Psal. 136

In Psal. 136

Digitized by Google

TITVLVS LXV.

DE FORO ET LITIGANTIBVS.

FABVLA.

De Cane & Oue.

CANIS Oui litem intentat, panem ex mutuo sibi deberi. Ouis it inficias. Iudex statuit, quando de facto res erat, per testes probatum iri. Canis producit pro testibus, Miluum, Vulturem, & Lupum; Ouis negat contra se esse testabiles, antiquæ, & ab omni æuo inimicitiæ nomine laborare. Audiuntur tamen contra Ouem, & eorum testimonio insons, damnatur; vt cum Ouis carnes, Canis, & Miluus, & Vultur deuorassent, pelle & vellere Iudex iniquus gauderet. Sic nil profuit Oui ad aram Iustitiæ recurrere. Ibi enim nec juris, nec innocentiæ respectus est vllus, vbi fauor potentum, & proprij commodi ratio præualet.

Asinus Iudex.

ORta contentione Lusciniam inter & Cuculum, vter suauiùs caneret, delectus est pro Iudice Asinus, & ipse vocis cantandi peritia, suo judicio, non ignobilis; jubente Asino, prior cantat Luscinia, modulaturque carmen tanta dulcedine, & varietate distinctum, vt nil esse posse suauiùs diceres. Eodem jubente vicissim cantat Cuculus antiquam suam ridiculamque cantilenam. Quo cantante arrigit ambas aures Asinus, & delectatus suauitate cantus Cuculi; vt qui ad suum cantum propiùs referret; pronuntiat victorem Cuculum, victam Lusciniam. Non mirùm, si quotidie ad Aram Iustitiæ naufragetur innocentia, vbi Asinus stat Iudex.

Mens Fabulæ, seu Morale.

LIS ET FORVM CALAMITATIS, ET INIVSTITIÆ ARA.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVOD olim sapientissimè dixit Architas, Iudicem & Aram idem esse, quia pariter ad vtrumque confugiunt, qui injuria afficiuntur; verosimilius aptandum esse dixerim fœlicissimo illi æuo quod Poëtæ finxerunt

finxerunt, & aureum nuncupauerunt.

quod vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.
Pœna metusque aberant, nec vincla minacia collo
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine Iudice tuti,
Non galeæ, non ensis erat; sine militis vsu
Mollia securæ peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.

Quo tempore vt terra sponte, vt volunt, nullo injecto semine, nulloque vomere temerata fructus ferebat; sic homines sine legibus vitam auream ducerent. Quippe sufficiebat illis indita illa, ingenitaque homini ratio, cujuscunque legis instar, quæ facienda amplexandaque suaderet interius, non facienda dehortaretur. Quid enim prodest Lex scripta, infixa in ære & tabulis, nisi affulgeat altius infixa illa fax mentis?

Propterea vetuerat Licurgus populares suos vti legibus scriptis, longè satius ducens animis & cordibus, quàm chartis infigi. Ob eandem rationem Anthistenes negabat Sapientem viuere juxta leges ab hominibus institutas, sed juxta normam virtutis; aut benefacere, quia leges juberent, sed quia dictaret ratio, & ipse sibi intus imperaret.

Quia verò ratio non eodem modo viget in cunctis, Leges institutæ sunt, in humanæ subsidium imbecillitatis, addita pœna, & præmium, & forum, & Iudices, vt qui virtutis amore non continerentur, timore coërcerentur. Et hoc modo salua incolumique Legum custodia ac reuerentia, verum est, Iudicem & Aram idem esse. Quid enim est Ara, nisi Iudex tacens & silens? & quid Iudex, nisi Ara loquens?

Sed ex quo Legum reuerentia defluxit, & fori sanctimonia abiit in corruptelam, &

Irrupit venæ pejoris in æuum
Omne nefas, fugêre pudor, verumque fidesque
In quorum subiere locum, fraudesque, dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi, &c.
Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima Cœlestûm terras Astræa reliquit.

Ex illo, inquam, Ara Iustitiæ in aram calamitatis & Injustitiæ versa est; cujus quot Iudicia injusta, tot sacrificia sint, quot falsa testimonia, fraudes, stupra parcita, dissimulata scelera, condonata perjuria, coloratæ injustitiæ, laudata vitia, coronata crimina; tot impiæ hujus aræ cultus sacrilegi existant, quot rei absoluti, insontes damnati, oppressæ viduæ, pupilli fraudati, pauperes circumuenti; homines virtute insignes inuidorum linguis accusati, mulctati exilio, bonorum jactura, & vel in mortem acti.

Circum hanc aram iniquis judiciis in exilium acti Furius Camillus & Scipio; exanimes Seneca & Cicero proscripti, Romæ. Athenis, Phocio & Socrates damnati; exules, Themistocles & Aristides; Ajax priuatus armis Achillis iniqua sententia Græcorum.

Vnde Anacharsis dictitabat: *Forum ad fallendum inuicem, & dandas auaritiæ manus, locum destinatum est.* Addebat idem, quod & Zaleuco etiam tribuitur, *Leges, aranearum telis esse similes, in quibus caperentur culices & muscæ*

Val. Max. l. 7. c. 2. & Bruson. l. 3. c. 34.

Digitized by Google

Plutar. in Apopht Reg.

tenues, vespæ & crabrones iis perfractis euaderent.

Et Diogenes videns furem à Iudicibus ad furcam duci, exclamauit: *Videte, ô Ciues! paruum furem, quem magni ad patibulum trahunt.*

Non absimile quod de Alexandro Magno referunt, cui cùm Prædo insignis captus à suis, oblatus esset, & ab eo interrogaretur, *Quid ita ageret Pyraticam, mare latrociniis infestans?* Ille animo & vultu intrepidus; *Quia*, inquit, *vno aut altero Myoparone seu lembo instructus, mare excurro, Pyrata dicor; Tu, quia classibus integris ciuitates & regiones & regna ipsa prædaris, Rex diceris.*

Videant Iustitiæ Antistites & Ministri, ne eos hæc sententia attingat, vt dum in aliis pro officij sui munere & zelo juris leuiora delicta vindicant, atrocium criminum sibiipsis conscij conuictique, sub Deo Iudice grauiores pœnas expectent.

Aristot. 1. Polit.

Scitè pronunciauit Aristoteles, quòd *sicut optimum animalium est homo, lege vtens & legi obediens; ita pessimum animalium est homo, à lege & Iustitia aberrans & deuius.* Quod si ita est, quid dicendum de iis, qui legum auctoritate sublimes, quæ sæuiunt in alios, in legum perniciem turpius sibiipsis indulgent? nisi eos esse mortalium flagitiosissimos?

Legitur Cambysen, hujusmodi Iudicem sacrosancta legum Majestate abutentem, viuum jussisse excoriari, & solium ejus, ipsius pelle operiri, super quo eodem jubente sederet iniqui patris filius, quò quasi rediuiua patris voce perpetuò moneretur, à corruptela sibi cauendum. Seueræ nimis exemplum Iustitiæ, si quid nimis in hoc luis genere esse potest. Quantò sanctius & pulchrius nostri sanctissimis Liliis insidentes norunt, cùm de vitis & fortunis hominum decernunt, haudquaquam debere se regij floris turpi vllo quæstu dedecorare Majestatem, vel odorem indigno afflatu fœdare, vel denique illibatum candorem mali moris fuligine infuscare.

Plutar. in Apopht Reg.

Philippus Macedo sedens aliquando pro tribunali ad causas, inter oscitandum dormitandumque non bene audita cujusdam Machetæ lite, judicauit in fauorem aduersarij. *Is à Regis sententia incunctanter appellauit. Excandescens Rex, Ad quem, inquit, prouocas? A te, ille, dormitante, ad attentum, experrectumque.* Quo facto ad mentem reuocatus Philippus, re meliùs cognita, etsi non reuocauit sententiam, ne regiæ Majestati officeret, damnum de suo compensauit, & insigne documentum præbuit non oscitanter dormitanterque tractanda Iudicia; agi de suo, cùm fraudant in alieno. Quod si ita est de re pecuniaria aut simili, quid? vbi de vita hominis decernitur?

Ælian. l. 14. Var. hist.

Ptolemæus Lagi filius, Rex Ægypti, cùm ad talos sederet, & alea luderet, assistens quidam de aula ipsi reorum nomina suggerebat, & in eos collata crimina referebat, vt quos venia, aut morte dignos judicaret, interludendum decerneret. Non tulit inter ludicra, res tam serias, vbi de vita hominum agitur, pertractari, Berenice vxor Regis; sed accepto è manibus hominis libello, Non sic obiter (inquit sapientissima mulier) ac perfunctoriè causæ hominum tractandæ, vbi de salute & vita agitur. *Longè alius est casus talorum & hominum. Quod videns Rex, probauit vxoris factum, nec vnquam posteà ludens capitalibus causis interfuit.* O vtinam attendant Magistratus sui muneris grauitatem & pondus, & nil non exactissimè inspiciant, versent, ponderent. Quod Alexandrũ fecisse ferunt, qui cùm in causis capitalibus Iudex sederet, visus est orante accusatore vnam aurem præbere apertam, alteram manu occlusam. Rogatus cur id faceret, dignam

Plutar. in Apopht. Bruson. L. 3. c. 10 Anton. in Mel. f. 53

Digitized by Google

Iudice sententiam respondit: *Defensori, inquit, aurem vnam integram reseruo.*

Humaniter Bias quempiam ad mortem damnaturus solebat illachrimari, miseram hominis sortem deplorans: quod cùm alicui mirum videretur, rogareturque, quid judicaturus lachrimas funderet, cùm liberè & non inuitus judicaret? respondit: *Quod illachrimor, Naturæ compatior; quod judico, Legi obtempero: vtrique quod debeo, rependo.* Dignam justo Iudice sententiam; quam si sequerentur Iustitiæ Ministri & Interpretes, tot obtrectationibus justis malè administratæ operæ non subjacerent.

Ap. Stob. Ser. 44

Oportet Auditorem, & re vera prudentem Iudicem,
Antequam narretur sermo, vitam considerare
Dicentis, qualisnam sit, cujas, & summam studij
A puero sui quorsum direxerit: qui enim est
Proditor suiipsius, & malus ætatis ac formæ suæ custos,
Talis imprimis ciuitatem totam pessundat.
Furatur, publicanus est, dissolutus & ignauus,
Mentitur, pejerat, testatur, Rabulam agit.

Apollod. ap. Stob. serm. 44

Rabulas sui temporis, eorumque mores, egregiè insectatur Cassiodorus. *Hi sunt,* inquit, *qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliuiscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata conuellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes,* &c. *Hi sunt in conuiuijs scurræ, in exactionibus Harpiæ, in collocutionibus bestiæ, in quæstionibus statuæ, ad intelligendum saxei, ad judicandum lignei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias Pardi, ad facetias Vrsi, ad fallendum Vulpes, ad superbiendum Tauri, & ad consumendum Minotauri. Hi sunt, quorum si nares afflauerit cujusdam rubiginosi aura Marsupij, confestim videbis illis oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngarum vngues, & perjuria Laomedontis, Vlyssis argutias, Simonis fallacias,* &c.

Cassiod in Psal. 73

Hujusmodi sic descripsit Martialis:

Lib. 2

Semper agis causas, & res agis, Attale, semper:
Est, non est, quod agas; Attale, semper agis.
Si res & causæ desunt, agis, Attale, mulas:
Attale, ne quid agas, desit, agas animam.

Aliud ejusdem, in Clamosum, ex lib. 1.

Cùm clamant omnes, loqueris tu, Næuole, semper,
Et te Patronum Causidicumque putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce tacent omnes; Næuole, dic aliquid.

Aliud in Causidicum vana garrientem, & nil ad propositum, habes in Commentar. Alciati Emblem. 95.

Voce boat torua, prælargo est gutture, rostrum
Instar habet Nasi, multiforuque tubæ.
Deformem Rabulam, addictum ventrique, gulæque
Signabit, voluer cùm Truo pictus erit.

Rabula, à radendis auribus, vel à rabie, vel à raucitate, hominem significat, qui causam quam defendit, à Iudice contendit extorquere; vt sunt Patroni illi triuiales & plebeij Causidici, inter quos qui clamosissimus est, putatur alios judicio & doctrina antistare.

Ammonius appellat Rabulam, Litium consarcinatorem. Cato, Vitilitigatorem. De quibus Plautus Persa: *Etiamsi nihil est litium, lites serunt,*

Digitized by Google

inquit. D. Hieronymus ait eos Lyncibus & Leonibus crudeliores, qui ore rabido deuorent. Seneca in ludo Claudij, *Venale genus*. Apuleius l. 10. *Vilissima capita, Forensia pecora, & togatos Vultures.* Quin & Columella, Præfat. lib. de re Rustica: *Olim, ait, sine Rabulis beatas fuisse vrbes; sed maximo quodã malo contra majorum morem repertum ac concessum in ipso Foro latrocinium.* Plinius 2. l. 2. Epist. 3. *Nos qui in foro veris litibus ac jurgijs quotidie terimur, multum malitiæ quanquam nolentes addiscimus.*

Quæ ex Profanis sufficiant.

LIS ET FORVM, CALAMITATIS ET INIVSTITIÆ ARA.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

COMMVNITER male audiunt lites & litigiosi in Scriptura, vnde Paulus vult Discipulum suum Titum serio & incessanter hortari suam plebem, vt a litibus abhorreant. *Admone*, inquit, *illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, non litigiosos esse.* Hæc vult mandari & commendari populis. Quod reprobat in Plebeiis, quanto magis in Episcopis, & dignitate Ecclesiastica constitutis? Sic enim ad Timotheum, docens quæ res deceant Episcopum, quæ dedeceant, id inter alia præcipit. *Oportet*, inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse, &c. non litigiosum.* Quippe aduersatur immane hoc vitium spiritui Dei & Euangelio pacis, cujus vtriusque dispensator & minister est. Repetit idem consilium eidem Timotheo Epistola secunda. *Stultas autem, & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites; seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.*

Ad Tit. 3

1. Tim. 3

2. Tim. 2

Insuper, habet hoc vitium mollitiei & malignitatis aliquid, cui muliebris animus pronior, & magis obnoxius est, quo virilis animus abhorrere debeat. Propterea in Prouerbiis à Sapiente hoc Epithetum sæpe mulieri fatuæ appingitur. Capite 19. *Tecta jugiter perstillantia litigiosa mulier*, quæ Sententia repetitur infra cap. 25. Quibus ex locis liquido apparet esse vitium muliebris animi, iram, aut modum tenere impotentis.

Sed aperte id perstringit, & apposite ad gnomem tituli hujus Prouerb. 26. Nam vbi versio communis habet: *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem; sic homo iracundus excitat rixas.* Loco *homo iracundus*, Symmachus legit, *dolosus*. Aquila, *susurro*, quo propriè Litigator significatur, cui Hebræa concordat vertens, *homo contentionum ad succendendam litem.* Vbi notandum, quod Græca lectio habet ἐσχάρα, quod significat Aram, quasi dicat, inquit Cornel. à lap. " Sicut in ara ardet ignis, quo victimæ Deo cremantur, sic in ira ardet rixa, qua homines diabolo mactantur, & sacrificantur. Ergo ira est ara diaboli, in qua ignis est rixa, seu lis; sacrificãs, dolosus & susurro; victimæ, homines oppressi. „ Sic ille. Quo inuenimus funestam aram litigantium: iræ enim litigatio cognata & affinis est; sed aram Injustitiæ & calamitatis publicæ, circum quam innumerabilis turba pauperum dolis

Prov. 26

Cornel. à lapid., in 26. Prov. Versu 21

Digitized by Google

& fraudibus litigantium circumuenta, jacens & gemens; qui vt ligna ad ignem, & carbones ad prunas noua semper excitant incendia; sic Seminatores illi litium perpetuant lites, & nouas sine fine semper generant & accendunt. De quibus Spiritus Sanctus pronuntiat: *Homo peruersus suscitat lites*. Et apud Ecclesiasticum: *Abstine te à lite*. Addit: *Et minues peccata. Homo enim iracundus* (pro quo susurro & dolosus) *incendit litem, & vir peccator turbabit amicos*. Quo non tantùm comprehendi existimo generationem illam irrequietam Vitilitigantium, qui cum nemine pacem habere possunt, sed pro nihilo lites intexunt, omne Forum frequentant, omnia Tribunalia fatigant; sed etiam Iustitiæ Ministros, velut Causidicos & Procuratores, quibus omnis cliens acceptus est, nulla causa non bona, vnde lucri spes est.

Prov. 26

Eccl. 28

Gens moribus & genio persimilis cuidam Protagoræ Sophistæ, quem Aulu-Gellius acerrimum Sophistam vocat, sed insincerum; qui pecuniam ingentem à Discipulis suis annuatim recipiebat; profitebaturque eos artem docere, ex bona causa efficiendi malam; & ex mala, bonam. τὸν ἥττω λόγον, κρείττω ποιεῖν. Quo quid Reipublicæ perniciosius aut corruptius esse possit? vt non mirer si hujusmodi Rhetores quidam Principes & Respublicæ à se expulerint, vt animorum corruptores.

Aulu-Gel. L. 5. c. 3

Origenes super illud Exodi, *Percutiam omnes terminos tuos ranis*, secunda plaga Ægypti, per Ranas illas existimat significari clamosas Aduocatorum allegationes, quæ inani & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus, Mundo deceptionis fabulas intulerunt, &c.

Orig. in 8 Exod.

Contra quos S. Bernardus ad Eugenium: « Miror namque, inquit, quomodo religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes Aduocatorum, & pugnas quæ magis ad subuersionem, quàm ad inuentionem proficiunt veritatis. Præscinde ergo linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. Hi sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti aduersus Iustitiam, eruditi pro falsitate; sapientes sunt, vt faciant malum; eloquentes, vt impugnent verum.

Lib. 1. de Consid. cap. 9

Iustus Lipsius refert Galeacium, Mediolanensium Ducem, audito Causidicum esse Mediolani vafro ingenio, qui lites serere, satas producere, atque etiam alere in liquido jure posset, hominem ad se accersitum sic affatum esse: « Debeo pistori meo centum aureos, quos soluere non lubet; Nunquid me in jure tueri, & rem protrahere potes? Posse ille se certissimè, idque effecturum se recepit; sed in caput suum. Nam fraudis proprio ore sic confessum conuictumque, priùs graui reprehensione castigatum, publicè laqueo necari, & gulam frangi mandauit. »

Sed vt ad Scripturam redeamus, consideremus qui impurissimi homines, alij pruritu perpetuo litigandi laborantes, alij pecunias cupiditate expiscandi, jus omne susdeque vertunt, & sanctissimam illam Aram veritatis & Iustitiæ, ad quam, velut Asylum miserorum, & afflictorum commune perfugium, recurrendum erat, in corruptelam conuerterunt, & sentinam omnis fraudis.

Perfidissimus Absalom, cùm patri regnum & vitam eripere moliretur, finxit se legum zelo, & Aræ hujus Iustitiæ religione teneri. Igitur festinus matutinis horis stabat juxta introitum portæ palatij regij, & omnem virum qui habebat negotium vt veniret ad Regis judicium, vocabat ad se, & dicebat: *De qua ciuitate es tu? Qui respondebat; Ex vna Tribu Israël ego*

2. Reg. 15

Digitized by Google

sum, seruus tuus. Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est qui te audiat constitutus à Rege. Dicebatque Absalom cum alto suspirio: *Quis me constituat Iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & rectè judicem? Sed & cùm accederet ad eum homo vt salutaret illum, extendebat manum suam, & osculabatur eum, faciebatque hoc omni Israël venienti ad Iudicium, vt audiretur a Rege; & sollicitabat corda virorum Israël.* His artificiis atque lenociniis hoc colore prætextuque sibi viam ad regnum rebellionemque præstruebat, zelum Iustitiæ prætendens.

Regina Iezabel, pessimi Regis Achab vxor, longe deterior, cùm voluit subditi sui Naboth vineam hæreditatemque vsurpare, & ad maritum traducere, prouocauit ad Aram Iustitiæ, fecit ei litem. Quam verò machinam adhibeat mulier in re per maritum tentata & desperata? dicente Naboth, *Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum? Scribit literas nomine Regis ad Primates ciuitatis in qua habitabat Naboth*, ait Scriptura; *& signauit eas annulo ejus, quarum hic tenor erat: Prædicate Iejunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros Belial contra eum, & falsum testimonium dicant:* Benedixit; id est, *Maledixit Deum & Regem.* Quid sequitur? *Et educite eum, & lapidate; sicque moriatur.* Deus bone! his artificiis circumuenitur pauper: prædicatur Iejunium, cùm paratur homicidium; Primates sedent ad judicium, vt adornent latrocinium; vocatur inter primos Naboth, vt dejiciatur inter reos, & lapidetur: dicitur in insontem Iudicium à Iudicibus reis; & per falsos testes sententia dicta reus pronunciatur; quia habebat aliquid, quod Rex concupisceret: lis terminatur, cùm ei vita, & quidquid habebat, eripitur. Hæc sunt instrumenta, hi processus, hæc acta & forma Iudicij, quibus in eum lis instruitur, informatur, perficitur; ne quis existimet rem esse nouam, si prætextu & obtentu litis & fori fabricantur hodie falsi testes, vt justi & simplices opprimantur. Quid hoc processu iniquius? Et faxit Deus, vt similia hodierno die non pertententur.

3. Reg. 20

Minitabatur Deus per Prophetam suum Isayam multiplices pœnas & flagella populo suo, nisi ab iniquitate cessaret; ex alia parte populus de justitia sua plus æquo sibi arrogans, allegabat Iejunia & bona opera quæ faciebat: *Quare jejunauimus, inquiunt, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti.* Quid ad hæc Deus? quid ex parte Dei Propheta respondeat? *Ecce*, inquit, *ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè!* quasi dicat Dei Spiritus: Quò mihi vestra Iejunia, preces, humiliationes, adumbratæ armamenta justitiæ? Iejunatis, vt litigetis; feruetis iracundia, æstuatis inuidia, inuicem mordetis, percutitis, consumitis? Tribunalia plusquàm Templa vestrarum contentionum clamore ac strepitu replentur ac resonant? Quid igitur faciant? Respondet Propheta: *Nonne hoc est Iejunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis*, inquit; *solue fasciculos deprimentes. Dimittite eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe.* Hoc est Iejunium quod placet Domino. Hìc rogo eos qui fori & litium haud ignari sunt, nunquid non verè Propheta hìc describat forensis apparatum Iudicij, quo cum pompa à Procuratoribus causarum & Patronis feruntur sacculi scriptis redundantes, fasciculi colligati, tituli, actus, libelli, scripturæ sine numero, plenæ falsitatis & multiplicis fraudis rei litigatoriæ, quibus obnubiletur veritas, jus obscuretur, & Iudicum intentio fatigetur.

Isaiæ 58

Apage mihi has tricas, & nugas, & artes. Dicit Dominus: *Dissolue colli-*

Digitized by Google

gationes impietatis, solue fasciculos deprimentes; dimitte eos qui confracti sunt liberos. Cùm his artibus viceris apud homines, causa cades ante Deum. Hæc ara Impietatis est, vbi reus absoluitur, innocens condemnatur: nihil offuciæ & tricæ litigantium obscurant Deo. *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Psal. 13

TITVLVS LXVI.

DE FORO ET LITIGANTIBVS.

FABVLA.

De Fele, Mure, & Caseo.

CVIDAM donatus fuerat Caseus, tum forma, cum sapore ac gustu spectabilis, quem in repositorio condidit, promendum secundis cibis. Præsensit eum Mus fortè ibi latens, & arrosit. Indignatus Herus diligenter scrutatur cauos, & obturat; nihilominus secunda vice iterum reperitur delibatus & tactus. Vltimum remedium existimauit esse si intus Felem includeret, qui Murum arrosorem arroderet. Introduxit ergo Felem, qui furunculum illum domesticum comprehendit & deuorauit, & eo deuorato, comedit & caseum integrum, nil reliqui fecit. Quo viso, quale remedium, inquit homo, mihi assumendum putaui! animal domesticum quòd furem domesticum prædaretur accersiui, & me majori quàm antea damno affeci. Vera tabella negotij forensis, & fortunæ litigantium, qui damno aut injuria affecti, dum litigando vindicari aut reparari putant, omnia amittunt.

De Asino & Musto.

ASinus oberrans Cellarium apertum offendens, quo tempore vina fiebant, ingressus, vinitore & calcantibus fortè absentibus ad lacum diuertit, inuenit Mustum, & prægustato eo, dulce reperiens, largè epotat, quantum venter caperet. Interea accedit Vinitor, & Asinum potantem inueniens capit. Dominum Asini in jus vocat, postulat reparari damnum. Adeuntur Iudices, negat coram quidquam debere. Illi de re ridicula jocum & quæstum capientes litem protrahunt, litigantes diuersa allegantes audiunt, & cum Mustum & Asinum futilibus sumptibus deuorassent, demum interrogant vtrum Asinus inter bibendum, ad lacum insedisset. Negat cujus erat Asinus, assedisse, stantem repertum esse, quod cum pro comperto haberetur, pronuntiat nihil debere Asinum, qui quasi iter facien-

do Mustum degustasset. Digna tanta lite & Iudicibus sententia, ex qua nulli nisi foro fructus cessit. Conuenit perfectè cum primo, in quo Mus & Caseus, & omnis litigantium substantia, à Fele, seu Cato, magno rei forensis Magistro, deuoratur, & consumitur.

Mens Fabulæ, seu Morale.

FORVM OMNIA CONSVMIT.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

PROPTEREA tam concors omnium Sapientum Schola absterret à foro & litibus, vtpote a re, cui cum recto vix conuenit. Quod in hanc rem apud Stobæum dicit Euripides, magis Christianum quàm Poëtam Ethnicum sapit.

Eurip. in Androm.

A paruis initiis, inquit, lites magnas hominis
Lingua producit. Hoc verò Sapientes mortalium
Cauent ne quid inter amicos contentionis excitent:
Nihil est jucundius, & docto viro dignius,
Quam ferre posse conuitiantem,
Quoniam si ille cui conuitium fit,
Dissimulauerit, in ipsum auctorem redundat.

Optime quidem: vbi linguæ vitio paruarum initio litium, sed successu magnarum, meritissimè originem tribuit. Cui & illud fortè referendum quod inter placita, seu præcepta Pithagorica receptum est.

Ne gustaris quibus nigra est cauda, vel Melanuros ne gustato. Qua Sententia prohibebat, ne perfidos & insidiatores frequentemus, qui aliud in ore, aliud in pectore habent. Piscis est Melanurus, captu perdifficilis. Erasmus loco Melanuri ponit Sepiam, quæ vt piscatores ludat, dum in retia incidit, atro quasi sanguine aquam infuscat, vt aduerti & capi minime possit. His Tertulianus Hæreticos comparat, qui ne ad salutem deprehendantur & capiantur, sparsa vbique fuligine erroris purissimas Scripturæ aquas infuscant. Sed nihil ad nostrum propositum melius litigatores malos designat, qui aquam veritatis turbant, vbique nebulas spargunt.

Laërt. Lib. 8. de Pythag.

Idem dicebat *sub eodem tecto hirundines non habendas*, id est, cum litigatoribus & contentiosis consuetudinem non habeas, quòd animal istud sua garrulitate quàm importunum, nec domo excedens, nec eo magis cicur (sola carne vescens auis, inquit Plinius, ex iis quæ aduncos vngues non habent) sanguinis appetens sit. Quibus quasi expressis coloribus videas litigatoris genium ad viuum expressum, vel eo magis quod S. Hieronimus Aristotelis auctoritatem secutus interpretatur abstinendum à commercio garrulorum & susurronum, jurgiorum seminatorum.

L. 11. c. 3

Apud Calepin. v. 6 hirund.

Hoc ipsum alio symbolo vetabat Pythagoras, *à Fabis*, inquit, *abstine*, id est

id est, à Iudiciis, in quibus olim suffragia Fabis ferebantur. Quibus & tertium ejusdem consilium addendum. *Stateram ne transgrediaris.* Hoc est, æquum & justum ne transilias. Quod Iudices spectat Iustitiæ lancem & stateram æqua proportione distribuentes.

Chilonis vnius ex septem Sapientibus tria præcepta aureis literis Delphico templo inscripta consecrauit, & magni fecit antiquitas, scilicet, *Nosce teipsum, ne nimium cupias, & æris alieni, atque litis miseriam effugias.*

Et Cicero ad Atticum, *Nihil bono viro ac quieto magis conuenit quàm abesse à ciuilibus controuersiis.* Et hæc non alia de causa, nisi quod homini ingenuo æqui ac recti amanti difficile sit, & periculosum forensibus negotiis vacare, in quibus vtplurimum sinceritas exulat, naufragatur innocentia, veritas pessundatur, opprimitur aut corrumpitur Iustitia.

Hoc non ignorauere priora sæcula, nec latuit, duo esse, quæ vitata salutem Reipublicæ, foro & legibus, *Neglecta ac tolerata* perniciem allatura essent; *Acceptio scilicet personarum & munerum largitio.* Duæ omnium corruptelarum scaturigines & pestes Reipublicæ; vtrumque vt significarent, & à se auerterent, Thebani, vt refert Plutarchus, & ab eo Stobæus & Alexander ab Alexandro, vt incorruptam Iustitiam signarent, nec variari gratia, Iudicum imagines sine manibus, Principis vero sine oculis in foro proposuere, vt his signis ostenderent Iudices affectibus capi non oportere, caussaque definita damnatos vndecim viris pœnis afficiendos tradebant. Quod Alciatus Emblemate depingit his versibus:

Effigies manibus truncæ ante altaria Diuûm
Hinc resident, quarum lumine capta prior.
Signa potestatis summæ, sanctique Senatus
Thebanis fuerant ista reperta viris.
Cur resident? quia mente graues decet esse quietâ
Iuridicos, animo nec variare leui.
Cur sine sunt manibus? Capiant ne Xenia, nec se
Pollicitis flecti, muneribus'ue sinant.
Cæcus at est Princeps, quòd solis auribus, absque
Affectu constans jussa Senatus agit.

Propterea & Athenis Areopagitæ de causis capitalibus judicaturi, Areopagum noctu conueniebant, iis qui causas dicerent affectibus & omni lenocinio abstinere jussis, ne miserabilium personarum intuitu aut lenociniis verborum, quod magnam ad flectendum mouendumque Iudicum animos vim habere noscitur, quidquam contra jus fieret. Talis erat apud antiquos sacræ Themidis Antistites legum justique reuerentia & sanctitas: sed proh tempora quàm subitò ab illo mutata! Nam florentissimæ quæque Respublicæ ab illo tenore recti in quam corruptionis voraginem prolapsæ sunt, postquam Iudices & oculos aperire, & manus habere, & muneribus explicare cœperunt? Quæ vitia Foro non irrepserunt, vbi precium, & fauor, & ambitus, omnia venalia fecere, dignitates, suffragia, innocentiam denique ipsam, & scelerum condonationes? Vt dicat Seneca: *Prorsus persuasimus quod multi furto non erubescunt, quod multi adulterio gloriantur. nam sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.* Et breuiùs, mordaciusque Iugurtha, ille Numidarum Rex, qui corrupta muneribus ac pretio Senatûs parte, & auro multo victis belli Ducibus, sępè votorum iniquissimorum compos, cùm aliquando Roma jussus decederet, Vrbis

Brusón. L. 3. c. 27

Cicer. ad Atticum

Plut. l. de Iside
Stobæus Ser. 44
Alex. ab Alex. Lib. 3

Embl. 144

Epist. ad Lucil.

Digitized by Google

Saluft. in Iugurt

portas egressus fertur eò sępiùs conuersus exclamasse: *O Vrbem venalem, & maturè perituram, si emptorem inueniret!* Quæ vox licet ab hoste prolata, mirum quàm late vulgata sit ad infamiam Romanorum.

Vultis summæ ejus corruptelæ exemplum ex ipsorum confessione? Audiatur summatim Seneca: *Nunquam apertiùs*, inquit, *quàm coram Catone, peccatum est. Credat aliquis pecuniam versatam esse in eo Iudicio, in quo reus erat Clodius, ob id adulterum quod cum Cæsaris vxore in operto commiserat, violatis religionibus sacrificij*, &c. Atqui *dati Iudicibus nummi sunt, & quod hac etiamnum pactione turpius est, stupra insuper Matronarum & adolescentulorum nobilium salarij loco exacta sunt. Minùs crimine, quàm absolutione, peccatum est*, &c. *Quicquam fuisse corruptius illis moribus creais, quibus libido non Sacris inhiberi, non Iudicijs poterat?* &c. *qui damnabatur vno adulterio, absolutus est multis.*

Epist. 97

Sic veridicè Satyricus:

Iuvenal Sat. 2

> *Dat veniam Coruis, vexat Censura Columbas.*

Et alibi:

Sat. 1

> *Quid referam quantâ siccum jecur ardeat ira,*
> *Cùm populum gregibus comitum premat hic spoliator*
> *Puppilli prostantis? At hic damnatus inani*
> *Iudicio (quid enim saluis Infamia nummis?)*
> *Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur Dijs*
> *Iratis: at tu, victrix Prouincia, ploras.*
> *Hæc ego non credam Venusina digna lucerna?*
> *Hæc ego non agitem?*

Huic proposito non incongruè veniet quod de Demosthene habetur apud Aulum Gellium. Critolaùs, inquit, scripsit Legatos Mileto publicæ rei causâ venisse Athenas, fortasse an dixerit auxilij petendi gratia. Tum qui pro sese verba facerent quos visum erat, aduocasse: Aduocatos, vti erat mandatum verba pro Milesiis ad populum fecisse, Demosthenem Milesiorum postulatis acriter respondisse, neque Milesios auxilio dignos, neque è Republica adesse, contendisse. Rem in posterum diem prolatam: Legatos ad Demosthenem venisse magnoque opere orasse vti contra ne diceret, Eum pecuniam petiuisse, & quantam petiuerat, abstulisse. Postridiè cum res agi denuo cœpta esset, Demosthenem lana multa collum ceruicesque circumuolutum, ad populum prodiisse, & dixisse se συνάγχην pati; eo contra Milesios loqui non quire. *Tum è populo vnum exclamasse, Non συνάγχην, quod Demosthenes pateretur, sed ἀργυράγχην esse.* Hæc ille. συνάγχη autem est Angina, Gallicè *Eschinancie*, genus morbi, quo fauces humore tumidæ pene strangulantur. Arguta cauillatio. Demosthenes non patitur faucium anginam, sed argenti anginam ac pecuniæ. Hoc morbo multi ex Forensibus sani laborant. Quot Iudices Cessatores sunt, vt cum Gellio loquar, vbi Metallum flauum irradiauerit, aut Magnatum fauor mutos fecerit. Absunt à Foro, cum adesse, pro justitia & veritate deberent. Quanquam vt idem auctor refert, Demosthenes factum suum sibi laudi tribueret. Nam cum interrogasset Aristodemum actorem fabularum quantum mercedis, vti ageret, accepisset, & Aristodemus talentum respondisset. *At ego plus*, inquit, *accepi, vt tacerem.* Quod mihi miraculo non est, si suæ sordes etiam alicui placeant. Non ita Poëta Lyricus Lollium Iudicem integerrimum commendat.

L. 11. c. 9

Horat. L. 4 Ode 9

> *Est animus tibi*

Digitized by Google

Rerumque prudens, & secundis
Temporibus, dubiisque rectus,
Vindex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ;
Consulque non vnius anni
Sed quoties bonus atque fidus
Iudex honestum prætulit vtili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu.

FORVM OMNIA CONSVMIT.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

EST *generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus*, inquit Sapiens in Prouerbiis. Conuenit inter Sacros Interpretes hoc loci designari certum genus hominum tanta feritate & inhumanitate præditorum, vt ferarum instar cæteros dentibus molant, & comminuant, non corpora, sed bona deuorantes, quales exprimit Psalmista: *Filij hominum, dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorum, gladius acutus. Qui deuorant plebem meam sicut escam panis*; id est, excoriant & expilant. Quo genere hominum auaros, & summè rapaces, intelligi, indicant verba ista: *Vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Quem locum turbæ forensis hominibus, quorum sors & vita tota quanta in lite est, non dubitanter ascribet, qui hujusmodi hominum rapacitatem famemque inexplebilem considerabit, perpendet immensas summas quibus quæque officia veneunt, redimendas impensis litigantium, pretia scripturarum, pecunias vi aut necessitate extortas, Xenia ægrè aut sponte aucupando Iudicum fauore largienda, astutias & nequitias fori. Quis, inquam, familias quotidie exhaustas, greges litigantium re sæpius infecta desperantes perpendens non commiseretur sorti clientum, non indignetur crudelitati litigatorum? Quo nomine nequicquam comprehendo primarij ordinis Principes viros, meliori genio afflatos, quos Scriptura appellat *Deos*, quos inter medius sedet Deus Deorum, secundùm illud: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.*

Prov. 30

Psal. 56

Psal. 56

Quis autem hujusmodi Generationi Vulturum rapacium Fori, de quibus suprà sermo est, non censeat meritò applicandum quod sequitur: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes; Affer; affer*; vt Ars Litigatoria, seu Forum, sit illa Sanguisuga, cujus duæ filiæ sint, ex communi sensu Interpretum, Luxuria, & Philargiria, id est, amor pecuniæ; quæ ambæ ore semper hiante clamitent, *Affer, affer*: vel vt Hebræus legit, *Da, da.* Quid enim frequentius ex istis famelicis Fori audias, ad quemcunque te conferas, nisi Affer, affer; Da, da. Hoc Causidici, hoc Procuratores, hoc sexcenti alij perpetuò sonant, Da, da; & quasi Sanguisugæ, quærunt semper quem exsugant. Cum hac differentia tamen, quod hirudo bonum sanguinem non sugit, sed impurum; propterea sanitati proficit. Generatio autem ista

Digitized by Google

Litigatorum bonum & malum emulgeat, totum exsorbeat. Insuper quod Sanguisuga saturetur, & satura decidat, dicente Plinio: Decidunt satietate, pondere ipso sanguinis detractae, at litigatores nunquam saturantur, nunquam ita implentur, vt non famescant, & sanguinem hominum, substantiamque deglutiant & sitiant, vt non inepte de miseris litigantibus locum eum quis interpretetur, quod est apud Ioel, *Residuum Erucae comedit locusta, & residuum locustae comedit Bruchus, & residuum Bruchi comedit Rubigo.* Per haec naturae malignantis animalia, intellige diuersas rapacium hominum manus, quos Cicero Vulturios paludatos vocat, à quibus litigantes expilantur adeo, vt quod pepercit vnus, alter abripiat, quod ille reliquit, eradat alius. Multi tondent ouiculam, vnus deglubit. Adeo verum est forum omnia consumere. Audiui ego à multis annis celeberrimum Praedicatorem ex Ordine sacro inter concionandum enarrantem, vt rem à se visam, probeque cognitam. Rusticani duo enata aliquando inter se rixa litigaturi, alter aduersus alterum, re domestica bene instructi, in Vrbem venerant; & dum quaerunt de strenuo Procuratore causarum, accidit vt vterque ad eumdem Procuratorem se reciperet, sed diuersis horis. Qui prior accessit, narrauit seriem rei de qua lis; consuluit. Procurator asserere causam ipsius esse optimam, fore certò vt euinceret. Quo audito is erectior, ejus se tutelae commisit & fidei, commendauit litem, & fuso nonnihil aere abiit. Accessit non diu post & alius, qui exposita lite (quam etiam justissimam esse dicebat Procurator, & impossibile vt causa caderet) rogauit eum Rusticus, vt eam pro se tuendam susciperet. Quod cùm ille facere recusaret, quòd impeditus esset, promisit tamen se eum ad hominem diligentissimum directurum. Annuit ille, & rogat vt scribat: quod vbi fecit, & dedit ei Schedulam obsignatam vt deferret. Dum iret incessit eum cupido videndi quid scripturarum intus esset, rogauit Iuuenem, qui eam legeret. Igitur paulisper à turba secedentes schedula aperta haec subjecta inuenit: Amice, foelicitatem. Duo Cappones pingues ad me hodie venerunt; grauantur sagina, leuandi sunt, & exadipandi: vnum retinui, alterum ad te misi, praesentium latorem. Fruamur occasione. Vale. Quod vbi comperit homo apertis oculis, aduersarium conuenit, schedulae participem fecit; sicque maturè & exiguis ambo impendiis sapientes effecti, reconciliati abierunt, lite vterque euicta.

Quo exemplo satis patet veritas hujus sententiae; *Residuum Erucae comedit locusta, residuum locustae comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo*: Litigantes fieri cibum & escam, ludum & fabulam, hominum forensium.

Duobus autem modis id fit, vel immoderata stipendia à litigantibus exigendo, vel munera.. Quod speciosiori sub nomine, Muneris scilicet, rapina est, quam acceptio personarum sequitur, & Iudiciorum peruersio. quae cuncta auersatur & prohibet Diuina Lex. *Non accipies personam, nec munera*, inquit in Deuteronomio, *quia munera excaecant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* quae sententia est repetitio ejus quae habetur in Exodo, & in Prouerb. *Munera de sinu peruersus accipit, vt peruertat semitas Iudicij.* quod Syrus sic vertit: *Qui munera accipit, iniquus est: declinat enim viam Iudicij, quae prohibitio tam dantem quàm accipientem comprehendit.* Sunt enim ista dona ad malum finem, in subsidium malae causae, quam Seneca vocat Hamata beneficia; quibus vt esca & hamo aues, sic Iudices donis capiuntur. Quis enim ei aduersari queat, à quo libens donum accepit? « Auro

Ioël. 1

Deut. 16

Exod. 23
Prov. 23

Digitized by Google

loquente, ait S. Gregorius Nazianzenus, iners est omnis oratio; persuadet enim illud, etiamsi nullam vocem edat; auro capiuntur homines, vt laqueis aues. „ — in Dittia chis

Preclarè Petrus Damianus obseruat fuisse hoc peccatum filiorum Samuelis. “ Filij Samuelis, ait, nullum aliud crimen habuisse leguntur, nisi quia munera dilexerunt, & quia paternæ munditiæ non sequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiserunt Principatum; & notandum, quòd cùm de illis Scriptura loquitur, dicit: *Declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera*, protinus intulit: *Peruerterunt Iudicium*. Vicinum quippe atque contiguum, vt post munus acceptum peruertatur corrupto Censore Iudicium: & paulò post, acceptis muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentia prepeditur. „ — L. 1. epist 2. ordine 23; 1. Reg. 8

Hac de causa accipientem munera sacra Pagina maledictione ferit: *Maledictus qui accipit munera*, &c. Et Isayas exprobrat Primariis Israel: *Principes tui Infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Videant qui hoc vitio subduntur, quibus assimilentur. Ex aduerso, idem Propheta mirè extollit eum, *qui projicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere.* Notanda sunt verba Prophetæ: *Qui projicit auaritiam ex calumnia*, id est, quasi pestem longè à se exturbat, & quasi calumniam: *& excutit manus suas ab omni munere.* Diceres ipsi vim factam, compedes & vincla manibus injecta euasisse, vt intelligas vim munerum incautos captiuantem. — Deut. 27; Isaiæ 1; Isaiæ 33

Memini me olim legere, quemdam litigantem adiisse Iudicem suum, & vas oliui, vt suæ causæ faueret, obtulisse. Promisit ita se facturum Iudex. Imminente Iudicio, pars aduersa etiam Iudicem conuenit, non vacuis manibus. Obtulit ei optimum hœdum, vt sui meminisset. Indubitanter se facturum quod peteret se recepit; & quidem non fefellit: nam causam judicauit in fauorem vltimi donatoris, seu quòd recentius donum melius esset, seu quòd amplius memoriæ inhæreret. Quo facto, is qui causa ceciderat gemebundus accessit ad Iudicem, quid causæ inquirens, cur promissis non stetisset. Respondisse perfacetè. Quid tibi vis, inquit, amice, scio te donasse vas olei, sed intrauit cubiculum meum Hœdus, qui pede vas confregit, & oleum tuum effudit, & vtrumque perdidit. Iste ambabus manibus accipiebat, bis præuaricator antequam semel; & pro oleo, & pro hœdo. Hoc est, quod dicit Scriptura: *Qui cognoscit in judicio faciem, & iste pro buccella panis deseret veritatem.* Et apud Ezechielem: *Violabunt me apud populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis.* — Prov. 28; Ezech. 13

Ferunt nostri Annales, Ludouicum Galliæ Regem optimum, dictum Patrem populi, quod cum aliquando obuiam habuisset aliquos Parlamenti primarios ad Curiam properantes, dixisse. An nôn hi ad Nundinas proficisci videntur? Allusit ad illud Stratoclis & Dioclis, quorum meminit Plutarchus, qui sese inuitabant ad messem auream, ita Curiam vocabant.

Idem, cum adesset Parlamento patronosque causarum disertos libenter audiret, eos inquiebat Sutoris partes impudenter exequi. Nam Sutor alutam dentibus producit, sic caussidici suis artibus & lenociniis verborum vim faciunt responsis Iudicum & Cæsarum legibus.

Sæpè causas tantum differunt, dicebat Innocentius Papa, quod litigan-

Digitized by Google

Innocēt. Papæ de vtil. condit. hum.

tibus plusquam totum auferunt, quia major est expensarum sumptus, quam sententiæ fructus, nec terminantur negotia pauperum cœpta quousque eorum marsupia sint euacuata; cum tamen scriptum sit, gratis accepistis, gratis date. Ipsi verò, nec gratiam gratis dant, nec justitiam justè reddunt, lucrum in arca, damnum in conscientia. „

Sap. 6

Audiant illi, ad quos hic dirigitur sermo in Sapientia. *Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri Regni illius non rectè judicastis, nec custodistis legem Iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende, & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet, &c.*

TITVLVS LXVII.

DE TIMORE BONO

FABVLA.

Cerua & Leo.

CERVA à Venatoribus acta, cum fugeret specum subterraneum nacta, gaudens ingressa est securam latebram putans; sed misera, vix antri recessus subierat, cum in Leonem ibi fortè latitantem incurrit, à quo cum discerperetur, dicebat. Me miseram, Homines dum fugio, in ferocissimum animalium incido. Vbique insidiæ, & pericula in terra.

Alcedo.

ALcedo auis maritima, quam aliter vocant Halcionem, quam ferunt brumæ frigidissimis temporibus parere, nidificauerat in scopulis timens sibi à venatoribus, & pullos jam editos educabat. Accidit autem, vt cum illa abesset pastus gratia, mare vehementer intumesceret, & procellæ impetu, nidum & pullos submergeret, quos vbi mater rediens, mortuos reperit; Hei mihi, dicebat, vbi jam quærenda securitas, cui nec in terra, nec in mari tutum est.

De Opilione & Agricolis.

PVer Ouium custos, pueriliter jocans, alta voce clamabat sæpius; Ecce Lupus ad gregem; quod Agricolæ audientes, illico accurrebant, sed nihil esse comperientes sæpius elusi, ad opera redibant. Accidit autem vt re vera Lupus gregem inuaderet, clamitaret puer, nemo succurreret, bestia oues deuoraret. Innuit, nullo tempore, hora, loco, securum in hac vita, tot inter pericula, & hostes obuersantibus.

Digitized by Google

De Simia & Vulpe.

IN Conuentu animalium, tam festiuè luserat, & saltauerat Simia, vt omnium calculis Rex crearetur. Hujus rei Vulpes inuida & liuens; inuitauit Simiam ad thesaurum quem alicubi scire dicebat absconditum in fouea; vbi re vera carnes erant laqueo astrictæ ad capienda animalia. Ergo vbi venerunt ad foueam, dicebat Vulpes. Hic thesaurus situs est, certissimè noui, qui ex lege tuus est, cum sis Rex; Simia credula descendit; laqueo capitur, à Vulpe illuditur. O stulta, inquiens, quæ, cum te fortuna extulisset, putasti te dominam dignam, & nullis jam periculis obnoxiam? Indicans nullum statum, aut fortunam vacare periculis, propterea semper & vbique timendum.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

VBIQVE ET SEMPER TIMENDVM

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

DVBITARVNT aliqui, num inter animæ passiones locum haberet timor, quod omnis passio sit effectus ex præsentia agentis proueniens, timor verò sit de futuro. Insuper, quia passio est motus appetitus sensitiui, qui futuri apprehensiuus non est, timor verò non sit de præsenti, sed de futuro; melius tamen illi, qui timorem ex natura sua, & ab effectibus metientes, inter primas animæ passiones computarunt, vnde Satyricus.

S.Thom. 1.2. q.41

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.

Iuvenal. Sat. 1

Et Boetius ad quatuor eas restringens, secundum etiam locum dat timori.

L. 1. de cōs. Phil. Met. 7

Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.
Nubila mens est
Hæc vbi regnant.

Nec enim refert quod Timor sit de futuro, sensus autem de præsenti; quia malum, quod est objectum timoris, licet futurum, realiter est præsens secundùm apprehensionem animæ; vnde nascitur timor, sæpe cum transmutatione subjecti. Cujus passionis vis, instar torrentis sit, cui exundanti nihil obstet; instar certorum malignantis Naturæ siderum, quæ etsi

Digitized by Google

latere putes, nec se semper prodant; tamen esse, stupendi, quos influunt, effectus probant. Non secus subiti timores, qui magnis aliquando exercitibus perniciem, Imperiis excidium, particularium fortunis exitium importarunt, Vnde Timori & Pallori, quasi Numinibus, quorum impetus maxime formidarent, non pauci Templa & aras poluerunt.

Cęterum cùm humana vita tot malis subjaceat, tot fortunis impendeat, quis nisi amens & vecors sine timore sit? etiamsi, quæ timemus mala, re vera non eueniant. *Plura enim sunt*, dicit Seneca, *quæ nos terrent, quàm quæ nos premunt, & sæpiùs opinione quàm re laboramus. Citò accedimus opinioni, non coarguimus illa quæ nos in metum adducunt, & sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos puluis motus, fuga pecorum exuit Castris; aut quos aliqua fabula, sine auctore sparsa, conterruit.* Ita ille, quam verè nullus non experimento nouit.

Epist. 13

Tria igitur eodem loco timendorum genera constituit, quibus ego addidero totidem genera hominum timentium. Timenda sunt, inquit, *inopia, morbi, & vis potentioris.* Hæc enim omnes timent, fugiunt, propulsant, quantum possunt. Cui enim bene sit cum egestate? Quis extremam inopiam libens ferat? non Diogenes ille ipse Cynicus, qui desertus ab hominibus, vt ait Ælianus, solus relictus, cum neque ob egestatem quemquam reciperet, neque à quoquam hospitio reciperetur, ob ejus in reprehendendo acrimoniam, & in agendo, loquendoque licentiam, tristitia plenus, summas foliorum extremitates fame vrgente depasceret, & murem aliquando decidentia frustula arrodentem inspectasset, arridens, Bono animo, ait, ô Diogenes, nam & parasitos alis, & hic mus non curat lautitias Atheniensium, tu ergo ægrè feres eorum cœnis & condimentis priuari?

l. 13. Var hist.

Non tantùm difficilis & morosa est paupertas, sed etiam odiosa & contemptibilis, dicente Satyrico.

Nil habet infœlix paupertas durius in se,
Quàm quod ridiculos homines facit.

Iuuenal Sat. 3

Pro qua amolienda quid non facerent homines, quos labores non tolerarent?

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, ocium, & oppidi
Laudat rura sui, mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

Hor. l. 1 Car. Ode 1

Verè dixit idem,

Et genus & virtus, nisi cum re, vilior alga est.

Morbi etiam cuilibet valdè pertimescendi veniunt, quibus misera mortalium conditio adeo obnoxia est, vt plerumque timor & dolor, quasi duo vitæ nostræ tortores sibi perpetuo succedentes, eam lancinent, ac lacerent. Morbis accedunt tria alia grauia, *Metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatum*, inquit idem. *Quibus post magnos cruciatus hoc vnum solatium vasti doloris est, quod necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris.*

Sen. epist 14

Sed præter hæc omnia, nil magis nos concutit, quàm quod ex aliena potentia impendet. *Magno enim strepitu & tumultu venit* (idem est qui loquitur Seneca, ita ad rem nostram vt satius exscribere judicem, quam de meo quid minus reponere) *Naturalia mala, inopia atque morbi, silētio subeunt, nec oculis, nec auribus quidquā terroris incutiunt; ingens alterius mali pompa, & ferrū circa se, & ignes habet, & catenas, & turbam ferarum, quam in viscera immittat*

humana

humana. Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & equuleos, & vncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, & distracta, in diuersum actis cruribus, membra; illam tunicam alimentis ignium & illitam, & intextam. Non est itaque mirum, si maximus hujus rei timor est, cujus & varietas magna, & apparatus terribilis est. Hucvsque ille.

Quæ quàm vera sint, Historiæ testantur. Hæc Anaxarchus à Tyranno Nicocreonte, hæc Perillus à Phalari, hæc Phalaris à plebe commota; hæc Regulus à Carthaginiensibus, & sexcenti alij pertulere; tormenta, cuilibet mortalium timenda, ignaro quo mortis genere, naturali, an violento, diem obeat suum. Adeò verum est pauperi ac tenui cuilibet, à potentiori imminere metum perpetuum; juxta illud Prouerbium tritum, Homo homini lupus.

Sed jam ab objectis timoris ad formidaturos veniamus, quos ad tria personarum genera reduco, qui præ aliis maximè timere debeant; & sunt diuites, voluptuosi, Potentes seu Magnates.

Illi, inquam, quia quilibet istorum his quibus fruitur bonis; diues, opibus; voluptuosus, delectationibus; potens, dominandi libidine, cùm summè adhereant & illigentur, summè ab eis auelli dolent, bonis vtique non solùm fluxis & caducis, sed etiam breuissimis & fallacibus.

Diuiti, qui cor & spem omnem ponit in arca & loculis, eodem non ineptè vterer proœmio, quo Seneca Lucilio, occasione cujusdam Equitis Romani prediuitis, qui subitaria morte extinctus erat. *Omnis dies*, inquit, *omnis hora, quàm nihil sumus ostendit, & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cùm æterna meditantes, respicere cogit ad mortem. Senecionem*, addit, *Equitem Romanum, splendidum, officiosum, noueras. Is cùm hilaris cœnasset genere valetudinis, præcipiti abreptus angina, vix compressum arctatis faucibus spiritum traxit in lucem, intra paucissimas horas decessit ille, qui & mari & terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque nullum relinquens inexpertum genus quæstus, accesserat in ipso actu bene cedentium rerum, in ipso procurrentis pecuniæ impetu raptus est.*

Sen. epist. 101

Insere nunc, Melibœe, pyros; pone ordine vites.

Quàm stultum est ætatem disponere, ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, &c. cùm interim ad latus mors est. Preclarum hominis Gentilis documentum, cui accedat & concinat Lyricus:

L. 2. Car. Ode 14

Scilicet omnibus
Quicumque terræ munere vescimur,
Enauiganda, siue Reges,
Siue inopes erimus coloni, &c.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor; neque harum quas colis arborum
Te, præter inuisas cupressos,
Vlla breuem Dominum sequetur.

Quod voluptuosum spectat, non diu moror: sufficiat monuisse vt timeat. Quid enim expectet fœdarum libidinum amator & sequax, nisi vt cùm ignem in carne putri incendere non cessat, breui in fauillas & cineres cum suis voluptatibus abeat?

Venio tandem ad Potentem, quem diximus vel maximè timori obnoxium, quod prima fronte minus verosimile videbitur, vt qui à multis gentibus adoratur, qui tot præsidiis circumcingitur, tot militibus stipa-

Digitized by Google

tur, timeat; nisi illius vocis liberrimæ meminerimus, medio in Senatu prolatæ, Laberij Equitis Romani,

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Hist. Aug Iul. Cap. In Maximino

Aut illius in theatro recitatæ, etiam audiente Maximino: qui cum esset tantæ fortitudinis, vt putaret non posse occidi, audiuit,

Qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur;
Caue multos, si singulos non times.

Cujus dicti rationem Naso refert, quia

Quem metuit quisque perire cupit.

Quæ antea Ennio visa est, a quo & mutuatus est: *Quem metuunt, oderunt.* Vt non malè Poeta exclamet.

Maphęus suppl. Virg.

Quantos humana negotia metus,
Alternasque vices miscent? quo turbine fertur
Vita hominum! ô fragilis damnosa superbia sceptri!
O furor! ô nimium dominandi innata cupido
Mortales quo cæca vehis? quo gloria tantis
Inflatos transfers animos quæsita periclis?
Quot tecum insidias? quot mortes? quot tela? quot enses?
Ante oculos si cernis habes! heu dulce venenum,
Et mundi lethalis honos! heu tristia Regni
Munera, quæ haud paruo constent! heu sortis acerbæ,
Et miseræ regale decus, magnoque timori,
Suppositos Regum casus.

Lib. 2. de ira, c. 11

Hoc ipsum eleganter Seneca noster: *Semper in auctores redundat timor, nec quisquam metuitur ipse securus,* &c. *Ita Natura constituit, vt quod alieno metu magnum est, à suo non vacet. Leoni pauida sunt ad leuissimos strepitus pectora; acerrimas feras vmbra, nox & odor insolitus exagitat, quidquid terret & trepidat.*

Postremò, Philosophus tria recenset formidabilium genera. Primo loco ponens ea, quæ ad destructionem nostri esse, perniciemque tendunt; Cuiusmodi sunt tonitrua & fulmina de Cœlo, aquarum diluuia, & inundationes fluminum, & occursus ferarum. Secundo loco, parentum amicorumque jacturas, exilia, carcerationes, supplicia, quæ nos solent maximis afficere molestiis. Tertio denique loco ponit signa quædam cœlestia, ingentium calamitatum præsaga, quibus mortales supra modum terrentur, & eo in ordine Cometarum apparitiones, quos putant malè ominari

lib. 1

Principibus, mala perniciemque Regibus minitari; de quibus ita Lucanus.

Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, Cœloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris minitantem regna Cometam.

Qualis ad Austrum immane caudatus, cum hæc scribo, apparet, lingua haud dubiè Cœlestis, quam Reges audiant & paueant, si populorum clamoribus & gemitibus obsurdescunt.

Ex dictis, patet vbique omnibus timendum. Sed grauioris timoris causas sequens pagina subministrabit.

Digitized by Google

VBIQVE ET SEMPER TIMENDVM

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

SAcræ Paginæ quanta quanta auctoritas nihil homini jubet accuratius, nil vtilius monet, nil frequentius inculcat, quàm timendum, vbique, & semper.

In Leuitico: *Timebis Dominum Deum tuum.* In Deuteronomio: *Discant timere me omni tempore.* Item: *Dominum Deum tuum timebis.* Iob: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Tobias hoc vnum commendat, *Deum time.* Psalmista: *Seruite Domino in timore.* In Prouerbiis: *Time Deum, & recede à malo.* In Ecclesiastico: *Timor Domini expellit peccatum, & qui sine timore erit, non poterit justificari.* In Ieremia: *Quis non timebit te, ô Rex gentium?* In Malachia: *Si ego Dominus, vbi est timor meus?* In Euangelio: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, sed timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* In Epistolis Apostolicis, Petri: *In timore, incolatus vestri tempore, conuersamini.* Pauli: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.*

Levit. 19 Deut. 4 & 6 Iob. 31 Tob. 7 Psal. 2 Prov. 3 Eccl. 1 Ierem 10 Malach. 1 Math. 10 1. Pet. 2 ad Philip 2

Quæ idcirco sigillatim exequor, vt videas quantum timori sancto Spiritus Sanctus deferat, vt quidquid est gratiæ, quidquid spei, quidquid promissionis & hæreditatis, & meriti, quidquid vsquam sanctitatis sit, huic vni virtuti referat; quod haud dubiè non faceret, nec causas timoris tam signanter ingereret, nisi in eo esset, quod Deo perplaceret. Non vrgeret inquam tam anxiè omni hora vigilandum, nec furi ab improuiso intempestæ noctis tenebris inuadenti, diem suum aduentumque compararet; non comminaretur à tenebris exterioribus, à fletu & stridore dentium, & à gehenna ignis, nisi esset re vera timendum; si timor ille saluti magis officit, quàm juuet, si tantùm abest vt justos faciat, quòd reos dicit, & impios, & in Deum scribit injurios, & hypocritas, quod hodie sunt qui dicant, superseminãtes in agro Dominico, & in bono semine zizania, quos vbi audieris crocitantes, hæreticos pronuntia, cane pejus & angue odi & fuge. Quod si *lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam; angusta autẽ & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam?* Quid si timorem soluimus? vt in nos Iobi dictum cadat? *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum Onagri se liberum natum putat.* Si vix, licet nimis attoniti, & flagellis attriti, emergimus è cœno blandientis carnis, & mundi lenocinantis insidiis, quid putas fieret si securi, & quasi nullis periculis obnoxij diem duceremus? sed hunc olim errorem perstrinxerat Tertullianus in Marcionistas horum antecessores. „ Negant, inquit, Deum timendum; itaque libera sunt illis omnia & soluta; vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? „ Rectè quidem, quòd si nullus locus Deo vacat, consequens est vt nullus sit, in quo Deus timendus non sit.

Math. 7

Quod speciali Symbolo Scripturæ juuat illustrare. Prohibebat Deus in lege, Ne quis loco pignoris à quoquam auferret inferiorem & superiorem molam. Quo loci Glossa per vtramque Molam, Timorem, & Spem

Deut. 24

Digitized by Google

intelligit, vtramque necessariam ad vitam. Quod S. Gregorius explanans, ait. Superior & inferior mola, spes & timor. Spes ad alta subuehit. Timor autem cor inferius premit. Vna Mola sine altera inutiliter habetur. Peccatoris ergo pectore semper debent spes, & formido conjungi, quia incassum Misericordiam sperat, si Iustitiam non timeat; & incassum metuit, qui non confidit. Maneat ergo vt sicut vtramque Molam a domo auferre, aut ablegare non liceret, ita nec spem a corde timoremque amandare. Quod in quocumque statu, fortuna, ætate, extendendum est.

Hoc Sapiens egregio Epiphonemate conclusit, & simul clausit Ecclesiasten suum. Vbi enim auditorem attentum fecit, & præparauit, quasi magni aliquid eructaturus, his verbis: *Finem loquendi omnes pariter audiamus*; subjungit: *Deum time, & mandata ejus obserua; hoc est enim omnis homo.* q. d. cum Scholiaste, Hoc spectare debet omnis homo, huc omnia sua consilia & cogitationes dirigere. Vel cum D. Hieronymo, Ad hoc natus est homo. Vel cum Olimpiodoro, Hoc faciens, hic est sapiens, integer, perfectus homo. Cum S. Isidoro, Hoc solo acquiritur, quidquid vere hominem & solide beatum facere potest. Cum aliis, Hic est finis totius hominis. Quibus consentit S. Gregorius Nazianzenus: "Vnam hanc sapientiam scio, inquit, quæ in timore Dei sita est. Nam & principium sapientiæ Timor Domini, & finis sermonis, *Omnia audi, Deum time.* Huc omnis scientia, omnis ars, omnis Philosophia, & Theologia resoluitur, & absoluitur.

Pineda in Eccl. 12

Confirmat hanc sancti Timoris necessitatem ratio Theologica, docens primam gratiam, qua Deus justificat impios, ita ex ejus pura benignitate & liberalitate pendere, vt in nostrum non cadat meritum, nec in voluntate & potestate hominis sit; cujus ratio si requiratur, occurret Apostolus dicens: *Non est volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei.* Item: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quis igitur hæc perpendens non obstupescat, & timeat, quòd homo initio vitæ & viæ bonæ ineundæ propositum faciens, ex propriis viribus non dico justificare se per gratiam, sed nequidem cogitare aliquid boni ex se valeat; quia salus *non est volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei.*

Ad Rom. 9
2. Cor. 3

Secunda Timoris necessitas priore haud minùs grauis est, homini posito in medio vitæ ac viæ cursu jam eunti, ac currenti, quòd sicut nec se erigere è malo statu in bonum, & in gratiam ponere potuit; sic in ea stare & persistere diu, ac per longum tempus perseuerare, sine speciali auxilio gratiæ, nequit. Et quis scit, an tibi de falsa justitia blandiaris; & putes stare, cùm profundè in peccato jaceas? sicut ille, cui dictum est: *Noui opera tua, nomen habes quòd viuas, & mortuus es.* Fortè an sanctior es Dauide, aut illuminatior, qui post tot lachrimas & fletus in cinere & sacco, post tot iteratas supplicationes à Deo vt peccatorum suorum misereatur, iniquitates deleat, amplius lauet & mundet, non minùs gemebundus tremit, & clamat, *Delicta quis intelligit?* Item: *Ab occultis meis munda me, Domine.* Vides vt postquam fleuit & lauit cognita, formidat occulta.

Apoc. 3.

Audi & Apostolum illum, vsque ad tertium Cœlum raptum, tantis reuelationibus dignatum, non erubescentem fateri, & dicere se stimulis carnis agitatum, angelo Sathanæ traditum, & colaphisatum; & quanquam nullius peccati sibi conscium, non propterea affirmare se justificatum. Quis verò tantum virum dicentem non expauescat, *Castigo corpus*

Digitized by Google

meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar? Quæ ipsi erant causæ timoris & doloris, non erunt tibi? Vbi ille anxius & dubius fremit, securus deges? Ille passibus gigantis medio in stadio excurrens ac peruolans inclamat tibi; *Noli altum sapere, sed time.* Item: *Qui stat, videat ne cadat.*

Audi Salomonem hæc verba intonantem: *Nescit homo, vtrùm odio an amore dignus sit.* Et Syracidem dicentem: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Et Iobum declamantem: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Hæ, inquam, sunt causæ iustissimæ religiosi timoris, quas qui apud se tacitus meditatione concoquet, procul dubio timoratior, & sanctior euadet.

Eccles. 9

Eccl. 5

Iob. 9

Tertia denique, eaque omnium maxima, timendi obligatio incumbit homini in fine hujus vitæ mortalis vel extrema patienti, vbi de summa agitur, acrior rabies inimici, Natura deficiens, vires desitæ, periculum majus. Quo in statu docet sancta Fides, donum Perseuerantiæ finalis humani meriti exsuperare vires; à Deo solo expectandam vltimam illam gratiam fatalis horæ, sortem hominis, fatumque æternitatis discreturæ & obsignaturæ; quam horam, quod momentum decretorij Iudicij Dei, quis versabit impauidus? nullis præcedentibus lachrimis, precibus, meritis, comparandum?

Audi quid de eo dicat Euangelium: *Tunc duo erunt in agro; vnus assumetur, alter relinquetur. Duæ molentes, vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto vno, vnus assumetur, alter relinquetur.* Quæ verba expendens D. August. per duos in agro, Clericos intelligit in agro Dominico laborantes, puta Prælatos duos, duos Prædicatores vel Confessarios in agro Dominico operantes, assumetur bonus, relinquetur malus. Per duas molentes, intelligit Sæculares, qui deuincti in sæculo molam negotiorum temporalium assiduò rotant; quorum vnus ad dexteram cedit, alter ad sinistram. Duo in lecto, quietis & solitudinis studiosos; Religiosos accipe, à mundano strepitu alienos; vnus assumetur ad gloriam, quia fideliter Domino deseruiuit; alter relinquetur ad pœnam. Nunquid non ista sunt argumenta timoris? Duo in agro sint duo fratres, Cain & Abel; vnus assumitur, Abel saluatur; alter relinquitur, Cain reprobatur. Vel gemini duo Esaü & Iacob: vnus assumetur, Iacob in sortem Dei eligitur; Esaü relinquetur, profanus & impœnitens rejicitur.

Math. 24

in Psal. 99

Duæ molentes in Molendino vitæ sæcularis, sunt duo Reges, Babylonis alter, Nabuchodonosor; alter Ægypti, Pharao: vnus assumetur, alter relinquetur; vterque à Deo corripitur & flagellatur, sed vnus assumetur, emendatur Nabuchodonosor, & resipiscit, alter relinquetur, Pharao in vndis demergitur. Sint duo Reges Israël, Saül, & Dauid; vterque aliquando bonus, aliquando malus, vnus assumetur, alter relinquetur; Saül à Deo derelictus miserè perit, Dauid regnum & vitam fœliciter claudit. Duo denique in lecto quietis, sint duo Angeli in Cœlo, Lucifer & Michaël; vnus assumetur, alter relinquetur; ille ex Angelo Draco factus è Cœlo præcipitatur in infernum; hic Diuini honoris assertor, & vindex sublimatur in Cœlum.

Quæ sufficiant commendationi sancti timoris, sine quo nullus cultus Dei, nulla religio, nulla perfectio, nulla victoria, quando & ij qui bestiam vicerant cantantes Canticum Agni, dicebant, & nos dicimus cum

Digitized by Google

Apoc. 15

illis: *Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens, iusta & vera sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum?* Metuamus & nos, & dicamus cum S. Cirillo. Metuo mortem, quoniam acerba est. Metuo gehennam, quia æterna est. Metuo tartarum, quia nihil habet fomenti. Metuo tenebras, quia nihil habent lucis. Metuo vermem vene inferum, quia æternus est. Metuo genios Iudicio præficiendos, quoniam sunt immisericordes. Metuo cum cogito illius diei terribile, & muneribus inexpugnabile Concilium, Tribunal horribile, Iudicem incorruptum. Metuo flumen ignis ante Tribunal illud fluens, vehementissimamque flammam torrentem, & acutos enses. Metuo seuerissimas pœnas. Metuo supplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem.

S. Cirill. Alexand. Orat. de exit. an. & de sec. adu.

TITVLVS LXVIII.

DE TIMORE BONO.

FABVLA.

De Gallo pellem Vulpis fugiente.

GALLVS *à Vulpe aliquando captus difficillimè euaserat, & tam alte menti periculi sui memoria inhæserat, vt ad minimam Vulpis vmbram, aut mentionem fugeret, qui cum à cæteris propterea irrideretur, quod obiecta Vulpis demortuæ pelle terreretur, Respondit, Non stulti est timere qui in periculo versatus, Vulpis vngues, & dentes sensi, jam vel pedum vestigia, & pilos pellis formido.*

De Cane pluuiam timente.

Q*Voties plueret, canis domesticus domo egredi non audebat; cur id faceret ab aliis interrogatus: Calida aliqua perfusus sum, & adustus jam frigidam timeo, inquit.*

De Pica, Cuculum pro Accipitre fugiente.

P*Ica ab Accipitre olim malè tractata, conspecto in arbore Cuculo, euolauit, putans esse Accipitrem. Ab aliis irrisa, sapienter respondit, Malo pro Accipitre Cuculum fugere, quàm semel pro Cuculo in Accipitrem incurrere; & à vobis irrideri, quàm ab amicis deplangi.*

De Merula Miluum extimescente.

M*Erula in arbore insidens, conspecto in altum Miluo deuolante, & in orbem multos circulos describente, vehementer terrebatur, cui Turdus prope stans, non à Miluo, inquit, sed ab Accipitre feror nobis timendum est, quem prius in nos vnguibus sæuire sentimus, quam vocem au-*

diamus, aut volantem videamus. Iste mures tantùm, aut pullos venatur: cui Merula, & ab Accipitre, & à Miluo mihi timeo, neuter amicus est. Innuunt istæ fabulæ, sapienti vbique & semper timendum, etiam à minimis.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

SAPIENS A MINIMIS TIMET.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

SApiens, qualem de Philosophia veteri, Stoicorum secta confinxit, & is quem Schola Christiana formauit, vt initiis, progressibus, & consecutione discrepant; ita moribus, ratione & fine quam longissimè dissentiunt. Vnum nomen est, sed res longe diuersa. Ille, si vnum Senecam, illius sapientiæ assertorem, professoremque consulimus: *Externa incommoda sentit, nulla interna.* Noster mouetur vtroque, sed neutro percellitur. Ille: *Nullius boni, ne quidem amicorum, aut parentum, amissione affligitur.* Hic, affligitur, & luget; sed lachrimas spe melioris sortis abstergit. Ille, *Nil cupit, & sperat, sibi, & suo contentus.* Iste, vtrumque temperanter & moderatè, & cupit, & petit, nunquam sui fidens & contentus. Ille, *Nunquam commouetur.* Iste mouetur, vsque ad commiserationem, & iram, sed non peccat. Ille, *Non miserebitur aut veniam dabit.* Hic alienæ miseriæ indolescit, & tangitur. Ille, *Nulla injuria & contumelia affici potest.* Iste injurias accipit, & sentit, sed citius obliuiscitur, condonat, ignoscit. Denique sapiens ille *Non timet, nec mortem, nec orbis ruinam, aut quidquam aliud.*

Epist. 72

Epist. 74

Epist. 9

Epist. 35

Lib. 2. de clem. c. 5

Lib. 2. de ben. c. 25

Eipst. 85

Etiam *Si fractus illabatur orbis*
Impauidum ferient ruinæ.

Hor. l. 3 Car. Ode 3

Ingenti animo, inquit, *Mors prouocanda est, siue nos æquo, vastoque impetu aggreditur, siue quotidiano & vulgari exitu: nil refert quàm minax veniat, quantumque sit quod in nos trahat; quod à nobis petit, minimum est. Pusilla res est hominis anima, sed ingens res est contemptus animæ. Hanc qui contempserit, securus videbit maria perturbari, etiamsi æstus aliqua perturbatione Mundi totum in terras verterit Oceanum, securus aspiciet fulminantis Cœli trucem & horridam faciem; securus aspiciet ruptis compagibus dehiscens solum; illa licet Inferorum regna retegantur, stabit super illam voraginem intrepidus,* &c. Pomposa & ventosa Philosophia; noster haud tam magna loquitur, sed viuit; non erubescit timorem, sed profitetur. Timet ad fulminantis Cœli fragores & minas; quia scit se reum lęsæ Majestatis Diuinæ; fremit ad cogitationem mortis, quia ejus exitum nescit; expallescit ad perituri orbis, & decretorij Iudicij diem; quia cogitat se rationem redditurum, Iudicem iratum, nulli merenti parciturum.

Sen. l. 6 qq. nat. c. 32

Digitized by Google

Ita in omni statu, omni loco, omni tempore, sapienti timendum est. Quæ vox, Timendi, licet displiceat Senecæ, & Stoicis, de re tamen satis conuenit inter nos: volunt enim Sapientem suum cautum, & circumspectum in omnibus, ac pericula subodorantem, ac gnauiter euitantem.

Sen. epist 14

Audiamus illum de hac re differentem cum Lucilio suo. *Itaque Sapiens*, inquit, *nunquam Potentium iras prouocabit, imò declinabit, non aliter quàm in nauigando procellam. Temerarius gubernator contemnit Austri minas, Charybdim non fugit: at cautior peritos locorum rogat, qui æstus sit, quæ signa dent nubes, & longè ab illa regione vorticibus infami cursum tenet. Idem facit Sapiens, nocituram potentiam vitat, hoc primum cauens, ne vitare videatur, ne dum calcari nolumus, videamur posse calcari.* Ita ille, & post pauca, Catonem arguit, quòd Pompeio & Cæsare Rempublicam, vter inuaderet, inter se contendentibus, neutri se dedit, sed vtrique obstitit, & cùm ea tempora Sapientem non admitterent: *Quod aliud*, inquit, *quàm vociferatus est Cato? & misit irritas voces? cum modo per populi leuatas manus, & obrutus sputis, extra forum traheretur? modò è Senatu in carcerem duceretur?*

L.3.Car. Ode 13

Paucis id eleganter Horatius dixit:

Quid quisque vitet nunquam homini satis
Cautum est in horas. Nauita Bosphorum
Pœnus perhorrescit, neque vltrà
Cæca timet aliunde fata.

Et verò quid Reges è solio ejecit? quid regna euertit, ac penitus deleuit? quid fortunas Potentium ad summum honorum euectas prostrauit ad imum? nisi blandiens aura fortunæ, cui improuida mortalitas temerè nimis fidit? dolosæ credidit? instabili se commisit?

L.7. c.42

Exempla fortunæ varianti innumera sunt, inquit Plinius, *etenim quæ facit magna gaudia nisi ex malis? aut quæ mala immensa, nisi ex ingentibus gaudiis?*

Senec. in Oedip. Actu 1

Quisquam ne Regno gaudet? ô fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis!
Vt alta ventos semper excipiunt juga!
Rupemque saxis vasta dirimentem freta,
Quamuis quieti verberant fluctus maris
Imperia sic excelsa fortunæ objacent.

Seneca phil. in Controu

Tu putabas ea te conditione accepisse ne perderes? ludit de suis fortuna muneribus, & quæ dedit, aufert.

Idem epist.8

Item, *Clamo, vitate quæcumque vulgo placent, quæ casus attribuit; ad omne fortuitum bonum suspiciosi, pauidique subsistite; & fera & piscis spe aliqua oblectante decipitur; munera ista fortunæ putatis, insidiæ sunt.*

Ita nemo vnquam habuit fauentem fortunam Sapiens, sine timore; aut stultus effectus est juxta illud Publij Mimi.

Fortuna quem nimium fouet stultum facit.

Benè Apollodorus Comicus, Poëta Græcus.

Habent per ampla dona fortunæ metum,
Periculoque non carent prælustria,
Nec vlla celsa tuta sunt mortalibus,
Quæ euertere vel inuidia, vel tempus solet,
Fœlicitatis culmen vbi quis attigit.

Vnde enim ruina famosa Trojæ, & Regni Ilij florentissimi excidium? nisi è vitiosa illa fiducia ac securitate, qua Græcis capitalissimis hostibus

Digitized by Google

suis, simulantibus fiderunt; crediderunt mendacibus, & miseri perjuris & dolosis fauerunt, fatalem machinam, hostile donum, armatum militem, apertas insidias non timuerunt, & magis inimicis suis quam propriis ducibus, bene perspicacibus ac consulentibus fidem dederunt. Sic enim illi.

Virgil. 2. Æneid.

At capis & quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias, suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque vrere flammis:
Aut terebrare cauas vteri, & tentare latebras.

Et alius è ducibus.

O miseri, quæ tanta insania, ciues!
Creditis auectos hostes? aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Vlysses?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui,
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper vrbi;
Aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri,
Quidquid id est, timeo Danaos, vel dona ferentes.

Optimum quidem Consilium, quod si secuti fuissent, staret Troja & Ilium; sed incautum & obstreperum vulgus, & stultorum numerus (quod in Communitatibus solet contingere) pauculis Sapientum calculis præualens, fata Trojæ maturarunt.

Quod ita euenit, quoties vulgus consulitur, bellua illa multorum capitum, contra regulam Philosophi: *Bellua & pueri Consilij non sunt participes, nec electionis.*

Arist. l. 3 Ethic. c. 2

Quod si palpante falsa securitate Regna euertuntur, quanto magis particularium fortunæ? Hoc in Crœso Lydorum Rege ditissimo, & fortunæ muneribus cumulatissimo, egregio cum Solone colloquio, & quod ipsi postea contigit, insigniter apparuit. Ille enim fortunæ filius sua prosperitate ebrius, interrogauit aliquando Solonem: *Num aliquem se fœliciorem vidisset*; Is Regio fastui nil abblandiens: *Vidisse se Telum quemdam*, respondit, *suo judicio fœliciorem, qui homo priuatus filiis bene institutis diem obiisset.* Quem verò post illum crederet fœlicem interrogans, *Cleotin & Biton*, inquit, *duos fratres Argiuos, qui cum summa pietatis laude matri obsecuti, defuncti erant.* Ad hæc indignatus Crœsus: *Nullo igitur me loco inter fœlices pones?* Tum ille, *fateor*, inquit, *ô Rex, te opibus & Imperio florentem, cæterum beatum non ideo appellarim, nisi dum hanc vitam absolueris.* Ne instabilis hujus vitæ fœlicitas, quæ tot arrisit & postea euertit, tibi dorsum vertat & finem tuæ prosperitatis infami casu commaculet. Quam verissimam sapientissimamque vocem probauit euentus. Nam paulo post victus à Cyro Persarum Rege, & pyræ ingenti viuus cremandus impositus, ter alta voce fertur, Solonem inclamasse: Solon, Solon, Solon! quod admiratus Cyrus; quem Deorum aut hominum in illo discrimine inuocaret, aut quid sibi vellet illa vox sciscitans, exposuit, idem quæ ille olim à Solone viro sapientissimo, cum prospera fortuna vteretur, audiisset, nec intellexisset, nunc verò quam vera essent sentiret; per quæ humanæ, & ipse Cyrus imbecillitatis admonitus, jussit Crœsum incolumem seruari, & deinceps in summo honore pro amico habuit. Quod Poëta Ouidius his versibus expressit.

Herod. lib. 1. & Laërt. l. 1. c. 1

Cic l. 3 Tuscul.

Vltima semper
Expectanda dies homini est, dicique beatus

Digitized by Google

Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Inde videas licet, Sapientem quamdiu in viuis agit, & de eo vltimus dies non pronuntiauit, debere esse sollicitum, animi pendentem, nil fidentem fortunæ præsenti. Iuxta Terentij Consilium.

Quamobrem omnes cum secundæ res sunt, quàm maximè
Meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant.

7. Moral. Et illud Plutarchi: *Vt Sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem expectat, ita rebus tranquillis ad dolorem aliquem præparandus est animus.*

Sic Philippus Macedo, nimia fœlicitate sentiens animum suum efferri, ne supra quam deberet humanæ fragilitatis immemor insolesceret, vni è pueris suis nobilibus præcepit, vt quotidie summo mane ad somni fugientis horam occlamaret, ἄνθρωπος εἶ Φίλιππε. Cujus rei faciendæ occasionem forte dederat

Archidamus Agesilai filius, qui cum à Philippo post partam victoriam illam memorabilem contra Athenienses ad Chæroneam, superbas & minaces Epistolas accepisset, huic respondit: *Si metieris vmbram tuam Philippe, non reperies illam factam majorem, quam erat ante victoriam.* præclarum vtriusque documentum, quo meminerimus in quacumque fortuna metiri nos nostræ mortalitatis regula. In aduersa non desperare, in prospera non insolescere. Sed dum dulcia viscera nostra pertentant, putemus audire illud distichum Poëtæ.

Virgilius Eclog. 3

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

SAPIENS A MINIMIS TIMET.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

POSITO sancti Timoris fundamento superiore tractatu, ad purioris speciem, quem in Sapiente Christiano volumus, accedimus. Puriorem dico, quia ille omnium est, iste perfectorum. Ille terreni aliquid & humani habet, iste totus cœlestis est. Ille peccatum timet, hic ad minimam Diuinæ offensæ vmbram pauet & fugit. Ille initialis, hic filialis. Ille Amoris proprij adhuc immixtus, hic Diuini alte pectori infixi delibatus ramus, talis est, qualem nec Angeli erubescerent. Quidni enim erubescerent Timorem, qui in Patria, in Beatis, in Angelis, & in Christo Angelorum & Sanctorum Domino reperitur? Summæ affectus reuerentiæ erga Diuinam Majestatem? Vnde etiam esse potest, quod more Scripturæ, & sanctæ Linguæ, Timor pro perfecto Dei cultu, reuerentia, & amore ponitur, *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, ait in Deuteronomio; quod alibi, *Diliges Dominum Deum tuum.* De primo illo hæc verba intellige, perfecta Charitas foras mittit timorem; de secundo isto, de quo impræsentiarum sermo, dicitur, *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*; vel, quod alia lectio habet, *cupit nimis.* Vult enim & cupit perfectus Dei Timor, quantum & Amor, nimis; id est quantum

S. Thom. 1. 2. q. 67 & 3. a. 7 a. 6

Cap. 6

1. Ioan. 4

Psal. 18

potest, & vltra quam potest. Omnia fugit & timet, quantumcumque leuia, quantumcumque minima, quæ Deo displicere, aut minus placere putat.

In hunc sensum dicit Salomon: *Beatus homo, qui semper est pauidus; qui verò mentis est duræ, corruet in malum.* Septuaginta vertunt, Beatus vir qui timet omnia, δι εὐλάβειαν ob pietatem & reuerentiam Dei. Quam optime ad meum propositum, quòd Auctor Catenæ Græcæ explicans, "Beatus vir, inquit, qui reuerentia Dei tactus extimescit omnia. Qui Dei Timorem obtinet, ille omnia quæ aliquod contagium, vel detrimentum animæ afferre possunt, formidat, suspectaque habet. At Improbus nihil timet, atque ita in varia incidit incommoda."

Prov. 28

Vis exempla timoratæ Conscientiæ, seu perfecti viri minima timentis. Habes in Tobia patre luculentum, qui cum cœcus domi sederet, & vxor ejus de labore manuum suarum victum Marito comparans aliquando Hœdum lucrata domum detulisset, vbi hujus vocem balantis audiuit, statim exclamauit: *Videte ne fortè furtiuus sit, reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* O quam timorosa conscientia, ad primam furti vmbram expauescit, à minimo timet. Notate illa verba, non licet nobis, aut edere aliquid ex furto, aut contingere. Quasi peccatum sit, alienum, licet non animo furandi, contingere.

Tob. 2

Prohibuerat Deus Israëli in expugnatione vrbis Iericho, ne quis quidquam auri, aut argenti, aut supellectilis Ierichuntinæ surriperet sub graui anathemate. Iosue ad præcepti hujus obseruantiam in procinctu pugnæ eum exhortans: *Vos autem cauete, ait, ne de his quæ præcepta sunt quidpiam contingatis.* Quid addit præcepto Diuino? Deus prohibet populo, ne quidquam furetur, aut tollat. Iosue prohibet ne contingat, sed Religiosus Princeps non tam superaddit Diuino mandato, quàm ne violetur satagit, scilicet vt impediat rei prohibitæ furtum, prohibet etiam tactum; qui enim facilè palpat & contrectat res alienas, in procliui est, vt furetur eas.

Iosue 6

Nouerat hoc prima mulier Eua nondum seducta, cum serpenti pomum vetitum, vt comederet inuitanti, è vestigio respondit: *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Aliqui hîc Euam mentitam volunt, Deo imposuisse, & rigorem Diuini præcepti ampliasse; Ego verò, sincerè arbitror, & ex mente, & vero locutam. Licet enim literaliter Lex Diuina prohiberet, ne comederent; non, ne tangerent, verè tamen dixit, nec melius dicere potuit, prohibuit, expressè, seu explicitè, *Ne comederemus*; implicite, *Ne tangeremus*; vnum quippe prohibendo, ne comederent, prohibuerat & alterum, ne tangerent, sed male cauta, & tenax Diuini præcepti mulier vbi tetigit pomum, comedit; tanti fuit occasioni peccati non restitisse, tanti rem vetitam contigisse!

Gen. 3

Anne eadem de causa Apostolus dixerat: Bonum est homini mulierem non tangere, vitandæ fornicationis causa q. d. Si bonum est, si juuat mulieri illicitè non commisceri, bonum est, necesse est, non tangere, tactus dispositiones sunt actuum illicitorum. Hos Sapiens, & illos vitabit, & à minimis peccandi occasionibus cauebit.

Non semel subiit in mentem, modum loquendi Patriarchæ Iacob cum Socero suo Laban, de difficillimis negotiis tractantis, demirari. Cum enim ipsi viginti annorum ministeria laboriosissima objiceret, exprobraret fraudata pretia, mutatos vultus, ingratam voluntatem, addidit; *Nisi*

Gen. 31

Digitized by Google

Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modò nudũ me dimisisses; cumque paulò post iræ deferbuissent, & rebus animisque ad pacem se componentibus, mutuò dextras jungerent, ac pariter in fœdera jurarent, quo sacramenti religione præteritorum obliuio, & futuri confœderatio inuiolabilius firmaretur, *Iurauit Iacob per timorem patris sui Isaac.* Res haud dubiè admiratione non minùs, quàm obseruatione digna! mirabilis prærogatiua sancti Timoris Dei, quem S. Patriarcha Numinis vice coluit & veneratus est, impendio commendans hanc virtutem Isaac, per quam meruit tot benedictionibus cumulari, in posteros vbertim refluxuris.

Nisi Timor Isaac, inquit, *affuisset mihi*; timor ille verè filialis, verè sãctus, qui fecit vt puer sequeretur in monte patrẽ, obsequeretur jubẽti, ligna cõportaret sacrificij, membra ligari & pyræ se componi sineret, jugulũ denique patris gladio præberet immolandum; quia sic Deo, sic patri placeret, spectaculum Deo, & Angelis, & tanto patre dignum. Propterea, inquam, jurauit Iacob per hanc virtutem patris sui, pignus fidei, & jurati fœderis sponsorem dicit, agnoscens gratiarum riuos, quos hucvsque Cœlum in se, suamque familiam depluit, & Diuinæ protectionis munus, quo à furore fratris sui Esaü, & ira Laban soceri sui liberatus est, non ab alio fonte scaturire, quàm à Timore Isaac, à quo cum accepit paternum vt fundum, vicissim & coluit.

O pretiosa hæreditas! ô patrimonium fœlix! in quo à parentibus in filios virtus timoris infunditur, & quasi hæreditario jure transfertur. Fœlices parentes, qui filios virtutibus magis, quàm opibus, ditare studuerunt! Fœliciores filij, quibus gratia, quasi census & fundus, multiplici sanctitatis fœnore respondet & crescit.

Quisquis enim Timorem Dei in numerato habet, siue à parentibus successione transfusum, siue propriis meritis Cœlo fortunante comparatum, hic sibi de Diuina protectione blandiri potest, & pro certo habere, Deum curare res suas, etiam in minimis, quando ipse in omnibus sibi placere contendit, & ne in minimis displicere.

Non est hoc loco & obseruatu indignum, inter Cœlos, quos Astrologi numerant, illud quod Empyreo vicinius est, & cęteris altius, a motu, quem Trepidationis vocant, denominari Cœlum trepidationis; quia in tremore perpetuo sit, & trepidatione. Nec immerita, aut ociosa Nomenclatura, quæ significet eas animas, quæ proximiùs ad Diuinam Majestatem accedunt, & Deo viciniores sunt, perpetuo in tremore ac timore versari, semper tremere ac contremiscere in præsentia Dei.

Quod ita esse, & Scriptura sacra, & communis Ecclesiæ consensio confirmat, in Virgine, quæ vt in omnium confesso præ omnibus Sanctis & Angelis Deo appropiauit, non tantùm quia carne genuit, sed etiam quia Deum fœliciùs mente portauit; sic mentis humilitate Sanctos omnes superauit. *Respexit*, inquit, *humilitatẽ ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Vnde quidam non immeritò dixerit: "Quia etsi virginitate placuit, humilitate concepit."

Sed quæ humilitas Virginis! *Ad quem respiciam*? inquit Dominus apud Isayam. Vel, vt alij legunt, *Super quem requiescet Spiritus meus? nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* Vel, quod alij legunt, *Nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos.* Vides humilitatem Mariæ? vides animam ejus, quasi Cœlum perpetuo trepidationis

Digitized by Google

motu trementem? Quot sæcula Deus sustinuit quærens animam humilem & trementem, & non inueniens; tandiu distulit Incarnari. Inuenit lapsis retro seculis prudentes Abigail, pulchras Sunamites, castas Susannas, generosas Iudithas, pias Estheres. Labebantur secula, currebant anni; sed humilem, sed trementem sermones suos; qualem volebat, non inueniebat; donec nata est Virgo, Gratiæ Miraculum, Naturæ prodigium, expectatio populorum; quam non inscite quidam nuncupauit, Negotium seculorum. Contendebant inter se secula, & multo tempore laborabant, vt dignissimam hanc Creaturam eniterentur, quæ Diuinos oculos & affectus contineret. Quamprimū visa est, delegatur ad eam vnus ex primis militiæ cœlestis Angelus, vt mysterium à seculis absconditum in ea implendū nunciaret. Vbi salutauit eam Angelus, *Aue gratia plena, Dn̄s tecum; benedicta tu in mulieribus;* videte humilem, videte trementem sermones Dei. *Cùm audisset,* inquit, *turbata est in sermone ejus; & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Sed vbi iterum cœlestis Nuncius commissæ legationis officia exequitur, dicens: *Ecce concipies & paries;* quò se ponat humilis Virgo? quò se dejiciat? Adhuc tremula; *Quomodo fiet istud?* Paupercula, & humilis, quod respondeat non habet, nisi hæc verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sic impletur Mysterium, & sancti Timoris probatur meritum, in Virgine omnium Virginum longè præstantissima.

TITVLVS LXIX.

DE VANO TIMORE

FABVLA.

De Auibus Scarabæos timentibus.

NESCIO *quis incerto auctore rumor Aues occupauerat, magnas illis insidias ab Scarabæis intentari, magnam cladem parari, vnde ingens eas timor incesserat; rumori locum dederat, quòd magnam pilarum vim Scarabæi è fimo conficerent, ex quo fama erat confecturos arcus, & lanceas, & tormenta bellica, in Auium gentem ejaculanda; trepidantibus, occurrit Passer. Quid est, inquit, quod vos terret? qui vos falsus rumor dementat? de Scarabæis vilissimis omnium bestiolis, quæ ad terram quasi repentes noctu volitant, & si quidem pilas faciunt, nec portare suis humeris, nec in aera eleuare possint, quantominus in nos vibrare? Arguit vanos & absurdos timores, quibus imbecilla mortalitas se sæpius fatigat, & angit.*

De Leone & Rana.

C*Oaxante in palude Rana, stridula vt solent voce, Leo iter faciens substitit, trepidus, à magnitudine vocis & clamoris, immane quod-*

dam Animal suspicans, accessit propius, vt videret quale esset; & Ranulam aquis exilientem aduertit, quam pede conculcans, ait, quomodo tam fœda & vilis bestia tanti strepitus & clamoris esse potes? Vt præcedens carpit vanos terrores, nullo, aut perexiguo, vtplurimum fundamento nixos.

De Vitulo & Asino.

PAscebant simul in prato Vitulus & Asinus, cum de repente audiunt aduentantis exercitus timpana & tubas, perterritus Vitulus monet socium, fugiamus, inquit, hinc, ne nos hostes comprehendant; cui Asinus, fugias tu, cui periculum & timor instant, ego nihil quod timeam aut perdam habeo, à Milite magis quàm ab Hero. Innuit differentiam hominum, quorum alij iustè timeant, alij tàm sunt profligatæ vitæ & fortunæ, vt nil timeant.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

INSIPIENS NON TIMET TIMENDA; TIMET NON TIMENDA.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

PRæcedenti Titulo, Timorem Sapienti nostro, non ingeri, sed adnasci voluimus, non puerilem eum aut vanum, sed serium & rationabilem, qui hominem deceat, & sanctum, qui Christianum. Hîc, quia in alio solo laboramus, excutiendus est, insipienti scilicet, timor, vanus, irrequietus, malus; qui vna ex his duabus causis procedit.

Prima, defectus Iudicij, seu rationis. *Est autem timiditas*, ait Hierocles, *corruptio legitimi Iudicij de rebus metuendis, aut non metuendis, aut ignorantia terribilium, non terribilium, & neutrorum: quomodo igitur qui corruptis & illegitimis opinionibus in vita detinentur, iusti esse possent? Non enim quasuis res rectè æstimabunt, non permittente ipsos animi timore quamlibet rem aggredi.* Vnde dicebat Euripides:

Ap. Stob. serm. 6

Ibidem

> *Vita mollis, & mala timiditas,*
> *Neque domum, neque ciuitatem rectè gubernauerint.*
> *Tu quidem te virum esse dicis; sed indignum est viro*
> *Timidum vocari, & morbo laborare turpi.*

Habet autem hoc timiditas, vt falsas Timoris causas pro veris habeat, & veras, pro falsis; vt mala occupet & præuertat, & re fortunatos, opinione reddat infœlices. Quod Menander, Poëta Græcus, optimè aduertit:

Ap. Stob. serm. 96

> *Animalia cuncta fœlicissima sunt,*
> *Et multò magis homine sapiunt.*
> *Primum intueri licet Asinum istum,*

Digitized by Google

Qui indubiè animal est miserum,
Nihil tamen mali, ei sua culpa nascitur,
Sed quæ Natura ipsi debet, ea habet;
Nos verò præter necessaria mala,
Ipsi per nos alia nobis insuper adjicimus;
Dolemus, si quis sternuerit: si maledixerit,
Irascimur; si quis viderit insomnium,
Terremur; si noctua vlulauerit, metuimus.
Aerumnæ, opiniones, ambitiones, leges,
Ista omnia, præter Naturam, & ascititia mala sunt.

Expressit & nouit hoc mali genus ex opinione & Timiditate Diogenes. *Omnia ferè mala plus terrere solent*, inquit, *eos qui ipsa futura expectant, quàm vbi jam acciderunt, molestare. Metus enim tam improbus est, vt multi rem quam metuunt, ipsimet anticipent, vt qui in naui tempestate periclitantur, non expectata submersione nauis, manum sibi prius inferunt.* Idem quasi dicit Ouidius.

a. de trist

Ille habet in reditus nauem, mare semper iniquum
Cogitat, & damno littora sæpe suo,
Filius hunc miles; hunc filia nubilis, angit;
Et quis non causas mille timoris habet?

Aliud malum nimiæ timiditatis notauit Sophocles: *Timidos*, inquit, *fortuna non juuat.* Et Poeta Latinus.

10. Aenei

Audentes fortuna juuat. Aliquis addidit, *timidosque repellit.*

Quod apposita ratione, Demetrius apud Stobæum exequitur. Fingamus exempli causa, ait, belligeranti, & in acie stanti, hinc fortitudinem, illinc timiditatem assistere; quantum putas diuersas orationes habebunt? Nonne fortitudo quidem permanere jubebit, & ordinem suum conseruare? sed ingruunt tela, sustinendum est. At vulnerabor? tolerato. Sed moriar? morere potius, quàm relinquas aciem. Hæc oratio dura videtur, & immitis. Contra verò timiditatis, humana, per Iouem, atque mollis: nimirum enim, recedere jubet trepidantem. Sed scutum ægre fero, abjicias. Molestat me thorax, ergo resolue. Cui non hæc verba benigniora viderentur, quàm illius? Similiter in aliis rebus vsu venit; Ne capias, inquit Continentia, vnde non decet; ne comedas, ne bibas, sustine, tolera, denique moriare potius, quàm quicquam indecori committas. Luxuria verò sic suadet. Ede cum libet, quodcumque tibi suauissimum fuerit. Placet-ne vicini tui vxor? miscere cum ipsa. Pecuniis eges? accipe mutuo. Mutuatus non potes restituere? nihil reddito. Non credent tibi amplius ad mutuo dandum? rapito. Viden? vt hic etiam magnum sit vtrinque discrimen. Ita ille non inepte quidem. Vbi notes à discursu ignauiæ, ad flagitij adhortationem descendere, quasi ex vna eademque radice propudiosæ timidatis oriantur vacuitas operum bonorum, & colluuies operum malorum, seu flagitiorum omnium.

Cui malo remedium sit, purgare judicium, & à ratione nebulas, quas error opinionis aspersit, extergere, ad hoc veniat auxilio Seneca, magnus sapientiæ antistes. *Illud tibi præcipio*, inquit, *ne sis miser ante tempus, cùm illa quæ velut imminentia expauisti, fortasse nunquam ventura sint, certe nondum aduenerint. Quàm multa non expectata venerunt? quàm multa expectata nunquam comparuerunt? Etsi futurum est, quid juuat dolori superoccurrere? satis cito dolebit cum venerit, interim tibi meliora promitte. Quid facies lucri? tempus. Multa inter-*

Sen. epist 13

uenient, quibus vicinum periculum, vel prope admotum, aut subsistat, aut desinat, aut in alienum caput transeat. Incendium ad fugam patuit; quosdam molliter ruina deposuit; aliquando, gladius ab ipsa ceruice reuocatus est; aliquis carnifici suo superstes fuit. Habet etiam mala fortuna leuitatem. Optimum quidem consilium, si timor consilij esset capax. Audi aliud ejusdem.

Eipst. 24 *Illud ante omnia memento, demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re sit, scies nihil esse in istis terribile, nisi ipsum timorem, quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque euenit; illi quos amant, quibus assueuerunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expanescunt; non hominibus tantùm, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua, &c.*

Plutar. in Moral. Idem remedium sanando superfluo timori dat Plutarchus. *Vt pueris*, inquit, *cum terrentur personis, damus eas in manus, & versatas ostendimus inanes, vt discant non timere, ita conuenit adhibita ratione, res specie terrificas excutere, vt cum viderimus non esse quod apparent, contemnamus*: ita ille.

L. I. de cõs. Phil. Met. 4 Aliud remedium ex Boetio, nil sperare, nil metuere.

Nec speres aliquid, nec extimescas,
Exarmaueris potentis iram;
At quisquis trepidus pauet, vel optat,
Quod non sit stabilis suique juris
Abjecit clypeum, locoque motus,
Nectit qua valeat, trahi cathenam.

Sen. epist 97 Secunda vani timoris causa, vt acrior ac peruicacior existit; ita difficiliori remedio indiget. Est autem illa mala Conscientia. *Nullum scelus licet illud fortuna exornet muneribus suis*, inquit Seneca, *licet tueatur ac vindicet, impunitum est; quoniam sceleris in scelere supplicium est. Consentiamus mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quod perpetua illam sollicitudo vrget, ac verberat, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem.*

Iuvenal. Sat. 13 Tormentum hoc iuge animi sibi male conscij nemo melius Satyrico delineauit. Ex pluribus pauca exscribo. Sic autem de scelerato.

Nocte breuem, si forte indulsit soporem,
Et toto versata toro, jam membra quiescunt,
Continuò templum, & violati Numinis iras.
Et quod præcipuis mentem sudoribus vrget,
Te videt in somnis, tua sacra, & major imago
Humana, turbat pauidum, cogitque fateri.
Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.
Cum tonat exanimes primo quoque murmure cœli,
Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis, &c.

Anton. in Mel. s. 77 Huic verò vitio pendentis semper animæ, pauidæ, formidantis omnia, quod remedium? vno verbo dicam, bona vita. Vtrumque Socrates satis comprehendit cum interrogatus, quinam sine perturbatione viuerent? respondit. Qui nihil sibi consciunt mali.

Cic. orat. pro Milone Huic proposito dicebat Cicero. *Magnam vim habet Conscientia in vtramque partem, vt semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccauerint, & nihil timeant, qui nihil admiserint.*

Stobæus Ser. 22 Pythagoras neminem tam audacem esse dicebat, quem mala conscientia non faceret timidissimum. Non quiescit enim animus malè conscius,

sed

Digitized by Google

ſed ab omni etiam vento abhorret. Vt quidam ſequenti Epigrammate cauſam & remedium hujus timoris tangit.

Piſtorius in Epig.

Iſtud habet damni vitium inter cætera, quòd mens
Palpitat, aſsiduò flagitioſa metu.
Semper enim, vel ſi non deprendatur in ipſo,
Seſe deprendi poſſe putat ſcelere.
Deque ſuo alterius quoties de crimine ſermo eſt,
Cogitat, & credit ſe magis eſſe reum.
Inque dies timor hic creſcit, de moribus ergo
Cura ſit, intrepidos nos bona vita facit.

Curet ergo, & procuret bonam Conſcientiam quiſquis volet ad omne momentum non formidare, non expalleſcere, non exanimari. Timeat timenda, & tunc non timebit non timenda. Vnde enim niſi à Conſcientia ſcelerata vmbræ; ſpectra, terriculamenta Neronis? & quod de Dioniſio tyranno referunt, quòd perpetuò animi pendens, & pauidus, nulli hominum, non amicis, non domeſticis, nequidem filiis, vitam fideret? Aut ille Maſſiniſſa Numidiæ Rex, de quo Valerius Maximus refert, quod hominum fidem ſuſpectam habens ſe canum cuſtodiæ commiſit & credidit? Aut illud de Imperatore Commodo, optimi parentis peſſimo filio, quod ſcribit Ælius Lampridius, ſcilicet, ne jugulum tonſori præberet, barbam & comam adureret, & auri ramentis illineret.

Hiſt. Aug In Com.

INSIPIENS NON TIMET TIMENDA, TIMET NON TIMENDA.

Probatur ſecundò, & illuſtratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

SICVTI Amoris, ita & Timoris ea conditio & diſcrimen eſt, vt alius bonus ſit, & bonorum; alius malus, & malorum; quanquam malus, non tam vitium, quàm vitiorum pœna ſit. Vterque ſuos diſcriminat, vt malus & vanus Timor ſceleratos afficiat, bonus, bonos. Dixit hoc dilucidè Pſalmiſta: nam de Impiis verba faciens, *Non eſt Timor Dei*, inquit, *ante oculos eorum, Dominum non inuocauerunt; trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* q. d. ablegauerunt timorem Dei, timorem Sanctorum; vno verbo, Deum non timent, quem timere debuerant; timebunt miſeri quod non debebant, vano terrore percellentur.

Exemplum hujus veritatis luculentum extat in illis exploratoribus, quos Moyſes jubente Domino exploratum miſerat in terram Chanaan, ſeu Promiſſionis, eo fine, vt inde fructus terræ exportarent, & de vbertate ejus ad populum referrent, quò ejus poſſidendæ gratia incenſi, alacriores peruincendis itineris & belli difficultatibus, periculis, laboribus, inardeſcerent. Quid illi? Conueniunt de fertilitate terræ, de difficultate poſſidendi variant; pars enim (vt in pluribus non deſunt mali & ignaui, & his vtplurimùm plebs fidem habet) ſic ad populum: *Terra quam luſtrauimus deuorat habitatores ſuos; Populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt; ibi vidimus*

Num. 13

Digitized by Google

monstra quædam de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur! Ad hæc verba corruit in terram populus, mente confractus, fleuit, ejulauit; in Deum, & Duces suos, tota nocte murmurauit. Et vero quis in ridiculis eorum hyperbolis & exaggerationibus tam ignauiam, quam impietatem, non aduertat? Vnde subdat Scriptura: *Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israël.* Graue peccatum, nec minor contumelia in Deum.

At verò Iosuë & Caleb, viri optimi, qui & ipsi lustrauerant terram, longè aliter loquuntur: *Terra quam lustrauimus, inquiunt, valde bona est, nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ hujus; quia sicut panem eos possumus deuorare; recessit ab eis omne præsidium, Dominus nobiscum est, nolite metuere.* Sic isti, tantùm de Diuino præsidio confidentes, quàm vecordes illi, diffidentes & vacui. Glorificauerunt isti Deum, illi *grauiter offenderunt.* Videte quàm differenter loquuntur: Illi Chananæos monstris comparant, locustis se: isti eos, quasi frustum panis, dentibus molere, & conterere, & deuorare posse confidunt. Cujus rei, & tanti discriminis ratio, ea est, quòd quisquis Timorem Dei in se habet, nullius alterius habet: qui timet Deum, nil præter eum timet; qui verò Deum non timet, omnia timet. *Non est timor Dei ante oculos eorum, Dominum non inuocauerunt; illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

Duo promisimus, quæ cùm probatu indigeant, soluendo sumus.

Primum est, Timentem Deum nihil pauere, nihil formidare. Addo animum hominis, & vires, & fortitudinem, à Timore Dei pendere ac procedere: quod operosum non erit. Sic enim Eliphas Themanites, vnus ex amicis Iob, eum consolaturus ait: *Vbi est,* inquit, *Timor tuus, fortitudo tua?* Quibus verbis, Timorem Dei, quo sciebat eum munitum, vocat fortitudinem suam. Nec immeritò Timorem Dei, fortitudinem Iobi nuncupat: qui enim timet Deum, magnum præsidium habet, & Protectorem; non facilè atteritur, non facilè vincitur, dicente Psalmista: *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Item: *Posuisti firmamentum ejus, formidinem.*

(Iob. 4; Psal. 24)

Hoc vmbone Timoris Dei contectus Dauid, ait: *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Eodem Iob armatus: *Libera me, Domine, & pone me juxta te, & cujusuis manus pugnet contra me.* Hac armatura imbellis mulier Iuditha confodit Holophernem; Dauid puer, Gigantem. Adeo verum est quod dixit sapiens Syracides: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit; quoniam ipse est spes ejus.*

(Iob. 17; Eccl. 34)

Contrà, qui Deum non timet, nec timorem Dei apud se habet, is omnia timet, omnia pauet & formidat: quod secundò me probaturum recepi.

Hoc non semel populo suo comminatus est Deus in pœnam multiplicium præuaricationum suarum. In Leuitico enim, inter flagella, quibus populum suum rebellem se contriturum dicit, *Qui de vobis remanserint,* inquit, *dabo pauorem in cordibus eorum; terrebit eos sonitus folij volantis; cadent nullo persequente; & corruent singuli super fratrem suum.* Quod in Deuteronomio repetit grauioribus terminis. *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Quid enim volunt ista, quid comminantur nisi inobedientem, & peruicacem, qui timorem Dei abjecit, in prædam dari omnibus formidinibus, & terriculamentis? Illud Ieremiæ tandem experimento probaturum: *Scito, & vide quia malum & a-*

(Levit. 26; Deut. 28; Ierem. 2)

Digitized by Google

marum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te. Hoc experitur quisquis abjecit timorem Dei, hunc Conscientia criminum perpetuo flagellat, sonitu folij volantis terretur, minimo strepitu horrore pallescit. Imaginatio ipsius recordatione scelerum turbata & confusa, nil nisi vmbras, & spectra repræsentat, vbique sibi præcipitia fodit, minas intentat, cruces objectat. *Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis*, dicit Sapiens, *semper enim præsumit sæua, perturbata Conscientia.*

Sap. 17

Hoc in primo homine videre licet; obseruo enim ex sacro Textu, eos quatuor fecisse, postquam vetitum fructum degustarunt. Cognouerunt se nudos, erubuerunt, verecundiam suam operuerunt, & absconderunt se. Quanti motus, & quam inordinati, perturbatæ conscientiæ! Primus peccati fructus fuit, proprio experimento cognoscere suæ transgressionis culpam, & pœnam. Secundus, erubescere se nudos. " Vbi enim gratia vestiebantur, ait Augustinus, in nuditate nil indecens patiebantur. „ Tertius, operire se. *Consuerunt*, inquit, *sibi folia ficus*, " operimenta mendacij, ait Glossa, quæ pruritum carnis & libidinis ardorem significant. „ Ad quod Augustinus: " Non puto eos in foliis putasse aliquid, quo congrueret tegi membra prurientia, sed occulto instinctu ad hoc perturbatione impulsi sunt, vt talis pœnæ significato à nescientibus fieret, quod conuinceret peccatorem facto, & doceret scripto lectorem. „ Vt vides, rem ridiculam sapientes licet, faciebant, putantes tegumento carnis occultare Deo fœditatem mentis. Quartus denique peccati fructus, abscondere se in medio ligni Paradisi à facie Dei, quasi oculis ejus aliquid esse posset occultum & imperuium. " Verè abscondit se, ait Augustinus, à Deo, qui auersus à præcepto Creatoris, erroris sui & arbitrij voluntate viuit. „ Vides errores animæ peccantis, obliuiscentis Deum, obliuiscentis se. *Audiui*, inquit, *vocem tuam, & timui.* " Iam stulte respondit, ait S. Isidorus, quasi Deo nudus displiceret, quem nudum fecerat. *Audiui vocem tuam*, ait, *& timui.* Timor præposterus; ante enim bene timere debueras, ne posteà malè timeres. Vnde enim nunc timuisti, nisi quia cùm timere debueras, offendere non timuisti? Sed quomodo times vocem, oculos, præsentiam Dei, Patris tui, Factoris tui, Benefactoris tui, Amici tui? Quomodo times eum, quem anteà cogitare solatium, audire gaudium, sentire delitiæ? videre, tua erat consummata fœlicitas? nisi quia vbi ejus amorem & timorem abjecisti, indignò timori, & criminoso, te subjecisti? " Cui magnæ erant delitiæ, visitatio Dei, ejus faciem quasi inimici timuit post peccatum, „ ait Augustinus. Vt comprobetur assumpta sententia; *Insipiens*, seu Impius, *dum non timet timenda, timet non timenda.*

Serm. 34 de verbis Dom.

Absurdi hujus Timoris exemplum aliud ex Euangelio reposco. Ejus serui, qui cum conseruis suis a Principe decem mnas, singuli singulas accepissent ad negotiandum; & alius decem, alius quinque, alius duas, lucrati essent, & sic de aliis, amplissimè à Domino muneratis, vnus rationem mnæ creditæ reposcenti, dixit: *Domine, ecce Mna tua, quam habui repositam in sudario: Timui enim te, quia homo austerus es; tollis quod non posuisti, metis quod non seminasti.* Iste, inquam, absurdus & præposterus Timor est; timet enim vbi non timendum, quia non timuit vbi timendum. Cùm enim Mnam aut talentum ab Hero austero, vt dicis, accepisti; aut in sudario reponere, aut in terram infodere timere debuisti, vt redeunti Domino ociosè col-

Lucæ 19

Digitized by Google

locasse non timeres, sed laudem & mercedem acciperes. Ergo quia eum offendere non timuisti, majori te timori mancipasti, vt dicatur tibi: *De ore tuo te judico, serue nequam: sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui; & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris, vtique exegissem illam.*

Cautè igitur aduertendum est, vt tempestiuè & suo loco fructuosè timeamus, nec intempestiuè, & tempore non suo, ociose & frustra timeamus

Non mihi tempero, nec in hac materia mihi facio satis, nisi duo ex abundanti addidero, in fauorem sancti Timoris. Primò, eum qui vere Deum timet, esse ipsum omnibus formidabilem, ab omnibus timeri. Secundò, Timorem Dei principium & causam esse bonæ fortunæ, diuites fieri.

Primum expedio testimonio Scripturæ de perpetuo odio, quo flagrauit Saül aduersus Dauid, quem ille tam injustis artibus & insidiis studuit opprimere, quàm iste perpetuis Regem & regnum officiis ac beneficiis demereri. Odij Saül non alia causa, nisi mera inuidia Dauid, & suarum virtutum. Quoties occultis modò insidiis, modò aperta vi, modò armata manu, ad formam justi belli & exercitûs, conatus est configere, trucidare, concludere? Sed quia Dauid timebat Dominum, Dominus protegebat Dauid, & quassas semper irritasque Regis iras, insidiasque reddidit. Hoc vidit Saül, cœlitus Dauid protegi. Quid inde? Quem priùs summè oderat, cœpit timere. Meministi ejus periculi, quod incurrit Dauid, qui cùm in præsentia Saül psalleret, vt spiritûs mali, quo agitari solebat, furias temperaret & mitiùs haberet, Saül vibrata lancea putans eum configere, cùm cassum ictum vidit, Ab illa hora, *timuit Saül Dauid*, inquit Scriptura, *eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset.* Alia vice, cùm pro pactis sponsalibus ducenta Philistinorum præputia Regi numerasset, is videns Dauidem ex insidiis cautiorem, ex periculis clariorem euadere, magis eum timuit. *Saül*, inquit, *magis cœpit timere Dauid.* Et in Euangelio, cui non mirum videatur quod dicit Scriptura de Rege Herode: *Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum justum & sanctum; & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter audiebat.* Talis est virtutis, etiam inter sceleratos quosque auctoritas, vt à Regibus & Tyrannis ea ornati timeantur.

1. Reg. 18

Iam ad bonam fortunam comparandasque diuitias multum momenti habere Timorem Dei, Scriptura satis fidem facit, quam indigitasse paucis sufficiet. Interrogemus Psalmistam Regium in primis: *Non est inopia timentibus Deum*, dicit. Item, *Iunior fui*, inquit, *etenim senui, & non vidi justum derelictum, & semen ejus quærens panem.*

Psal. 33

Psal. 36

Interrogemus Tobiam. Sic ille ad filium. *Fili, multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Quam promissionem Patris junior Tobias de facto probauit. Scilicet, hæc causa fuit, cur Saræ vnicæ filiæ Raguelis ditissimæ juxta, & castissimæ virgini, septem aliis extinctis, matrimonio copulatus est; sic enim ei Angelus comes. *Tibi debetur omnis substantia ejus, & oportet eam te accipere conjugem.* Et clariùs cum postulato à juuene conjugio nutaret Pater filiæ consentire in nuptias, ne ipsi, quod aliis, eueniret, dixit Angelus, *Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum, debetur conjux filia tua.* Vnde patet Timorem Dei principium esse bonarum fortunarum.

Tob. 6

cap. 7

Idipsum adhuc patet in obstetricibus Ægyptiis, quæ *timuerunt Deum*, inquit Sacer Textus: *Et non fecerunt juxta præceptum Regis Aegypti, sed con-*

Digitized by Google

seruabant mares. Quid verò inde ipsis accidit mali? Nihil omninò, immò prosperitas magna temporalis, dicitur enim: *Bene ergo fecit Deus obstetricibus, & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Exod. 1

TITVLVS LXX.

DE PERICVLO FVGIENDO

FABVLA.

De Pastore & Mari.

OPILIO Gregem prope littus Maris pascens, cùm aliquando serenò Cælo, placidum Mare, tranquillumque cerneret, nauigandi, mercandique cupidine captus, Gregem vendidit, deque ejus pretio dactylos emit, quibus aliisque sarcinis Naui impositis, Mari se commisit; vix Nauis altum tenuit, cùm sæuissima oritur tempestas, & omni momento Naui mergi periclitante, Nautæ frustra artem experti, sarcinas & onera in Mare projiciunt, vt saluti consulant, & tandem salui euadunt. Pastor jam Mercator infœlix, ad primam artem rediit; & cum iterum Mare placidum videret, dicebat secum, placidum, aut iratum, te non retento, iterum dactylos speras, sed frustrà, nunquam nauigo.

De Muribus & Cato.

IN infima cujusdam ædis parte, vbi horreum, abundabant Mures, grano quod ibi copiosum erat, allecti. Catus domesticus id præsentiens frequens veniebat, insidiabatur, prædabatur; Mures videntes se minui, ineunt consilium, quid facto opus, vnicum remedium putant, non redeundi in illum locum, sed superius manendum, quò Feles ascendere non poterant. Ratum, sanctum. Murium consilium non latuit Catum, qui cum ad eos accedere non posset, vertit se in mille figuras, & aliquando posteriori pedum parte se ad stipitem appendit, simulans mortuum, vnde à Muribus aspici poterat, vt ad se eos alliceret, vt de facto ab aliquo conspectus fuit, qui dicebat. Quisquis sis, bone Cate, siue viuus, siue mortuus, ad te non venio. Innuens, Sapientis esse non se periculo committere, ex quo semel euasit.

De Quodam à Cane admorso.

QVidam Canis ferox momorderat Hominem, qui cùm ab aliquo inquireret, quidnam medicaminis vulneri adhibendum putaret; non aliud, inquit, tibi suadeo, nisi vt canem ipsum qui te læsit, pro Medico adeas, & ei vulneris saniem lingendam præbeas, Canis enim lingua

Digitized by Google

medicinalis est, & vulnus quod lingit, curat. Optimum quidem, ait ille, consilium, sed quid si iterum dentes infigat? Nunquid non dignus ero, qui ab omnibus Canibus præmordear, & irridear?

Mens Fabulæ, seu Morale.

QVI EVASIT PERICVLVM, NE SE ITERVM COMMITTAT.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

REMEDIVM Timoris propriè est fuga periculi. Hæc sapienti cura omnis: nam sicut pusilli, & malè sibi conscij animi est, omnia timere; sic inconsiderati, præcipitis & temerarij, sese periculis objicere, & retentare casus, à quibus vix euasisti. *Nunquam* enim *periculum sine periculo vincitur*, dicebat Publius Mimus, cujus est & ea vox: *Temerè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.* Quis enim ejus vicem doleat, qui periculum capitis, quod semel euasit, iterum incurrit?

apud Aulugel. Lib. 17

Hoc tamen vitio nil frequentius videas apud homines, dignum, quod Senecæ censura perstringat. *Adeo*, inquit, *aduersus experimenta pertinaces sumus, vt bella victi; & naufragi, maria repetamus.* Et Poëta Ouidius:

Sen. lib. 1 de benef.

5. de Trist. Eleg. 6

Saucius ejurat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus vndis,
Et ducit remos qua modò nauit aqua.
Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Tempus & assueta ponere in arte juuat.

quod peruersæ consuetudini ascribit, longo vsu imbibitæ, & humanæ libidini, quidlibet audendi inconsideratè quod placeat.

Eapropter prudentes quique statuum, ac Rerum publicarum administratores nihil antiquius habuere, quàm vt à suis ciuibus non tantùm vitia, sed etiam vitiorum incitamenta remouerent. Quo in genere non immeritò Plutarchus obseruat, Licurgum Lacedæmoniorum Ducem vineas omnes suæ ditioni & regno subjectas aliquando jussisse explantari & eradicari, eò quòd Spartiatæ potationibus, & crapulis, alijsque inde consequentibus vitiis plus nimio indulgerent, scilicet vt occasionem vitiorum, quæ alio modo haud sperabat posse auferri, in causa radicitus amputaret.

Plutar. in Licurgo.

L. 23. c. 20

Nec minùs admirabile est quod refert Cœlius Rhodiginus de Cothyde Thraciæ Rege, qui cùm esset natura sua pronus ad iram, & seuerus castigator suorum, si quando in ministerio delinquerent, & quidam ipsi vasa pretiosa, eaque fragilia, scite, curioseque cælata, & torno elaborata obtulisset, ea Rex à donatore gratanter accepit, cæterum, illicò confregit, demirantibus cunctis cur id faceret. *Malo*, inquit, *ista perdere, quàm me perdant, & ea voluptate & supellectili carere, quàm irascendi, & sæuiendi occasionem*

Digitized by Google

præbeant: prudentis enim est, inquit, Cœlius, *Naturæ suæ morbum agnoscere, & materiam vitio præcidere.*

Non tantùm res, quæ licet ex se innocuo vitio nostro possunt fieri nociuæ, vitandæ sunt: sed etiam certa loca fugienda. Audiamus de hoc disserentem Senecam: Non spernendū consilium suggerentē: *Baias*, inquit, *Postero die quam attigeram reliqui, locum ob hoc deuitandum, cum habeat quasdam naturales dotes, quia sibi illum celebrandum luxuria desumpsit. Quid ergo? vlli loco indicendum est odium? Minimè, sed quemadmodum aliqua vestis sapienti, ac probo viro magis conuenit, quàm alia, nec vllum colorem ille odit, sed aliquem putat parum aptum esse frugalitatem professo; sic regio quoque est, quam sapiens vir, aut ad sapientiam tendens declinet, tanquam alienam bonis moribus, &c.* Rationem paulo post subdit. *Id agere debemus vt irritamenta vitiorum quàm longissimè profugiamus. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vim Hannibalis Hyberna soluerunt, & indomitum illum niuibus & Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ; armis vicit, vitijs victus est.*

Sen. epist. 51

Porro inter ea quæ magis vitanda, & periculi plena sunt, non tam res, deliciæ, loca, quam homines ipsi cauendi sunt.

Hoc eleganter monet suo more Seneca. *Quid ista*, inquit, *circumspicis, quæ tibi possunt fortasse euenire, sed possunt & non euenire? Incendium dico, ruinam, aliaque, quæ nobis incidunt, non insidiantur. Illa potius vide, illa deuita, quæ nos obseruant & captant. Rari sunt casus, etiam si graues naufragium facere, vehiculo euerti. Ab homine homini quotidianum periculum, aduersus hoc te expedi; hoc intentis oculis intuere, nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius; tempestas minatur, antequam surgat; crepant ædificia, antequam corruant; prænuntiat fumus incendium; subita est ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Et quis possit quantumuis tectus omnes hominum insidias declinare?*

Epist. 103

Propterea sapienter & cautè Alcibiades cùm in Sicilia versaretur, & ab Atheniensibus in jus vocatus esset, vt causam capitis diceret, ire noluit, nec se vulgi judicio committere, dicens fatuum esse, qui vocatus in jus, judicio se humano eamque periculosæ aleæ fidat, & credat, sentiens consultius esse periculo se eximere.

Plutarc.

Denique non solùm res, loca, homines, inuestigandi sunt, ne ab eis noxa aut periculum nobis immineat, sed etiam nos ipsi diligenti examine circumspiciendi, ne quid in nobis sit quod vulneri pateat.

Achillem in lacu stygio infantem a matre fuisse lotum, & immersum, vt inuulnerabilis esset, Poëtæ finxerunt, & talem euasisse perhibent, præterquam ea parte pedis, qua dum mergeretur, tenebatur, sed quid profuit ei plurima parte corporis non patuisse vulneri, si aliqua patuit, & potuit occidi? Vt de facto occisus est? Ea enim sola à Paride vulneratus & interemptus fuit, vt discas quanta cautela omnes periculi occasiones amoliendæ sint, si vis vacare periculo, & securus esse.

Ita est, nos ipsi plerumque nobis vitandi sumus, cauendi & si fieri potest, fugiendi, vt magna pars nostræ infœlicitatis & peruersitatis. *Fuge multitudinem*, inquit Seneca, *fuge paucitatem; fuge etiam vnum, non habeo cum quo te communicatum velim, & vide quo judicium meum abeat. Crates, cùm vidisset adolescentulum secretò ambulantem, interrogauit quid illic solus faceret; mecum, inquit, loquor, cui Crates, caue, inquit, rogo, & diligenter atende, ne cum homine malo loquaris: lugentem timentemque custodire solemus ne solitudine male*

Epist. 10

Digitized by Google

vtatur; nemo est ex imprudentibus qui relinqui sibi debeat, tunc mala consilia agitant, tunc aut aliis, aut ipsis futura pericula struunt; tunc cupiditates improbas ordinant; tunc quidquid aut metu, aut pudore, animus celabat, expromit; tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam instigat, &c.

Ex his vides quam cautè in hac vita ambulandum, quibus tot pericula instant a rebus, quibus vtimur; locis, vbi obuersamur; personis quibuscum agimus; & a nobis ipsis: & mirum, quod in ipsa in quæ impegimus toties, toties improuidi recidamus; vt ipsa animalia homine cautiora sint, in laqueos vnde semel euaserunt, non redeuntia. Quod bene Ouidius,

Terretur minimo pennæ stridore Columba
Vnguibus Accipiter saucia facta tuis.
Non procul à stabulis audet discedere, si qua
Excussa est auidi dentibus Agna, Lupi.
Vitaret Cœlum Phaeton si viueret, & quos
Optauit stultè tangere nollet equos.
Me quoque quæ sensi fateor Iouis arma timere,
Me reor infesto cum tonat igne peti.
Quicumque Argolica de classe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
Et mea Cymba semel vasta percussa procella,
Illum quo læsa est horret adire locum.

Lib. 2

Et lib. de Pont. Idem argumentum retractans, ait.

Da veniam quæso nimioque indulge timori
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem visum longe fugit agna, lupumque
Credit, & ipsa suam nescia vitat opem.

Quisquis ergo in noxam, periculumque incurrit, si non alieno potuit, saltem proprio discat impendio timere, & occasiones recidendi fugiat, vel illius exemplo, qui ab amore Scorti, cujus blanditiis & laqueis quasi funibus irretitus, euaserat, jam liber clamabat aliis.

Horat. l. 1 Ode 5

Miseri quibus
Intentata nites! me tabula Sacer
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

QVI

Digitized by Google

QVI EVASIT PERICVLVM, NE SE ITERVM COMMITTAT.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

HVivs sententiæ multiplex ratio, eaque grauissimi momenti, ex sacra Scriptura deducitur, quarum impræsentiarum duas attingo.

Prima sit, quod qui periculo se exponit, in eo perit, dicente Scriptura: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Quid enim est periculum pereundi, nisi occasio peccandi? quam si non vitas, nec periculum declinabis; imo si amas, consequitur vt & periculum ames, & ames perire; aut certe non effugias, juxta præfatum Oraculum, *Qui amat periculum, peribit in illo.* Quis autem sanæ mentis periculum amet? *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant?* Quod de occasione libidinis, in qua naufragatur castitas, Salomon pronunciauit, & de qualibet alia dici potest.

Eccl. 17

Prov. 6

Inde est, vt qui Reipublicæ recte administrandæ inuigilant, & præsunt populis, si leges, si Rempublicam, si Religionem sartam tectam tueri volunt, in id vnum incumbant oportet, vt peccandi occasiones, & vitiorum irritamenta è medio quantùm possunt amoliantur, & eliminent.

Quo in genere celebratur Regis Osiæ sanctissimi pietas, ejusque memoria, quæ compositioni pigmentariæ non sine ratione similis dicitur apud Ecclesiasticū, qui populum sibi subditum Idololatriæ sceleribus expurgare volens, in quibus miserè prouolutus jacebat, omnes ante omnia occasiones abstulit, quas Scriptura vocat *Abominationes Impietatis*: projecit enim de Templo omnia vasa Baal, & ea combussit; deleuit Aruspices, & eos qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ; destruxitque ædiculas effœminatorum, & equos, & currus Solis combussit; *& efferri fecit lucum de domo Domini foras Ierusalem in conualle Cedron, & combussit eum ibi, & redegit in puluerem, & projecit supra sepulchra vulgi.* Quid enim est falsorum Numinum templa, aras, vasa euertere, delere, comburere, in torrentem projicere, redigere in fauillas & puluerem, & supra mortuorum sepulchra erigere, nisi scandali occasiones, & pericula recidendi radicitus amputare, & æterna obliuione delere? Hoc fecit piissimus Princeps; existimauit quippe frustrà se laborem & operam ponere in extirpandis flagitiis populi sui, nisi simul occasiones eorum rescinderet. Animaduertit nullis Prophetarum concionibus, nullisque Dei minis, & pœnis, Israëlitas conuerti, sed statim ad pristina vitia reuolui; denique nulla arte efficaciùs hoc Angiæ stabulum expurgari posse, quàm reliquias fimi, id est, Idololatriæ omnes fibras, longè amandando & extirpando.

Cap. 49

4. Reg. 23

Non aliter Iacobum fecisse legimus, Deo in gratiarum actionem in Bethel sacrificaturum. *Conuocata* enim *omni domo sua*, ait, *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Quia enim paulo ante compererat clam Rachel furatam esse Idola patris sui Laban, ne quid execrandi cultus apud se residuum foret, jubet abjici Deos alie-

Gen. 35

Digitized by Google

nos, nec hoc contentus, præcipit insuper mundari, id est, intus in corde per munditiam mentis, & mutare vestimenta sua, id est, renouari exterius, vt nil omnino quod impietatem redoleret, superesset. Quod ita re vera fecerunt, vt addat Scriptura: *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, & inaures quæ erant in auribus eorum.* Quęrit hîc S. Augustinus: "Cur inaures abjecerunt, quæ si ornamenta erant, ad Idololatriam non pertinebant? Sed quia aureæ erant, & Idola auro ornabantur; ideo vt aliquid immundi, etiam inaures projiciunt. Nec immeritò; mundi enim muliebris hæc non vltima supellex fabricando vitulo olim inseruiet, Idoli fœdissimi futura materies.' Vbi enim ab Aarone postulabunt, *Fac nobis Deos*, dixerit ille; *Tollite inaures aureas de vxorum & filiarum vestrarum auribus*, conflabitur vitulus, & reputabitur Deus. Si non fuisset ista reliquia vanitatis, Idolum non fiebat, nec corruebat populus, nec irascebatur Deus. Ab hac scintilla, tantus ignis, ne mireris si hanc peccandi occasionem domus Iacob sibi credidit amouendam.

Exod. 32

Osiæ nepoti suo Ezechias auus præiuerat exemplo, optimi patris Dauid bonus filius; qui non tantum dissipauerat excelsa, contriuerat statuas, lucos succiderat; sed etiam Serpentem æneum, quem conflarat Moyses in optimum vsum sanationis à serpentibus, & lapsu temporis populus conuerterat in pessimum, ansam scilicet idololatrandi. Adeo prona est imprudens mortalitas in peccatum, vbi minima peccandi occasio se prębet; & vnde non ipsi periculum? quando, vt supra obseruauimus, callidus hostis in omnibus rebus, locis, personis, & ex nobis ipsis, nobis moliatur, struat, machinetur insidias? Fructus ligni vetiti scandalum fuit Euæ, locus Dinæ curiosæ, Dauidi fœmina, & quanti sibiipsis? alioqui non diceret Dominus, *Si oculus tuus dexter scandalisat te, erue eum, & projice abs te*, &c. *Si manus tua, vel pes*, &c,

4. Reg. 18

Et quoniam in Dauidem quasi fortuitò incidimus, è re nostra fuerit obiter perpendere, quod hic vir tantus cum in desertis locis degeret, latitaret in speluncis, cum inaccessas solitudines penetraret, vt Saülis declinaret insidias, innocentissimam transigebat vitam; cum inedia & fame, cruciaretur, cum stipem, & panes à Nabelo emendicaret; vitam denique miseram toleraret, castissimè viuebat; non adulteria, non homicidia cogitabat; sed vbi vacauit inimicis, cum pace & otio frui cœpit, & in Regia omnibus abundare, *eo tempore quo solent Reges ad bella procedere*, inquit Scriptura, ille ad adulteria cucurrit, fœdo amore arsit, adulter, & homicida factus. Si hoc tanto viro, quid nobis continget miseris? Tu qui non es ita Diuina luce collustratus vt Dauid, tanta perfusus gratia, nec tantis donis cumulatus, sed pauper, & miser, & miserabilis, putas stabis vbi ille concidit? Tot inter blandientis mundi errores & pericula consistes? tot inter flammas propriæ cupiditatis exæstuans, & peccati occasiones obuersantes, non adureris? Ecce sanctissimi viri vitæ illecebris circumuenti procidunt, & tu non metues? Vbi labuntur gigantes, nani resistent? Veterani milites cedunt, rudes triumphabunt? Cadunt Angeli; tu, vile lutum, superior euades? Falleris, crede mihi; falleris: imò magis time, quò te minùs timentem probas. Non te, inquis, res hujus vitæ allectant, non creaturæ decipiunt: caue tibi à locis, quæ corrumpendis certi temporis momentis, moribus, cautus aduersarius captat. Euasisti ab illis? Nondum securus es: habes contubernia peccatorum, & vitia personarum qui-

buſcum agis, quæ te, ni fugias, proſternant. Viciſti illa, dicis: reſtat igitur vt tibi a te caueas, ab oculis, auribus, membris, & ab anima tua, à proprio amore, judicio, voluntate. Et hoc ſufficiat primæ rationi hujus ſententiæ; *Qui euaſit periculum, ne ſe iterum committat.*

Secunda petitur à grauitate & damno recidiui: quod peccati genus, prȩterquam quod vix reparabile eſt, grauiſſimam in Deum offenſam incurrit.

Vtrumque comprehendit Apoſtolus ad Hebræos: *Impoſſibile enim eſt*, inquit, *eos qui ſemel illuminati ſunt, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Verbum Dei, Virtutesque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes Filium Dei, & oſtentui habentes.* Vides grauitatem criminis, quod iterat & renouat crimen omnium maximum, Crucifixionem Filij Dei. Grauitatem, inquam, quatenus illud horrendum, quod manibus Iudæorum omnium ſemel impiatum eſt, per ſeipſum ſolus peccator perficit & perpetrat. Vides & irreparabilitatem culpæ, à difficultate veniæ, quæ impoſſibili comparatur. Quod & alibi non remiſſius dicit: *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam Veritatis, jam non relinquitur Hoſtia; terribilis autem expectatio Iudicij.*

Ad Heb. 6

Hebr. 10

Audiamus etiam Principem Apoſtolici Ordinis de ſumma Eccleſiæ ſpecula buccinantem: *Si enim refugientes coinquinationes mundi*, inquit, *in cognitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus: Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri Prouerbij; Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & Sus lota in volutabro luti.*

2. Pet. 2

Ex quibus Apoſtolicis ſententiis recidiui ſupra modum aggrauatur malitia, ex quinque cauſis. Prima, quòd fraudatur Chriſtus fine Paſſionis ſuæ, euacuatur virtus Mortis ejus, redditur inanis labor; quia, vt dicit Apoſtolus, *Chriſtus reſurgens à mortuis, jam non moritur; peccato mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo.* Quid inde infert Apoſtolus? *Ita & vos*, ait, *exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo.* Explicat Gloſſa, vt ſit ſenſus; Sicut Chriſtus ſemel mortuus eſt, ita & peccatum ſemel moriatur in vobis, vt non oporteat iterari; & ſicut Chriſtus ſemper viuit, ita & vos ſemper cum virtutibus viuatis. Et S. Thomas: “ Tanquam ad peccatum non ſitis redituri. „ Patèt igitur quòd recidiuans fraudat Chriſtum fine ſuo, & ſeipſum ſpe ſalutis ſuæ; dum eum iterum in ſe crucifigit.

Ad Rom. 6

Secunda, quia iteratæ ægritudinis periculoſior eſt exitus, quàm primæ. “ Sicut enim in corporalibus, ait S. Thomas, nullus ſtatus eſt periculoſior, ſicut recidiuantium; ita in ſpiritualibus, qui poſt gratiam cadit in peccatum, difficilè ſurgit ad bonum. „

In c. 6 ad Heb.

Tertia, ex qualitate pœnæ: ſicut enim in ciuilibus primum delictum virgis, ſecundum auricula, tertium furca vindicari ſolet; ſic recidiui peccati pœna longè apud Deum grauior eſt, quàm primum delictum.

Quarta, quia anima recidiuans fit habitaculum Dȩmoniorum, ſentina immundorum ſpirituum; dicit enim crudelis hoſtis ab anima ſemel per pœnitentiam expulſus: *Reuertar in domum meam, vnde exiui. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem* alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius pejora prioribus.

Lucæ 11

Digitized by Google

Quinta denique à turpitudine, ignominia, fœditate animæ recidentis & relabentis attenditur: quod Apostolus Petrus egregie expressit loco citato. *Contigit enim eis*, inquit, *illud veri Prouerbij, Canis reuersus ad vomitum suum, & Sus lota in volutabro luti*. Peccatores iterato errore lapsantes duobus fœdissimis animalibus comparans, Cani vomitum suum resorbenti, & Suculæ sese in cœno suo & sordibus prouoluenti. Vide, ait S. Augustinus, quam horribili rei eos comparauerit. Horribilis profectò res est, proprium resorbere vomitum, nec in summa quidem fame vsurpatum. Hanc in se fœditatem senserat, cùm à vitio in vitium, ab errore in errorem prolabens exclamaret: " O tortuosas vias! Væ animæ audaci, quæ sperauit, si a te recessisset, se aliquid meliùs habituram; versa, & reuersa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. „ Quęso, quam fœda & fœtens talis anima! vt meritò exprobret Ieremias ipsi fœditatem suam: *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas!*

In Psal. 30

L.6. Confess. c.16

Sed & fœditati ac vilitati alia accedit indignitas, vt nemo misereatur ejus, nemo condoleat, nemo vicem suam deplangat; vt dicat idem Propheta: *Quis miserebitur tui? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti!* Recedamus & nos à tanta fœditate, & pedem alio referamus. Satis, & plusquam satis huic propositioni indulsimus: QVI EVASIT PERICVLVM, NE SE ITERVM COMMITTAT.

Ierem. 15

TITVLVS LXXI.

DE LABORE.

FABVLA.

De Viro Agricola.

QVIDAM Rusticus agriculturam exercens, vnde strenuè laborando familiam sustentauerat, in lectum decidit, annis & morbo grauatus, cumque finem vitæ sibi instare intelligeret, Filios accersiit, eisque hæc vltima verba fecit; à vobis, & ex hac vita, vt videtis, filij mei, decedo; vnum quod vobis committam, secretum habeo, thesaurum meum, omnia mea me in agro & possessione mea condidisse, quem si gnaui eritis, & terram impigrè coletis, & versabitis, inuenietis & ditescetis. His dictis animam efflauit. Illi vineam, agros paternos, indefesso labore fodiunt, excolunt, versant, reuersant, putantes commendato Patris thesauro potiri, sed minime inuenerunt; non frustrà tamen laborarunt, terra enim probè effossa, versa & reuersa, tam vberes fructus attulit, vt eos diuites fecerit. Quo docemur strenuo & industrio homini vberrimum in labore cornu Copiæ, seu thesaurum, comparari.

Pater & Filius.

Quidam Rusticanus, Pater familias, mandauerat Filio suo, vt accepto ligone & sarculo, agrum quemdam perfoderet; perrexerat ille, vt videbatur Patris iussa facturus, sed cum amplitudinem agri oculis dimensus est, operis magnitudine territus, humi stratus ad vmbram cubat, modo ex vmbra ad solem apricatur, sicque iners diem agit plurimum, intacto opere; pro excusatione apud se causans, vnum hominem tanto labori non sufficere. Venit tandem ad agrum Pater, operam inuisurus; sed omnino intactam aduertens, expauescit, percunctatur à Filio quid causæ sit, quòd se, & tempus luderet; fatetur Filius terreri se mole operis, cui se imparem crederet. At enim, si incœpisses? ait Pater, si quod potuisti laborasses? labor operam, vsus laborem minuisset, consuetudo firmasset vires; perseuerantia opus consummasset. Macte igitur animo, hac parte hodie incipe, age, sequere, vsque ad hos limites, quos ei præfixit, facile superabiles; & crastina die prosequere, & deinceps, & breui perficies. Obtemperauit, confecit. Adeò inchoatio operis & laboris continuitas magna efficiunt: hoc est quod dici consueuit, Labor improbus omnia vincit.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

LABOR IMPROBVS OMNIA VINCIT.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

INVENTIONEM seu originem Artium, quibus labor humanus desudat, Plutarchus non incongruè partim necessitati ascribit, partim voluptati. *Omnia docuit Necessitas,* inquit, *quam enim rem illa non inueniret? Artem texendi, ædificandi, Medicinam, agriculturam, & quæcumque circa ea versantur, Necessitas produxit; alias verò voluptas.*

ap. Stob. serm. 58

Non dissentiebat ille qui dicebat,

> *Quis expediuit Psittaco suum χαῖρε,*
> *Picasque docuit verba nostra conari?*
> *Magister artis, ingenijque largitor*
> *Venter, negatas artifex sequi voces.*

Persius in Prol. Sat. 1

Paulo ingeniosius Poëta Latinus eas in Iouem refundit auctorem, qui tùm humanæ solertiæ excitandæ ergo, cùm ignauiæ mortalium excutiendæ, de industria serpentibus virus, lupis voracitatem, mari procellas immiserit, vnde Artes extunderet, sic autem ille.

> *Pater ipse colendi*
> *Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem*

Virgilius Georg. 1

Digitized by Google

Mouit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere graui passus sua regna veterno, &c.
Ille malum virus serpentibus addidit atris
Prædarique lupos jussit, pontumque moueri,
Mellaque decussit foliis, ignemque remouit,
Et passim riuis currentia vina repressit,
Vt varias vsus meditando extunderet artes, &c.
Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.

Ita est, supremi Numinis lege cautum est, vt homo nil in hac vita boni perfectique sine labore assequi possit. Iuxta illud Lyrici.

Hor. l. 1 Serm. Sat. 9

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Quæ enim pars vniuersi labore vacat? quæ otiatur? quin potius Natura vbique perpetuo motu agitur, & assiduis conuersionibus vitam mortalium rotat, & temperat. Ita est res hominis, non vltimæ hujus mundi elementaris considerationis, nullius boni diu possessor est, nisi per exercitationem, industriam & laborem: percurras licet singula genera bonorum, quæ homini obtingere possunt, siue quæ fortunæ nuncupantur, siue corporis, siue denique animi, videbis ea, ignauia & otio hebescere, & prolabi; contra verò diligentia & labore augeri.

Quod vires spectat corporis, sic Ouidius,

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Vt capiant vitium ni moueantur aquæ.

Et noster Baptista Mantuanus,

Parthen. lib. 1

Segni pigros rubigine sensus
Otia corrodunt, sopitaque pectora torpor
Noxius obliquat. Ferrum si transit in vsus
Assiduo splendore micat, vultuque nitenti
Audet ad argenti decus aspirare superbum:
At si longa quies ierit, fuscatur & atram
Vertitur in scabiem, celerique absumitur æuo.

Huic argumento aptissimè conuenit illud Democriti Philosophi, qui res humanas ridebat effusius, hic interrogatus aliquando qua arte aut medicamento vsus esset, ad vitam vsque ad tot annos producendum, respondit: *Melle intus, foris oleo.* Non aliò se vsum Pharmaco, quàm pacem mentis, tranquillitatemque sibi procurando, quod significat *Melle intus*, & corpus labore athletarum more exercitando. Hoc est, foris oleo.

Vita humana, dicebat Cato, *vti ferrum est, nisi exerceas rubigo interficit, si nihil exerceas inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quàm exercitatio.*

Vincit itaque labor, vt vides, rubiginem corporis, & carnis mollitiem, ac torpedinem, rebus gerendis, vt plurimum, obsistentem. Nec ille minus animo seruit ac proficit, socordiæ ac inertiæ, cæterisque animi pestibus exturbandis, debellandisque; non enim minùs bona animi, quam corporis, labore comparantur, & constant. Iuxta illud prouerbium Epicharmi apud Xenophontem, *Dij boni laboribus omnia vendunt.*

Lib. 2. de dict. Socr

Præclarè dixit T. Liuius: *Nec opera sine emolumento, nec emolumentum sine opera impensa, est. Labor, voluptasque dissimillima natura, societate quadam naturali inter sese sunt juncta.* Vnde Philosophus solebat dicere, *Artium ra-*

Dec. 1. lib. 5 Laërt. l. 5. c. 5

dices esse praeamaras, sed dulcissimos afferre fructus. Sentiens nihil absque labore ab homine parari posse, caeterum laboris fructus degustare, dulcissimum.

Propterea noster Seneca dicebat Lucilio suo: *Labor bonum non est. Quid ergo est bonum? laboris contemptio, itaque in vanum operosos culpauerim, rursus ad honesta nitentes, quantomagis incubuerint, minusque sibi vinci, ac strigare permiserint, admirabor, & clamabo, tanto melior surge & respira, & cliuum istum vno si potes spiritu exupera, generosos animos labor nutrit.*

Epist. 31

In eumdem sensum & finem Clemens Alexandrinus ex Hesiodo refert, quod sudor ante virtutem erat positus,

Lib. 4 Strom.

Via longa, atque accliuis ad ipsam,
Ardua namque prius, sed cum ad fastigia ventum,
Fit facilis.

Et ex Simonide: *Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus*, quae nec aspici possit omnium mortalium ciliis, sed ab eo demum, ad quem sudor venerit. Iuxta illud.

Caelites sudore cuncta foenerant mortalibus,
Serua sunt, & obsequuntur cuncta diligentiae,
Vincit Naturam alta diligentia.

Ita Apelles indefessi laboris pertinacia in eam Artis consummationem euasit, quae ipso suo nomine animum subit. De quo refertur quod nullum diem quantumcumque aliis auocatus negotiis, agebat, quin aliquid pingeret, artis exercendae causa. Vnde, si quando se ab impedimentis vellet subducere, dicebat: *Hodie nullam lineam duxi.* Vnde natum prouerbium.

Nulla dies abeat quin linea ducta supersit.

Adeo verum est, quod nulla sine labore ars, nulla virtus, nulla bona germinant, nisi vbi praecessit cultura, & labor. Vbi autem haec sunt, laeta principia, foelix exitus consummat. Vbi absunt, ibi omnia in pejus abeunt, & sterilescunt, dicente Lyrico.

Horat. L. de Arte

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudauit & alsit,
Abstinuit venere, & vino, qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque Magistrum.

Nulla virtus per delicias incedit, iter laboris quamlibet angustum, spinosum, arduum, ineundum; vnde sapienter fabulati sunt Iouem, Herculem, illud germen suum ad res maximas genitum, noluisse molli cultu viuere, occuli vmbris, includi fornicibus, in otio & delitiis putrescere, quibus immersit Euristhaeum, sed adolescentem voluptatibus substraxisse, laboribus addixisse, voluisse depugnare cum Ariete, Leone, & aliis Monstris, vt illustris fieret, & astra scanderet.

Seneca

Herculem duri celebrant labores,
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit saeuo spolium Leoni, &c.
Vltimus Caelum labor in reflexo
Sustulit collo, pretiumque rursus
Vltimi Caelum meruit laboris;
Ite nunc fortes, vbi celsa magni
Ducit exempli via.

Celebratur illud Appij Claudij effatum à Valerio Maximo, dicentis, Negotium Populi Romani meliùs, quàm otium committi, quod animad-

L. 7. c. 2

Digitized by Google

uerteret prępotentia Imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolui. Et illud Sallustij: *Ignauia nemo immortalis factus est; neque quisquam parens liberis, vt æterni fierent, ignauiam optauit, magis vt boni & honesti vitam suam agerent.*

Salust. in Iugurt.

Denique sicut inertia vires corporis & virtutes mentis corrumpit, ita pertinax labor ea reparat & restituit, & nihil est quod non vincat.

Etiam fortunam aduersam intelligo, & contrariam, quam multi virtute & labore summo superarunt, & ex maximis in quas ceciderant miseriis, Deo bene juuante, & sua industria, enatarunt.

Cui enim sedulo, vigilanti, laborioso, non arrideat fortuna? quis dejectus & miser non exturbet pauperiem? non rem augeat suam? vbi strenuè manum operi admouebit?

Summa igitur ratio, ars, inuentum, conflandi pecuniam, augendæ rei familiaris, vno verbo opes ac diuitias acquirendi labor est: quod sequenti historia planius fiet, quam recitat Brusonius.

L. 3. c. 7

Quidam rusticus, nomine Furius, cùm ex agello quem colebat vberiores fructus faceret, quàm ex multis jugeribus vicini, multò amplioribus, non modica ipsorum flagrauit inuidia, ipsum apud Iudices accusantium, ceu Magicis artibus circumstantium agrorum vbertatem in suum traheret, & fruges captaret alienas. Dies dicta ab Albino Curuli. Is, cùm in suffragium tribus oporteret ire, damnationem metuens, lepida arte vsus est. Instrumentum omne rusticum in forum produxit, ferramenta egregia, sarcula, ligones, vomeres, boues fortes, equos & asinos validos, ancillas pingues, seruos robustos in medium posuit, & dixit: Hæc quæ videtis, Quirites, mea veneficia sunt; hæc omnis ars mea, hæc carmina, his solis vtor; restaret, vt si possem, vobis repręsentarem sudores, vigilias, labores, quæ meliùs ex his quæ videtis potestis colligere. Sic ille. Quem vbi Iudices audierunt, facilè intellexerunt Furium non nisi ex inuidia injustè delatum, proptereaque non modò absolutum dimiserunt, sed etiam vt gnauum & strenuum virum laude dignum judicauerunt.

Hoc fabula de Agricola, suprà allata, probè ob oculos ponit, qui in vinea & agro suo thesaurum suum reposuisse, & condidisse, filiis affirmauit: quem de facto indefessa sua opera ad mentem patris, licet non suam, inuenerunt, vt labor sit thesaurus domesticus, riuus perpetuò manans, vena indeficiens, cornu copiæ vberrimum, quod nunquam deficit. Nec minus aptè illa patris familias, qui laborem, quem filius desperabat posse efficere, & intactum reliquerat, docuit facilè posse superari cum impigro labore nauatur opera. Sensim enim,

1. Georg.

Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.

Idem præclaro commento Sertorius in Hispania exercitum copiosum, quem ex confusa multitudine Italorum, Hispanorum, ac Barbarorum compositum, artis militaris, & disciplinæ rudium acceperat, docuit, illi enim cum Barbaro more, & inconsideranter vellent in hostem ruere, nec eos Sertorius posset vlla ratione cohibere prudentiæ: scilicet, non temere conserendum, sed captandam occasionem, & tempus, hoc inuento vsus est. Conuocato exercitu, & coram posito, jussit adduci duos equos, alterum macilentum ac vetulum, alterum fortem ac generosum. Ponè macilentum stabat miles fortis ac prævalidus, cui jussit vt caudam equi,

Plutar. in Sertor.

manibus

manibus, si posset, euelleret, qui cum nihil nisi risum mouendo proficeret; iussit alteri homini, eique debili, vt equi generosi caudam singulatim, pilum post pilum depilaret, quod facili negotio præstitit; quo facto, vidistis, inquit, Commilitones, quanto assiduus labor & perseuerantia plus robore efficiat & præstet, & quemadmodum vires quæ putantur, & sunt inexpugnabiles, totas vno impetu, ac simul expugnare volenti, sensim, ac paulatim, & per partes debilitatæ cedunt, tandemque vniuersæ subsidunt, ac proteruntur. Adeo verum est, quod assiduus, seu IMPROBVS LABOR OMNIA VINCIT.

LABOR IMPROBVS OMNIA VINCIT.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

IN principio, cùm Deus conderet vniuersam Naturam, perfectissimo illo numero dierum senario, video hominem natum ad Imperium, simul & ad laborem: cui enim dictum est, *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæque terræ*, dictum etiam est, *vt operaretur & custodiret Paradisum.* Nec mirum videri debet, si homo Diuina decoratus Imagine, eodem momento quo addictus est imperio, addictus est & labori; quando Vniuersitatis Conditor ipse legitur laborasse, & operatus esse, & postea requieuisse. *Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo.* " Vt homo intelligat, inquit Glossa, post illorum quasi sex dierum opera valde bona, sperandam requiem perpetuam; & quia requieuit Deus die septimo ab operibus suis, quia & ipse in nobis hæc bona operatur, qui jubet vt operemur, & rectè quiescere dicitur, quia post hæc omnia opera, requiem nobis prestabit.„

Glossa

" Quid enim aliud significat, inquit August. quòd Deus dicitur requieuisse ab omnib⁹ operibus suis, quæ fecit bona valde, nisi requiem nostram, quam nobis daturus est, ab omnibus operibus nostris, si & nos bona opera fecerimus? Et paulò post: " Deus requieuisse dictus est, quia in illo requiescemus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus; quia & ipsa bona opera illi tribuenda sunt, qui vocat, qui precipit, qui viam veritatis ostendit, & vt velimus inuitat, & vires implendi quæ imperat, subministrat.

Lib. 1. de gen. con. Manich. to. 1

Ex his igitur tria colligo. Primum, æternam illam requiem, seu Sabbathum illud sanctum, cui nulla vespera, aut nox, succedit, non sperandum homini, aut degustandum, ante laborem.

Secundum, operandum per sex dies continuos, quo totius vitæ complexio seu duratio designatur.

Tertium, operandum opera bona, qualia singulatim Deus operando judicauit bona, & collectiuè sumpta, valde bona, id est, ratione suiipsius, & ratione vniuersi; adeò vt in primo appareat laboris preceptio; in secundo, perseuerantia & continuatio; in tertio, qualitas seu perfectio operis.

Digitized by Google

Quod primum spectat, laborem scilicet, non eum sic attendimus in Deo, in opere sex dierum, quasi in operando lassus, necesse habuerit requiescere. " Ipse enim nec creando defessus, nec cessando refectus est, inquit Augustinus; sed per Scripturam suam ad quietis desiderium nos hortatur, dicendo se diem sanctificasse in quo requieuit: nam ejus requies nihil aliud significat, nisi cessationem ab opere; quia sexto die nouam creaturam condere desiit, & sic ab opere requieuit. „ Nisi secundum Bedam: " Altius intelligitur requieuisse ab vniuerso opere suo, id est, non opus habuisse illis operibus in quibus requiesceret, cujus requies in semetipso vera est semper, sine initio & fine, sed sola bonitatis causa fecisse opera, quæ in ipso requiescerent: humana verò indigentia quotidie laborat, vt in operibus suis requiescat, dicente Deo, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Deus autem non habuit necesse in Creaturis suis requiescere, sed Creaturis rationabilibus in se requiem dedit. „ Secundum Augustinum Deum requieuisse, est Creaturæ rationali in se requiem præstitisse, vt illius scilicet desiderio feramur quò requiescimus; id est nihil amplius requiramus; sicut enim facere dicitur, quod ipso in nobis operante, facimus, & cognoscere cum cognoscimus, sic requiescere, cum ejus munere requiescimus. „

Neque etiam in illo statu integræ Naturæ, hominis ante lapsum, talis futurus erat hic labor, qui lassaret operantem, sed qui mirificè recrearet; nam & locus in quo positus fuit, hoc indicat, locus scilicet delitiarum, qui non erat homini fatigando, de quo Scriptura: *Posuit eum in Paradiso voluptatis.* Mirabili artificio consitas pulcherrimis lignis, tam visu delectabilibus, quàm esu suauibus, refertas.

Quod additum est, *Vt operaretur & custodiret illum.* " Innuitur (inquit S. Isidorus) qualis operatio esset, quia in tranquillitate beatæ vitæ, vbi mors non est, omnis operatio est, custodire quod tenes. Datum est enim præceptum, vt de ligno scientiæ boni & mali. „ Id est, non sic creatis fruerentur, vt integritatem Naturæ suæ labefactando, vetitum violarent. „ Tulit ergo hominem, extra Paradisum formatum, & in Paradisum transtulit, vt ipse homo operaretur non laboriose, sed delitiose; & sic Dominus custodiret illum, scilicet hominem, vel homo paradisum, ne perderet illum. Vel sic, vt homo operaretur, quantum voluntati satis esset, non quod indigentia cogeret; & custodiret illum paradisum homo, id est attenderet, ut quod faceret in terra per Agriculturam, custodiret in se per disciplinam, vt sicut ager colenti homini obtemperaret, ita homo obtemperaret Deo præcipienti, vt sumpto præcepto redderet fructum obedientiæ, sicut ager reddidit fructum culturæ. Sed quia homo noluit, sed reddidit spinas obedientiæ, ideo & terram similem inuenit, quæ spinas & tribulos germinat laboranti. Vel sic etiam possunt intelligi verba ista, *Vt operaretur* Deus, scilicet hominem, non vt homo esset, quod jam erat, sed vt justus esset, quod nisi suo labore interueniente esse non poterat, & sic beatus esset, & custodiret illum Paradisum, id est coleret, obediendo Diuino præcepto; quod duplex erat; alterum, positiuum, comedendi de licito; alterum prohibitiuum, non fruendi de vetito. Sic fere Hugo Cardinalis.

Ex quibus quomodocumque hæc verba explices: *Vt operaretur & custodiret illum,* quid magis stupori sit nescias, aut Dei præcipientis benignitas, siue rei præceptæ suauitas, aut denique hominis inobedientis leuitas, qui

Digitized by Google

si se manibus Dei coli permisisset, aut ad ejus præscriptum commissum colere potuisset, non audiuisset hæc verba irati contra se Dei: *Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ; spinas & tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. 3

Exinde, quàm diuersæ rerum facies! quanta mutatio! Patris benignissimè blandientis, in Iudicem seuerissimè sæuientem! Paradisi in terram maledictam; illius sponte cuncta ad nutum germinantis, in ingratam omnia negantem; fructuum omnis generis suauissimorum, in spinas & tribulos; denique laboris dulcissimi, & spontanei, in sudorem tam coactum, quàm molestum, *In laboribus*, inquit, *comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.*

Exinde Iob pronuntiat: *Homo nascitur ad laborem.* Sic de se Psalmista: *Pauper sum ego in laboribus à juuentute mea.* Sapiens in Ecclesiaste, in cunctis hujus vitæ rebus, ad quas ingenitus nobiscum sciendi ardor, aut amor fertur, audacter asseuerat nil inueniri nisi vanitatem & laborem. *Vidi cuncta*, inquit, *quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Item, *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole.* Ecclesiasticus, alter Sapiens, auget potiùs quàm minuat aliorum de vita humana sententiam: *Occupatio magna creata est*, inquit, *omnibus hominibus, & jugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* cap. 5 Psal. 87 Eccles. 1 Eccl. 40

Præceptum est igitur homini à Deo vt operetur & laboret, cùm in eum hanc sententiam distrinxit, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Sed suauissimus Dominus præcepto addidit meritum, vt jam quod Naturæ prerogatiua erat, factum sit pœna, & pœna, materia virtutis, & causa præmij. Dicitur enim Abrahæ: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti vnico filio tuo, ero merces tua magna nimis.* Et in Sapientia: *Reddidit Deus Iustis mercedem laborum suorum.* Et Apostolus sic hortatur Corinthios: *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, SCIENTES QVOD LABOR VESTER NON ERIT INANIS IN DOMINO.* Gen. 15 1. Cor. 15

Vnde quærenti S. Chrysostomo, cur Deus specialiter legitur benedixisse diei septimo, in quo nullam condidit creaturam, sed cessauit ab opere, & non benedixit aliis diebus Creationis: « Quid igitur? Non erant, inquit, illi dies benedicti? „ Et respondet: « Etiam profectò, sed sufficiebat illis pro omni benedictione, quod in singulis illis creaturæ productæ fuerunt, & ideo de illis non dixit, Et benedixit. Ita S. Doctor, censens pro benedictis haberi sufficienter, in quibus Deus operis aliquid fecisset; vt hinc discas impigrè operari, si vis à Deo benedici; *scientes quòd labor vester non erit inanis in Domino.* Hom. 10 in Gen.

Notanda sunt Apostoli verba jam allata: *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper.* In quibus vult boni operis non solùm effectionem, sed etiam stabilitatem, sed immobilitatem, sed abundantiam. Et hoc est secundum, quod in opere Domini sex continuorum dierum collegimus imitandum, vt sicut in illo senario temporis, omnia tempora vitæ humanæ designantur; ita etiam perpetuitas & continuatio boni operis nobis tota vita commendetur.

Hic non ineptè quis quærat, vtrùm Deus die septimo ab omni opere cessauerit, in quo dicitur opus suum compleuisse? Cui responderi potest ex Glossa, fecisse aliquid; primò, ipsum diem septimum; secundò, eum

Digitized by Google

benedixisse, & sanctificasse, & sic complesse opus suum. Vnde D. Hieronymus: " Arctabimus ergo Iudæos, inquit, qui de otio Sabbathi gloriantur; quia jam tunc in principio Sabbathum solutum est, dum Deus operatur in Sabbatho complens opera sua in eo. „ Respondet S. Augustinus, ita die septimo requieuisse, vt deinceps operetur ordines sæculorum. Requieuit à faciendis generibus creaturæ; quia vltrà, noua non condidit; vsque nunc tamen operatur administrationem eorumdem generum, quæ tunc instituta sunt: Creatoris enim virtus causa subsistendi est. „ Quod dicitur Ioannis 5. *Pater meus vsque modò operatur*, vniuersæ creaturæ continuam administrationem ostendit. Vsque nunc operatur, vt quod condidit, continere & gubernare non cesset. „ Ita S. Augustinus. Ex illo igitur nobili Prototypo, sancti imitamenti incentiuum homo accipiat, quod sicut Deus *vsque modò & semper operatur* creaturæ administrationem, conseruationem, curam; sic in omni opere bono stabilis & immobilis permaneat.

Glossa

Hoc non obscurè Iob significare voluit, cùm vitam hominis Militiæ perpetuæ comparauit, & non solùm Militiæ, sed & Mercenarij vitæ dixit similem. *Militia*, inquit, *est vita hominis super terram, & sicut Mercenarij dies ejus.* Digna comparatio, Militiæ & vitæ humanæ: nam sicut ars militandi est laboriosissima omnium artium, in qua de vita, & corona incessanter agitur; sic est res salutis, negotium omnium occupatissimum; nulla hora vacat, durat per totam vitam: si te Militiæ subtraxeris, si exercitum, si ordines, si arma, si signa deserueris, aut in aliena castra transieris, de te actum est; non solùm Militiæ honoribus & premiis exauctoraberis, sed & vita priuaberis. Propterea monebat Apostolus discipulum: *Labora sicut bonus miles. Milita bonam militiam.* Et de se loquens, non priùs dicit, *Reposita est mihi corona Iustitiæ*, quàm dixerit antè, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui*; id est, Militaui bonam militiam à principio meæ vocationis vsque ad finem.

Iob. 7

Idem comparatio Mercenarij innuit; *Sicut Mercenarij dies ejus.* Hoc distinguitur à seruo Mercenarius, quod ille pro anno conducitur, eoque finito, soluitur: Mercenarius verò in diem conducitur, & soluitur. Computantur dies laboris, & merces conuenta exactè soluitur, & remittitur: dies vacui, festi, otiosi, non veniunt in hoc numero, mercede vacui sunt. *Sicut Mercenarij dies ejus.* Ita est res hominis cum Deo. Consulamus Psalmistam: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo*, inquit, *omnes scribentur, dies formabantur, & nemo in eis.* q. d. Non secus ac Pater familias scribit in libro rationum opera & dies mercenariorum, ne quid è memoria excidat, sic in mente tua, ô Deus, quæ liber tuus est, dies scribuntur, & in iis, bona & mala opera mea; quæ nulla ætas obliterat, nulla deterit obliuio. Tu ergo, qui dies tuos otiosè transigis, qui menses, qui annos, qui tempus, qui vitam inerter consumis & perdis, audebis à Supremo Patre familias mercedem exigere? Quid si non otiosè tantùm transegisti dies tuos, sed vt Leo euertens proximos tuos? vt Vulpes plena malitiæ? vt Sus in cœno & volutabro vitiorum? Operatus sum, inquies, diem otiosè non transegi, nulli feci injuriam. Esto, sed fortè tibi, filiis tuis; Mundo laborasti, nihil Deo. Scis quid de tuis similibus dixit? *Amen dico vobis, Receperunt mercedem suam.*

Post facinus illud militare Abraham, quod pro honore Dei & chari-

Digitized by Google

tate proximi patrauit, reportata de quatuor Regibus insigni victoria, & recuperata prȩda, in qua erat Loth nepos suus; offerente ei Rege Sodomæ omnes manubias, thesauros & spolia prȩdictorum Regum, noluit quidquam accipere & contingere, tam victor & contemptor diuitiarum, quam hostium. Quid inde? *His transactis*, inquit Scriptura, *factus est sermo Domini ad Abram, dicens: Noli timere, Abram; Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Rogo, quid fecit Abram pro tanto prȩmio, tanta mercede? Deuicit exercitus, fudit hostes, prostrauit Reges. Hoc magnanimi Principes, hoc generosi Duces multi fecerunt, sed appetitu laudis, aut vindictæ, aut prædæ cupiditate: quod non Abraham, sed solo amore Dei, neque prædam, neque fines suos dilatandi, neque propriam gloriam, aut quidquid aliud quærens. Quid restat, nisi vt Deus ipse sit merces sua, quem solum in mente habuit, cui soli placere studuit, pro quo solo laborauit. Sic Glossa: « Noluisti mercedem accipere pro laboribus quos sustinuisti, tantis periculis te objiciendo; sed contempsisti Regem, & munera ejus; ego tibi mercedem dabo, meipsum.

Gen. 15

Quo in exemplo etiam tertio me satisfecisse arbitror, quod initio in Diuino opere sex dierum imitandum aduerti ac prȩmonui, scilicet operandum opera bona, & perfecta. Quod Deo bene juuante poterit humana infirmitas, cùm se labori assuescet, & sensim ac paulatim in sancto opere se exercebit. Sic enim Paulo initio conuersionis ejus, irruentibus in eum Iudæis, fortiter obluctanti, apparens Dominus dixit: *Constans esto.* Et ipse Corinthiis sic calcar addebat: *Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini, omnia vestra in charitate fiant.* Sic enim assiduo, & indefesso studio ac labore connitendo, peruenitur ad perfectum; quomodo se exercebat ipse, qui dicebat: *Non quòd jam acceperim, aut perfectus sim; sequor autem si quo modo comprehendam, &c. quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.*

Actor. 23

1. Cor. 16

ad Philip 3

Attendamus vt currat, scribens ad Corinthios: *Propter quod non deficimus*, inquit; *sed licet is qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.*

2. Cor. 4

Adeo magnum est, in via virtutis indesinenter contendere, & nunquam deficere, vt sensim cùm semper itur, perueniatur ad metam.

Hoc prȩclaro Ænigmate docuit Sapiens in Prouerbiis: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Vnum est de quatuor minimis terræ, quæ ibi celebrat Salomon, quod cùm tardè repat, pedibus quasi manibus innitens, ad fastigia tamen palatiorum & ædium Regum ascendit. Quod moraliter explicans S. Gregorius, ait: « Plerumque aues, quas ad volatum subleuat penna, in vepribus resident; & Stellio, qui ad volatum pennas non habet, innitens manibus, Regis ædificium tenet; quia nimirum ingeniosus quisque, dum negligentia torpet, in prauis actionibus remanet; & virum simplicem, quem ingenij penna non adjuuat, ad obtinenda æterni regni mœnia, virtus operationis leuat. » Pulcherrimus verò conceptus, quo S. Pontifex, quantum valeat assidua virtutis & pietatis actio, ostendit. Sicut enim qui longam itinerationem suscepit, etsi remisso pede, sed non intermisso, proficiscatur, quò tendit facilè peruenit, & citiùs quàm qui equo, ac festinanter, impari cursu ac tramite, sic qui ad perfectionem tendit, lento licet, sed assiduo labore & contentione, tandem adipiscitur virtutis metas, quas sibi proposuit. Quod aliquando Sanctus quidam Ab-

Prov. 30

6. Mor. 5

Digitized by Google

bas in vitis Patrum experimento docuit Iuuenem vitæ Monasticæ candidatum, qui cum se deterreri significaret difficultatibus perfectionis acquirendæ, & de profectu virtutis desperaret ob tentationes vitiorum, quibus esset obnoxius. Iussit Abbas vt in hortum suum vepribus, & dumetis horridum concederet, & secum eum expurgaret, quod cum per multos successiuè dies fecisset sine intermissione, expurgatus est hortus. Tunc ad eum Abbas, fac idem in horto animæ tuæ, expurga, eradica vepres vitiorum, vnum post alterum, indefesso labore & cura, & omnia breui eeradicabis vitiorum germina, nam LABOR ASSIDVVS OMNIA VINCIT.

TITVLVS LXXII.

DE LABORE.

FABVLA.

De Miluo & Accipitre.

CONTENDEBANT de Nobilitate & præstantia Miluus & Accipiter. Miluus se Accipitri præferendum dicebat, vt qui eum mole corporis, & Maiestate, & remigij amplitudine longe superaret; hic se Miluo, tum volatus pernicitate, cum etiam quòd Miluus, aut vilissimis animalculis, aut fœdis cadaueribus inhiaret; ipse venaretur nobiliores prædas. Rex alitum Aquila, Iudex deligitur. Hic auditis vtrinque rationibus, decernit, rem ex opere dijudicandam, irent venatum, & prædam suam quisque afferret. Ex quo iudicium; abeunt, venantur, redeunt; Miluus cum Mure, Accipiter cum Columba. Pronuntiat Iudex. Quanto Columba præstat Mure, tanto Accipiter Miluo.

De Lupo, Ouis pelle contecto.

INuentam Ouis pellem Lupus induit, sub qua sic gregem aliquamdiu, & Pastorem fefellit, vt se Ouili immisceret; multamque ex eo stragem occultè faceret, quam deuoraret. Quousque tandem agnitus, & deprehensus, in arbore suspensus est cum pelle Ouis; in qua, cum nec mortuus sic personatus agnosceretur, & percunctarentur Pastores, cur Ouem suspendissent, respondent. Pellis quidem est Ouis, sed opera ejus sunt, Lupi. Quasi dicerent, Non tam à pilo aut pelle Lupus dignoscitur, quàm à mente & moribus Lupinis probatur.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

AB OPERE QVISQVE DIGNOSCITVR.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

QVi laboris fructus & commoda, vel multa meditatione, vel ipsa rerum magistra experientia assecuti sunt Auctores, tam sacri quam profani, miris eum laudibus efferre solent. Alij enim laborem dixerunt justum esse commercium, quo homines inuicem coeunt, juuantur, cohærent: alij cambium nuncupant, quo pro sudore merces omnis generis comparantur; alij laborem thesauri vice habent, qui non nisi à diligentibus & vigilantibus possidetur; alij vocant aureum hamum, quo homines industrij, non solum pisces è mari, sed vbique gemmas & monilia expiscentur; omnium melius qui arbori frugiferæ laborem similem faciunt, qui sensim modicissimi operis impensa rigante Cœlo quotannis vberes fructus facit, qualis fortè illa Nabuchodonosori in insomnio visa, cujus proceritas Cœlum attingeret, rami terram operirent, poma vniuersa animantia & homines alerent. Insuper, sub vmbra & foliis deliciarentur, hoc enim verè præstat labor.

Sed hic vt maximè interest, non tam quàm copiosus sit arboris fructus, quàm vt sit suauis & salubris; ita qualis sit opera & labor, quàm vtilis & bene impensus imprimis curandum. Vbi enim modus, vtilitas, ratio operi desunt, redditur ridiculus labor, occupatio inutilis, perdita opera. Vnde argute in quemdam Attalum lusit Martialis, omnia inepte agentem. l. 2. Epig.

Declamas bellè, causas agis, Attale, belle,
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis belle mimos, Epigrammata belle,
Bellus Grammaticus, bellus es Astrologus.
Et belle cantas, & saltas, Attale, belle
Bellus es arte lyræ; bellus es arte pilæ.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis, magnus es ardelio.

Sapienter Seneca eos arguit, qui hominem laudant ab iis quæ ipsi propria non sunt, sed extranea; & in quo debeat laudari, ostendit. *Quid enim est stultius*, inquit, *quàm in homine aliena laudare? Quid dementius eo, qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri possint? Non faciunt meliorem equum aurei fræni. Nemo gloriari nisi suo debet. Vitem laudamus si fructu palmites onerat, si ipsa ad terram pondere eorum quæ tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam præferet vitem, cui aureæ vuæ, aurea folia dependent? Propria virtus est in vite fertilitas. In homine quoque id laudandum est, quod ipsius est. Familiam pulchram habet, & domum pulchram, multum serit, multum fœnerat. Nil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso quod nec eripi potest, nec dari: quod proprium est ho-*

Digitized by Google

minis. Quæris quid sit? Animus & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo, consummatur itaque ejus bonum, si id adimpleuit, cui nascitur. Quid est autem quod ab illo ratio hæc exigit? Rem facillimam, secundum Naturam suam viuere. Quibus vltimis verbis Philosophus Stoicus, secundum suam Naturam viuere intelligit, sapienter, moderate, rationabiliter viuere, secundum rationem & virtutem. Altius enim cæcus videre non potuit.

Idem argumentum alibi vrget ad rem præsentem, quod propterea non me pigebit exscribere. *Quæ conditio rerum, eadem & hominum est. Nauis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore cælata est, nec quæ fiscis ac opibus pressa est, sed stabilis & firma, & juncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox & consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui & ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit, quæritur. Eo quodque laudatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque, nil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat, sed quàm bonus sit: quod facit, inquit, ratio & virtus.* Vides vt rerum cum homine comparationem instituit, non in Natura, sed in actu exercito virtutis; quod laboris fructus est, vt clariùs supra. *Tantum,* inquit, *proficies, quantum tentaueris. Quid expectas? Nulli sapere casu obtigit. Pecunia veniet vltrò, honor offeretur, gratia ac dignitas fortè ingerentur tibi; virtus in te non incidet, ne leui quidem opera & labore: sed est tanti laborare, omnia semel occupaturo?*

Epist.75

Ex dictis colligo, quòd sicut laus vitis, est fertilitas sua, & fructus ejus; sic laus hominis, ipsius virtutes sunt, & opera, & merita; quæ cùm sint fructus laboris sui, sequitur quòd quisque tantò sit melior, quantò labor ejus est melior, & fructuosior. Ita profectò est, commendat vnumquemque, aut depreciat labor suus. Hoc sapiens ab impio, industrius ab ignauo, bonus à malo secernitur; & sicut oculorum virtus, & opus, *est videre; aurium, audire; & sic de cæteris; vt sanitas corporis sit, cùm singula quæque membra sua munia obeunt, & quod suum est agunt,* inquit Plato; sic sanitas & virtus Reip. in hoc sita est, *cùm quidquid in ipsa est, suum opus exequitur, siue imperando, siue exequendo.* Ciuitates igitur beantur labore, sicut & priuati quique ciues. Vnde aiebat Euripides:

Ap.Stob. Serm. 7

> *Labor, vt aiunt, bonæ famæ pater est;*
> *Laboribus vendunt nobis omnia bona Diui:*
> *Necessum est vt laborent, qui volunt fœliciter agere.*
> *Plures boni sunt studio, quàm Natura.*
> *Labor improbus omnia vincit.*

In Iphig. Ap.Stob serm.27

Celebratur non immeritò Democriti hac in materia dictum, qui rogatus qua re laboriosi differrent ab ignauis & ociosis; *Spe,* respondit, scilicet bona. Sperant enim, qui laborant, fructum ex suo labore decerpere; qui ociantur, quod sperent, non habent.

Propterea Aristoteles Agriculturam dicit esse primam artium, *eò quòd sit secundùm Naturam, nec bellando, nec mercando, quod per vim, aut fraudes & artes fit; sed laborando, victum sibi comparat.* Vnde Poëta exclamat:

L.1. Oecon.

> *O fortunatos nimiùm, sua si bona nôrint,*
> *Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis*
> *Fundit humo facilem victum justissima tellus,* &c.

2.Georg.

Et

Digitized by Google

Et Lyricus:

Beatus ille, qui procul negotij,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.
Non excitatur classico miles truci, &c.

Hanc vitam innocentissimam Remus, Romulus, Camillus, Curius, primique Romani exercuerunt, ab aratro, ligone & vomere, ad sceptra & Imperia vocati. *Omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur*, inquit Cicero, *nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nil libero homine dignius.* l. 1. Off.

Quid quod tanto in honore habebatur apud Romanos, antequam luxus, opes & deliciæ mores corrupissent, & veterum disciplinam, quod ab aratione ad Dictaturas & Imperia trahebantur, & post victorias & triumphos, eadem opera retractabant?

Lucius Quintius & Attilius, ad suscipiendum Populi Romani Imperium ab agris acciti, terram propriis manibus colentes inuenti sunt. *Sed illæ rustico opere attritæ manus*, inquit rerum Romanarum Scriptor, *salutem publicam stabilierunt, quæque modò arantium boüm iuga rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt; nec fuit illis rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetere.* Val. Max.

Non me contineo præ admiratione, cùm lego Senecam, villam, balneum, sepulchrum magni Scipionis (quæ sibi, dum Literni exul ageret, condiderat) describentem. *Vidi*, inquit, *villam structam lapide quadrato, murum circumdatum sylua*, &c. *Balneolum angustum tenebricosum, ex consuetudine antiqua. Magna ergo me voluptas subit, contemplantem mores Scipionis, & nostros. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet quòd semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum; exercebat enim opere se, terramque, vt mos fuit priscis, ipse subigebat. Sub hoc ille tecto tam sordido stetit, hoc illum pauimentum tam vile sustinuit*, &c. Epist. 86.

Quid quod illius temporis adeò seuera disciplina fuit, vt etiam pœna non vacarent, qui agros suos negligentiùs habuissent: *Si quis enim*, refert Gellius, *agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curabat, ac neque arauerat, neque purgauerat; siue quis arborem suam, vineamque habuerat derelictui, non is sine pœna fuit, sed erat opus censorinum.* Aul. Gel. l. 4. c. 12.

Item, si quis eques Romanus equum haberet gracilentum, aut parum nitidum, impolitiæ notabatur, quasi dicas incuriæ; vnde P. Scipio Nasica, & M. Pompilius, cum Equitum censum agerent, & equum nimis strigosum & male habitum, sed equitem ejus vberrimum, & habitissimum vidissent. *Et cur*, inquiunt, *ita est, vt tu sis quàm equus curatior? quoniam ego me*, inquit, *curo, equum seruus meus, quod responsum visum est parum reuerens, relatusque est in ærarios.*

Et hujus obseruationis & disciplinæ tam districtæ, vt ad agrum & equum se extenderet, ratio fuit, quia existimarent eum, qui in agro, aut equo curando, fuisset remissus ac negligens, foret etiam in se animi ad operandum parum fortis, & constantis, & sic tantum Reipublicæ deperiret.

Namque vt canit Ouidius: 5. de Trist. Eleg. 12.

Fertilis assiduo si non remouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Digitized by Google

Tempore qui longo steterit, male curret, & inter
Carceribus missos vltimus ibit equos.
Adde quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multo, quam fuit ante, minus.

Ex quibus concludas cum eodem Poeta.

3. de Arte

Dum vires, animique sinunt, tolerate labores:
Iam veniet tacito curua senecta pede.

Laborandum ergo strenuè, dum per tempus licet, ne vt ager incultus syluescit, oppleturque vepribus; vt equus laboris desuetudine fit inutilis; vt ingenium ignauia hebescit; sic nostra virtus veterno, otioque sopita elangueat: Labor inuenit artes, Agriculturam docuit, ingenium acuit, parit innocentiam; ditat familias, beatas facit Respublicas, nutrit commercium, fouet societatem; spem addit timidis, generosis gloriam; solus denique labor ita homines illustrat & nobilitat, vt quisque tantus sit, quantum laborat & operatur; vt in fabula Milui & Accipitris patet, in qua Regis alitum Aquilæ judicio, palma data est Accipitri, ob præstantiam operis, licet Miluus eum viribus, pennis, corpore superaret. Ex altera innuitur, quàm nil profuerit, Lupinum animum & mores, adumbrata Ouis pelle, occultare. Semper enim quis sis, mores & opera detegunt; & ab opere quisque qui, & qualis sit, dignoscitur. Quod sacra Scriptura clarius indicabit.

AB OPERE QVISQVE DIGNOSCITVR.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

TRIBVS hominum generibus Christus Dominus, dum in viuis ageret, de se testimonium tulit, quis esset, & quis haberi vellet, manifestauit, vnico scilicet & vniuersali argumento probandæ Diuinitatis suæ, ab operibus suis: primò, Iudæis inimicis suis; secundò, Discipulis Ioannis, amicis futuris, tertiò, Discipulis suis, amicis jam factis; quos omnes, quasi aurum ad lapidem Lydium, ad opera sua remisit.

Primi, non semel eum tentantes, *vt caperent in sermone*, interrogarunt, Quis esset: quod Ioannis 10. describitur. *Circumdederunt eum Iudæi*, inquit, *in Porticu Salomonis ambulantem, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Insidiosa vtique interrogatio, de qua apud Psalmistam dicebat: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me; circumdederunt me canes multi.* Item: *Circumdederunt me sicut apes.* Vt Vituli carnales, vt Tauri indomiti, vt Canes dente canino detractionis lacerantes, vt Apes stimulis pungentes. Illis ergo sciscitantibus, quod scire nollent, Quid Christus? *Opera quæ ego facio*, inquit, *testimonium perhibent de me. Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Nullum majus argumentum putauit, quo probaret Diuinitatem suam, quàm opera.

Ioan. 10

Psal. 21

Secundi, Discipuli scilicet Ioannis à Magistro suo mandati, ad eum ve-

Digitized by Google

nientes interrogant; *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*? Quem putatis cum eis Dominum sermonem habuisse? Nullum. Non respondit per verba, sed per opera. Inuenerant quippe eum in confertissima turba infirmorum omnis generis; cœcorum, quibus in præsentia visum reddidit; claudorum, quibus gressum; surdorum, quibus auditum; leprosorum, quibus munditiem; mortuorum, quibus vitam restituit. Quo facto, dixit: *Ite, renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis.*

Quæso quid audierant? locutus erat per signa, per opera, & hoc vidisse, erat, audiisse Diuinitatem suam. *Renuntiate ei, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, & pauperes euangelisantur.* Dicite hæc Ioanni, & sufficit.

Math. 11

Tertiò denique, non aliter discipulos suos informat, quod esset filius Dei, quàm per opera. *Non creditis,* inquit, *quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.* Et in sermone Cœnæ Passioni suæ vicinus, justificans palam quantum fecerat pro Iudæis dicebat: *Si opera non fecissem in eis*, inquit, *quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Ioan. 14

Ioan. 15

Et verò, ipsi Iudæi, de Christo, ab operibus suis, eum dimetientes diuersa tulere judicia. Nam cum apud Mathæum Discipulos interrogaret: *Quem dicunt homines esse filium hominis*? Responderunt: *Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Nec tam malè. Varie de eo judicabant ex varietate operum. Nam quia ingressus templum fecit ex funiculis flagellum, & ejecit nummularios de Templo; dixerunt, hic est zelus Eliæ. Elias ergo est. Quia videbant eum in Principes Sacerdotum, & Scribas, & Pharisæos, sine acceptione personarum & dignitatum detonantem, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, Hypocritæ, Sepulchra dealbata*, &c. Recordantes sic Ioannem in Principes populi, & Herodem fecisse dicebant, Hic est Ioannes. Et quia piissimus Dominus lugebat & deflebat multis lachrimis ruinam Ierusalem, sicut fecerat olim Ieremias, dicebant, Est Ieremias. Adeo naturale est homini, vt per facta & opera de proximo judicium feramus.

Cujus rei à priori ratio hæc est, quòd quælibet Natura principium est & origo suarum operationum, quæ ab ea vt radij à Sole, & riuus à fonte, dimanant. Inde est, quòd ad cognoscendam rem aliquam occultam & abditam, illius inuestigamus operationes, vt ad ipsius rei cognitionem deueniamus.

Sic Sapientes sæculi, Philosophi antiqui, qui de Deo grauiter disputarunt, & doctè scripserunt, Dei Supremi Potentiam ex eo perceperunt, quod cælestes orbes, terram, vniuersam hanc mundi machinam, tanta rerum varietate distinctam ejus opus crediderunt; ejusdem sapientiam ex mira vniuersi administratione; Prouidentiam ex conseruatione pernorunt, sicque ex manifestis ejus operibus, occultam Dei Naturam; ex perpetuis æternam; ex visibilibus, inuisibilem; ex magnis, Diuinam cognouerunt. Vt dicat Apostolus: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit.* Id est, « Quod cognoscibile est de Deo ab homine per rationem, (vt interpretatur hic D. Thomas) manifestum est illis. » Quomodo autem manifesta sint illis, subjungit Apostolus: *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi* (id est, ab homine) *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Diuinitas.* In quæ verba S. Augu-

S.Thom. in c.1. ad Rom.

Digitized by Google

Ser 143 de temp

stinus: " Sapientes gentium scrutati sunt Naturam, & ab operibus artificem cognouerunt: Prophetam non audierunt, legem Dei non acceperunt, sed Deus iis quodammodo silens, ipsis Mundi operibus loquebatur. Interroga pulchritudinem terræ, maris, aëris & siderum, solem & lunam, & alia quæ mouentur in aquis, respondent tibi omnia: pulchritudo enim eorum est confessio ipsorum. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulchrior in semetipso?"

Ex quibus Apostoli & S. Doctoris verbis perspicitur, quod inuisibilis Deus, per visibilia ejus opera, & attributa ipsius occulta per effectus, innotuerunt. Et hic modus seu ratio cognoscendi causas per effectus, & res secretas & abditas, per opera, communis est in Natura. Dubitatur de ægro vtrum viuat, pariter deliquium mentis, cognoscitur ex pulsu & spiritu an viuat. Non videtur anima hominis, quæ est forma ipsius, ab exteriori se effectu prodit. Cum enim cernimus hominem intellectione, discursu, & ratiocinatione vti, ipsum procul dubio anima intellectiua, discursiua ac rationali præditum esse arguimus. Viso homine, quæ sunt in eo latent Artes; pingit, cantat, ædificat. Tunc ab opere quisque dignoscitur, & dicis, Iste est Pictor, ille Musicus, alius Architectus.

Eodem modo de habitibus mentis judicium, virtutum scilicet, vel vitiorum, latent interius, in anima resident, eamque occulte vestiunt, cum ipsa inuisibili inuisibiles, sed sicut illa se prodit per suos effectus, sic illi per suas operationes. Vt enim ignis non potest abscondi, & licet latens, in sinu fumo & calore foras prodeunte, manifestatur, sic virtus impossibile est vt lateat, & vitium abscondatur, habent signa quibus se retegunt, opera bona vel mala, suos effectus & fructus.

Gen. 27

Iratus Esau aduersus fratrem suum Iacob ob præreptam benedictionem Patris: *Dixit in corde suo*, ait sacer Textus, *Venient dies luctus patris mei, occidam Iacob fratrem meum.* Et subdit: *Nunciata sunt hæc Rebeccæ.* Quæro, si Esaü necem fratris tantum in corde tractauit, solum mente versauit, quis hoc nunciauit Rebeccæ? Mouet hoc dubium S. Augustinus in hunc locum, & respondet, reuelatum fuisse a Deo Rebeccæ; sed lego nunciatum Rebeccæ, non reuelatum. Glossa melius: " Patet, inquit, quòd Esaü prædictam machinationem non sic cęlauit in corde suo, quin appareret exteriùs in signis, & verbis." Sic crimen Cain, & occidendi fratris consilium, ex vultu, ex oculis, ex fronte se prodidit. *Concidit vultus ejus.* Vnde ad eum Deus: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* Ita est, affectus illi animi, turbulenti, quos Passiones vocamus, licet nequeant oculis corporis cerni, non possunt etiam abscondi; foras exeunt, per verba, per signa, per operationes, & immutationes oris & vultus. Sic hominum mores per opera infallibili judicio cognoscimus. Vnde dicebat Dominus: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Vt arbor à fructu cognoscitur & discernitur; sic homo ab operibus, qualis sit, ostendit.

Glossa

Gen. 4

Homo superbus & arrogans confestim agnoscitur ex oculis, ex verbis, ex elatione mentis, ex ipso incessu. *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam*, inquit Psalmista. Item: *Os eorum locutum est superbiam.* Item: *Non veniat mihi pes superbiæ.*

Auarus se cęlare non potest; statim enim ex eo quòd nimirum pecuniæ per fas & nefas expiscandæ inhiat, quòd æs non dissoluit alienum; quòd parcè plus æquo cum domesticis, fœdè cum alienis, crudeliter cum egenis

Digitized by Google

& pauperibus se gerit, rapit, congerit, accumulat; Auaritiæ morbo laborare conuincitur. Impudici, fœditatem mentis ex lasciuia oculorum, & petulantia verborum, eructant: *Oculos habentes*, inquit Petrus, *plenos adulterij, & incessabilis delicti*; & sic de ceteris vitiis.

2. Petr.

Eodem argumento vsus est S. Ioannes ad reuincendum mendacij eos, qui dicunt habere se Charitatem erga proximum, quam non factis probant. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei in eo manet?* Et concludit: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Frustra te Dei & proximi amore flagrare dices, si ejus indigentiam non subleues: ostende operibus.

1. Ioan. 3

Quid dicemus de iis, qui magnos reditus, seu à parentibus sibi relictos, siue ab Ecclesiæ Beneficiis, ea impendunt in alendis equis & canibus, in recipiendis tractandisque Nobilibus, in superba supellectile, pingui culina, abundanti penu, in celebrandis conuiuiis, in magno comitatu seruorum, in luxu vestium; & cùm liberales, & munifici, & magnifici haberi ambiant, *nil ad eos pertinet de egenis*, aut quam leuissime, & superficie tenus. Nunquid hujusmodi Charitatem proximi habere dicendi sunt? Minimè verò; & multæ sunt falsæ species Charitatis, quæ videntur esse Charitas Dei & proximi, & non sunt.

Præcepit Deus in Leuitico, vt ea animalia, immunda reputarentur, quæ non ruminarent, & insuper vngulam non diuiderent. Quapropter ibi inter immunda rejicitur Porcus, qui non ruminat; & Equus, qui ruminat, sed vngulam non diuidit. Quis verò Equum pro Immundo haberet, qui adeò elegans est, & pulcher, & generosus? Tamen quia vngulam non diuidit, talis est. Consulamus Glossam. „ In animalibus, inquit, pinguntur mores hominum, & actus, & voluntates, ex quibus fiunt mundi, vel immundi. „ Ruminant, qui in Lege Domini meditantur. Diuidunt vngulam, qui secundùm duo Testamenta firmo se gradu Innocētiæ & Iustitiæ statuunt. „ Camelus (dic idem de Equo) est Iudæus, superbia tumidus, quibus dicitur, *Liquantes Culicem, Camelum autem deglutientes*: hi ruminant; quia in litera meditantur: sed non diuidunt vngulam, quia literam a spiritu non distingunt. Tu, Lector, si vitia in te Iudæi deprehendis, tibi dictum puta quod ipsi, qui etiam si comptus & elegans videaris per fidem, si ruminas per scientiam & studium Scripturarum, nisi diuidas vngulam, & quæ vitanda sunt vites, & quæ facienda facias; nisi discernas te a malis moribus, Immundus eris coram Domino.

cap. 11

Glossa

Frustra igitur genus ab optimis parentibus ducere gloriamur, nisi opera eorum sectemur, vt Iudæis frustra & otiosum fuit, dicere se filios Abrahæ. Vtrisque enim dicet Dominus: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Ruminabant illi, sed vngulam non diuidebant; ideo immundi. *Vos ex patre diabolo estis.* In promptu probatio est: *Desideria, opera patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio.* Vides ex qualitate operis, quales & cuius filios se probent?

Ioan. 8

Si iis prætermissis, ad nos sermo deueniat, qui Christianos nos esse profitemur, si opera Paganorum, imo & Dæmoniorum habeamus, cujus filios esse patris conuincemur?

Congruè huic loco, & proposito S. Bernardus. „ Videmus pauperes aliquos, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit. Et sic

Ser. 4 de Adu.

Digitized by Google

diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur. Sunt & alij mites, sed quamdiu, nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio, patebit autem quam longe sint à vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. Alios quoque lugentes video, sed si de corde procederent lachrimæ illæ, non tam facile soluerentur in risum; nunc autem cum abundantius verba odiosa & scurrilia quam prius lachrimæ fluant, de illis esse non arbitror quibus promittitur Diuina consolatio. Alij tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, vt videri possint esurire, & sitire justitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem judicium. Sunt alij misericordes de his quæ non pertinent ad ipsos, qui scandalisantur si non datur omnibus abundanter, sic tamen vt ipsi nec in modico quidem grauentur. Qui, si Misericordes essent, de suo facere misericordiam deberent.„ Ita S. Abbas, de falsa justitia magnæ partis hominum.

Concludamus ergo, & finem huic tractatui imponentes, dicamus, quod sicut Dominus noster vnico suorum operum, quasi inuincibili argumento Diuinitatem suam ad homines contestari, & commendare voluit, si Philosophi & Sapientes non alio modo in notitiam Supremi Numinis deuenere, quàm per opera sua: *Inuisibilia ipsius per ea quæ facta sunt intellecta, conspicientes, sempiternam quoque ejus virtutem & Diuinitatem.* Si occultissima quæque in rerum Natura, se per effectus suos produnt & innotescunt, quî audebit homo operibus, & meritis vacuus apparere ante Deum? Dicet fortè se fidem habere. *Sed quid proderit si fidem quis dicat se habere*, inquit, Iacobus Apostolus, *opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Quod satis sit præsenti Morali.

TITVLVS LXXIII.

DE LABORE

FABVLA.

Cassita.

CASSITA seu Alauda nidulari in segete solita, tardiusculè oua excluserat, & jam spicis flauescentibus ad messem, cum fere pulli implumes, à nido igitur auolans cibum iis quæreret, monuit, si quid viderent, aut audirent, reduci narrarent. Renuntiant Dominum agri venisse, & quoniam seges matura esset, jussisse Filio vt amicos adiret, suoque nomine rogaret, vt operam suam in certum diem ad metēdum agrum mutuarentur: instantes vt eos alio transportaret. Quod apud se illa perpendens, Non est quod paueatis, ait, filij mei, non metetur cras ager, neque enim amici sic ad alienā opem currunt. Post aliquot dies, illa rursum ad pabulum, monere vt antea. Referunt illi pauidi, Dominum venisse,

Digitized by Google

expectasse ad multam horam amicos, & cum nulli venissent, jussisse Filio, vt vicinorum opem in sequentem diem rogaret ad metendum; rogant vt crastinum non expectet. Respondet illa, Nolite timere, nec crastina die metetur ager; non venient vicini. Sequenti die iterum abiit ad annonam, monuit vt prius. Vbi rediit, non venisse quidem vicinos, sed Dominum, aiunt, eumque expressè jussisse Filio, vt cognatos & affines rogaret, vt summo mane segetem suam messuri conuenirent, propterea sibi prouideret. Illa etiam dixit, securi estote pro crastina die, non venient cognati ad laborandum: vt de facto non venerunt: vnde indignatus Herus, valeant amici, vicini, parentes; ait, quoniam nostra res agitur, opem non expectemus alienam; cras ego, filij, serui, & ancillæ, cum falcibus adsimus. Hoc referunt Matri, jam abeundum, inquit, quandoquidem Patronus ipse suam rem agit, discessit cum pullis, seges demessa est. Innuit, quod quisque per se potest, ab alio, neque amico, neque vicino aut cognato, expectet.

Hunc Apologum describit elegantissimè Gellius l. 2. Noct. Att. & ante eum Ennius Poëta, versibus quos sic includit.

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis.

De Patre familias & Cane.

Pater familias sero oblitus est Gallinarij ostiolum claudere. Noctu Vulpes non oblita est intrare, strangulare, deuorare Gallinas. Expergefactus diluculo Herus, reperit stragem à Vulpe factam, indignatus in Canem, multis eum affecit plagis, exprobrans incuriam & malam custodiam, cui ille, si tu cujus solius & vel maxime interest, cui gallinæ, oua, & pullos pariunt, negligens claudendi Gallinarij fuisti; quid tantum in me sæuis aut criminaris, si somno oppressus Vulpem non sensi? qui de Gallinis nullum commodum recepi? Indicat quemque eorum quæ se spectant, debere esse sollicitum.

Formica & Cicada.

Ineunte jam hyeme & sæuiente bruma, venit ad Formicam, grana sua apricantem, Cicada fame & frigore pene enecta, rogat sibi de tritico alimoniam erogari, cui Formica. Et quid soror æstate faciebas? quid non parabas in tempore, quod in hyeme manducares? ergo otiosa fuisti? non otiosa, inquit, aut iners, sed die noctuque prætereuntibus cantaui; si aliis æstate cantasti, inquit, nunc tibi salta.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

QVOD PER TE POTES, AB ALIIS NE EXPECTES.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

LABORANDVM indefessè, cùm tempus & vires iuuant, vt habeas in senectute vnde viuas. Hoc Ratio, & Natura,& ipsa animantia suo nos exemplo docent. Propterea subeuntur labores, tentantur itinera incognita, mare nauigatur.

Hor. l. 1 Serm. Sat. 1

Ille grauem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic Caupo, Miles, Nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes vt in otia tuta recedant.
Aiunt, quàm sibi sint congesta cibaria, sicut
Paruula; nam exemplo est magni Formica laboris,
Ore trahit quodcunque potest, atque addit aceruo
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri,
Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum
Non vsque prorepit, & illis vtitur, antè
Quæsitis.

Quod hic ad Formicam laboriosam & prouidam nos ducit imitandam, idem facit Seneca ad Apem. *Apes*, inquit, *debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt; deinde quidquid attulere disponunt, ac per fauos digerunt*, &c.

Epist. 84

Non sine causa magnus Naturæ contemplator Plinius, *nusquam alibi magis, quàm in minimis, Naturam totam esse* miratur, & prędicat, *nusquam alibi spectatiore artificio. In magnis siquidem*, ait, *corporibus, aut certè majoribus, facilis officina sequaci materia fuit: In his tam paruis, atque nullis, quæ ratio? quanta vis? quàm inextricabilis perfectio? Vbi tot sensus collocauit in culice, aut formica? vbi visum in ea prætendit? vbi gustum applicauit? vbi odoratum inseruit?* &c.

L. 11. c. 2

Sed ipse & alij meritò mirentur in his animalculis fabricam, & organorum in tam angusto corpore dispositionem. Ego maximè demiror solertiam, ingenium, prouidentiam in Formicis & Apibus, quibus inter Insecta idem tribuit principatum. Sic autem ille de vtrisque. *Formicæ*, inquit, *vt Apes, communicant labores: sed Apes vtiles faciunt cibos, hæ condunt. Et si quis comparat onera corporibus earum, fateatur multa portione vires esse majores*, &c. *Est ijs Reipublicæ ratio, Memoria, cura. Semina arrosa condunt, ne rursus in fruges exeant è terra. Majora ad introitum diuidunt, madefacta imbre proferunt, atque siccant. Operantur & noctu, plena Luna; eædem interlunio cessant. Iam in opere qui labor? quæ sedulitas? Et quoniam ex diuerso conuehunt, altera alterius ignara, certa dies ad recognitionem mutuam Nundinis datur. Quæ tunc earum concursatio? quàm diligens cum obuijs quædam collocutio, atque percunctatio?*

Plinius .30

Easdem Philosophus supra cętera ab operis sedulitate commendat, & cum

Digitized by Google

cum homine ciuilitatis participes facit. *Insectorum officiosissimum*, inquit, *præ cæteris omnibus animalibus, genus Formicarum & Apum est*, &c. *Eadem semita semper ambulant, & cibaria recondunt, & cellas promptuarias faciunt; nec interdiu solùm, sed etiam noctibus, plena Luna, laborem exercent.* Et libro primo: *Ciuilis generis est homo; Apis, Formica.*

Arist. l. 9 hist. Anim. c. 38

c. 1

In Formica, inquit Cicero, *non modò sensum, verùm etiam mentem, rationem atque memoriam esse sustinemus.*

Lib. 3 de nat. Deorum

Plutarchus in exemplum vitæ ciuilis Apes ciuibus proponit, quòd quisque in commune suas opes, industriam, labores fundit. *Aliæ*, inquit, *ceras struere, aliæ Mel coquere, aliæ fauos polire, aliæ flores libare, aliæ denique æqu ire, ab initio discunt.* Enimvero quis non miretur fauos Apum tanta pulchritudine & proportione in sexangulas formas compositos; in iisque Cellas, in quibus Mel & Ceram condant, tam affabrè concinnatas? Aut cui stupendum non sit, contemplanti Apes singulas tanto ordine laborare, instare operi, & quasi partitis inter se operibus examina noua procreare, fouere, animare, educere?

Hoc quidquid de iis dici potest, Poëta Latinus pluribus expediuit mirabili eloquentia; ex quibus hæc pauca decerpimus.

Virgilius 4. Georg.

Namque aliæ victu inuigilant & fœdere pacto
Exercentur agris; pars intra septa domorum
Narcissi lachrimam, & lentum de cortice gluten,
Prima fauis ponunt fundamina: deinde tenaces
Suspendunt ceras. Aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus; aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt Nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inque vicem speculantur aquas, & nubila Cœli,
Aut onera accipiunt venientum; aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia Mella.

Addit *Venturæque hiemis memores, æstate laborem*
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

Et tandem quod maxime aduertas velim, concludit his verbis:

His quidam signis, atque hæc exempla secuti,
Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus
Aethereos dixere.

Vides vt aliquod Diuinum in Apibus sensit hic Auctor, quo nil minus mihi dixisse videtur Plinius, cùm de Apibus loquens, dicit, *solas eas ex eo genere, hominum causa genitas*; vnde iis debeatur *principatus, & jure præcipua admiratio.*

Cap. 4

Cur autem ipsis præcipua admiratio debeatur? cur aliquid Diuinitatis inesse? cur ex omnibus solas ex eo genere, hominum causa genitas? An quia in iis forma Reipublicæ relucet, pax extra, intus summa concordia, laborum commutatio, pudoris æmulatio, amor sobolis, charitas proximorum, cura sepulturæ, forma Monarchiæ, jura ciuilia? Sic certè: digna enim sunt illa nostræ admirationis. Sed ista præcipuè dixerim; quia iis inest mens, quæ deest in multis hominibus; Memoria, cujus ne vestigium in ignauis; Cura, quam ignorasse magis, quàm abjecisse, sui, & necessariorum suorum, magna pars videatur. Quia in ipsis cernitur Prouiden-

Digitized by Google

tia, Solertia, Diligentia. Prouidentia futuri, in procurando commeatu; Solertia, in captandis anni temporibus; Diligentia, in opere, opportuno tempore promouendo. Prouidentia, quæ non fallitur vllo præsentium blandimento; Solertia, quæ nullo impedimento mollitur; Diligentia, quæ nulla difficultate aut labore retardatur, aut sistitur. Quæ omnia quia Deus in Formica & in Ape expressit, ideo hæc animalia singulariter causa hominis genita rectè dicuntur. Diceres istos auctores vidisse & legisse, quæ de eis Scriptura insinuat in Prouerbiis Salomonis: *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam.* Item hunc versum apud Septuaginta, ex editione Romana: Aut *Vade ad Apem, & disce quomodo operaria est*, &c. Sed de his retro suo loco.

Prov. 6

Pudeat ergo homines Diuino charactere insignitos, ratione infinitis parasangis irrationabilia superantes, ab animalculis in hoc genere superari; & si non in Deo, si non in se, si non in vniuerso visibilis creaturæ opificio, ab Ape & Formica addiscat Prouidentiam, Solertiam, Diligentiam.

Addiscat, inquam, Prouidentiam, in finem disponendo acta vitæ suæ sedulo labore, ne consumat in æstate juuenili, quod hyemi senectutis debuit reseruare; aut aliis, non sibi, laborauerit. Solertiam in Mediis, ne vnum pro alio accipiat, pro virtutibus vitia; sed rem suam impigrè & strenuè exequatur. Diligentiam, ne torpore & otio marceat; ne sicut fucus iners & ignauus, ab alueario domini arceatur.

Ad quod tria maxime motiua conducunt.

Primum, Necessitas laboris, quam Deus vbique in Natura præscripsit, nihil non in Natura laborat. Vnde haud inscite dictum, Deum hinc commoda, hinc posuisse incommoda; hæc prope, illa procul; in medio laborem statuisse. Ad incommoda pronam & præcipitem esse viam, ad commoda plane arduam, eamque quæ vni labori sit superabilis. Ex paucis quæ supersunt Probi Imperatoris, Flauius Vopiscus refert, quòd non patiebatur militem esse otiosum, sed vt ad opera incenderet, ipse militaria multa manu perficiebat, dicens, *Annonam gratuitam militem comedere non debere.* Vnicuique nostrum idem sibi dictum putet à summo Imperatore nostro Deo. Gratis panem non comedat. Hoc festiuè fabula Formicæ & Cicadæ insinuat, quæ inter fabulas Gabriæ Græci legitur versibus, sic latine reddita.

Hist. Aug

Petebat à Formica Cicada cibum,
Sed Formica ait, quid æstate faciebas?
Quod acute æstate caneret, dixit,
Hyeme salta, inquit, nec ama cibum.

Secundum, est facilitas laboris. Ita enim hæc duo, Natura dissimilia, laborem suauitatemque temperauit Deus, vt virtutis omnis labor, qui initio amarus est, suauitate condiatur. Dulce est, laborasse. Cæterum virtutis iter quod labor est, non est tam arduum, difficile, spinosum vt imaginamur, addamus licet, vt vitiorum. Audiendus hic & consulendus noster Seneca. *Non vana vobis auctor rei venio*, inquit, *facilis est ad beatam vitam via, inite modo bonis auspiciis, ipsisque bene juuantibus Diis. Multo difficilius est facere ista quæ facitis. Quid enim quiete otiosius animi? Quid ira laboriosius? Quid clementia remissius? Quid crudelitate negotiosius? Vacat pudicitia, libido occupatissima est. Omnium denique virtutum tutela facilior est, & vitia magno coluntur.*

L. 2. de Ira, c. 13

Digitized by Google

Tertium Motiuum, seu incentiuum subeundi laboris est vitæ hujus breuitas, cui minimè fidendum, ætas fugit, præterit tempus. Ergo ait Lyricus. *Spatio breui*

Spem longam reseces; dum loquimur, fugerit inuida
Aetas, carpe diem, quam minimum credula postero.

Horat. l. 1 Ode 11

Verum quod Princeps Medicorum de Arte Medendi conquestus est, vitam esse breuem, Artem verò longam de sapientiæ studio, quæ viuendi ars est, & bene viuendi, multo melius dici potest. Zenonis est: *Nulla re ita nos egere, vt tempore.* Vetus querela, communis conquestio, tam injusta quam ridicula; cum eodem tempore quo conquerimur, maximam ejus partem sine fructu effluere patimur. Iterum audiendus Seneca, quid de nostra quæstione sentiat.

Ille sic, *Major pars Mortalium, Pauline, de Naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguum æui gignimur, quòd hæc tam velociter, tam rapidè dati nobis temporis spatia decurrant, adeo vt exceptis admodum paucis, cæteros in ipso vitæ apparatu, vita destituat, &c.* Tum citatis Hippocrate & Aristotele, qui in eadem opinione sunt, respondet: *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus, satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est; si tota bene collocaretur. Sed vbi per luxum ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bonæ impeditur, transisse sentimus. Ita est, non accepimus breuem vitam, sed fecimus, nec inopes ejus, sed prodigi sumus. Vita si scias vti, longa est.*

Sen. l. de breu. vit. c. 1

Ita est, pretiosissimæ rei impendium patimur, tempus terimus, aut speramus ex ope aliena rependi, quod de nostra debuimus & potuimus. Qui alius error est quam maximus, qui ab Æsopo ingeniosè describitur in fabula Cassitæ supra posita. Arripiendum ergo tempus, & occasio, & hora, dum suppetit; ad quod hæc conclusio Martialis.

Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Et Horatij illud, *Sapere aude,*

Incipe; viuendi qui recte prorogat horam,
Rusticus expectat dum defluat amnis, at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

Sed adeamus Scripturas.

QVÆ PER TE POTES, AB ALIIS NE EXPECTES.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

OPERARI sequi adesse, vt qualis sit cujuscumque rei essentia, talis sit & operatio, in omni schola receptum est. Nam virtus operandi sequitur modum essendi; & cujus excellentiora sunt opera præstantia Agentis, eo nobilior existat necesse est. Nequaquam enim virtus remissa & debilis, producet effectus nobiles & arduos; aut mascula & potens, degeneres & remissos, sed quæuis causa operatur secundum essentiam suam. Vnde ex infimo rerum statu ad superiora ascendens, quanto

Digitized by Google

perfectius qualibet Creatura Deum attingit, & perfectiones ejus assequitur, tanto perfectius operatur. Propterea virtus agendi major est in Mixtis, quam in Elementis; in viuentibus, quam in inanimis; in animantibus, quam in plantis; in homine, quam in animali; in Angelo, quam in homine; in Deo, quam in Angelo. Qui solus est actus purus, summus, optimus, omnipotentissimus, misericordissimus, & justissimus, secretissimus, & præstantissimus, pulcherrimus, & fortissimus, stabilis, & incomprehensibilis, immutabilis, mutans omnia; nunquam nouus, nunquam vetus; innouans omnia; & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt. SEMPER AGENS, SEMPER QVIETVS, colligens & non egens, portans, & implens, & protegens, creans, & nutriens, & perficiens. Sic animus pie in Deum affectus.

D. Aug. l.1. Confess. c.4

A præclaris illis Diuinæ Naturæ Epithetis, non abhorret Philo Iudæus, cum dicit solius Dei esse semper agere, & semper quiescere; semper operari, & semper festum agere; quia agit sine fatigatione; & operatur sine vicissitudine & mutatione; nunquam desinens a faciendis rebus pulcherrimis, Vt ipse dicebat Christus: *Pater vsque modo operatur, & ego operor.* Sic autem Philo, Solem & Lunam, & vniuersum Cœlum, Mundumque cum non sint sui juris, & in potestate propria, ferantur que continue, fas est dicere laborare, cujus laboris argumentum liquidissimum extat, in annuis horarum & temporum vicibus, &c. Ergo, quoniam quæ mutantur, propter fatigationem mutari solent, Deus autem mutari non potest; Naturam habet infatigabilem; quod verò non debilitatur, etiam si faciat omnia, id in æternum non desinit quiescere; solius igitur summæ causæ, & Festa sunt, & Sabbatha, homo autem nusquam. „ Sic ille.

Lib. de Cher. & Cain.

Relinquamus ergo Supremo nostro Monarchæ hanc sui juris prærogatiuum, vt occupatissimus quiescat, infatigabilis; & quietissimus operetur, immutabilis; & nobis in hoc exilio fatiscentibus satis sit, quòd laboremus, vt aliquando cum eo quiescamus. In hac enim terra, vbi nihil est nisi labor & dolor, vnica & summa spes & consolatio, hæc est, quod merces est labori nostro. Sed contra homo peruersè rebus vtens, inuertit ordinem, & quietem Patriæ, in exilij loco anteuertit; & cùm laborandum est sex diebus, ad imitationem Creatoris, ante Sabbathum; occupat Sabbathum, ante laborem, & perpetuum festum vult celebrare.

Ita fit, vt cùm Deum supra se non imitatur, cujus imago èst; mittatur ad bestiolas, quæ infra se sunt.

Prov. 6

Propterea Sapiens in Prouerbiis ait: *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam; quæ cùm non habeat ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.*

Formicis adduntur Apes apud Septuaginta, in editione Romana, hoc versu: *Aut vade ad Apem, & disce quomodo operaria est: operationem quoque, quam venerabilem facit. Cujus labores Reges & mediocres ad salutem sumunt.* Quem SS. Patres, Ambrosius, Hieronymus, Basilius, Paulinus, & alii admittunt.

Mittitur ergo homo, jam non omnis, sed piger, ad Formicas & Apes, duo animalcula, vt ab iis addiscat Prouidentiam, Solertiam & Diligentiam, quas virtutes à summo rerum Auctore in his creaturis adumbratas mirantur non sine causa SS. Patres, & certatim laudibus attollunt, cum aliqua exprobratione humanæ pigritiæ.

Digitized by Google

S. Basilius in Hexam. " Non hoc tempore præsenti, ait, fruges tibi recondes Formicæ exemplo? Formica temporis hyberni pabulum æstate sedulo sibi condit, & non quod hyemis incommoda nondum adsunt otiosa tempus traducit, sed insatiabili quodam intentoque studio, legendi semina, tantisper incumbit, dum sufficiens alimentum in cellulis sibi recondat, sapienti quadam prouidentia, vt quam plurimo tempore pabulum sibi conseruet. ,, Secat enim fructus medios, & cum madefactos sentit, apricat. Quod ad mores traducit S. Cyrillus Hyerosolimitanus. " Videns Formicam in æstate, inquit, sibi thesaurisantem cibos, imitare, & thesauriza tibi fructus bonorum operum in futura sæcula ,,

Hom. 9

Cathech. 6.

Eodem modo S. Ambrosius in suo Hexamero. " Est, inquit, in Natura Quadrupedum quod imitari nos sermo, adhortatur Propheticus, quo exemplo caueamus desidiam, exiguitate vel infirmitate corporis a virtutis studio non reflectamur, neque reuocemur ab vllius propositi magnitudine ;, exigua est enim Formica, quæ majora suis audet viribus, & non coacta, sed spontaneæ proposito prospicientiæ futura alimentorum subsidia sibi præstruit, cujus vt imiteris industriam, Scriptura commonet te, dicens, confer te ad Formicam ò piger, & æmulare vias ejus. ,,

lib. 6. c. 4.

Accedit V. Beda; " Si tantillum animal, inquit, principe carens, & rationis expers, Natura duce sibi prouidet imposterum, multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam ejus gloriam vocatus, Doctorum magisterio adjutus, ipsum conditorem habens ducem, debes in præsenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternum viuas in futuro. Hæc enim vita in eo Messi comparatur, & æstati, quod nunc inter ardores tentationum tempus est colligendi futurorum merita premiorum, At dies judicij hyemis similatur rigoribus, quia tunc nimirum nulla relinquetur facultas pro vita laborandi, sed tantùm cogetur quisque de horreo priscæ actionis, quod recondidit, proferre. ,,

Beda in c. prou. 6

Non discedit Augustinus. " Formicæ, inquit, hyeme quiescunt, & cibo fruuntur, sic vnusquisque Christianus in rerum tranquillitate quàm significat æstas, colligat verbum Dei, vt in aduersitate & tribulationibus, quæ hyemis nomine notantur, habeat vnde spiritualiter viuat.

L. con. Adim. ca 24.

His adjungo B. Petrum Damianum. Formica, inquit, venturæ serenitatis tempus quibusdam deprehendit inditiis, & cum cellaria sua aerio cernit humore madescere, propriis humeris repositas victui suo fruges exportat, & damna domestica præcauens torrentibus eas radiis Solis exsiccat, & tanquam non sufficiat, eadem ore proprio grana præcidit, ne videlicet per hyemalis inclementiam imbris iterum turgeant, & negata spe victus in herbas erumpant. ,,

L. 1. ep. 18. ad Card.

Idem dicendum, imo amplius de Apibus ex lectione 70. vt diximus.

Aut vade ad Apem, & vide quomodo operaria est, operationem quoque quam venerabilem facit Pro venerabilem Græca legit σεμνὴν. i. castam, grauem, pudicam. De qua alibi Scriptura honorabilem mentionem facit. *Breuis in volatilibus Apis*, inquit Ecclesiasticus, *& initium dulcoris habet fructus illius.*

Hæc enim præ, Formica hoc habet, quòd non sibi soli, vt ista, sed homini & Ecclesiæ & Regibus laboriosa & vtilis est Mellis & Ceræ opera. Quid enim Melle dulcius, aut vtilius, seu ad cibum vtaris, seu ad medicamentum? Aut quid Cera nobilius? sine qua Altaria non bene lu-

Digitized by Google

cent, nec Sacra fiunt, nec si non sudet Regum conclauia, aut laquearia resplendent, propterea tam bene audit apud SS. Patres.

" Animalia minutiora, ait Tertullianus, maximus artifex de industria ingeniis, aut virtutibus ampliauit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate, secundum Apostolum. Imitare si potes Apis ædificia, Formicæ stabula, Araneæ retia, Bombycis stamina. "

L. 1. cont. Marc. 14

Propterea Virgines Api comparat D. Ambrosius. " Digna, ait, virginitas quæ Apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur Apis, nescit concubitus, Mella componit. ", &c. Vides vt cum Virgines Apibus comparat, Sapientes intelligit, operosas illas lampadibus de oleo charitatis, & bonorum operum, lucentibus munitas: non fatuas, non otiosas, non dejectas.

L. 1. de Virg.

Vnde S. Hieronimus Monachum informans, ait, " Nunquam non facito aliquid operis vt semper te Diabolus inueniat occupatum, &c. Vel fiscellam texe unco, vel Canistrum plecte viminibus, sarriatur humus, areolæ æquo limite diuidantur, &c. Apum fabricare aluearia ad quas te mittunt Salomonis prouerbia, & Monasteriorum ordinem, ac Regiam disciplinam in paruis disce corporibus. "

Epist. ad Rust.

Didimus cœcus, in catena Græcorum, vult vt Apes in peruolutandis Scripturis imitemur; " Versandum nobis est, inquit, in S. Scriptura, vt Apes in campis floridis, vt ex illis oportuna libantes, Mellis, id est Sapientiæ fauos nobis conficiamus, eosque dextrè in mentis aluecari recondamus. "

Propterea Ecclesia in officio S. Cæciliæ vocat eam Apem. " Cæcilia tibi Domine quasi Apis argumentosa (id est strenua, sedula) tibi deseruit. " Ob eamdem rationem S. Chrisostomus Apostolum Api comparat. " Apis diligens, ait, & operosa erat Paulus, vtpote a legis floribus, vmbris & typis prędulces mellis fauos colligens, sapientiæque studium præ cæteris omnibus in honore habens, cujus quidem mellis dulcedine Reges & Idiotæ, qui ex Israel, & qui ex Gentibus conuersi ad sanitatem vsi sunt &c.

Homil. 2. in Isai.

Et non solum Paulum, sed & Magistrum ejus, Christum scilicet, Apum Regi, Regem nostrum comparat. Quomodo inter Apes Rex quidam est, inquit, sic Princeps Apum Dominus meus est Iesus Christus, ad quem mittit me Spiritus, vt comedam mel, &c.

Non moror amplius in illustrandis ex SS. Patrum sententiis, siue Formicæ, siue Apis dotibus, sufficiat horum minimorum annotasse Prouidentiam, Solertiam, Diligentiam, & ea proposuisse imitanda. Prouidentiam in captando tempore oportuno, prænoscendo tempestates, præcauendo nubila, imbres, ventos, serenitatem, tempus florum, vt colligat in æstate quod habeat in hyeme.

Solertiam partiundo inter se labores & officia, præstando per se sua, grana tempestiue colligendo, condendo, promendo, apricando, germina arrodendo, fucos inutiles arcendo.

Diligentiam, impigrè se ad opus accingendo, onera viribus majora portando, sibi inuicem auxiliando, seruando pacem & concordiam, obseruando vigilias, in commune laborando.

Vt tu eadem addiscas, prouidere tibi seriò, diem non perdere, non differre in aliud tempus, quod in præsenti possis, nec ab aliena ope ex-

Digitized by Google

pectare, quod ipse præstare debes.

Solerter agere negotium salutis, vnum illud necessarium; sic præsentis lucis vsura frui, vt cogites de futuro, sic æstatem transigere, vt hyemi prospicias. Sic juuentutem disponere, vt memineris senectutis, sic temporalium, vt æterna non obliuiscaris.

Diligenter opus tuum exequaris, opera operibus, merita meritis accumulando, Deum super omnia amando, proximum diligendo, te vnum odiendo, pacem fouendo, charitatis fraternæ jura seruando. Vt non in vanum te monuerit Sapiens. *Vade ad Formicam ô piger, & considera vias eius, quæ parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Aut vade ad Apem, & disce quomodo operaria est, & operationem quam venerabilem faciat.* Vt si forte ex te somno indulseris & torpueris, minutorum saltem horum exemplo, expergiscaris, & euigiles.

Sicut contigit cuidam Monacho, nomine Malcho, qui leuitate animi è Monasterio, reluctante Abbate egressus, & à quodam Arabe in captiuitatem ductus, atque ex Monacho factus ductor pecorum, cum aliquando Formicarum opus, in commune cum tanto feruore laborantium, contemplaretur, prioris status recordatus, & præsentis pertæsus, cœpit compungi in lachrimas; recordatus Salomonis, inquit, " Ad Formicarum solertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo suscitantis, cœpit tædere captiuitatis, & Monasterij Cellulas quærere, ac Formicarum illarum similitudinem desiderare, vbi laboratur in medium, cumque nihil cujusquam proprium sit, omnium omnia sunt. " Et exinde tam alte animo sedit hæc consideratio communis vitæ, ac laboris recte impendendi, vt breui impedimenta cuncta perruperit, Diuino juuante auxilio, vt ad priorem se statum receperit, præteriti temporis dispendium multiplici operum feruore repensando.

D. Hier. in vita Malchi

TITVLVS LXXIV.

DE AMORE.

FABVLA.

Sol & Aquilo.

SOLEM inter & Aquilonem seu Boream orta est contentio de fortitudine, dum neuter alteri cederet, conuentum est, vt quisque virium suarum periculum faceret, in viatorem qui primo occurreret, vt qui prior ei Penulam vel manticam extorsisset, victor existeret. Pugnam adoritur Boreas, aduocat suæ militiæ omnes ventos, procellas, grandines, nimbos, cuncti facto impetu verberant hominem, pileum auferunt, quem dum ille cursu repetit, & capiti infigit, Penula sursum deorsum excussa & succussa pene excidit; sed quanto plus Boreas flabris furit, tanto magis res

Digitized by Google

suas viator stringit, quod vna manu non potest, duabus arripit, & tenet; & vbi duæ non sufficiunt, dentibus mordicus supplet, & tandem rebus saluis euadit.

Succedit Aquiloni Sol contrario militiæ genere, lenibus fomentis adoritur hominem, glaciem fundit, algentem fouet, & sic paulatim auram calefacit, & radios ingeminat, vt sudet, æstuet, anhelet, caloris impatiens vmbram vicinæ arboris captat, vbi sponte arma victori cedens, pallium & manticam exuit. Innuens plus amore quam vi effici.

De Leone & Vulpe.

INciderat in plagas & retia Venatorum Leo, qui dum fidens virium suarum magno impetu raptat & trahit, fortius stringit. Transiuit fortè illac Vulpes, quæ quasso conatu videns Leonem fatiscere, dixit ei, frustrà laboras, ô mi Rex, non hic impetu & vi agendum, sed industria & ingenio, non trahenda sunt vincula, sed remittenda & relaxanda. Quod vbi Leo fecit, facilè euasit. Docens nodos & difficultates rerum plus dexteritate, ingenio, arte, quàm viribus superari.

De Quercu & Arundine.

QVercus valida, ac procera, videns prope se Arundinem tenuem, cœpit eam in corde despicere; nec tantùm corde, sed etiam contumeliosè verbis tractare, exprobrans ipsi fragilitatem suam, ad omnem auram & flatum nutabilem ac vacillantem. Cui Arundo suæ humilitatis conscia, leuis sum, fateor, inquit, ac tremula, sed tamen duro, nec facile frangor; expectemus paulisper, si procella venerit & flauerint venti, videbimus vtra consistat. Ecce tibi nocte proxima grandis tempestas & turbines, & vbique in sylua, & per agros, arbores stratæ, eradicatæ, susdeque versæ, & inter eas, illa nuper arrogans, & gloriabunda. Cui Arundo: Heus tu, vicina, quomodo fracta jaces, & ego intacta consisto? nisi quia tuis viribus fidens flecti & cedere nescis, & rumperis; ego verò dum omni auræ cedo, perduro. Innuens plus amore & obsequio, & humilitate res firmari ac consistere, quàm viribus.

Mens

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

PLVS AMORE QVAM VI.

Probatur primo, & illustratur,

EX PROFANIS.

POTENTIAM Amoris in dubium reuocare, aut rationem ejus quærere; tam stolidi & hebetis ingenij fuerit, quam cœci, & oculis capti, cur pulchra amentur, inquirere.

Virgil. Georg. 3.

Omne adeo genus in terris, hominumque ferarumque
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres
In furias ignemque ruunt, Amor omnibus idem.

Quanquam quid sit, non sit ita peruium omnibus, & notum. Quidam enim eum ignem vocant, medullas secretè depascentem, & amantem extra se agentem, sic qui dicebat.

Me tamen vrit Amor, quis enim modus adsit Amori?

Et ille alius, qui quo de armento taurus, eodem se torreri, & macerari, stupebat, & dolebat.

Eclog. 3.

Eheu quam pingui macer est mihi taurus in aruo,
Idem Amor exitium est pecori, pecorisque magistro.

Amor igitur ignis est, sed & igne fortior, quod ille significare voluit, qui Cupidinem fulmen Iouis extorquentem, frangentemque pinxerat, cujus meminit Plinius, quod & in Alcibiadis clypeo pictum ferunt, vt plus Amore quàm vi, effici significarent. Vnde illud Distichon.

Perfringunt, penetrant, vrunt mea spicula fulmen,
Scilicet hinc nomen est mihi, πανδαμάτωρ.

Quidam Amorem faciunt præcellentem Pædagogum, mirabili arte inusitata edocentem, sed Amor omni Pædagogo mortali doctior est, & in docendo quidquid vult docere, fœlicior. Vnde Alexis Poëta Græcus.

Stobæus serm. 61

Non est sane Pædagogus hominibus
Diligentior vllus alius, quam Amor.

Et Anaxandridas,

Ibidem

Amor docere potest quàm Sophista
Ineptus, multo melius rationem humanæ vitæ.

Propterea si Bioni credimus, est amicus Musarum.

Ex Bion. Bucol. vbi sup.

Musæ, inquit, *Amorem non metuunt crudelem,*
Quin juuant ex animo, & vestigia sequuntur ejus,
Quod si quis ingenio præditus inamabili ipsas comitetur
Illum refugiunt & docere nolunt,
At si Amore captum gerens animum, suauiter cecinerit;
Ad ipsum simul omnes festinè confluunt.
Quod autem hic sermo plane verus sit, ego testis sum?
Nam si hominum quempiam aut immortalium carmine celebro,
Cessat mea lingua, nec vt ante solebat, canit,
At cum in Amorem, vel in Licidam, aliquid molior

Digitized by Google

Tunc mihi lætum ore carmen profluit.

Idem eleganti ac festiua fictione docet quî Amor subitariè & extemporaneè faciat doctos.

Ibidem

Magna mihi Venus adhuc dormienti astitit
Infantem Amorem pulchra manu ducens,
In terram nutantem, ac his me verbis affata est,
En tibi, chare Bubulce Cupidinem vt eum canere doceas,
Sic locuta abiit, ego autem mea Pastoralia carmina
Stultus tanquam discere volentem Cupidinem docebam,
Quomodo fistulam obliquam Pan inuenerit, Minerua tybiam,
Testudinem Mercurius, & Cytharam dulcis Apollo.
Hæc ipsum edocebam, nil curantem mea carmina,
At ipse mihi canebat amatoria, meque docebat
Mortalium & immortalium ignea & Genitricis opera sua.
Tum ego oblitus illorum, quæ Cupidinem, docueram,
Quæcumque me docuit Cupido, amatoria cuncta didici.

Propterea, dicebat Plato in Symposio, *Amor si quem contigerit, Poëta fit, etiam si prius à Musis alienus fuerit.* Orpheus vocauit *Amorem solerter bigenium, omnium claues habentem*, & merito dici potest nodus perpetuus, & copula mundi; partiumque ejus immobile sustentaculum; inquit Marsilius Ficinus.

in Plat. conu.

Sed amor non solum temporis, & Mundi Elementaris nexus est, sed etiam Æternitatis vinculum, & Mundi superelementaris. Audiamus Boetium,

Lib. 2. de côs. Phil. Met. 8

Hanc rerum seriem ligat
Terras, ac Pelagus regens,
Et Cœlo imperitans Amor:
Hic si fræna remiserit,
Quidquid nunc amat inuicem
Bellum continuò geret.
O fœlix hominum genus,
Si vestros animos Amor
Quo Cœlum regitur, regat.

Hic est ille nexus & vinculum quod superiora cum inferioribus, infernaque cum supernis, spiritualia cum corporeis, nec non corpora cum spiritibus, æterna cum mortalibus, & caduca cum perpetuis, Creatorem cum creatis, & creaturas cum conditore copulat, inquit Leo Hebræus.

Sunt qui Amorem omnium viuentium superiorem, ac domitorem faciunt, sed Amor adhuc fortior est, quippe qui non solùm vitam, sed & mortem sub Imperio frænat; testis Orpheus, cujus Amor Euridicem suam potuerat ab Orco vindicare, & reuocare ad vitam, nisi casus incautis amantibus obstitisset.

Virgil. Georg. 4

Tenari is etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, manesque adiit, Regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

Testis & pius Æneas, quem parentis Amor tristes Auerni sedes penetrare docuit, & has Anchisis voces audire.

6. Æneid

Venisti tandem? tuaque expectata parenti,
Vicit iter durum pietas, datur ora tueri

Digitized by Google

Nate tua, & notas audire, & reddere voces.

Alij denique Amorem Deum faciunt, & inter Deos in Cœlo locant, sed nec isti satis dicunt, nisi addant etiam in cæteros Amorem Imperium obtinere.

Quisquis Amorem non magnum judicat Deum,
Et inter Dæmones omnes supremum esse,
Vel rudis, ac indoctus est, vel omnis elegantiæ bonique inexpertus,
Maximum hominibus Deum ignorat.

Ap. Stob serm. 61

Dicebat Euripides, cui accinit Alexis, ibidem.

Nimirum igitur maximus est Diuorum Amor,
Et longe omnium nobilissimus;
Nullus enim vsque adeo parcus est,
Homo neque moribus tam exquisitis,
Qui non huic Deo partem aliquam tribuat.

De Hercule portentorum domitore, non est tam magnum, quòd ab Amore victus ac prostratus sit, de quo Ouidius:

Quem non mille feræ, quem non Stheleneius hostis,
Non potuit Iuno vincere, vicit Amor.

Sed magnum est, vicisse supremos Deos, quod lepido Epigrammate quidam cecinit.

Augerian Apud Alciat. embl. 109

Omne olim Cœlum, vt fertur, Cœlum omne ruebat
Inter se superi dum fera bella gerunt.
Fortis erat Bromius Thyrso, Mars ense, Tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Iouis.
At cum visus Amor fuit in fulgentibus armis,
Nec non accensa lampade pulchra Venus,
Priuatur Thyrso Bromius, Mars ense, Tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Iouis.

Melius tamen mihi sapit, & ad nostræ fidei mysteria congruentius videtur, quod dixit Hesiodus; *Deum cum hanc vniuersitatem conderet, in Amorem conuersum.* Seu quia condendarum non alia sibi causa quàm sua voluntas, quæ essentialiter Amor est, fuit; seu quia in finem, vt amans redamaretur, condidit.

Ex dictis suprà, quòd Amor est ipso igne actiuior, omni pedagogo ad docendum excellentior, omni nexu & vinculo fortior, non solùm viuentium, sed etiam mortis domitor, Diis potentior, satis probata manet hujus Moralis ac Tituli veritas, PLVS AMORE QVAM VI. Iuxta illud.

Omnia vincit Amor, & nos cedamus Amori.

Virgil. Eclog. 3

Sed ne tantillum à Scopo videamur deflectere, & ex abundanti, ad rem pressius.

Vis miraculum Amoris naturalis, linguæ vinculum, quod pharmaca nulla effecerant soluentis? Habes in Crœsi Regis filio, qui cum a natiuitate adultus elinguis esset, & hostis patrem in bello victum gladio educto, ignorans regem, esset feriturus, Mutus adolescens periculum patris auersurus diduxit os, & magno nisu exclamans articulate pronuntiauit: *Ne interficias Regem.* Sic Rex vita donatus, & filius loquela est. Vnde hoc, nisi quia plus amore quàm vi, aut Natura efficitur?

Apud Au. l. Gel l. 5. Noct. attic.

Vis alia amoris ciuilis & politici? Quis enim factum Licurgi Lacedæmoniorum Regis instar miraculi non habeat, qui à ciue quopiam seditio-

Digitized by Google

Stobæus Serm 17 de Pat.

[illegible]; altero oculorum orbatus, cum illum à populo accepisset, vt quomodo liberet, se vindicaret; eum apud se retinuit, instituit, feros mores ratione domuit, sicque mutatum in aliud virum, in theatrum produxit, admirantibusque Lacedęmoniis, dixit: *Istum ante hac injurium & violentum à vobis acceptum, jam frugi ac popularem redditum, vobis restituo.* q. d. Plus Amore quàm vi, effeci.

Seneca L. 1. de clem. c. 9

Aut quis non obstupescat quod Augustus de consilio Liuiæ vxoris suæ fecit aduersus Cynnam, insidiatorem ante perpetuum vitæ suæ? quem vita, & venia, & sua amicitia donatum, de hoste aperto, audace, contumelioso, fecit Amicum, fidelem, constantem, perpetuum.

Adeò mirabilis est efficientiæ via Amoris, qua plusquam præsidiis, & armis satellitum circumsepti, tuti sunt Principes. Quod enim de ciuitatibus Agesilaus, à fortiori jure de Principibus dici potest, cum enim rogaretur cur Sparta non cingeretur mœnibus, *Ciues*, inquit, *inter se consentientes satis ad Præsidium vrbis existunt. Hos si jungat concordia, saxis & vallis, murus fortior est.* Inde dicebat Periander: *Summe nitendum iis qui tuto regnare vellent, vt beneuolentia potius quam armis stiparentur.* Et Antigonus suadentibus amicis, vt si Athenas caperet, fortissimo muro vallaret, rectissime respondit: *Nullum Imperij firmius & stabilius esse Præsidium, quam ciuium amorem & beneuolentiam in Principem.* Tiranni enim, & grassatores licet se præcipitiis & rupibus sepiant, fremunt: *Boni Principes*, dicebat quidam Agasicles, *qui subditis imperant, vt pater filiis, satellitio non egent.* Quorum omnium ratio hæc est, quod plus Amore quam vi Princeps tutus ac securus est.

Finem facio, si prius locum Plinij in Panegyrico Trajani adduxero, vbi huic Principi gratulatur quod multo magis securior sit, & tutior vitæ ipsius incolumitas ab amore ciuium, quam Domitiani crudelis multo satellitio stipati. *Quanto ait nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam non crudelitatis, sed amoris excubiis, non solitudine & claustris, sed ciuium celebritate deffenditur? Et quid ergo, discimus experimento fidissimam esse custodiam Principis ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere; frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit; armis enim arma irritantur.* Hæc ille, & satis ad propositam veritatē ex Profanis.

PLVS AMORE QVAM VI.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

EX iis quæ retro ex Profanis de Amore prelusimus, adductis variis sententiis eorum qui eum Ignem nuncuparunt, qui Pędagogum pręcellentem, qui Naturæ nexum, qui omnium viuentium superiorem, imò & ipsius Mortis: alij denique, Deum facientium, & Dei ipsius, victorem. Nunc de sacro Amore verba facturi eadem via, iisdemque passibus, quinque Diuini Amoris effectus in prędictis adumbrari, non operosè ostendemus.

Amor enim vt Ignis, incendit; vt Pędagogus sacer, instruit; vt nexus,

Digitized by Google

ligat & ſtringit; vt omni viuenti, & ipſa Morte ſuperior, eam vincit & ſuperat; vt potentiſſimus, etiam de Deo triumphat.

Non eſt autem nouum aut inſolens in Scriptura Deum vocari Ignem. Dicitur enim in Deuteronomio: *Caue ne quando obliuiſcaris pacti Domini Dei tui; quia Dominus Deus tuus Ignis conſumens eſt.* Quem locum Apoſtolus ad Hebræos citat, & Beatus Præcurſor Ioannes diſcrimen verum aſſignans inter ſe & Ieſum, Baptiſma ſuum, & Chriſti, dicebat: *Ego quidem baptizo in aqua; veniet autem fortior me, cujus non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti ejus: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quibus verbis diſtinguendus venit duplex ignis, cujus alter ſit altero ſuperior: Ignis baptizans & mundans, qui non aliud quam Amor eſt: alter ſæuiens & caſtigans, qui & ipſe non aliud quàm ira Dei eſt. Prioris exemplum, ſeu Mundantis, ſit Currus ille igneus, quo Elias in Cœlum tollitur; ſæuientis, ignis ille de Cœlo, quo idem Propheta principes Quinquagenarios duos, & totidem quinquaginta milites combuſſit. De primo intelligendus eſt hic locus Leuitici: *Ignis autem ſemper ardebit in altari meo, quem nutriet Sacerdos ſubjiciens ligna.* Quo, non alius haud dubiè, perenni illa flamma templi cuſtode ſignatur, quàm Diuinus Amor, in templo cordis jugiter pellucens. De ſecundo, qui eſt ira Dei, ignis ille cœleſtis, qui vorauit filios Aaron, & abſumpſit Sodomitas.

Deut. 4

cap. 12

Lucæ 3

Levit. 6

Denique de ſacro illo igne Dominus ipſe pronuntiauit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* q. d. Quid volo, niſi vt ignis ignem abſumat, ignis mundans & purificans Amoris Diuini, expellat & euacuet ignem ſæuientem iræ meæ, de quo dicitur: *Diſcedite, maledicti, in ignem æternum*, &c.

Math. 25

Fœlix, qui præcellenti illo igne lucet & ardet, quo vt ardeamus & luceamus, ipſi gratulemur, & gratulando inuocemus, cum S. Matre Eccleſia, hoc eſt, in nobis ipſis eum vocemus, cum nobili progenie filiorum ſuorum, id eſt, ſanctorum donorum & fructuum.

O lux beatiſſima! reple cordis intima, tuorum fidelium.
Sine tuo Numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.
Laua quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium.
Flecte quod eſt rigidum, foue quod eſt frigidum, rege quod eſt deuium.

Iam Amor, qui ſuo igne incendit, idem nos vt Pædagogus non minùs fœliciter inſtruit. Sic enim Clemens Alexandrinus Verbum vocat in ſua Pædagogia: « Hic eſt, inquit, Pædagogus Mundi, & hominis Opifex; & propter ipſum jam eſt Mundi quoque Pædagogus, cujus juſſu ambo conſtamus. » Quod potiori jure Spiritui Sancto, qui perſonaliter Amor eſt, conuenit; quem idcirco ſe Dominus noſter Eccleſiæ ſuæ miſſurum Apoſtolis promiſit, vt Pædagogi officio fungeretur, & ſui loco fidei Myſteria reſignaret. *Paraclitus* (inquit) *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.*

Lib. 3 circa finē

Ioan. 14

Quippe quod in magno Mundo creando fecit, præſtat & in paruo, homine ſcilicet recreando, vbi enim dicit, Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; adjungit. *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* « Sicut Deus, & Conditor, ait Gloſſa, præerat fluitanti, & confuſæ materiei, vt diſtingueret. Quid eſt diſtinguens, niſi vt ornaret, & perficeret, quod eleganter Tertulianus: « Quod colimus, inquit, Deus vnus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento Elementorum, corporum, ſpirituum, verbo

In Apolog. c.17

Digitized by Google

quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum Majestatis suæ. „ Quibus verbis, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, vt Patris & Filij proprietates designantur, sic ista, virtute qua potuit, Spiritui sancto. Vt Pater sit summa ratio disponens, Filius sermo operans, Spiritus Sanctus virtus vtriusque distinguens, perficiens, & consummans. Vnde dicat Psalmista: *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Structuram quidem Opificij hujus mundialis Patri & Filio tribuens, cæterum ejusdem ornatum, pulchritudinem, perfectionem Spiritui sancto, officio Pædagogi, seu consummatoris fungenti. Vnde alia versio legit secundum Hyeronimum: *Incubabat aquis,* more volucris seu Gallinæ oua calore animantis. Quod quid est aliud quàm officio vt diximus fungi Pædagogi, puerum sibi commissum matris instar in sinu suauiter educantis, & disciplinæ sanctæ fomentis, quasi calore fouentis.

Psal. 32

Syra lingua.

Idipsum, inquam, in secundo opere, reparationis scilicet, clarissime illucescit, in quo licet alia sit rerum dispositio, seu vt loquitur Apostolus, *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.* Vide illum Conceptioni Verbi Diuini, seu Incarnationi, incumbentem & incubantem, & suo munere perfungentem. *Spiritus*, inquit, *Sanctus superueniet in te*, pro *ferebatur super aquas*, seu *incubabat aquis*. Et in vnoquoque nostrûm cùm illuminamur, cum tingimur, cùm renascimur, in Baptismo, aut in Pœnitentiæ Sacramento, quis vltimam manum justificationi peccatoris, nisi Spiritus Sanctificator, apponit? quis virtutem aquis vtriusque, nisi Diuinus hic Pædagogus, de suo calore & fomento dispensat? Vt hîc liceat vsurpare præsentis hujus Tituli effatum, PLVS AMORE, QVAM VI. Quod S. Bernardus optimè insinuat: " O jugum, inquit, sancti Amoris, quàm diligenter capis, gloriosè laqueas, suauiter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis! „

in tract. de dil. Deo.

Et sic eruditos idem Spiritus, qui essentialiter Patris & Filij nexus est, etiam Homines Deo conjungit & ligat, tam perfecto & indissolubili vinculo, vt in Diuinæ participationem vnitatis, consortiumque admittantur, efficiente hoc in eis Domino, quod promisit: *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Qui Diuinissimus effectus quod sit Diuini Amoris proprius, ipsique referatur acceptus, testatur ille ejusdem vnionis, & suis vinculis particeps, qui ait, *Obsecro itaque ego* VINCTVS *in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis,* &c. *Solliciti seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus.* Et alibi, Amorem, seu Charitatem vinculum perfectionis vocat. *Super omnia autem hæc,* inquit, *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et prædilectus Apostolus: *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Ioan. 17

Ephes. 4

ad Coloss. 3

1. Ioan. 4

Inde liquet quam congruenter Diuinis eloquiis Dionisius Areopagita Galliæ Apostolus scripserit. " Amorem Diuinum, siue Angelicum, siue intellectualem vitam quandam esse viuificam, & commiscentem, superiora mouentem ad inferiorum Prouidentiam, & quæ sunt ejusdem Ordinis ad communionem mutuam adhortantem, inferiora tandem reuocantem, & ad sublimia conuertentem. „ Cujus veritatis sublimis præclarum locum ex L. Deuteronomij juuat afferre, vbi Moises Diuina beneficia Israeli collata, Sacro Amoris glutino, quo Deus erga hominem

Digitized by Google

captus est, & addictus, refert. *Et nunc Israël*, inquit, *quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum?* Gusta quæso suauitatem plusquam melleam verborum quæ sequuntur. *En Domini Dei tui*, addit, *Cœlum est, & Cœlum Cœli, & terra, & omnia quæ in ea sunt; & tamen* PATRIBVS TVIS CONGLVTINATVS EST DOMINVS, *& amauit eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatis.* Quis Amorem hunc perpendens non obstupescat? Quis Deum alterum Sansonem non vocitet, alienigenam, fœdam, infidelem Philisthæam, depereuntem? Posthabitis tot melius merentibus Creaturis, sed vt hujus non alia sine ratione ratio, nisi quia placuit oculis suis, sic nec illius nisi quia sic placitū fuit in conspectu suo. Diligit Deus hominem justum, quia amauit eum, quia conglutinatus est ei. Hoc est quod vno verbo dicit Apostolus: *Miseretur, cujus miseretur.* Quod adhuc proprie cum nostra hac titulari sententia conuenit; PLVS AMORE QVAM VI.

Deut. 10

Videamus jam eumdem Amorem vitæ & mortis Leges superantem, vincula dissoluentem, vno verbo mortis victorem.

Hoc inter alia suæ Apocalipsis arcana vidit, & scripsit S. Ioannes, cum Domitorem mortis, & conculcatorem Inferni describens, Deum nostrum, dicit vidisse in Throno vtique triumphum agentem mortis. Dicit enim: *Vidi, & ecce in medio Throni Agnum stantem, quasi occisum. Vidi*, inquit, *in medio Throni*, vt de triumpho non dubium sit. *Et 4. animalium, & in medio seniorum.* Hi sunt sacri assessores & spectatores triumphi. *Agnum stantem.* Nomine Agni, Amorem clarissimè designat: *Stantem.* Habitum triumphatoris, victores enim stantes in throno triumphabant. *Tanquam occisum.* Id est paulo ante occisum, sed jam morte perfunctum, & licet mortis vestigia impressa ferentem, viuum tamen, & mortis victorem. Vnde dicat Apostolus: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Imo quòd mortem prostrauerit, & subjugauerit manifestè asserit. *Absorpta est*, inquit, *mors in victoria.* Deinde ipsi debellatæ victæque insultat. *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?*

Rom. 6

1. Cor. 15

Petebat non immerito sponsus, vt se sponsa quasi signaculum super cor & super brachium poneret. *Pone me*, inquit, *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia*, inquit Glossa, quod perfectè diligitur super cor poni dicitur. „ Et super brachium ad perfectè operandum, & rationem reddit, quia fortis est vt mors dilectio, quasi diceret: quia amor meus quo dilexi te, moriendo pro te, *fortis vt mors fuit.* Imo fortior morte fuit, tum quia solus Amor, quo pro te ardebam, me mortalem fecit, & mori coegit, tum quia mortem subeundo, ipsam subegi, mortis victor fui: *Inimicam mortem destruxi, mortem deglutij.* Quia mors quæ erat vitalis, facta est mortalis; & vita quæ mortalis erat, & morti subjecta, per me facta est immortalis. Veniet enim cum mors non erit vltra, & vita semper erit, quia erit æterna. Sic Amor de morte triumphauit.

1. Cor. 15
1. Pet. 13

Sed quomodo non de morte Amor, qui etiam de Deo triumphauit? Deus enim cum in forma Dei Potentia fremens, fulminibus tonans, vi sæuiens, hominē potius terreret, quàm alliceret: *Noua bella elegit*, in Amorem se transmutauit. Exinaniuit se in forma serui, vt latens sub ea forma Deus hominem ad se traheret, & qui nullius nisi sui erat, omnium fieret, sic enim dixit: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* " O suaui-

Oseæ 11

Digitized by Google

tatem! exclamat Bernardus, ò gratiam! ò Amoris vim! summus omnium, factus est omnium. Quis hoc fecit? Amor, dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo Amor. „ His scilicet armis prius ipse devictus, hominem deuicit, mundum subjugauit.

Ser. 64 in Cant.

Talem quippe in votis habebat, & vt obtineret olim Cœlum precibus pulsabat nostra mortalitas, cum diceret: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ.* Dominatorem quidem volens, sed non trucem, non Vrsum, non Aquilam, non Leonem, sed Agnum, qui totus suauis & totus Amor sit. Eo enim habitu, actu, affectu, amoris, fore promittit, vt omnis terræ, omnis plagæ, omnis gentis Dominator existat. *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ.*

Saül Rex oderat Dauidem capitalissimo odio, contra filius ejus Ionathas eum ardentissimo amore diligebat, vnde scriptum est: *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Vterque tam contrariis studiis, vt cum Pater bonis, honore, vita, Dauidem spoliare conaretur, filius toto affectu defenderet, & spoliaret se tunica sua vt daret Dauidi & vestimenta sua vsque ad arcum & gladium & balteum. Cujus rei ratio alia non est, nisi quòd Amor est fortior Natura, qui filium separat à patre, & amicum præfert parenti. Idipsum in Deo Patre & Filio ejus Domino nostro videre mihi videor, scilicet offensum Patrem iratumque ob scelera hominum eorum vrgere vindictam, filium vero misericordia motum patri obstare sæuienti, & quanto plus ille concessis abusum donis hominem contendit spoliare, perdere, pœnis & morte afficere; tanto magis iste intercessit, hominis causam suam fecit, ejus Naturam assumpsit, totamque iram Patris, & crimina hominis proprio sanguine & morte dissoluenda suscepit; tantum potuit Amor in Filio Dei, vt eum quasi à Patre in hominis causa separauerit.

Eia igitur Amor, age euge, & quo cœpisti pede perge, non jam contra Deum, sed contra miseros mortales quos tantopere amasti. Quia *si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines?* Qui potuisti iram Patris expugnare, quanto magis hominis vitia, prauos affectus & mores poteris superare? Auaritiam extirpare, frænare concupiscentiam, superbiam extinguere?

Cum te viderint ex diuite, nudum & pauperem, quibus non commorientur affectibus? cum acerba & indigna patientem, quæ pati formidabunt? cum mori in cruce, quid pro te laboris refugient? humiliatum, quo non se pro tuo amore dejicient? Similes sanctæ illi animæ ex SS. Anachoretis, qui Euangelij librum peruoluens, cum omnibus ex consilio Dominico se priuasset, & dedisset pauperibus, & nudus in petra sederet, Euangelij librum amplexans, ab eoque peteretur, quis eum sic omnibus spoliasset, Sacrum Codicem manu ostendens, hic, inquit, est qui spoliauit me, & nudum effecit, incessanter inculcans: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quod vtinam imitentur saltem hi, qui se hoc verbum audiuisse, & capere posse putarũt, & professi sunt. Et sit satis.

TITVL

Digitized by Google

TITVLVS LXXV.

DE EXEMPLO.

FABVLA.

Opilio.

OPILIO Catulum Lupi in sylua repertum domum detulerat, & animi causa cum Canibus gregis alebat, sperans consuetudine & Exemplo suorum Canum fore, vt Lupinos mores deponeret: sed contra factum est. Nam vbi adoleuit, Naturam ducem sequens, cœpit Oues rapere, orælari, comedere; & Canes gregis ad idem exemplo trahere. Aduertit hoc tandem gregis Custos, & Hero nunciauit, qui Lupo iugulato, gregis saluti hac victima abundè litatum, prouisumque putauit, sed frustra; nam Canes, Lupi mores edoctos dedocere non potuit, nec impedire, quin Ouile disperderent; de quo conquerens, dicebat, ô miserum me, & stolidum; merito plector, qui Lupum cum Canibus meis alui, qui tantum abest quod mores suos exuerit, quod potius meos Canes docuit, & in exemplum Oues diripiendi, ac deuorandi pertraxit. Adeo exempla potentia sunt ad mores suos, siue bonos, siue malos in alios traducendum.

De Cancris Matre & Filio.

CAncrum retrogradum Mater sua intuens gradientem suo more, heu me, fili mi, inquit, quam male incedis, quid verò non recta gradieris? Respondit Filius: At enim sic me Natura, sic vsus, & tu docuisti. Sed quæso te mi mater, gradere ante, doce me tuo Exemplo, præi, sequar. Ostendens nil efficacius Exemplo Parentum ad bonam vel malam viam prosequendum.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

PLVS EXEMPLIS QVAM VERBIS

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVALE sit quantumque exempli imperium ad traducendos in aliena ingenia mores, Seneca multis in locis docet, præcipuè Lucilio suo scribens, cùm illi libros quorum lectione multum profecerat extolleret, & eos ipsi communicare ac mittere polliceretur; hæc addit.

Plus tamen tibi viua vox, & conuictus, quam oratio proderit; in rem præsentem venias oportet. Primum, quia homines amplius oculis quam auribus credunt. Deinde quia longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla. Zenonem Cleantes non expressisset, si eum tantummodo audisset; vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, obseruauit illum; an ex formula sua viueret. Plato & Aristoteles, & omnium in diuersum itura sapientum turba, plus ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit. Methodorum & Hermachum & Polienum, magnos viros non Schola Epicuri, sed contubernium fecit. Sententia valde notabilis, quæ in omni scientia, & arte experientiam suam habet; longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla.

10. Ethic. Ita sentit Aristoteles. *Magis*, inquit, *mouent exempla quam verba.* Item: *In actionibus humanis minus creditur sermonibus, quam operibus.*

Enimuero Artis bene dicendi præcepta quæ Tullius in oratore quem instituit, accumulat, parum prodessent, nisi partes oratoris perfecti, in orationibus quas pronuntiauit & scripsit, impleuisset. Idem dicas de poetica, quam Horatius, qui de ea scripsit, & alij, in suis operibus melius quam in documentis imitandam reliquerunt. Sic qui Politicæ ac ciuilis vitæ documentis informari cupiunt, magis ambiunt, in vita virorum illustrium, qui statuum ac rerum publicarum gubernacula tenuerunt scrutari quod fecerint, quàm quid scripserint. Ita Marcus Cato adhuc adolescens, Manij Curij vitam, moresque sibi imitanda proposuit, qui ter ferocissimarum gentium reportato triumpho, aucto imperio, ipse nihilo ditior, ruri in tenui casa vitam agens terram propriis manibus exercebat, quem legati Samnitum rapas coquentem inuenerunt, & magnum auri pondus offerentes, ab eo dimissi sunt.

Plutar. in M. Catone.

Sic Plutarchus in vita Pauli Æmilij refert, sibi vitas & res gestas Heroum scribenti, vice speculi esse, in quo eorum virtutes contemplans sua ad eorum facta componat, adeo vt dum eorum facinora animo recolit, eos sibi videatur viritim apud se hospitio excipere, familiariter conuersari, ac contemplari, moresque in se traducere præclaros.

Plutar. in Paulo Æmilio.

Qua in re nostri Senecæ videtur regulam imitatus, sic Lucilium suum adhortantis. *Clausulam*, inquit, *Epistola poscit, accipe, & quidem vtilem & salutarem, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Elige itaque Catonem, si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium; elige eum cujus tibi placuit, & vita, & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum.*

Epist. 11

Idem fecerunt magni bellorum Duces & Imperatores; Iulius Cæsar, Alexandrum; posteri Cæsarem; alij Pompeium, eorumque res gestas, bella, victorias, sibi proposuerunt imitanda. Themistocles Miltiadem & ejus trophæa, Timoleon Chorinthiorum Dux Agesilai, & Epaminondæ perpetuo facinora animo reuoluebat, & ad eorum exempla se conformare satagebat, adeo per exempla virtutis iter facilius est, & fœlicius, quam per præcepta.

Præcipuè verò decet parentes sese filiis in exemplum viuendi proponere, quos ipsis Natura præfecit, nam licet sæpius bonorum parentum sint proterui filij, malorum tamen nunquam, nisi perraro, bonos videas, juxta illud prouerbium κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, *mali Corui malum ouum*.

Digitized by Google

Laudatur hoc in genere Basilius Imperator, qui in capitibus quæ Leoni filio & Imperij collegæ dedicauit, sic ait. *In mente*, inquit, *habeto semper Patris tui mores, & ad eorum exemplum vitam tuam studiosè compone; neque enim in socordia vitam nostram traduximus ociosè, neque in rebus ignauiter versamur, sed vt vita nostra pro viua imagine virtutis proponi tibi possit sedulo agimus; inertiam in vitio ponentes, & laborem in laude ducentes.* Sic Æneas Iülum suum apud Virgilium informat, suo & suorum exemplo.

12. Æneid.

Disce Puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis, nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito mox cum matura adoleuerit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum;
Et Pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Et Claudianus 3. Honor.

Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum;
Hæc exempla dabat. Non otius hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu Cuspidis artes,
Siue Lyræ cantus, Medicas seu disceret herbas.

Perdificile enim est quod filij non sequantur exempla majorum; vt bene Iuuenalis,

Iuuenal. Sat. 14.

Si damnosa senem juuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoque eadem mouet vrna fritillo.
Sic Natura jubet, velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos auctoribus. Vnus & alter
Forsitan hæc spernant juuenes, quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan,
Sed reliquos fugienda Patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.

In vniuersum spectat ad Præfectos, & Duces, & Principes cujuscumque artis aut scientiæ; præire suo exemplo. Vnde in re militari maxime qui de ea scribunt, id volunt. Propterea Onosander stratagemate 42. de re militari, sic ait. Quantum ab Imperatoris conspectu res bellicæ capiant incrementum, si quid subito confici oportet, Imperator primus ipse manu operi admota conspiciatur.

Praxim hujus Consilij longe ante in Agesilao Rege Lacedæmoniorum notauerat Plutarchus: *Is si quid esset*, inquit, *quod celeriter per milites confici vellet, primus ipse sub oculis omnium opere aggrediebatur, quo vel pudore ad idem stimularentur. Efficacissimum hoc exhortationis genus, Principem facere quod ab aliis fieri velit.*

Plutar. in

Idem Lucanus refert, & laudat de Catone; qui cum aliquando superandus esset cliuus, ad omnes laboris molestias ipse præibat per loca salebrosa equo dimisso, exemplum pro Imperio fuit.

Lucan.

Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes, monstrat tolerare labores,
Non jubet.

Id etiam de Tyberio Principe refert Velleius Paterculus in fragmentis Historiæ Romanæ, vere ne an adulatorie haud scio. *Facere*, inquit, *recte ciues suos Princeps optimus faciendo docet; cumque sit Imperio maximus, exem-*

plo major est.

Ouid. 6. Fast.

Bene Poëta.

Sic agitur Censura & sic exempla parantur,
Cum Iudex alios quod jubet, ipse facit.

Cassiod. l. 1. variar. epist. 4

Dicit hoc eleganter Theodoricus Rex apud Cassiodorum. *Facilis*, ait, *recti persuasor est innocens Iudex, sub cujus prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere. Quis enim vereatur scelus cujus in suggestu gremij complicem videt? Incassum personam fictæ seueritatis inducit, cum auarus, pecuniæ ambitum dissuadet, cum Legibus parendum censet injustus.*

Plin. l. 37 cap. 2

Pulchre omnino Pompeius magnus à Plinio arguitur, quod eo tempore quo Romanæ Reipublicæ summa auctoritas penes se erat, imaginem suam è Margaritis effingi permisisset. *Imago*, inquit, *Cn. Pompeij è Margaritis! illa Regio honore grata! illius probi oris, venerandique per cunctas gentes, illa inquam, ex Margaritis, seueritate victa & veriore luxuriæ triumpho! Quàm profe-fectò inter illos viros durasset cognomen magni, si prima victoria sic triumphasses! Et Margaritis, magne! tam prodiga re, & fœminis reperta; quam gerere te fas non sit, hinc fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri?* Concludit tandem suam nostro proposito Censuram, his verbis. *Quinimo Ius videmur perdidisse corripiendi gemmata potoria, & varia supellectilis genera.* Sic ille tam seuerè quam verè. Princeps enim luxum & vitium suum, male in alio condemnat, quod in se probat. Quia melius exempla quam verba persuadent.

Hippocr. de Medico.

Conducit ad rem nostram consilium Hipocratis, Medicorum Principis, qui in principio Libri in quo Medicum instituit, vult *Medicum* sanitatem vultu ipso præferre, ne ægris veniat in mentem illud Diuini *Eloquij*, Medice cura teipsum. Sic autem habet. *Hic Liber Medici gubernatio est & preceptum quomodo institui oporteat. Medici quidem gubernationem esse putamus, vt curet quo bono colore, & bona ac carnosa corporis habitudine præditus est, juxta existentem in ipso Naturam; vulgus enim existimat, eos qui non sic bene dispositum corpus habent, neque aliis prospicere posse.*

Ea scilicet est hominum Natura, vt plus credant exemplis quam verbis & herbis, ita vt ex sententia Hippocratis, Medicus febriens & languidus, minus idoneus sit Medicinæ tractandæ, sanitatem suo non promittens vultu, quam aliis spondet; Non secus Doctor impertinens est morum in aliis, primus corruptor in suis.

PLVS EXEMPLIS QVAM VERBIS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

DISCRIMEN facti & verbi, operis & doctrinæ, luculenter ostendit Dominus, quamque illud, hoc antistet, cùm Apostolis diceret: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum.* Supposito namque quòd regno Cœlorum, de quo hîc sermo, non cœlestis beatitudo, sed Ecclesia intelligatur; & his verbis, *docuerit sic homines*, idem sit ac in doctrina Christi, in hunc sensum recidet

reg. 19 ... ral. c. 5

Digitized by Google

sermo Diuinus, eum Doctorem qui puram putam Christi doctrinam strenuè docuerit homines, & in aliquo minimo deliquerit, quod venialem noxam non excedat, hic minimus vocetur in Ecclesia, inter infimæ sortis homines coram Deo reputetur, è supremo in infimum abjiciatur. *Qui verò fecerit & docuerit, hic magnus*, imò maximus, habeatur. Quem locum sic Hieronymus & Paschasius explicat. Hinc velim "prudens lector attendat, ait iste, quàm periculosum sit Magistris Ecclesiarum, vel minimis peccatis obnoxios esse. Quid enim prodest docere justitiam, quam minima destruit culpa, & à gradu maximo dejicit leuis præsumptio." Inde perspicuum est quàm vilipendat Dominus, aspernetur, floccifaciat eum *qui docuerit* tantùm; quàm verò æstimet, commendet, magni faciat, *qui fecerit & docuerit*.

& Aug. l. 1. de serm. D. in monte S. Hieron Apud Maldon. &c. hic

Talis, meo quidem judicio, & tanta quanta potest esse, ea laus est! quam Apostolus Philippensibus impertitur. *Sitis*, inquit, *sine querela*, &c. *In medio nationis prauæ atque peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo; verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi.* Quot verba, tot rara encomia. 1. Quod in medio nationis prauæ non deprauati sint; quod luceant, non vt faces erraticæ in imo & ad horam, sed velut luminaria majora Cœlo affixa toti mundo illucentia. Sed nunquid verbis, aut dictis, aut simplici eorum fidei receptæ, hæc impensa laus est? an potius factis, operibus, exemplis? vt eos magnis luminaribus mundi orbi Christiano collucentibus comparet, dicente Gregorio. "Cogitationi humanæ Diuina dispensatio quot justos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras in cœlum misit."

ad Philip 2

in Præfat Moral. c.

Huic vni causæ, exemplo scilicet Christianorum sanctè viuentium, referebat Apostolus miros profectus Euangelij, vt ex præ citatis Philippensium laudibus apparet. Ita congratulatur Hebræis, quos sic ad primum Fidei suæ feruorem, & conuersionis suæ exempla, reuocat, & accendit. *Rememoramini*, inquit, *dies pristinos, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero opprobriis spectaculum facti; in altero autem socij taliter conuersantium, effecti.*

ad Heb. 10

Propterea tantus erat Apostolus in commendando exemplo charissimo suo Timotheo. *Exemplum*, inquit, *esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*; cujus commmendationis causam subjungit, *vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Hoc enim faciens, & te ipsum saluabis, & eos qui te audiunt.*

1. Tim. 4

Idem inculcat Tito. *In omnibus*, inquit, *teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum irreprehensibile.* Eodem quo ad Timotheum modo concludit: *Vt is qui ex aduerso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* Pro vereatur Græce, ἐντραπῇ. Id est, pudefiat, confundatur aduersarius, gentilis, quilibet Fidei hostis; verbum enim Dei, prædicatio, vincit errorem, operatio, exemplum, conuincit, errantes, & obmutescere facit obstinatos. Quod expresse notat Princeps Apostolorum Petrus. Sic obtestans Christianos: *Conuersationem*, inquit, *inter gentes habentes bonam; vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum. Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

Ad Tit. 2

1. Pet. 2

Ita Magni illi satores Fidei, quippe qui optimè scirent longe efficacius homines moueri exemplo, quam verbo. Et re vera, nullo fortiori argumento Religionis Christianæ veritas Gentilibus persuasa est, quam vitæ

Digitized by Google

innocentia, castitate, & sanctimonia, in suis cultoribus relucentibus. Philosophos enim argumenta quibus prædicationi Euangelij obsisterent, non deficiebant; exemplis magnarum virtutum quæ in Christianis prælucebant, morum integritati, delitiarum carnalium abstinentiæ, expoliationi bonorum omnium, victoriæ iracundiæ, fortitudini in perferendis tormentis, quid objicerent, non habebant.

Math. 7 Lucæ 4 Sancti Euangelistæ Mathæus & Lucas, non immerito de Christo Domino nostro referunt; Mathæus. *Erat docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* Lucas, *Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.* Interrogo, qui docebat Dominus sicut potestatem habens? *Quia cœpit facere, & docere. Qui fecerit, & docuerit.* Sic suos informat. Quare, *non sicut Scribæ & Pharisæi*, additur? In promptu ratio est: Math. 23 *Dicunt & non faciunt. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Nunquid sic persuadent populos? Minime verò: *Non est in potestate sermo eorum.* Dicente 23. Moral cap. 7 Gregorio in hæc verba. « Cum imperio docetur, quod prius agitur quàm dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. » Non aliter Beda venerabilis, Beda in Luc. « Sermo Doctoris in potestate fit, cum ea quæ docet, operatur: qui enim facto destruit quod prædicat, destruitur. »

ad Coloss. 2 Sapidissimum mihi Apostoli verbum recurrit de Domino nostro, dicentis: *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans in semetipso.* S. Ambrosius pro confidenter legit, *in auctoritate.* Quomodo vero in auctoritate spoliauit, humiliauit, attriuit Angelicas potestates? Superbos illos spiritus? quomodo triumphauit in semetipso, nisi sic? Summa ignominia vicit superbiam eorum? debellauit humilitate? fregit patientia? triumphauit obedientia? dum in cruce nudus summis in cruciatibus mortalitatem expleuit? Sic, de superbia Angelica, humilitas Dei carne induta triumphauit.

Nec inusitata Operis & Exempli potentia extra Euangelium est. Frustra enim, & ociosè Scriptura Iob in terra Hus natum, adultum, exercitum, tot sanctissimæ vitæ exemplis, & operibus prælucentem in medio Moral. Gentilitatis commemoraret, nisi ejus laudibus, vt ait Sanctus Gregorius proficeret. « Quod bonus inter malos fuit, neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis; sed bonum esse cum malis. » Neque etiam absurde dixerim tam sanctum virum, Deo sic præordinante, his in terris destinatum, vt Ethnici tanti hujus viri consortio, vsu, exemplo edocti, veri Dei cultum addiscerent, vt propterea diceret: *Frater* Hom. 1. de patientia Iob. *fui Draconum, & socius Struthionum.* Cui respondeat Chrisostomus. « Columba in medio Accipitrum, Ouis in medio Luporum, Stella in medio Nubium, Lilium in medio spinarum; germen Iustitiæ in oppido iniquitatis. »

Ob eandem causam Danielem, & tres filios captiuitatis Babilonicæ constituerat Deus in medio nationis prauæ atque peruersæ, vt per eos veri Dei potentiam, religionem, magnalia agnosceret. Quod de facto contigisse scribunt Sacri Interpretes, potentissimum Monarcham Babiloniorum, ad Dei notitiam, cultumque conuersum, ejusque florentissimum Regnum Constantia, Religione, exemplo trium Iuuenum in medio ignis fornacis non combustorum, nec læsorum; imo nequidem capil-

Digitized by Google

lus capitis eorum vnus. Quod patet ex Regio edicto in vniuersa ditione sui Imperij promulgato, his verbis: *Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt, & mirabilia ejus, quia fortia, & Regnum ejus Regnum sempiternum.* Hæc miracula, non verba, sed opera operata sunt.

Dan. 3

Verum, altius repetentes, quærunt non sine causa aliqui, cur Deus Sanctum Patriarcham Abraham, perpetua quasi peregrinatione voluit exercere, nunc in terra Chanaam; modo apud Palestinos; modo apud Ægiptios, non sine magnis periculis, & tentationibus. Respondet S. Chrisostomus. " Ipsum à Deo e Chaldea patria euocatum, quia volebat eum suo exemplo omnibus Palæstinis & Ægiptiis fieri Doctorem. " Nam quod fames & sterilitas eum exulare à loco quem inhabitare cœperat, cogeret, & ad extera Regna transire, non fuit opus fortunæ, sed Prouidentiæ specialis, tam sanctum virum ad diuersas Nationes traducentis, vt dum famelicum pascerent cibo corporali, quo abundabant, ipse eas pane Fidei, & cultu veri Dei, & præcipue sanctitatis exemplis reficeret, quibus famescebant. Conjecturam hanc Theodoretus suo calculo confirmat cum speciali nota vitæ Isaac, qui orta consimili fame suo tempore, coactus est etiam ad Regem Abimelech se recipere, inde in Ægiptum trajecturus, nisi Diuina dispositio obstitisset; nam cum seuisset illo anno, & abundantissimam messem vsque ad centuplum collegisset, non indiguit alio demigrare. Admirationis igitur seges non parua oritur, cur Patri suo Abraham simili penuria laboranti Deus cibaria non prouidit, sed peregrinari huc & illuc voluit; contra filium suum Isaac miraculosa satorum abundantia pauit, & Ægyptum intrare non permisit. Respondet Theodoretus. " Permisit, inquit, Abraham ingredi Ægyptum, vt Ægyptiis patefaceret viri pietatem, & religionem, & prouocaret illos ad imitandam Patriarchæ virtutem. " Idem quasi eisdem terminis dicit Gennadius. Tanti erat Deo exemplum sanctæ conuersationis tanti viri, vt populis conuertendis sufficeret. Quod negauit filio suo Isaac, seu quod indigni essent, seu quod abs commercio & vsu peruersæ Nationis non nihil familiæ Isaac timendum esset.

Theod. q 76. in Gen.

Gennad. in Cate. Græca.

Aduertendum insuper hic venit, quod quam vigilans & sedula est Dei Prouidentia in procurando bono exemplo, tam seuera in castigando existat. In hanc rem quærit Theodoretus, cur Deus parcens Dauidi adulterium, filio ejus ex adulterio nato non pepercit? Respondet, " Id fecisse, vt malum exemplum penitus extingueretur, quod populo exhibuerat. Moritur, inquit, filius adulterij, vt moriatur cum eo adulterij malum exemplum. Sæpe enim videntes filium illum, recordarentur homines criminis & dicerent. Quid mirum si nos adulteri sumus? cum Rex noster, & Propheta, & Deo deuotus, hujusmodi crimen cōmisit. Tollatur igitur, ait Dn̄s hoc malum exemplum, licet pariter cum eo filius Dauid tollatur.

Concludendum ergo longe efficaciorem esse præstantioremque ad persuadendum, viam operis, quam vocis & sermonis. Quod obseruat D. Ambrosius; hæc verba exponens. *Qui fecerit & docuerit*, " Audis, inquit, quoniam præcedit factum, subsequitur Doctrina? Siquidem benefacere prima doctrina est, &c. Melius ergo docemur facto, quam voce. Denique sancti Martires, etsi voce tacent, factorum virtute nos edocent, et si lingua silent, martirij passione persuadent. "

Digitized by Google

Quando Dominus Petrum & Andream vt se sequerentur vocauit, dicens; *Venite post me.* Proposita mercede, subjunxit. *Faciam vos fieri piscatores hominum. Et continuo relictis retibus secuti sunt eum*, inquit Sacra Historia. Prosequitur inde iter suum Benignissimus Saluator, & *vidit alios duos fratres, Iacobum & Ioannem, & vocauit eos*, qui nulla proposita simili mercede vocantem sequuntur.

Math 4
Marci 1

Miratur, & stupet Chrisostomus tam promptam posteriorum obedientiam. « Vocando autem eos, inquit, Nil eis promisit sicut prioribus. Reddit rationem, obedientia eorum qui praeuenerant viam eis ad credendum praeparauerat. » Adeo potens est via facti & exempli.

S Chrys. in cathen S. Thom.

Trahe me post te, dicit Sponsa in Canticis, & nulla interposita mora; addit: *Et curremus.* Sequitur, *Introduxit me Rex in Cellaria sua.* Iterum subjungit: *Exultabimus & laetabimur in te.* Diuus Bernardus perpendens, quod in singulari postulans, respondet in plurali, ait: « Non curram ego solum, etsi solam me trahi petierim, current adolescentulae, curremus pariter, curremus simul, ego odore vnguentorum tuorum, illae meo excitatae exemplo. Habet ipsa imitatores suos, sicut & ipsa Christi, & ideo non singulariter dixit, curram, sed *curremus*. Adeo praestant opera dictis, vt illa sola sufficiant sponsae vt sponso comites acquirat.

Ser 21 in Cant. & Ser. 3 in Adu.

Denique quaestionem hac in materia omnem diremit, soluitque Dominus, cum missis ad se à Ioanne in vinculis Discipulis, percontante vtrum esset Messias. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Poterat viua voce satisfacere, omnem tollere ambigendi locum, dicens. *Ego sum.* Vt alibi quaerentibus etiam inimicis vno verbo absoluit. *Tu dicis.* Hic amico, praecursori suo, sapienti, intelligenti, respondit, non ore, sed opere, non dictis sed factis. *Euntes*, inquit, *renuntiate Ioanni quae vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Testimonium operis, omni est exceptione majus, nullus refragari, nullus inficiari potest; & is demum Doctor admittendus est & recipiendus, qui plus docet exemplis quam verbis. Vtinam & nos sequamur praeeuntes, aut praeeamus sequentibus. Quod sit satis.

Math. 11

TITVLVS LXXVI.

DE ARTE.

FABVLA.

De Cornice & Vrna.

CORNIX *habitans in locis maritimis ac petrosis, siti premebatur, & cum nullum aquae dulcis fontem, aut riuulum inueniret, reperit tandem in cauo rupis, quam stillae pluuiae de coelo cadentes excauauerant: sed quia aqua erat profundior quam vt ad eam penetraret, vbi deficiebat Natura, Ars ingeniosa suppleuit. Collectos è crepidine maris lapillos rostro detulit, & in scrobem injecit, sicque aquam sursum leuans, facile sitim extinxit*

extinxit. Ostendens, plus sæpissimè nos Artis beneficio, quàm Naturæ ju[illegible]ari.

De Mustella & Muribus.

MVstella senio grauata, cum Mures pro solito amplius cursu attingere non valeret, & fame tabesceret, vertit se ad dolos, & arte, cibum quod viribus nequibat, inuenit. Erat in quodam armario farinula, quò ipsa & Mures angustæ cujusdam rimulæ beneficio permeabant; abscondit se sub farina in ostioli aditu, & Mures quotquot sufficiebat, deuorabat. Innuens, vt præcedens, consuendum sæpe pellem vulpinam (quod aliquis dicebat) vbi vis Leonina non sufficit.

De Vulpe se mortuam simulante.

FAmescebat Vulpes, nec facile aut fœliciter prædam nacta, dolosum animal, insolito venationis genere vti cœpit, finxit se mortuam, & luto oblita super gramine medio in prato resupina, extensis hinc & inde pedibus immobilis stabat, donec Picæ & Corui, & aliæ rapaces volucres ad eam, vt cadauer exanime, accederent, & desuper volitarent. Tunc illa exiliens de repente, & incautas arripiens egregie se cibauit. Sic ingeniosus venter, quod Natura negat, Arte sibi comparat.

Piscator.

QVidam Piscator jactis in flumine retibus, longo fuste supra retia quà parte non jungebantur, aquam verberabat, vt pisces in ea cogeret, quod videns quidam Piscatoriæ Artis ignarus, ægre ferens, increpabat Piscatorem, dicens, siccine capientur pisces, aut non potius illo strepitu fugabuntur, cui ille; Hæc est Ars nostra, inquit, non nisi turbata aqua pisces capiuntur. Docens, frustrà Piscatoriam sine Arte exerceri.

Mens Fabulæ, seu Morale.

PLVS ARTE QVAM NATVRA.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

HABENT id commune Natura & Ars, quod à Deo sint; Deus enim est Auctor Naturæ. Iouem, inquit Seneca, intelligimus Rectorem, Custodemque vniuersi, animum ac spiritum, mundani hujus operis Dominum & Artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? non errabis; hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum Prouidentiam dicere, rectè dices; est enim cujus consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & suos

L. 2. nat. qq. c. 45

Digitized by Google

actus explicet. Vis illum Naturam vocare? non peccabis; est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu viuimus. Vis illum vocare Mundum? non falleris; ipse enim est totum quod vides. Sic ille, quæso te quale effatum! Paulinum diceres!

Idem Naturæ auctor Deus, etiam Artis auctor est; hoc solo, cum Natura discrimine, quod hujus per se effector est, istius mediante industria hominis. Quia cum Ars sit operis ratio, *& habitus* quidam secundum Philosophum, *faciendi cum vera ratione*, seu vt alij: *Ars est recta ratio factibilium.* Et illa à Deo sit, à quo est quidquid est, dicente, qui supra: *Omnia à Deo disposita sunt, vt ea etiam quæ ab illo non fiunt, tamen sine ratione non fiant, quæ illius est; vis eorum, illius permissio est; nam si Iupiter illa non fecit,* (scilicet immediate) *fecit tamen vt fierent.*

L. 1. mag. mor. c. 2 & 1. Ethic.

Accedit quod *Ars omnis* de se bona est, & ex Philosopho: *Ordinatur ad bonum, & boni alicujus operatrix est.* Quo etiam nomine à Deo est, qui omnis boni auctor est. Inde Palladem Poetæ, scientiarum & Artium Deam ex cerebro Iouis prognatam finxere, vt indicarent, non aliunde Artes, quam ex Dei præpotentis mente & sapientia prodiisse. Eadem ratione Mercurium facundiæ Deum Lyræ & Artium inuentorem fecerunt, vt Artibus aliquid auctoritatis ex Diuinitatis commendatione deriuaret.

Pic. Mir.

Vnde dixit aliquis non mediocris ingenij, *Prouidentia Dei, per gentes ætatesque spargit Artium flores, & magnum hunc mundi hortum velut per areolas varie colit.*

Tria ergo sunt rerũ principia, Deus, Natura, Ars. Deus producit Naturam, id est, cuncta ex nihilo. Natura ex Ente incompleto, id est, ex materia prima. Ars, ex completo, id est, composito Phisico. Deus creando, Natura generando, Ars efformando, seu figurando. Deus per se quidquid lubet, nullo præsupposito operatur. Natura supponit materiam, Ars Naturam. Hæc agit intra, illa extra. Natura requirit Artem. Ars perficit Naturam. Et quemadmodum Natura imitatur Artem Diuinam, ceu exemplar numeris omnibus absolutissimum; ita Ars humana, Naturam quoad fieri potest perfectissimè æmulatur, & ferè assequitur. Testis sphæra illa Archimedis in vitro, de qua Cicero: *Hic velut Deus terrenus mechanico artificio sphæram vitream fecit, in qua mira arte dissimiles motus circulorum visebantur.* Et Claudianus.

Cic. orat. pro Cluent.

> *Iura poli regnumque Deorum,*
> *Ecce Siracusius transtulit arte senex.*

Et Ouidius, Iouem inducit Artis humanæ opus stupentem.

> *Sic meus in paruo luditur orbe labor.*

Testis & Zeuxis vua, & Parrasij velum, pictorum insignium opera, tanto artificio elaborata, vt illa Auium, hoc hominum oculos falleret.

Non tantum Ars imitatur Naturam, sed etiam juuat, supplet, superat. Vnde Poetæ Græci apud Stobæum.

Hipparc. ap. Stob. serm. 18

> *Res est multo omnium preciosissima*
> *Omnibus hominibus ad viuendum, Ars:*
> *Cætera enim & bellum, & mutationes*
> *Fortunæ assumunt; Ars autem conseruatur.*

Alius, non minus apposite.

Similus Ibidem

> *Neque Natura sine Arte sufficit,*
> *Cuiquam omnino quocunque in studio,*
> *Nec Ars per se, sine præsidio Naturæ;*

Digitized by Google

Quod si ista duo similiter conueniant,
Vnà adhuc desiderantur sumptus,
Amor, exercitium, oportunitas, tempus,
Iudicium, quod dicta statim arripiat et intelligat.
Nam quocumque istorum quispiam destituatur,
Non assequetur institutum sibi terminum;
Natura, voluntas, diligentia, ordo,
Sapientes faciunt, bonosque viros.

Et cujusdam Amphidis illud
Non est vllum humani infortunij
Solatium dulcius in vita, quam Ars;
Dum enim animus disciplinæ vacat,
Suas latenter præternauigat, & obliuiscitur calamitates.

Non male illud vsurpatur, *Ars incipit, vbi Natura desinit*; quia formæ Artis, rei adueniunt jam in sua Natura perfectæ, & absolutæ, id-est, toti composito: sed non incongruè eo trahi potest, vt significet excellentem Naturæ in se deficientis, quam ab Arte trahit, sustentationem, opemque. In quo ab ista tantum Naturæ emolumenti accedit, vt illa, potior Ars dici possit.

In hunc sensum Cicero. *Quæ bona sunt*, inquit, *meliora fieri possunt, Arte, & quæ non optima, acui tamen & corrigi possunt.* (Lib. 1. de Orat.)

Item, *Ars certior dux est, quàm Natura, quia quæ Natura ex se potest, ab Arte habet, vt non temerè, & male, sed prudenti consilio, & certa Artis regula faciat.* (2. de clar. Orat.) Vnde ait, *In Arte & Doctrina plus esse præsidij, quàm in Natura.* Et alibi: (4. fin.) *Etsi ingeniis magnis præditi dicendi copiam sine ratione consequantur, Ars tamen est dux certior quam Natura.* Quod non tantum in Arte dicendi, sed in quauis alia verum est, longe certius esse & perfectius quod arte perficitur, quam quod Naturæ beneficio donatur. Sic enim Arte, scientia, labore, humanus excolitur, & perpolitur animus, vt ex sterili Naturæ fundo Artis opus, non solum Naturam vicisse, sed & fecisse videatur. Quod ad sensum moralem traducens, hujus effati amplius veritas patescet, quòd si Natura debilis es, aut corpore deformis, aut à natalitio ignobilis, aut fortuna depressus & humilis, non despondeas animum, fiet enim si impigrè laboraueris, vt Arte, & studio, ac industria consequaris & superes eos, quos his donis largius Natura supra te ampliauit. Vt verissime Plutarchus. (Plutar.) *Si exi-stimas*, inquit, *minus fœliciter natos, institutionem tamen, & exercitationem fortiores, ad virtutem rectam non posse vitium Naturæ corrigere, scito magnopere te falli, siquidem Naturæ dotem labefactat socordia, prauitatem doctrina emendat.*

Quid enim ingenio & labori negatum est? Inde illud Martialis de quodam Entello, fructus hyeme conseruantem in arbore. (Mart. l. 8 Epig.)

Quid non ingenio voluit Natura licere
Autumnum sterilis ferre jubetur hyems.

Et Ouidius Artis opera quæ in vsum humanum veniunt demirans, ait. (3. de Arte)

Quæ nunc nomen habent operosi signa Myronis
Pondus iners quondam duraque massa fuit.
Annulus vt fiat primo colliditur aurum:
Quas geritis vestes sordida lana fuit.

Ars omnia superat & domat, dicit idem. (1. de Arte)
Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus.

Digitized by Google

Franges si vires experiare tuas.
Obsequio tranantur aquæ, nec vincere possis
Flumina, si contra quam rapit vnda, nates.
Obsequium, Tygresque domat, tumidosque Leones,
Rustica paulatim Taurus aratra subit.
Arte citæ veloque rates, remoque reguntur,
Arte leuis currus, Arte regendus Amor.

Laërt. L.5. c.1 Plutar. in Coriol.

Propterea Aristoteles tria ad parandam solidam sapientiam præcipue necessaria esse dicebat. *Naturam, Doctrinam, & Exercitationem*; *nam bona Natura,* aiebat Plutarchus: *Si non recte instituatur, inter bonos fructus, multa etiam vitia profert, perinde atque bonus ager si non accurate colatur.*

Non tantum Ars necessaria est ad parandam sapientiam, sed etiam ad tolerandam hanc vitam. Qua in re Ars, Naturæ simia, aut discipula, ita Magistram assequitur, vt superet, ita æmulatur, vt præstet. Sine Natura quidem non viuitur, sed sine Arte non bene viuitur; quis autem non magis eligeret non viuere, quàm non benè viuere? quam ægre viuere? Propterea Plutarchus inuentionem Artium necessitati attribuit. *Artium*, inquit, *vt apparet, alias à principio Necessitas. Artem texendi, ædificandi, Medicinam, Agriculturam, & quæcumque alia, Necessitas produxit; alias vero Voluptas.*

Ap. Stob Serm. 58

Embl. 98

Vnde Alciatus quam ab Arte opem Natura mutuatur, significare volens, pingebat fortunam rotæ volubili insidentem, & ex altera parte Mercurium cubo cum his versibus.

Vt Sphæræ Fortuna, cubo sic insidet Hermes
Artibus hic variis; casibus illa præest.
Aduersus vim Fortunæ est Ars facta; sed Artis
Cum fortuna mala est, sæpe requirit opem.

Artes enim à Fortuna non pendent, imo Natura & Fortuna deficientibus, præsto sunt. Sic Bias dicebat: *Omnia mea mecum porto.* Aristippus Cyrenæus consulebat ciuibus suis, *Vt eas sibi pararent opes, quæ naui fracta, & perditis mercibus cum possessore saluæ enatarent.* Hæ autem Artes sunt.

Plut. l. de exil.

Huc spectat illud vice prouerbij celebratum, λιμὴν ἀτυχίας τοῖν ἀνθρώποις τέχνη. *sua cuique Ars pro viatico est.* Cui referri potest illud Neronis non insipiens dictum; qui cum à Mathematicis audiret fore, vt aliquando Imperio dejiceretur, illud vsurpauit.

Suet. in Nerua cap. 40

τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. id est,
Terra quæuis Artem alit.

Quod dejectis quantum profuerit, ab vno Dionisio Siracusarum tyranno accipe, qui Regno expulsus, rerum omnium egens, Chorynthum profectus, ibi ludum literarium aperuit, & pueros in triuiis docens vitam sustentauit, vbi aliquando interrogatus, *Quid ei Philosophia profuisset* (fuerat enim olim Platonis auditor) *respondisse fertur, vt æquo animo ferrem talem fortunæ mutabilitatem.* Vide quale subsidium in tanta mutatione fortunæ ab Artibus adeò dejectus Princeps inuenit. Quid simile in Catone Liuius commendat. *In Catone tanta vis animi, ingenijque fuit, vt quoquo loco natus esset, Fortunam sibi ipse facturus videretur: nulla Ars neque priuatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit.*

Lib. 39

Denique vt finem huic commentationi imponamus, Terra sine Vrbibus, Vrbes sine Ciuibus, Ciues sine Legibus, Leges sine Cultoribus essent, homines sine societate, ferarum more vitam agerent, sine subsidio Ar-

Digitized by Google

tium, quæ Domos ædificare, Vrbes condere, Leges ponere, societatem inire docuerunt; sine Arte arbores non sererentur, non terra ligonibus, non maria nauibus, non frænis equi, non aratris boues subjicerentur; non in syluis feræ, non in fluminibus pisces, non in aëre volucres vsibus deseruirent humanis; sine Arte non olera in hortis, non medicamenta in plantis, non vellera in gregibus. Vt sine Arte Natura nuda, & omnium egens langueat, adeo vera est hujus Moralis Sententia; PLVS ARTE, QVAM NATVRA.

PLVS ARTE QVAM NATVRA.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

AVCTOR Naturæ, & largitor Gratiæ, Deus, Artium semina in homine concreasse & inseuisse satis ostendit, cùm vixdum formatum hominem, nondum lapsum, sed adhuc Diuinæ lucis & gratiæ vsura fruentem in paradiso voluptatis posuit, *vt operaretur*, inquit, *& custodiret illum*. Agriculturam jam inde in primo homine cæterasque artes dedicans, vnde duo prima humanæ propaginis germina, Cain & Abel, Agriculturam & Pastoritiam postliminio inter se sunt partiti, quò ille terram versando addisceret è cordis fundo turbulentorum vepres & sordes extirpare affectuum, & virtutum semina complantare; & iste, Pastoritiam exercendo, veluti præludium quoddam Magistratuum iniret, secundùm Philonem, admouendis ad curam Reipublicæ congruentem.

> l. de plāt. Noë

Quod alias Artes spectat, licet vitæ sustentandæ minùs necessarias; etiam Dei donum esse comprobatum est, cùm eas processu temporis, siue pro Tabernaculo, siue pro Tēplo, miro artificio construendis, Deús in Beseleel & Ooliab consecrauit. Sufficiat illud Exodi: *Ecce vocauit Dominus*, inquit Moyses filiis Israel, *ex nomine Beseleel, impleuitque eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, & omni doctrina, ad excogitandum opus in auro, & argento, & ære, sculpendisque lapidibus, & opere Carpentario; quidquid fabrefactum adinueniri potest, dedit in corde ejus, & Ooliab*. Vt hinc pateat opus Artis, non minùs quàm Naturæ, opus esse Intelligentiæ.

> Exod. 36

Sed vt proposito Morali accedamus, PLVS ARTE, QVAM NATVRA; & quod ex Profanis delibauimus, ex sacris libris conficiamus, nomine Artis largiùs sumpto, pro qnolibet habitu cognoscitiuo cujuscunque facultatis, quo sensu Plutarchus, Arte parendi & imperandi nullam esse præstantiorem, ait; & S. Gregorius vocat Artem Artium, Regimen animarum.

> Plutar. in Agesil.

Tria præcipuè Natura suapte facere vnumquemque docet, & mouet; Amare, Pugnare, & Medicari. De Amore probat tritum illud Augustini: „ Amor meus, pondus meum; illo feror, quocunque feror. „ De pugna perpetua, Iobi, *Militia est vita hominis super terram*. De cura Medendi sibi, Apostoli; *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam*. Tres Artes sunt, non infimæ inter homines notæ; Ars Amandi, Ars Militandi, Ars Medendi; de quibus ordine differendum, & probandum, Plus Arte, quàm Natura amandum, militandum, medicandum.

> Ephes. 5

Digitized by Google

Homini intellectu & voluntate pr.dito nihil est facilius quàm amare; quia ab illo habet, vt quod amari dignum est, cognoscat; ab ista, vt in illud Amor feratur, & ardeat. Eodem nihil communius; quia sine Amore nulli datur esse, aut viuere. Nihil pretiosius; quia ab Amore homo est quidquid, & quantuscunque est. " Mores nostri, inquit Augustinus, non ex eo quod quisque nouit, sed ex eo quod diligit, dijudicare solent; NEC FACIVNT BONOS VEL MALOS MORES, NISI BONI VEL MALI AMORES. Vnde quia sæpè in vero bono, à falso seligendo, Intellectus errat & fallitur, & voluntas illius errorem sequitur, fit vt hoc facili nihil difficilius, hoc communi, nil rarius, hoc pretioso, nil vilius inueniatur.

Recto enim Amori, qui soli Deo summo bono debetur, tres peruersos Amores; Natura opponit Amorem sui, Amorem carnis, Amorem mundi; qui non nisi summa Arte, quæ Diuinus Amor est, vitari aut superari queunt; à quo dirigente pendet, vt quis bonus vel malus sit. " Nec enim aliunde bonum est, inquit Augustinus, si bonum est Cor hominum, nisi quod bene amat quod bonum est.,, Et alibi, " Duo sunt riui qui de fonte Amoris deriuant, Cupiditas & Charitas: omnium malorum radix Cupiditas, & omnium bonorum radix Charitas. Ex eo igitur totum est, quod bonum est: & totum quod malum est, ex eo est.,,

L. de spir. & lit. c. 45

Inde inferas licet, quanti referat Artem boni comparare Amoris, quam qui habet, peruersum illum Naturæ superat, & suffocat quasi in fomite flammas, ne ardeant, elidit in semine fructus, ne excrescant; obturat in fonte riuos, ne effluant; amputat in radice ramos, ne pullulent; denique vincit in vno duce omnes milites, ne insolescant. Si amas non amanda, periisti; si amanda, in portu es. Amor te statuit ciuem, vel Ierusalem, vel Babylonis. " Interroget igitur vnusquisque quid amet (dicit S. Doctor prænominatus) & inueniet vbi sit ciuis.,, Nemo est in Cœlo, neque in Inferno, qui non amarit; nam propter amorem eorum quisque vel beatus, vel miser est. Amauit Augustinus, amauit & Sardanapalus: sed hic periit, quia malè amauit; ille Cœlum meruit, quia bene. Bene ille amauit, quia amauit verum & summum bonum; malè hic, quia amauit malum. Ille pedibus Amoris tendebat sursum, hic deorsum. Poterat eodem Amoris impetu tendere sursum, sicut iisdem pedibus, quibus tendit quis in Occidentem, potest tendere in Orientem; iisdem quibus errat, potest non errare, potest tenere rectam semitam. Non igitur mali sunt pedes, qui errant, sed malus est homo qui male iis vtitur & deuiat, sic non malus est Amor, sed abusus amoris, Naturam, & sensum sectantis.

in Psal. 64

Ars omnis præceptis constat & Magistro; quæ sequi necesse est, quisquis ad finem Artis vult peruenire. Magister sancti amoris est ipse Deus, præcepta duo sunt Charitatis, quæ summus Præceptor ex scrinio effodit sui cordis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, secundum autem simile est huic; Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.* Vis adhuc breuius. *Omnis Lex in vno sermone impletur, Diliges.* Hæc summa Artis artium, his verbis concluditur, & absoluitur quidquid magni in terra aut in cœlo præcipitur & patratur.

Math. 22

ad Galat. 5

Ad hujus dignationem mandati Augustinus obstupescit. " Quid mihi es, inquit, Miserere, & loquar? Quid tibi sum ipse, vt amari te jubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Paruane ipsa

L. 1. Confess. c. 5

Digitized by Google

ne ipsa est, si non amem ?„ Miratur illud Bernardus, & exclamat. " O jugum sancti Amoris, quam dulciter capis, gloriose laqueas, suauiter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis! O fœlix Amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum subtilitas!„

Hanc Artem sapientissimus Socrates non nouit, Diuinus Plato non attigit, Aristoteles nesciuit, Philosophi ignorarunt, non quia Deum non nouerunt, sed *Cum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; commutauerunt*, inquit, *Veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt Creaturæ potius quàm Creatori.* Rom. 1

Illi omnes ducem sequuti sunt Naturam, & sensum, & oculis corporis non agnouerunt in Creaturis Creatorem. Tales erant de quibus Dauid se molestantibus conqueritur: *Fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Super quæ interlinearis, " Causa lachrimarum insultatio prauorum, cum eorum Deus digito monstratur.„ q. d. Insultant mihi de Gentilitate carnales, & vsque ad lachrimas torquent, cum Deos suos lignum & lapidem, & aurum monstrant; alius digito Solem, indicat; alius expectat noctem, & monstrat lunam & stellas; alius ignem; alius aquam; alii monstra & probra de animalitate ostentant, & dicunt, hi sunt Dii nostri qui videntur. Tuus autem inuisibilis, totus spiritus, vbi est? Tales in quos inuehitur Sapientia. *Vani autem sunt*, inquit, *omnes homines in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut aerem, aut Solem & Lunam.* Vno verbo Artem Diuini Amoris ignorarunt, quia PLVS ARTE QVAM NATVRA, DEVS NOSCITVR, ET AMATVR, ET COLITVR. Psal. 41 Sap. 13

Non minus Christiano caute & Arte bellandum quàm amandum, quia si alicubi astutia necessaria est, maxime militanti. Obseruandum tempus, hostis, arma, quibus cum depugnes. Caruit astutia Eua, dum male cauta, & prouida non cauit spiras & giros serpentis, quibus eam implicuit & circumuenit. Non captauit tempus Dauid, alioquin bellator insignis, cum *eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere*, ait Scriptura, otio & aspectu mulieris vulneratus est. Nec illi hostem perpenderant qui temerè, & sine arte, & ordine, pugnantes, cum putant sibi facere nomen, stragem, & ruinam sibi consciuerunt: *Quia non audierunt Iudam & fratres ejus*, Inclitos bellatores Machabæos. 2. Reg. 11 1. Mach. 5

Propterea monet Apostolus astute ambulandum, astutiam astutiæ opponendam. *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu.* In hunc finem sunt Parabolæ Salomonis. *Vt detur*, inquit, *paruulis astutia, & adolescenti scientia.* " In pueris enim, ait Philosophus, jacet ratio, & appetitus regit omnia.„ Vobis igitur vt incautis necessaria est cautio; vt belli rudibus, Ars & peritia; vt cupidis, prudens, ac solers, moderatio, & refrenatio cupiditatum. Hoc est quod Dominus commendauit. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Columbinæ simplicitati jungenda est serpentina Prudentia. 2. Cor. 11 3. Ethic. 1

Igitur plus Arte quam Marte aut Natura pugnandum, quia Natura arctari non vult, abhorret angustias, & vim & leges, & jugum, & serui-

Digitized by Google

tutem, & subjectionem, & Crucem. Sine quibus tamen non datur viuere nec vincere. Illuc scilicet non intratur, aut itur per spatiosam portam, & viam, dicente Domino: *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Quia Regnum Cœlorum, non facile, nec gratis datur, aut capitur, sed per vim rapitur; dicit enim. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Legibus carnis opponendæ sunt leges Mentis, dicente Apostolo. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Subeundum Christi jugum, quia legitur: *Bonum est viro cum portauerit jugum ab adolescentia sua.* Et in Euangelio: *Tollite jugum meum super vos, &c.* Amplexand ultro Dei seruitus & subjectio secundum illud Pauli: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire justitiæ in justificationem.* Crux denique humeris imponenda, exemplo Domini, qui *Sustinuit Crucem*, & dicit: *Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Quæ omnia non docet Natura, sed Ars sola Christiana; igitur PLUS ARTE QUAM NATURA MILITANDUM.

Math. 7 — Rom. 7 — Jerem. Thren. 3 — Math. 11 — Rom. 6 — Math. 10

Idem dic de Arte medicandi quam quisque circa se profitetur, nullus non sui corporis Medicus est, carior est quisque sibi, vt jam ex Apostolo præmonuimus. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet.* Hoc est, curat & medicatur. Sed vtinam quam limosæ hujus carnis prouidi, tam spiritus & animæ quæ potior in homine pars est, curandæ solliciti essemus? An quia Mens non habet ægritudines suas & morbos quibus afficitur, & languet, & ægrotat vsque ad mortem? Sed illius Natura Charitatem nobis indidit & ingenuit, hujus eadem sensum adimit. Quo fit vt oculos quos introrsum conuerti par erat in proprias lues, aliò diuertamus, & alienos næuos acute videntes, nostra carcinomata & vlcera nequidem aduertamus, aut sentiamus, nedum medicari cogitemus, vt plerisque illud Prophetæ conueniat. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus & liuor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Ad hoc arte opus est quam multi aliis sciunt, sibi nesciunt. Quibus applicari possit, quod S. Isidorus Pelusiota excellens animarum Medicus cuidam Medico rescripsit. " Sapientem, inquit, artem profiteris, animum autem male feriatum geris, vt qui aliorum exigua quidem vulnera cures, ipse autem ingentibus, & grauibus vlceribus labores, quocirca si reipsa Medicum te præbere cupis, moribus tuis medere. Frigidum enim & ridiculum atque illepidum est aliis medelam afferre conari, seipsum autem ægrotantem negligere. " Vel quod idem alibi, alteri Medico. " Medicina, inquit, corporis morbis medetur, sapientia autem animum è turbulentis affectibus extrahit, quoniam igitur vtriusque particeps es, atque altera ad corporum morbos ab aliis propulsandos vteris, fac alterius opera tibi ipsi medearis, eam videlicet quæ tibi deest sanitatem insuper adipiscens, citra quam, nec optimus Medicus, nec sapiens reipsa eris. " Quæ præsenti Morali faciant satis.

Isaiæ 1 — Isid. Pelus. Epist. 391 — Epist. 437 Oribasio Medico

TITVL

Digitized by Google

TITVLVS LXXVII.

DE CELERITATE ET DILIGENTIA.

FABVLA.

De Lepore & Testudine.

OCCVRRIT aliquando in via Lepus Testudini, cumque confabularentur, cœpit ille Testudini exprobrare pedes, lentumque gressum, irridere, & se, celeritatemque suam mirum quantum efferre. Quod Testudo ægrè audiens & ferens, Leporem prouocauit ad cursum. Consentit Lepus, certus vt putabat victoriæ, diem statuunt, arbitrum eligunt Vulpem animalium sagacissimum, quæ spatium & metas præfiniat. Testudo nulla interposita mora, iter arripit, perdia & pernox ambulat, & ad locum prior peruenit; cum interim spreto æmulo, Lepus pedibus suis fidens, tempus terit, cursu reparaturus moras, sed frustrà, nam breui tempore iter dimensus reperit Testudinem, loci & pugnæ victricem. Ex quo constat plus sæpenumero studio, ac diligentia res maximas perfici, quam viribus.

De Psittaco.

GArrientem in sua Cauea Psittacum, & humanas voces exprimentem, mirabantur cætera aues, & quod inde illi tantus honos, percontabanturque ab eo, vnde illi hæc facultas, à Natura? aut ab Arte aliqua? quibus ille, indefesso, inquit, studio, ac diligentia hoc comparaui.

Mens Fabulæ, seu *Morale*.

PLVS STVDIO ET DILIGENTIA QVAM VIRIBVS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

HOc rerum Magister vsus seu experientia semper docuit, pertinaci operæ ac indefatigabili studio nil negari, maxime in tribus, in rebus bellicis seu gloria militari; in Artibus & Scientiis comparandis; acquirendis diuitiis. Vt ab vltimo ordiamur.

Digitized by Google

Nunquam ociosis & manus sub ascella condentibus diuitiæ magnæ obtigerunt, eædem nunquam rei familiaris sollicitis, diligentibus, laboriosis defuerunt. Bene Hesiodus.

Ap. Stob serm, 27

Nam si vel modicum modico conjunxeris,
Idque frequenter feceris, statim fiet hoc quoque magnum,
Omnia enim assiduitate conficiuntur negotia.

Vt enim ex numerosa stilla de cœlo cadente excauatur lapis, sic assiduus labor nihil non domat.

Tria laboranti commoda accedunt, Diuinus fauor, honos, & voluptas operis. Quæ omnia supra citatus Poëta assecutus est.

Operando, inquit, *viri pecuniosi fiunt & dites,*
Atque laborans multo magis amatur à Diis,
Non est autem dedecori laborare, sed ociari.
Diuitias enim virtus & gloria sequuntur.

Oppido quam conuenit Euripides.

Gloriam assequutus sum non sine multis laboribus,
Solet laborantem Deus pariter adjuuare,
Bona per labores augentur hominibus.

Dicitur in communi prouerbio, honos alit artes, non errabit à vero qui dicet, quod honor sequitur laborem. Ejusdem est.

Haud poteris fœlix absque labore degere,
Et juuenem laborare nolle turpis res est.

Item. *Præstantes enim, & qui faciunt aliquid eximium*
Honoramus; ac viros in ciuitate nominare dignamur.
Nemo sibi laudem comparauit ex voluptatibus,
Nullus enim socors celebris vir est,
Sed labores generositatem pariunt.

De Xenophane dixit quidam: *Nullam eum gloriam dilexisse pro qua non laborasset.*

Non tantum laboranti fauor cœlestis, & honor accedit, sed etiam quædam voluptas ex opere. Quæ sudore veniunt, pluris fiunt; dulciora sunt bona quæ magno constant, quam quæ flocci væneunt.

Lib. 1. de Cyri inst

Cyrus, ait Xenophon: *Magnæ Regioni imperat, non tamen aut prandium, aut cœnam sumere solet antequam sudauerit.*

Labores cum jam abiere dulces sunt.

Dicebat Sophocles. Labor condimentum est operum, suauia sunt quæ eo condita sunt. Quod non absimile dixerim ei, quod Dionisio Tyranno contigit, is emptum Laconicum Coquum jussit parare sibi Laconicum Iusculum, parauit, sed non placuit Dionisio: interrogauit ergo quidnam eius delectaret Lacones, cum sibi insuauissimum videretur. Tum Coquus deesse dixit Laconicum condimentum, quid vero deesse ait, cum jussissem affatim omnia suppeditari? Respondit Coquus: *Condimentum illud labor est, & exercitatio, & fames, ante cibum, quibus tu cares; ô Rex.* Hæc fames, hic labor, hæc exercitatio, condimenta operum non male vocitari possunt; vt in cibis sic in honestis operibus illa famem acuunt, & suaui quodam voluptatis lenocinio irritant; vnde bona sudore multo, ac labore, parta, vltro natis, longe gratiora sunt.

Plutar. in Dionis.

Idem dicendum est de Artibus & Scientiis, plus studio & continuo labore, ac diligentia, quam viribus Naturæ comparantur. Ea de causa

Digitized by Google

Antisthenes quibusdam Philosophis de Virtutis difficultate disputantibus, prosiliens Virtutem assiduitate & studio disci posse, affirmauit; innuens in rebus nil arduum quin studij assiduitas non peruincat. Laert l. 6. c. 1. Et non inscite dixit aliquis: *Ius Ciuile vigilantibus scriptum esse, non dormientibus.* Quod de qualibet facultate æquè dici potest v. g. de facultate Oratoria, seu Arte benedicendi, quæ primas non immerito obtinet. Nemo nascitur perfectus Orator, sed multo labore, studio, & exercitatione fit, quibus quod vitium non tollitur, aut corrigitur? Quis defectus vsu non emendatur? aut quæ virtus, quæ prius deerat, non pertinaci studio, ac exercitatione comparatur?

Demosthenes ille Græcæ eloquentiæ Princeps, in eam nunquam perfectissimi Oratoris absolutionem ascendisset, nisi obstinatissimo studio, labore, & exercitatione Naturæ impedimenta superasset.

Ferunt enim, quod cum esset Balbus, nec certas literas pronuntiare posset, calculis in os injectis prope maris littus declamando, & vocis & linguæ vitia sustulisse, aut emendasse. Nihil nisi accurate meditatum, ac præparatum publice disseruit, ita ut pridie quam concionem habiturus esset, totam noctem præcedentem vigilaret, ad meditandum, præparandumque quidquid dicturus erat. Quam ob causam dicax quidam Pytheas ioco dicebat, sententias Demosthenis, Ellychnia redolere, & ipse aliquando interrogatus, quo pacto Oratoriam facultatem esset adeptus, *PLVS OLEI*, respondit, *QVAM VINI*, supple expendendo, quod nostro Morali respondet, PLVS DILIGENTIA QVAM VIRIBVS. De Marco Catone clarissimo Oratore, qui *Romæ sui æui Demosthenes* audiebat, ferunt non paucos juuentutis annos transegisse in exercitatione Artis Oratoriæ, non Romæ, sed per pagos & oppida Caussidicum agendo, vnde subinde se in ciuitatem recipiens, inter perfectissimos Oratores dicendi laudem promeruit, quasi de repente Orator factus; posito extra hujus artis tyrocinio. Adeo verum est nemimem primas aut secundas cujuscumque Artis attingere, nisi post multos labores & vigilias sedulæ exercitationis. Vnde par sit inferre, PLVS STVDIO ET DILIGENTIA, QVAM VIRIBVS, Eloquentiam comparari.

Plutarc.

Quod de militari laude, ac negotio potiori jure dicendum est, in quo celeritas ac diligentia primas habent in magnis facinoribus & victoriis. Hoc illustratur eleganti Alexandri Apophtegmate, qui quærenti, *Qua tandem via tot Regiones tam cito perlustrasset, tot bella gessisset, tot gentium victor extitisset, respondisse fertur,* μηδὲν ἀναβαλλόμενος, *nihil procrastinando, aut differendo.* Quæ verba vnguibus Alces inserta seu inscripta ferunt: quod animal Equo persimile, ipsi non robore cedit, nec Ceruo celeritate, sola aurium & ceruicis proceritate distinctum, commendat præcipue velocitas, quæ inter virtutes Alexandri vna ex præcipuis erat, mirabilium belli facinorum causa patratrix, quam in eo cuncti auctores celebrant. Narrant enim pedites suos sic instituisse, vt sua celeritate Equitum cursum adæquarent, ipse noctes plerumque insomnes traducens, maxime vbi vigilandum foret; vnde eo tempore quo Darium impetebat, conquerebatur iste nullum sibi satis longum dari spatium, quo Alexandrum attingere, aut cum eo explicatis viribus & copiis, quibus abundabat, confligere posset, eumque sibi eripi, id enim præcipue curæ erat Alexandro, vt diu, noctuque magnis itineribus confectis improuisos hostes occuparet, celeri-

Plin. l. 8 c. 15

Q. Curt. lib. 5. & 7

Digitized by Google

tate præuerteret, adoriretur imparatos. Quem animum etiam adoleſcens habuiſſe memoratur. Vnde Ariſtoteli, *Robuſtiorem ætatem excitare conſulenti ad res bellicas conficiendas aptiorem*, fertur reſpondiſſe; *At metuendum*, inquit, *ne dum annos expecto firmiores, audacem iuuentutem mihi præripi, aut minui patiar.* De ea celeritate Ælianus, Alexander Philippi filius, inquit, ter decem ſtadiis (ſtadium autem eſt ſpatium 125. paſſuum, quod 625. pedes continet, quos Hercules vno ſpiritu confecit) continuo itinere confectis antequam quietem caperet exercitus, cum hoſtibus conflixit, & eos vicit.

Var. hiſt. lib. 10

Hanc Alexandri velocitatem in bello, ex Seneca audire perplacebit. *Venit ille dies, Alexander, exoptatus*, inquit, *quo tibi operæ eſt, adeſſe; ijam ſunt termini, & Regni tui, & Mundi. Tempus eſt Alexandrum cum orbe, & cum Sole deſinere, quod noueram vici, nunc concupiſco quod neſcio. Quæ tam feræ gentes fuerunt, quæ non Alexandrum poſito genu adorarint? Qui tam horridi montes, quorum non iuga victor miles calcauerit? Vltra Liberi patris trophæa conſtitimus. Non quærimus orbem, ſed amittimus.*

Sen. l.1 Suaſor.

Hæc virtus magnorum Ducum & Imperatorum ſemper propria exiſtimata fuit, vnde Vegetius: *In rebus*, ait, *bellicis celeritatem amplius ſolere prodeſſe quam virtutem.* Alexandrum imitatus Iulius Cæſar dicebat: *Ea facinora quæ periculo obnoxia ſunt, & magna, gerenda eſſe ſumma celeritate, ac de his non conſultandum, eo quod ad hæc perficienda plurimum haberet momenti celeritas.* Idem cum Pharnacem primo congreſſu viciſſet, Amicis ſcripſit, *VENI, VIDI, VICI*, ſummam rei bene geſtæ celeritati tribuens.

L.4. c.31

Plutar. in Apopht

Eandem bellicæ virtutis laudem M. Tullius in Pompeio mire commendat, & extollit. *Non enim*, inquit, *illæ ſunt ſolæ virtutes Imperatoriæ, quæ vulgo exiſtimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo*, &c. Et infra. *Vnde illam tantam celeritatem & tam incredibilem curſum initum putatis? Non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui noui tam celeriter in vltimas terras pertulerunt. Sed hæ res, quæ cæteros remorari ſolent, non retardarunt.*

Cic. pro lege Manilia

Conuenit illud Lucani.

Lib. 1

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

Et Ouidij.

L. de rem Am.

Sed propera nec te venturas differ in horas,
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Id vnum etiam ex præceptis Socratis refertur à Xenophonte. *Quidquid agas, promptiſſime, atque optime, & diligenter agas.*

PLVS STVDIO ET DILIGENTIA QVAM VIRIBVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

DVo sunt in bonis operibus attendenda, quæ Deo summè cordi sunt, & placent; Feruor intentionis, Diligentia operis. Illius est opus inchoare ac dirigere; hujus, exequi & consummare. Sine illo frustra desudat labor operantis; sine hoc marcescit fructus operis. Et quidem minima Deo cura est de qualitate exhibiti sibi obsequij, sed maxime considerat animum & celeritatem obsequentis. Inde Paulus, quales esse debeant Romani, à vanitate sæculi ad fidem conuersi, docens, ait, *sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes.* Sic Corinthiis jam in stadio currentibus calcar addens, dicit: *Sic currite, vt comprehendatis.* Et ipse se exemplum præbens, *Sic curro,* inquit, *non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans,* &c. Et Galatas arguens, retro deflectentes: *Currebatis bene,* ait; *quis vos impediuit non obedire veritati?* Et ad Hebræos: *Festinemus ergo ingredi in illam requiem.* Item: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.*

Rom. 12 — 1. Cor. 9 — ad Galat. 5 — ad Heb. 4 — Heb. 12

Ex quibus locis deducitur quantum momenti habeat in negotio salutis operosa sedulitas ac diligentia, quæ in rebus magnis ritè conficiendis necessaria est. Hinc Rex Dauid Saülem & Ionatham defunctos laudans, non immeritò fuisse dicit *Aquilis velociores, Leonibus fortiores.* Idem fortissimi militis Azael laudes prosequens, ejus celeritatem præcipuè memorat. *Porro Azaël cursor velocissimus fuit, quasi vnus de Capreis quæ morantur in syluis.*

2. Reg. 1 — 2. Reg. 2

Sed & Propheta Isayas pro magno dicere videtur de Angelis, quod sint veloces. *Ite,* inquit, *Angeli veloces, ad gentem conuulsam.* Quem locum citans S. Thomas, in hæc verba Apostoli, *Qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos flammam ignis;* notat, Angelis, quatenus nuntiis, optimè conuenire nomen spiritûs, seu aëris; & ignis, quatenus Ministris.

Isaiæ 18 — ad Heb. 1

Quoad primum, quia vt aër est receptibilis luminis & impressionis, optimè recipit, & recepta reddit; sic Angeli vtrumque velociter faciunt; recipiunt quidem optimè Diuinas illuminationes, vnde Dionysio vocantur Specula munda; & optimè reddunt, seu nuntiant hominibus, cum summa fidelitate & festinatione. Quoad secundum, in quantum Ministri, ignis sunt, seu flamma; tum quia instar ignis, in agendo sunt maximè actiui & efficaces; tum quia Charitatis igne, quo ardent, homines ad quos diriguntur, inflammant; cùm etiam quia vt ignis semper mouetur sursum, ita beati illi & boni Spiritus, Ministri, Angeli, omnia quæ agunt, in gloriam referunt Conditoris. Quæ Angelica munia, vt sancti ac perfecti viri participant, sic & nomina, & qualitates, seu perfectiones: illuminantur eodem quo illi lumine, ardent eodem igne; vtrumque aliis cum summa celeritate communicant, juxta illud: *Mensura eadem hominis, quæ & Angeli.* Vt Serui, ac Ministri Dei, habent velocitatem Spirituum, & ignis ardorē.

Digitized by Google

Ezech.1

De illis quippe, non secus ac de Angelis, dicit Propheta: *Animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* q. d. Sancta illa animalia, id est, viri perfecti, in perpetuo motu versantur; semper eunt ad Deum, à Deo ad homines redeunt, semper in lumine, semper in igne; veloces vt fulgur volant, vt lux corruscant & splendent, dicente Glossa ibi: "Quæ de quatuor animalibus dicuntur, ad omnes perfectos reducuntur.,,

Gen.18

Vis aliquod hujusmodi sanctum animal inter homines videre? oculos in S. Patriarcham Abraham conjice, ab hoc vno exemplum accipe. Acceptis enim hospitio tribus Angelis, & in iis, Deo, in specie peregrinorum iter illac fortè facientium. Quid refert Scriptura? *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes; ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero qui festinauit & coxit illum,* &c. *posuitque coram eis.* Viden vt in officio Charitatis nullus segnis est; omnes satagunt, & currunt, Herus, Domina, serui. Cuncti properant & festinant. Hanc diligentiam ponderans Origenes; "Abraham, inquit, currit ad armentum, Sara accelerat facere panes, puer festinat coquere vitulum, nullus desidiosus in domo sapientis inuenitur.,, Huic proposito dicit Ambrosius libro de Abraham: "Quia non satis est benefacere, nisi matures quod facies.,,

Ambrof. cap. 5

Ita est, ignea est mens justi, nihil oscitanter facit, moras nescit; & quò plus quisque ad perfectionis apicem ascendit, eò velocior est & ardentior in opere suo, Diuini imitamento Artificis, de quo in Mundi hujus inscrutabili opificio nescias quid magis mirere, aut magnitudinem operis, aut celeritatem operantis? Quod admirans D. Ambrosius; "In principio, inquit, Deus creauit, vt intelligerent homines quàm incomprehensibilis Operator esset, qui tantum opus breui exiguoque momento sic absolueret, vt voluntatis affectus, sensum temporis præueniret. Nemo operantem vidit, sed operatum agnouit; tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurreret, nec operatio voluntati.,, Quòd si Deus quidquid in nostram disposuerat vtilitatem, tam celeriter consummauit, quid nos facere oportet in his quæ ad ejus obsequium nostrumque officium spectant? quo feruore, quo spiritu, qua velocitate, Deo seruire debemus?

Lib. 1 Hexam. Cap.3

Isai.18

Quibus, non secus ac Angelis, dicitur: *Ite Angeli veloces,* Nuntij & Ministri Dei, *ad gentem conuulsam.* q. d. Ite Prædicatores verbi Dei; ite sacri Præcones, *ad gentem conuulsam,* seu à vera fide alienam, seu *dilaceratam* vitiis. Ite veloces, festinate, currite. Hoc enim est Iustorum proprium, attestante eo qui dicebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.*

S.Greg. Hom 5 in Ezech

Hîc non absonum fuerit obseruationem S. Gregorij Papæ in hæc verba attexere: *Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur,* discrimen justorum & reproborum continentia. "In Electis & reprobis, inquit, impetus sunt diuersi: in illis impetus spiritus, in reprobis impetus carnis. Impetus carnis ad odium, ad elationem, ad rapinam, ad immunditiam, ad exteriorem gloriam, ad voluptatem animum impellit; impetus verò spiritus ad Charitatem, ad Humilitatem, ad Continentiam, ad opera pietatis, ad Patientiam, ad lachrimas, ad considerationem vitæ immortalis ducit. Concludit: "Oportet igitur cura magna semper considerare in omni quod agimus, quis nos impetus ducat.,, Hoc enim valde importat.

Digitized by Google

Illa ergo diligentia & celeritas quam loquimur & commendamus, ea est, quam impetus spiritus, & pietatis feruor inducit, qualem supra in Abraham & in tota ejus familia laudauimus. Cujus quia iterum mentio incurrit, tanto viro & hoc loco digna est obseruatio S. Ambrosij, quærentis cur Deus liberauit Isaac de morte sacrificij, non filiam Iephte, cùm vterque suum vnicum, ille filiam, hic filium Deo voluerit immolare. Et respondet: " Quia non vna fuit forma meritorum, ideo non fuit vna forma factorum. Iephte doluit; filia fleuit; vterque de miseratione Dei dubitauit: sed Abraham nec consuluit affectum, nec doluit; sed vbi audiuit Diuinitatis Oraculum, non distulit sacrificium, sed maturauit obsequium; & Isaac non fleuit, cùm ligaretur, nec dilationem poposcit, cùm offerretur." Ita S. Doctor. Vnde videas sanctæ sedulitatis meritum incruentæ immolationis fine in isto dignè compensatum, & in illo dilatæ oblationis ægra ac coacta seruitia cruento funestoque exitu terminata.

Lib. 3. de Virg.

Confirmare id lubet exemplo S. Patriarchæ Noë, cujus Sacrificium fuit tam acceptabile Deo, vt odore ejus quasi suauissimo Thymiamate sit delectatus, dicente Scriptura: *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis.* Sed quæ, aut vnde tanta suauitas? nunquid ex carnibus aut ossibus animalium concrematis? Respondet Glossa, odoratum esse Dominum deuotionem Noë. Tales oblationes, ait, non erant acceptæ Deo, nisi ex deuotione offerentium." Clarius Theodoretus. " Excepit, inquit, Deus promptitudinem & animum Noë, non quidem nidore illo delectatus, nihil enim plus olet quam ossa exusta, sed offerentis animum laudauit." Vt enim ait S. Leo pendens viduæ factum duo æra dantis, " Nulli paruus est census, cui magnus est animus, nec de rei familiaris modo mensura pendet pietatis.

Glossa

Theodor. q. 51. in Exod.

Ser. 2 in Quadr.

Prophetæ Elisæi Seruum suum ad suscitandum puerum mittentis, mihi admirationem facit præcepti formula, qua cum eo vsus est. *Accinge*, ait, *lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade, si occurrerit tibi homo non salutes eum, et si salutauerit te quispiam, non respondeas ei.* Quæso enim quid mali habet salutatio, aut salutantem resalutare? Forte ita ferebat veteris seueritas instrumenti. Sed Euangelicis prædicatoribus eadem forma præscribitur: *Nolite*, inquit, *portare sacculum neque peram, & NEMINEM PER VIAM SALVTAVERITIS.* Quid ita? Respondet D. Ambrosius. " Non salutationis officium, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur, ideo & honesta prohibentur, ne solennis gratia obrepat officij, & impediat ministerium, cujus mora culpa fit." Respondet S. Augustinus. " Quid est, *Neminem per viam salutaueritis.* Quia jubet festinanter facere injuncta, ac si diceret omnia prætermittatis, dum quod injunctum est peragatis. Respondet S. Gregorius, " Per viam neminem salutare conceditur, vt sub quanta festinatione iter prædicationis peragi debeat, ostendatur." Scilicet vtrobique agitur de resurrectione pueri, de conuersione peccatoris, de negotio salutis; cum Elisæus, id est, Saluator, ad id operis suos mittit, properandum est, toto spiritu currendum est, omnis mora tollenda, ablegenda quæuis alia cura. Vis ex Euangelio, omni exceptione majus exemplum? Parthenicus Euangelista Lucas, in primo sui Euangelij capite prænarrato Salutationis Angelicæ, & Incarnationis Sacramento, confestim subjungit Mariam ad iter se montium Charitatis causa accinxisse. *Exurgens Maria abiit in Montana cum festinatione.* Quî per Montana tenera

4. Reg. 4

Lucæ 10

in hunc locum.

Ser. 42

Hom. 17 in Euang

Virgo post conceptum? Respondet S. Ambrosius. "Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Addit, Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.„ Quippe vrgebat eam interius Verbum quo fœta erat, vt jam efficeret in Ioanne, quod facturus venerat pro vniuerso homine, & officium Mediatoris ac Redemptoris inchoaret, ad hoc festinatione & celeritate opus erat. Ipse enim est de quo prædixit Isaias. *Voca nomen ejus accelera, spolia, detrahe, festina prædari.*

Isai. 8

Ex dictis collige, quod si sanctissima Dei Mater, vterum gerens, & prægnans, si benedictus ejus Filius adhuc in vtero conclusus tam veloces sunt in procuranda hominis salute, veniendo ad hominem, qua celeritate, quo studio, qua diligentia homini vtendum, vt veniat ad Deum? vt promereat? vt placeat? QVIA PLVS STVDIO ET DILIGENTIA, QVAM VIRIBVS, PLACATVR, AVT PROMERETVR DEVS.

TITVLVS LXXVIII.

DE SAPIENTIA.

FABVLA.

De Diuite ignaro & Paupere literato.

INSVLTABAT vir quidam ignarus, sed diues, viro inopi, sed literato, quod propria industria opes multas congessisset, ipse vero cum sua peritia, & literis, inopia premeretur. Non inuideo, inquit Doctus, tuis bonis, nec meis indoleo: studuimus ambo, tu fortunæ, ego animi bonis, & quanto hæc vera præstant illis fluxis & volaticis, tanto te supero. Super hoc grauis inter eos quæstio; Diues illiteratus, opes multis efferens supra doctrinam, & ingenij dotes, plebem multam, & vulgus omne in suam sententiam trahebat. Doctus inops, pauciores, sed graues viros, ætate & experientia insignes pro se habebat. Hanc litem non homines, sed casus diremit. Vterque ciuilibus discordiis è patria pulsus, bonis omnibus fortunæ priuatus exulare cogitur, & se in aliam recipere Ciuitatem. Tunc apparuit quanto diuitiæ animi, opibus fortunæ præstarent. Diues enim indoctus, bonis externis exutus despicitur, & precario viuere cogitur. Doctus pauper ob dotes animi, & sapientiam, ab omnibus honoratur. Vnde constat quantum sapientia opibus præstet.

Lepus & Vulpes.

Contendebat Lepus cum Vulpe de nobilitate & prærogatiua, eamque superare, maxime ob celeritatem pedum prætendebat, cui Vulpes, sit ita, inquit, cursu & pedum velocitate præcellas; at ego te ingenio & sagacitate, ac sapientia. Vt præcedens, indicat, plus sapientiam quam opes, æstimandam,

MENS

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

PLVS SAPIENTIA QVAM OPIBVS.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

PRospecto in limine hujus Tituli, nomine SAPIENTIÆ, quasi in Propylæo Templi, eo libentius venerabundus accedo, quod non male occurrant Sapientia & Fabula, sed amicè conueniunt, cum ex Aristotele, φιλόμυθος ὁ φιλόσοφος. *Idem amator est Sapientiæ & Fabulæ.* Hæc enim velut ancilla Dominæ seruit, illa magnâ ex parte sub fabulis & rationibus, quasi sub inuolucris obscura veritatis vestigia præ se ferentibus gaudet latere, & inuolui. Diuina quippe amant occulta, odere triuia & compita. Quod ipsi significabant Sphinges pro delubris olim constituti, vt intrantibus stupori essent; & Mineruæ quam Isidem cognominant quod in Sai erat Simulachrum, talem inscriptionem habens: *EGO SVM OMNE QVOD FVIT, QVOD EST, QVODQVE ERIT, ET PEPLVM MEVM NEMO MORTALIVM REVELAVIT.* Quibus magnificis verbis, Sapientiæ Diuinæ impenetrabilis altitudo describitur, quæ licet altissimis immersa latebris nullo humano ingenio, nisi ipsa velit, erui possit, se tamen per vices temporum peplo in parte resoluto homini insinuat, multis & miris modis; modo aperta luce veritatis, modo sub diuersarum vmbraculis rerum & similitudinum irradians.

1 Metr. c. 2.

Ap. Stob. Ser. 42. & Plut. l. de Isid. & Osir.

Propterea in ea eruenda adipiscendaque summam virtutum, & omnium homini expetendorum Sapientissimi quique posuerunt. *Sapientia,* inquit Tullius, *nihil est optabilius, nihil præstantius, nihil homine dignius. Estque Diuinarum rerum & humanarum scientia, cujus studium si quis vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit quod laudandum putet.*

L. 2. Offic.

Huic vni refert motuum animi turbulentorum refrænationem. *Sapientia,* inquit, *sola est quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vindicet, & ipsius fortunæ modeste ferre doceat, Injuriam, & omnes vias, quæ ad quietem, & tranquillitatem ferunt.* Huic vni situm mentis imperturbabilem, fortunæ variantis vultibus superiorem; *Sapiens animus,* inquit, *magnitudine consilij, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus vt mœnibus septus vinci aut expugnari non potest.*

Lib. 1. de fin.

Paradox. 4

Huic altissimam sui ipsius cognitionem, Delphico Oraculo comprobatam. *Hæc enim vna,* ait, *nos cum cæteras res omnes, tum quod est difficillimum docuit, vt nosmetipsos nosceremus. Cujus præcepti tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur; nam qui seipsum norit, primum aliquid se habere sentiet Diuinum, ingeniumque in se suum sicut simulachrum aliquod putabit, tantoque munere Deorum semper dignum aliquid & faciet & sentiet; & cum seipsum perspexerit intelliget quemadmodum à Natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam.*

Lib. 1. de leg.

Hujus denique amatores & studiosos vult Reipublicæ gubernaculis admoueri. *Sapientia,* inquit, *nihil est melius. Ad Rempublicam plurima veniunt*

commoda, si moderatrix omnium rerum præsto est Sapientia: hinc ad ipsos qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit.

Ciceronem Eloquentiæ apicem sequitur Seneca, in laude & æstimatione Sapientiæ nulli cedens. *Hoc scio*, inquit, *neminem beate viuere posse sine Sapientiæ studio: & beatam vitam perfecta Sapientia effici, tolerabilem etiam inchoata. Animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum. Sine hac nemo securus est.*

Epist.16

Cujus vero temperaturæ velit esse animum Sapientis, ex sequentibus verbis ejus intellige. *Sapiens*, infit, *ad omnem incursum munitus & intentus, non si Paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus & contra illa ibit, & inter illa. Plenus gaudio, hilaris & placidus, inconcussus, cum Diis ex pari viuit.*

Epist.59

Eumdem non alium describit & canit grandi cothurno Poëta Lyricus.

Horat. L. 2. Car. Ode 10.

Sperat infestis metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus. Informes hyemes reducit
Iupiter. Idem
Summouet; non si mala nunc, & olim
Sic erit.

Et lib. 3. *Iustum & tenacem propositi virum,*
Non ciuium ardor praua jubentium,
Mente quatit solida: neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus;
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, artes attigit igneas, &c.

Ode 3

De Sapiente dicit Boetius;

Lib 2. de cōs. Phil. metr. 4

Quamuis tonet ruinis
Miscens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Fœlix robore valli,
Duces serenus æuum,
Ridens ætheris iras.

His præmissis, & deducto à comparatione Opum & Sapientiæ argumento, proposita hujus Tituli sententia facile probata consistit: PLVS SAPIENTIA, QVAM OPIBVS, supple, BENE, BEATEQVE VIVITVR.

Opes quippe non refrænant libidinis impetus, sed inflammant; terrores non tollunt, sed acuunt; indigentiam non minuunt, sed augent; animum aduersus fortunæ casus non fulciunt, sed frangunt; virtutes non generant, sed vitia; salutarem sui scientiam non afferunt, sed excæcant; bonos ad Reipublicæ munia non faciunt, sed corrumpunt; quæ omnia sapientiæ esse munera & dona, ex scitis sapientum supra præstruximus.

Vis proprio ex ore nostri Senecæ audire argumenta? *Bonum ex malo*, inquit, *non fit, Diuitiæ fiunt ex Auaritia, diuitiæ ergo non sunt bonum.* Item *Diuitiæ bonum hominis non sunt, quia extra hominem sunt; corpori non animo seruiunt.* Item, *Quod dum consequi volumus in multa mala incidimus, bonum non est, dum Diuitias consequi volumus, in multa mala incidimus; ergo Diuitiæ bonum non sunt.*

Epist.87

Digitized by Google

Postremo: *Diuitiæ bonum non sunt, nam si essent, bonos facerent.* Quæ incommoda in Sapientiæ munus nemo retorserit. Ergo PLVS SAPIENTIA, QVAM OPIBVS, BENE VIVITVR.

L. de vita beat. c. 24

Secundò, Sine tribus non bene viuitur, sine Veritate, Pietate, Iustitia, quas Sapientiæ sorores & asseclas esse nemo ibit inficias. Hæc enim sunt tria hominis, virtute & sapientia præditi officia, veritatem sectari; Pietatem, seu Deum colere; Iustitiam, seruare. Quibus comparandis, aut seruandis opes non modo non prosunt, aut indifferentes sunt, quin maxime ad ea, vel properanti, obsunt.

Quomodo non obessent veritati Diuitiæ, quæ pro luce menti tenebras offundunt? Diuitibus perpetua nox incurrit. Teste Euripide.

Ap. Stob serm. 91

Res mala, sed innata diuitibus est
Improbe viuere. Quanam hujus rei causa est?
An quia cæcæ diuitiæ ipsis conuersantur?
Mentem quoque cæcam efficiunt propter fortunam?

Cæcæ sunt Diuitiæ, inquit Menander, *ac se inspicientes excæcant.* Et Aristophanes.

Diuitiæ nos, seu malus Medicus,
Videntes assumptos omnes excæcant.

Aut sicut vestes talares corpora, aiebat Democrates: *Ita opes magnæ animas impediunt.*

Pietati & ipsæ officiunt. Quis enim Auaro præter pecuniam Deus? audi quemdam ejusdem furfuris garrientem.

Menãder Serm. 89

Epicharmus quidem Deos esse dicit
Ventos, solem, Terram, Aquam, Ignem, Stellas,
Ego autem vtiles esse Deos arbitror
Argentum nostrum & aurum.
Nam illos si collocaueris in domum,
Pete quidquid voles, assequeris omnia,
Agrum, domus, seruos, argentea pocula,
Amicos, Iudices, testes; largire solum,
Sic enim vel ipsos Deos habebis ministros.

Nunquid vero Iustitiæ cum Opibus conueniet? quas Ouidius non male vocitauit. *Irritamenta malorum.* Possidonus, *causas malorum, non quod ipsæ facerent, sed quod facturos irritarent*; vt refert Seneca. Iis corruptionem morum tribuit Iuuenalis.

Epist. 87

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu.

Diuitiæ, inquit incertus Auctor apud Stobæum, *falsa boni opinione proposita à verissimis abducunt hominem, cui hærent, sapere non permittunt, sed rapiunt eum ad externa.* Item, *Diues primùm animi bona negligit, tanquam & sine illis fœliciter agat, deinde corpus delitiis corrumpit.*

vbi sup.

Multa sunt quæ in Diuitiis etiam ex illis rebus quibus ornari videntur, culpari possunt; cætera plane intolerabilia sunt, arrogantia, audacia, superbia, curæ turpes, malæ cupiditates, prauæ voluptates, desiderium insatiabile. Denique vitia plurima, & infinita mala, haud nascerentur ex eis nisi ipsæ diuitiæ malæ essent. Propterea dicebat Diogenes, neque in ciuitate opulenta, neque in domo, habitandi locum esse virtuti. Concludamus igitur, PLVS SAPIENTIA QVAM OPIBVS, VERTATEM INQVIRI, DEVM COLI, IVSTITIAM OBSERVARI.

Digitized by Google

PLVS SAPIENTIA QVAM OPIBVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

DE Diuina æternaque Sapientia, quæ per essentiam Deus est, per attributionem Filius Dei, secunda in Diuinis Personis, de qua scriptum est: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem Creaturam,* &c. in parte mihi est sermo, quatenus *in principio erat Verbum, per quod omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil; quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* De Sapientia item humana, quatenus Diuinæ participatio & riuulus est, in parte etiam sermo excurret, illius altissima in homine vestigia relegens, de quibus est illud Prophetæ: *Incuruantur colles Mundi ab itineribus æternitatis ejus,* scilicet superbi & rebelles spiritus, à contemplatione Diuinorum super salute hominum, operum, præ stupore incuruantur, & inuidia rumpuntur; vbi humiles hominum vermes, admiratione simul & amore attolluntur, & ædificantur.

Eccl. 24

Habacu.

Inde ad illustrationem hujus sententiæ, mihi eò magis est pronus, & facilior transitus, PLVS SAPIENTIA QVAM OPIBVS, quò Scriptura pluribus fauet.

Et primò quidem Iob occurrit, inuestigandæ, æstimandæque Sapientiæ magnitudine, ac difficultate obstupefactus. *Sapientia verò, inquit, vbi inuenitur? & quis est locus Intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus.* " Non de creata, sed de creante Sapientia, Mysticè loquitur, inquit Glossa, id est, Christo, DEI VIRTVTE ET SAPIENTIA, cujus homo pretium nescit; quia nullum dignum operis meritum, quo illum percipiat, inuenit: gratia enim redempti sumus, & nullo nostro merito Sapientia Dei ad nos venit. „ Et in hæc verba, *Nescit homo pretium ejus,* addit: " Non dicitur esse pretium, & nesciri; sed ideo nesciri, quia deest. „ Auget tantæ rei inæstimabile pretium, cùm dicit: *Non inuenitur in terra suauiter viuentium; & Abyssus dicit, Non est in me; & Mare loquitur, Non est mecum.* Nam licet suauiter viuentibus opes sine numero profundantur, & Abyssus ac Mare inæstimabili profunditate, & amplitudine polleant; eorum tamen neutrum Diuinæ Sapientiæ aut altitudinem æquat, aut pretium. Ideo *Abyssus dicit, Non est in me; & Mare loquitur, Non est mecum.* Vbi meritò notat Interlinearis: " Non dicit vbi Sapientia sit, sed vbi non sit; nec quid sit ejus pretium, sed quid non sit. „

Iob. 28

Iam quod & quantum Sapientia cunctis creatis & opibus antistet, per partes ostendit. *Non dabitur,* inquit, *aurum obrisum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus; non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonyco pretiosissimo, vel Sapphyro; non adæquabitur ei aurum, vel vitrum; nec commutabuntur pro ea vasa auri.* Vt vides, quæsiuit in Cœlo & in terra quod Sapientiæ compararet, & adæquaret, & non inuenit. Igitur Plus Sapientia, quàm opes.

Audiamus Salomonis ea de re judicium: *Beatus homo,* inquit, *qui inuenit Sapientiam, & qui affluit Prudentia. Melior acquisitio ejus negotiatione auri &*

Prov. 3

Digitized by Google

argenti: pretiosior est cunctis opibus; & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Si parum est illam præponere pretiosissimis Metallis, & gemmis, multò majus est præferre illam Regnis, & Imperiis. *Optaui*, inquit, *& innocaui, & venit in me spiritus Sapientiæ; & præposui illam regnis, & sedibus; & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius; nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Antequam Sapientiam adeptus esset, ejusque contubernio vsus esset, præferebat illam auro, & opibus; adepta ea & cognita, aurum pro arena despectat, & argentum pro luto habet. Parum enim est præferre illam regnis, & thesauris, nisi etiam propriæ saluti, & honori, & amoribus, quibus maximè detinentur Reges, anteponat. *Super salutem*, inquit, *& speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Vides vt per illam plus recuperauit quam abjecit & perdidit.

Sap. 7

Ista de plano tam præclara de Scripturis testimonia virorum Illustrium, & Regum, qui Sapientiam prætulere opibus & Regnis, & plus Sapientia quam omnibus Diuitiis efficere, ac præstare putarunt, sufficere poterant, nisi reconditioris doctrinæ aliquid Mysticus sensus aperiret.

Quod ab Apostolo mutuandum, Philosophis & Sapientibus de mundanæ sapientiæ fumo tumentibus exprobrante. *Impietatem suam, veritatem*, id est, cognitionem, *Dei, in iniustitia captiuam detinentibus. Quia*, inquit, *quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit.* Scilicet, quod Deus est, quod vnus est, quod omnium rerum principium & finis est. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi*, id est, ab homine; *per ea quæ facta sunt*, id est, per sensibiles Creaturas, *intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & Diuinitas, ita vt sint inexcusabiles.*

Quo loci ex S. Dionysio & S. Thoma tribus modis Philosophis & Gentilibus Deus innotuit, quos totidem verbis Apostolus expressit. Et primò quidem, per viam negationis, hoc verbo, *Inuisibilia enim ipsius.* Nam licet hîc Diuinæ Essentiæ, prout est in se, Vnitas percipi non possit; percipi tamen potest per quasdam similitudines in Creaturis Diuinam Naturam participantibus relucentes. Secundò, per viam Causalitatis, remeando ad id à quo sunt. Ideo, ait, *sempiterna quoque ejus virtus.* Tertiò, per viam Excellentiæ, qua cognoscitur quòd Deus sit super omnia, *& Diuinitas.*

Alij sic explicant, vt à magnitudine creaturarum euidenter cognosci potuerit Diuina Potentia, quæ appropriatur Patri: ex speciositate, & pulchritudine, Sapientia, quæ Filio: ex vsu & vtilitate, Bonitas, quæ Spiritui Sancto. Ita vt per Creaturas aliqualis haberi potuerit notitia Trinitatis. Etiam ipsarum Personarum, dicit Glossa, per hæc verba, *Inuisibilia Dei*, persona Patris; *sempiterna virtus*, persona Filij; *& Diuinitas*, persona Spiritûs Sancti.

Quidquid sit, sufficere videbatur mundialis hujus machinæ fabrica mirabilis, vnde homo cognosceret ab opere Opificem, à magnificentia Creaturæ, Majestatem Conditoris. Contueri Cœlum infinitis luminibus collucens, Solis & Lunæ tempora indispensabili lege recurrentia, conuersiones siderum, Lucis & noctis alternationes ac vices, dispositiones Elementorum, Animalium & vegetabilium innumeras species & formas, cunctas denique orbis opes, quas aspectibus humanis eo fine Potentia Diuina

Digitized by Google

substrauerat, vt homo Deum cognosceret Auctorem, cognoscendo veneraretur, venerando amaret, amando frueretur, fruendo bearetur. Cognouit; sed nec amorem, nec venerationem stultus impendit. Vnde Apostolus: *Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis.* Quam injustitiam impietatem quę diu ante Apostolum Salomon carpsit his verbis: *Non agnouerunt*, inquit, *quis esset artifex, sed Creaturas Deos putauerunt; quorum si specie delectati Deos putauerunt, quantò his Dominus eorum speciosior est? Speciei enim Generator hæc omnia constituit, aut si virtutem eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit fortior est; à magnitudine enim speciei & Creaturæ cognoscibiliter poterat Creator horum videri.*

Sap. 13

Igitur frustratus Deus debiti Amoris, ac venerationis officio pro tot impensis homini Naturæ donis, cum nihil tot effusa suæ potentiæ munera, nihil pompa Diuinorum operum, nihil tantæ opes creationis efficerent, conuertit se ad alias artes, & ad inuentiones Amoris. *Noua bella elegit Dominus.* Statuit per assumptionem carnis allicere, quos gloria creationis non vicerat; & saluare per humilitatem crucis, quos Diuinorum operum pompa non traxerat. Hoc est quod grauibus verbis pendit Apostolus. *Perdam*, inquit, *sapientiam Sapientum, & prudentiam Prudentum reprobabo.* q. d. euanidam illam Sapientum sæculi sapientiam & prudentiam carnis confundam, qua indignum Deo putauerunt hominem fieri, crucem pati, & mori: stultam faciam, cum per eam hominem reparabo. *Nam quia in Dei Sapientia Creatrice, non cognouit Mundus per sapientiam creationis, Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis.* Id est, Incarnationis, quam pro stultitia reputant. *Saluos facere credentes.* Et sic Sapientia reparatrix per paupertatem & humilitatem crucis, superauit Sapientiam Creatricem Diuinæ Potentiæ, licet opibus & diuitiis præfulgentem.

1. Cor. 1

Sicque probata manet, ac perspicua præsentis Moralis veritas, PLVS SAPIENTIA, QVAM OPIBVS. Sed insuper euidenter impletum, quod apud Ecclesiastem habetur, & mirificè cum prima hujus Tituli fabula congruit. *Hanc quoque*, ait, *sub Sole vidi Sapientiam, & probaui maximam. Ciuitas parua, & pauci in ea viri; venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam; extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio; inuentusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit eam.* Hæc ciuitas parua est Mundus seu terra habitabilis, quæ licet in se magna videatur, parua tamen est respectu aëris, & maris, & cœlestium corporum, quorum vastitate circumdatur. Pauci in ea viri, id est, sapientes, justi, fortes. Rex magnus obsidens, est Diabolus, fortis ille armatus, Princeps Mundi. Munitiones ejus sunt, tentationes, vitia, voluptates. Vir pauper liberans eam est Christus. Pauper, quia cum diues esset, propter nos egenus factus est, & sapiens, quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. Deuicit quippe Christus hunc fortem, liberauit Mundum per Sapientiam, non per potentiam. Per patientiam Crucis, non per gloriæ ostentationem, per humilitatem carnis, non per virtutem Diuinitatis, vnde colligit, MELIOREM ESSE SAPIENTIAM FORTITVDINE.

Eccl. 9

Hucusque quî Diuina se sapientia erga hominem habuerit inspeximus, nunc quî se homo erga Deum per sapientiam habere debeat, breuiter perpendamus. Haud difficilis saltem theoricè quæstio, in promptu enim, & ad manum responsio est; ejusdem scilicet Sapientiæ, sectari oportere

Digitized by Google

vestigia, eidemque nos conformare.

Tremendum sanè Iudicium, vt is qui in sapientissima hujus mundi fabrica non agnitus est, sed creare impotens, & prouidentia carens, & necessario agere judicatus est, coactus sit cum stultis stultescere & homini se conformare, vt qui non agnoscebatur vt Deus immortalis, inuisibilis, adoraretur vt homo, mortalis & passibilis.

Placuit inquit Deo per stultitiam Prædicationis saluos facere credentes. Stultitiam vocat, Christi Incarnationem, Passionem, Crucem. Quæ humanæ sapientiæ, vt inaudita, sic stulta, ac Deo indigna putabātur. Stultitiam, humilitatem fidei. Vnde dicit: *Nos autem prædicamus*. Sequimur, imitamur *Christum crucifixum, Iudæis scandalum.* Quia hi desiderabant virtutem miracula facientem, & videbant hominem infirmum in carne indigna patientem. Inde scandalum, *Et Gentibus stultitiam*, quia istis humanæ sapientiæ, & rationi absonum videbatur, vt Deus moreretur, vt justus, & sapiens voluntaria morte damnaretur.

Sed quot stulta Philosophiæ humanæ, Diuina ostendit? quot axiomata eorum damnauit & conuicit erroris? In Creatione illud, Ex nihilo nihil fit; & tamen ex nihilo factus est Mundus, in tempore, quem increatum, & æternum putabant. In Incarnatione illud, Deus loco & tempore claudi nequit. In Passione illud, Deus pati, nec mori potest. Sic in Eucharistia, Accidens non potest esse sine subjecto, Corpus nequit esse in puncto, Duo corpora non possunt esse simul in eodem loco. Licet enim ista omnia Naturæ; at Deo, qui omnipotens est, omnemque transcendit Naturam, impossibilia non sunt. Sic stultam fecit Deus *Sapientiam hujus mundi*, per Sapientiam Crucis. Sic *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Id est, quod stultum visum est, vtpote excedens Sapientiam humanam, Deo incarnari, & mori; & quod infirmum, in carne pati, & sapientius & fortius est hominibus; quia inde & sapientiam & fortitudinem boni adipiscuntur, Amorem scilicet Crucis Christi, Humilitatis, Patientiæ & Paupertatis ipsius, & odium mundi, ac delitiarum; quò plus Sapientia quàm opibus peruenitur. Hæc est regia via Discipulorum Christi, Sectatorum Crucis & Crucifixi. Nos autem prędicamus Christum crucifixum, quem vtinam & nos sequamur, & assequamur. Et sit satis.

TITVLVS LXXIX.

DE VITA SOBRIA.

FABVLA.

De Ficedula & Turdo.

FICEDVLA è loco suo in alium commigrans, reperit in solitudine Turdum, apud quem hospitio recepta, videns eum siluestrium arborum baccis & labruscis victitare, inuitauit vt relicto deserti horrore secum pergeret, in amœniorem locum, dulciori aura, & longe suauioribus

Digitized by Google

olearum, ficuum, & vuarum fructibus, saginandus. Annuit inuitanti Turdus, mutauit solum, & cibos vt illa promiserat, perdulces, imo suauiores reperit, sed non reperit quam reliquerat solitudinem, imo mille laqueos, retia, insidias capiendis auibus prætensa, vnde prioris vitæ amore acta ficedulæ vale dixit, sobriam in sua solitudine vitam cunctis deliciis anteponens.

De Cuculo & Accipitre.

IRridebat Accipiter Cuculum, quòd cum sibi nec viribus nec volatu inferior esset, putidos potius terræ vermes consectaretur, iisque vesceretur, quam sapidis auium carnibus; pusilli dicens animi non leue argumentum. Nihil ad hæc tunc Cuculus. Non diu post vidit ipsum à Rustico cuius Columbas venabatur, captum, aliorum ad terrorem è turri pendere, cui ille; Quam satius tibi fuisset ô mi frater, vermes consectari, & sobrie viuere, quam ex rapto, & supplicio mori. Quantis esca deliciosior exitio fuit.

De Mure vrbano & villatico.

VEnerat rus aliquando Mus vrbanus inuisum consanguineos suos. Hunc inuitat, & hospitio excipit aliquis è suis mus Rusticus, qui vt hospitem suum laute, vt putabat exciperet, è penu suo nuces, castaneas, grana, & quidquid in hiemem condiderat, depromit, imo annonam omnem exhaurit. Nauseare Vrbanus, escas fastidire omnes nil palato sapere. Denique, præferre minimos cibos vitæ suæ communis in vrbe, omni apparatui Rusticano, quod vt de facto probaret, Rusticum secum in vrbem ducit, vt lautitias vitæ vrbanæ experimento cognosceret, in cauum recepit, conuiuium instruit tanta omnium rerum copia, & suauitate, vt Rusticus obstupesceret, sed vix quidquam prægustauerant, quod auditur in porta horrei strepitus, fugiunt omnes; & cum aliquanto post resedissent, intrat ancilla, iterum fugere & latitare. Rusticus quo se vertat nescit; rursus tantisper metu deposito, interrogat, num crebri forent isti timores? Quotidiani, inquit Vrbanus, iis assueuimus. Tum Rusticus, si ita est, inquit, malo meam mensam parcam & sobriam ruri, sine periculo & metu, quam copiam tuam, & dapes perpetuis periculis obnoxias.

De Asino & Porco.

INuidebat Asinus Porco Domini sui plurimùm, quod tam accurate, copioseque aleretur, & nil nisi saginam faceret, ipse vero quotidiano labore exhaustus vix paleas ad sufficientiam haberet; sed vbi vidit eum ad lanienam duci, ac iugulari in cibum familiæ; & se reseruari, prætulit vitam suam parcam & sobriam, abundantiæ Porci.

De Lupo

Digitized by Google

De Lupo & Cane.

LVpo in sylua oberranti, fit obuiam Canis domesticus cujusdam Rustici prædiuitis; isque optime refectus ac pinguis; consalutant & confabulantur simul. Lupus videns canem tam elegantem & comptum, & pinguem, congratulatur, miratur fœlicitatem suam, quærit vnde illi tam bona fortuna; ab Hero, inquit, à filiis, à famulis omnibus domus quibus charus sum, alius mihi offam projicit, alius panem, alius ossa, omnes blandiuntur. Quin si de tua ferocitate & moribus paulatim remitteres, in meæ partem fœlicitatis ac societatis posses peruenire. Cum sic colloquerentur, aduertit Lupus in collo Canis vibices, & impressa percussionum vestigia, sed vnde, inquit, hæ tibi plagæ in pelle, quis tibi eas fecit? modo Herus, inquit, modo filij ejus, modo serui, si contingit me aut allatrare temere quempiam, aut quidquam obsonij surripere. Ita ne, inquit Lupus, illi qui tibi blandiuntur, te impune tundunt & verberant? Ego vero malo parce & sobrie vitam ducere, & famem tolerare, quam sub continuis ictibus, & timoribus optimis quibusque cibis adipari.

De Muliere & Gallina.

QVædam Mulier alebat Gallinam, quæ Ouum ipsi quotidie pariebat; & illa lucri auida putauit, si abundantius cibaretur, fore vt etiam Oua bis in die ederet. Cœpit ergo eam plus solito esca infarcire. Quid contigit? vt impinguata & saginata amplius nullum pareret. Adeo frugalitas, & sobriæ tenor vitæ homini & animali confert, ac prodest.

De Carduele & Puero.

NVtriebat Adolescens Carduelem ad delicias, & cantum tam accurate, vt nihil ad cibum aut potum ei deesset, imo abunde suppeditaret; quæ tamen incessanter per cancellos egredi conabatur, & de facto aliquando egressa est, & cum regredi nollet, petiit ab ea quid causæ esset, cur opime in cauea alita, non rediret, cui illa, quia frugalis & sobria vita libertati juncta mihi magis cordi est, quam abundans & captiua. His omnibus Apologis vna Mens est, vnus scopus ac finis, commendare sobriæ ac temperantis vitæ, super deliciosæ & superfluæ cupediis, commoda.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

VITA SOBRIA PRÆSTAT VOLVPTVOSA.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

INTER Sobrietatis prærogatiuas, ea censeri potest, quod Sapientiæ Antistites & Magistri, Magistri etiam fuere frugalitatis ac sobrietatis. Tam bene Sapientiæ & Sobrietati conuenit. Quod peruiderat Sophocles.

in Electra Ap. Stob serm. 15

Quicumque Philosophicis (inquit) se dedunt laboribus,
Addiscunt per vitam compescere ventrem
Videlicet frugalitas est Magistra
Sapientum, optimorumque Consiliorum.

Quo in numero vt nemo, vel Delphico Oraculo sapientior Socrate, sic nec continentior. Is inter labores voluntarios & exercitia corporis, quibus ad formandum se contra fortuitas Patientiæ vices *vtebatur*, stare pertinaci studio perdius & pernox dicitur à summo lucis ortu ad Solem alterum Orientem, in conniuens, immobilis, iisdem in vestigiis & ore atque oculis eumdem in locum directis, cogitabundus, tanquam in quodam secessu mentis atque animi facto à corpore. *Tam paucis vtebatur*, inquit Xenophon, *vt nescio quis tam modicum laboraret, qui non posset lucrari, quæ Socrati satis essent.* Quam vero de sobrio viro, in quibusuis pacis ac belli negotiis opinionem haberet, testatur idem sic eum introducens pro sobrietate loquentem. *O viri, si bello nobis indicto eligere hominem velimus, per quem nostram salutem, ac aduersariorum conflictum consecuturi sumus, num illum eligimus qui gulæ, veneri, vino, somno, seruit? qui laborem perferre non possit? At quo pacto, cum talis ille sit, aut nos saluos facere, aut hostes nostros vincere possit? Si autem ab hac vita migraturi velimus testamento cuidam filios educandos, aut filias virgines conseruandas, aut custodiendā pecuniam relinquere, num hominem incontinentem arbitrabimur aptum ad hæc esse? seruo vero non continenti commendabimus pecudes, ærarium, aut cujusquam operis curam?*

Aul. gell. l. 2. Noct. Attic.

Lib. 1. de dict. & fact. Socr

Et paulo post: *Ad rem militarem vtrum qui sine sumptuoso victu viuere non possit, an ille cui satis est omne quod contigit, aptior judicabitur? aut vtrum ille citius expugnabitur, qui raris & sumptuosis indigeat, an qui mediocriter vtatur, etiam communibus? Videris ô Antipho fœlicitatem deliciis & diuitiis applicare. Ego autem nullis indigere rebus, Diis appropriatum esse duco, minimis, illorum qui quam proximi superis sunt; & Deos quidem optimos, omnibus. Qui vero Diis appropinquant proximos optimo existere.* Sententia vero Socratico ore perdigna. Idem dicebat: *Homini voluptatibus seruienti nullam vnquam virtutem conuenire: parum aut nihil interesse inter incontinentem & belluam.* Vnde rogatus aliquando quonam à cæteris hominibus differret. Respondit: *Alij quidem viuunt vt edant, ego edo vt viuam.* Quod quam communi sit hodie, ex hominum vsu dig-

Lib. 4. de dict. & fact. Socr

Laërt. lib. 2

noſce. Plato imitabatur Socratem, diſcipulus Magiſtrum, de quo illud refertur, quòd ſiti laborans è puteo hauriebat aquam, iterumque effundebat, vt ita ſitis auiditatem caſtigaret. Vini erat temperantiſſimus: vnde monere ſolebat Bacchum furentem ac temulentum ſobriis Nymphis eſſe temperandum, id eſt, vinum aqua miſcendum, ſeu temperandum. Vnde cujuſdam Meleagri Epigramma Gręcum ſic Latinè redditur:

Ap. Stob Serm. 15

Proſiliit rapido cùm Bacchus ab igne puellus
Eſt Nymphis lotus pulverulentus adhuc.
Cum Nymphis ideo gratus ſit Bacchus; at illum
Ni miſcere ſinas, igneus ardor erit.

Paulò aliter Plutarchus, *Deum furentem ſobrio altero temperandum*, à Platone dictum refert.

Pręcedentibus in vtroque Sapientiæ aut Temperantiæ munere non cedit Epictetus, Stoicæ Sectæ grande decus, cujus vita & ſanctitas in tanta apud omnes admiratione extitit, vt lucerna ejus fictilis præ ejus veneratione tribus drachmarum millibus vęnierit. Is vir non tantùm vini & cibi, ſed etiam omnium rerum in tota vita abſtinentiſſimus & temperantiſſimus, *duo eſſe vitia omnium teterrima grauiſſimaque dicere ſolitus erat, Intolerantiam & Incontinentiam*; cùm aut injurias, quæ ſunt ferendæ, non-toleramus; aut à quibus rebus, voluptatibusque nos abſtinere debemus, non abſtinemus. *Itaque*, inquit, *ſi quis hæc duo cordi habeat, eaque ſibi imperando atque obſeruando curet, is erit pleraque impeccabilis, & vitam viuet tranquilliſſimam.* Hæc autem & *totius Sapientiæ ſummam duobus verbis comprehendebat*, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id eſt; *ſuſtine & abſtine*. Et meritò quidem. Quiſquis enim hæc duo altè in animo defixerit, perpenderitque, agnoſcet horum vtriuſlibet defectu, quidquid ſcelerum aut calamitatum quis committit aut patitur, euenire.

Apud Auluo Gell. l. 17. c. 19

Tandem, ne in plura diuagemur, & pro ſelectorum choro ſapientum turbæ judicium intrudere videamur, venio ad noſtrum Senecam, qui in his duobus commendandis & exequendis, totam videtur Philoſophiæ Stoicæ rationem concluſiſſe.

Neceſſarium eſt, inquit, *paruo aſſueſcere; multæ difficultates locorum, multæ temporum, etiam locupletibus & inſtructis, & Regibus occlauam prohibent & occurrunt. Quidquid vult habere, nemo poteſt; illud poteſt nolle, quod non habet: rebus oblatis hilaris vti. Magna pars libertatis eſt benè moratus venter, & contumeliæ patiens.*

Epiſt. 123

Et epiſtola 110. *Non eſt*, inquit, *quòd te nimis laudes, ſi contempſeris aureos lectos & gemmeam ſupellectilem: quæ eſt enim virtus ſuperuacua contemnere? Tunc te admirare, cùm contempſeris neceſſaria. Non magnam rem facis, quòd viuere ſine regio apparatu potes*, &c. *tunc te admirabor, ſi tibi perſuaſeris herbas, vbi neceſſe eſt, non pecori tantùm, ſed homini naſci*, &c.

Item: *Hanc ſanam & ſalubrem formam vitæ teneto, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Duriùs tractandum eſt, ne animo malè pareat; cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit aduersùs infeſta corpori: hanc vtrùm ceſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt; ſcito hominem tam bene culmo, quàm auro tegi.* Sic ille diſcipulo ſuo aut amico Lucilio ſapientiæ pręcepta dabat, quæ Archimandrita ſuis aſcetis per Mandras dicere non erubeſceret: An verò ipſe, quæ alios hortaretur, exequeretur Abſtinentiæ documenta, ex quodam ejus

Epiſt. 8

Digitized by Google

itinerario euentu conjice. *Hoc me, inquit, iter docuit quam multa haberemus* Epist.87 *superuacua, quæ si quando necessitas abstulit, non sentimus ablata. Cum paucissimis seruis, quos vnum capere vehiculum potuit, sine vllis rebus, nisi quæ corpore nostro continebantur, ego & Maximus meus biduum jam beatissimum agimus. Culcitra in terra jacet, ego in culcitra. Ex duabus penulis altera stragulum, altera opertorium facta est. De prandio nihil detrahi potuit, paratum fuit non magis hora; nusquam sine Caricis, nusquam sine pugillaribus. Illæ si panem habeo, pro pulmentario sunt, si non, pro pane quotidie mihi annum nouum faciunt, quem ego faustum & fœlicem reddo bonis cogitationibus, & animi magnitudine, qui nunquam major est, quàm vbi aliena seposuit, & FECIT SIBI PACEM, NIHIL TIMENDO: FECIT SIBI DIVITIAS, NIHIL CONCVPISCENDO.* Sic ille Sobrietatis cultor magnificus.

Possem in hunc sensum infinita antiquorum præclarè dicta aut facta in fauorem Sobrietatis & Temperantiæ congerere; ista sufficient, si addidero ex Socrate, *In vita socordi, & epularum studiosa, dolores mox voluptatibus coalescere; virtuti autem vacare, & vitam sobriam instituere, gaudia sincera & æterna reddere.*

Nec in hac parte à Philosophis discrepant Poëtæ in extollenda Temperantia. Audiamus Lyricum. Horat.L.3 Ode 16

Quantò quisque sibi plura negauerit,
A Dijs plura feret, nil cupientium
Nudus Castra peto, & transfuga diuitum
Partes linquere gestio.
Contemptæ dominus splendidior rei,
Quàm si quidquid arat non piger Appulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ riuus aquæ, syluaque jugerum
Paucorum, & segetis certa fides mea
Fulgentem Imperio fertilis Africæ
Fallit, sorte beatior.

Concludit tandem:

Multa petentibus
Desunt multa; bene est, cui Deus obtulit
Parca quod satis est manu.

circa fin. Idem libro de Arte Poëtica, docens Artis cujuscunque peritiam non ignauis adnasci, sed multo labore, vigiliis, Abstinentia, sobriis acquiri; sic ait:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudauit & alsit;
Abstinuit Venere & Baccho.

in Opusc. Idem Virgilij Iudicium:

Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum;
Ne te muneribus lædat vterque suis.
Vina sitim sedent: natis Venus alma creandis
Seruiat; hos fines transilijsse nocet.

Hoc inter cætera habet frugalis vita, vt ad magna & ardua quæque patranda nata & apta sit; haud ita ad crimina. Prioris argumento sit, Romani fundator Imperij Romulus, vino semper parcissimo vsus; quam

Digitized by Google

potus cibique parsimoniam, nouellæ Reipublicæ tam seuerè tenendam induxit, viris fœminisque, vt illos, si se vino ingurgitassent, exosos haberent; & Senatu, publicisque officiis amouerent; & istis crimini duceretur, vinum attingere: vnde mos natus cognatis osculum dare, vt indicium caperent, si bibissent. Marcus Cato refert Matronas Romanas non solùm probro affectas, sed & mulctatas non minùs, si vino vsæ essent, quàm si adulterium commisissent. Vnde de quodam Egnatio Metello proditur, quòd vxorem quæ vinum biberat interemit; cujus facti nec accusatorem habuit, nec reprehensorem, dicit Valerius Maximus. Cujus rationem hoc Disticho assignat Ouidius:

L.1.c.1

3.de Arte

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyæo;
Digna est concubitus quoslibet illa pati.

Alio ejusdem temporis & priscæ frugalitatis exemplo fit Curius ille, qui primus de Sabinis triumphauit, & Pyrrhum deuicit, deuictumque Italia expulit. Is vir tantæ Temperantiæ fuisse dicitur, vt cum ad ignem in priuato Lare Rapas torreret, Samnitum Legatis magnum auri pondus ipsi afferentibus respondit, *M. Curium malle imperare locupletibus, quàm locupletem fieri; & qui in acie vinci non potuisset, multò minùs pecunia corrumpi.* Vel, *cui Rapæ ad cœnam sufficerent, auro minimè indigere.* Adeò verum est, cui Gula non imperat, nec malas artes, aut cupiditates imperaturas.

Sueto. in Iul. Cæs. c.53.

Et Iulius Cæsar vini etiam erat parcissimus: vnde M. Cato dixerit, *Vnum ex omnibus Cæsarem ad euertendam Rempublicam sobrium accessisse.* Potuit hoc sobrius mutare, aut releuare statum Imperij, quod ebrius aut intemperans non mouisset; vt bene Galba de Vitellio pronunciauit; cui cum renunciatum esset, Vitellium aliquid in se moliri, & in Imperium, nihil metuendos dixit, qui de solo victu cogitarent; nusquam intemperantem & Gulæ deditum quid magni aggressurum.

Suet. in Vitellio

Quantò autem Temperantia aut Sobrietas audendis præclaris facinoribus dat animum & vires, tantò tollit criminibus faciendis. Propterea dicebat Diogenes, *Paupertatem subsidium esse ad Philosophiam; quia quæ ista verbis persuadere conatur, illa reipsa in ipsis cogere.* Idem, cuidam sibi exprobranti Paupertatem: *Sed propter Paupertatem*, inquit, *nullum vnquam vidi torqueri; propter malitiam verò plures.* Alibi: *Neminem vidi propter Paupertatem tyrannidem exercere, omnes verò propter diuitias.*

Stobæus serm. 95.

Accommodatè ad hoc dixit Plutarchus: *Fames nunquam produxit Adulterium, neque pecuniarum inopia Luxuriam. Breuis quædam est Temperantia, Paupertas, & compendiosa legum obseruatio, Penuria.*

Stobæus Ser. 93.

Quæ sufficiant capitali nostræ sententiæ, VITA SOBRIA, PRÆSTAT VOLVPTVOSA.

Digitized by Google

VITA SOBRIA PRÆSTAT VOLVPTVOSA.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVANTVM mali importet homini Intemperantiæ vitium,& quantum boni virtus Temperantiæ ac Sobrietatis, ab initio vel inde patet, quod primum hominis peccatum illa inuexit; & quidquid vsquam magni ac præclari facinoris in orbe gestum est, ab ista processit. Vtrumque demonstrare vt non erit operosum, sic nec otiosum.

Obseruo enim primum hominis peccatum, vnde cętera in hanc mortalitatem inundarunt, à Gula profectum esse; quatenus primum Dei præceptum de Abstinentia fuit, ab eo violatum, vt Eloquia Sacra testantur, *Ex omni ligno Paradisi* (inquit) *comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc eleganter Tertullianus expromit. " Adam faciliùs, inquit, ventri,quàm Deo,cessit; pabulo potiùs, quàm pręcepto, annuit; salutem Gula vendidit; manducauit denique, & periit. „ Inde necessitas Iejunij, seu Abstinentiæ, quæ quam occiderat, vitam repararet: quod paulò infra deducit." Teneo igitur, inquit, a primordio homicidam Gulam, tormentis atque suppliciis inediæ puniendam, vt homo per eandem materiam causæ satis Deo faciat, per quam offenderat, id est, per cibi interdictionem; atque ita salutem æmulo modo redaccenderet inedia, sicut extinxerat sagina, pro vno illicito plura licita contemnens. „

Gen. 2

l. de jejun c. 3

Non abnuit D. Chrysostomus, Abstinentiam illam Iejunium vocans; quod vice fręni, carni si rebellaret fręnandæ injecerat. " Deus (inquit) hominem à principio faciens, illico fręnum Iejunij manibus imposuit, velut piæ matri & Magistro optimo committens. Nam *de omni ligno quod in Paradiso est comedetis, de ligno verò scientiæ boni & mali non comedetis*, species quædam Iejunij fuit. „ Tandem concludit: " Si ante plagam vtilis Medicina fuit, extra Paradisum multò magis: si necdum bello voluptatum insurgente nobis arma fuerant opportuna, multò magis post tantum vitiorum voluptatumque prelium.

Hom. 1 de pœnit

Iam, vt vides, ex parte Dei,coæua cibo Abstinentia fuit; & quod pejus est, etiam ex parte hominis, Intemperantia, & ventris ingluuies; & ipsa vtique magnorum scelerum operatrix.

Inde enim statim à Diluuio vino inebriatus Noë, nudatus propriam infamiam, & filij sannas; filius, parentis diras, & execrationes patitur. Inde Sodomæ & Gomorrhæ, finitimarumque vrbium, turpitudo, & communis societate flagitij aggrauatus horror clamat ad Cœlum; vt verè dicat Propheta: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia.* Inde etiam ab ebrietate Loth incestuans, & vniuersus populus in vitulo fornicans. *Sedit*, inquit, *populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Sic Pietas luditur, sic Deus, sic Religio, ablegatur. " Omnem dis-

Ezech. 16

Digitized by Google

ciplinam (inquit Tertullianus) victus aut occidit, aut vulnerat. Mentior, si non Dominus ipse obliuionem sui exprobrans Israëli, causam plenitudini deputat: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum Factorem suum.* „ [l. de jejun. c. 6] [Deut. 32]

Parum esset, nisi etiam ingluuies conjuncta Lasciuiæ, Sacerdotes inficeret in filiis Heli, qui sordes suas & scandala in domum Dei, & Sacra regererent; adeò vt qui scire Deum, & quæ Dei sunt, præ aliis ex officio tenentur, ipsi maximè omnium nesciant, dicente Scriptura: *Porro filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum.* Vnde fit vt à Templo, à Sacris & Deo retrahant populos, quos verbo & exemplo ad eadem inducere & trahere debuerant: quod expresè commemorat Scriptura, dicens: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines à Sacrificio Domini.* [1. Reg. 2]

Hæc sunt Monstra criminum, & probra vitæ laxæ & incontinentis; sanctissima quæque Naturæ, Legum & Religionis jura perfringentis, cujus sequaci illud Tertulliani conueniat: " Deus tibi venter est, & pulmo Templum, & Aqualiculus altare, & Sacerdos Coquus; & S. Spiritus nidor, & condimenta Charismata, & rictus Prophetia est. „ [l. de jejun. c. 17]

Contra, nusquam virtutes magnas, egregia facinora, stupenda opera reperies, nisi quæ esuries casto in Consilio inuenit, Sobrietas inchoauit, Temperantia in finem perduxit. " Quotquot viros virtutum vidimus, inquit S. Cyprianus, sine Iejunio non legimus aliquid suscepisse; neque aliquid magnum moliti sunt, nisi prius Abstinentia præcessisset. Quoties à Deo aliquid obtinere conati sunt, Iejuniis incubuerunt; & pernoctantes in Orationibus, Ciliciis carni inhærentibus, supplices beneficia postularunt; nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei sacrificium contriti cordis offerens se prostrauit humilitas, prope fuit innocentibus Deus, porrexit naufragis manum, & opem afflictis. „ [l. de jejun.]

Exemplum est in Moyse & Elia, quibus concessum est, quod hucvsque homini inconcessum fuit, sperare nefas, postulare insolens, aspectu scilicet Dei frui, sed sobriis, sed abstinentia priùs, & Iejunio emaciatis. His armis tectus audet ille dicere: *Ostende mihi faciem tuam. Ostende mihi gloriam tuam.* Nec tantùm optare licet, sed etiam optata contingere, & audire, non obstante hoc communi mortalitatis decreto, *Nemo videbit me, & viuet;* audire, inquam: *Ostendam tibi omne bonum, & verbum quod locutus es faciam.* Quem idcirco Tertullianus vocat, Collegam Dei, Iejuniorum suorum. " Meritò igitur, ait, etiam in carne se Dominus ei ostendit, Collegæ Iejuniorum suorum: Si enim Deus æternus non esuriet, vt testatur per Esayam, hoc erit tempus quo homo Deo adæquetur, cùm sine pabulo viuit. „ Hac panoplia armatus ascendit montem, & inter fulgura & tonitrua & ignes, quadraginta dierum totidemque noctium jejunio communitus vidit oculis gloriam Dei, vocem ejus audiuit, & legem de manibus ejus accepit. „ [Exod. 33] [vbi sup. Cap. 6]

Quid verò Elias, ejusdem gratiæ particeps futurus? quem olim per Coruum carnibus regiis lautè aluerat, dignum talibus ferculis ministrum. At per Angelum pane subcineritio & potu frigidæ cibat & pascit, jejunio quadraginta dierum ipsum disponens magnæ visioni Majestatis Dei, cùm in spelunca familiari congressu Dei exceptus est. Quo loci verba Angeli ad eum, *Quid hîc agis, Elia?* expendens Tertullianus: " Multò (ait) amicior est ista vox, quàm, *Adam, vbi es?* Illa enim pasto homini minabatur, ista [3. Reg. 19] [vbi sup.]

jejuno blandiebatur. Tanta est circumscripti victus prerogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem re vera pari.,, Quibus verbis meritum sobrietatis ac jejunij hic auctor mirificè extollit.

In cujus commendationem celebris illa Gedeonis de Madianitis victoria in trecentis illis militibus sui exercitus, qui proni aquam de flumine biberant more canum, non flexo ad terram poplite, aut curuatis genibus, meretur adduci, qui pauci, innumerabiles; jejuni, saturos; aqua poti, ebriorum fudere exercitus. Cujus victoriæ ne aliò, quàm Sobrietati, gloria transferatur, refert somnium vnius ex Madianitis militibus, quod pro fausto certæ victoriæ omine Gedeoni datum est, consulere, sic referentis: *Vidi*, inquit, *somnium, & videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere; cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. Respondit is cui loquebatur: Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia castra ejus.* Quid portenti, quæso te? quid mysterij est? quòd aquæ potoribus, iisque non molliter adgeniculatis, sed recta lambentibus; quòd pani hordeaceo, subcineritio, defertur victoria Madianitarum? nisi triumphi adumbratio Sobrietatis, quæ Infernalia castra subuertit, & cunctas hostium nostrorum acies, copias artesque debellat?

Iudic. 7

Sed nusquam sobriæ mentis prerogatiua excellentiùs emicuit, quàm in Daniële, & sociis, filiis Captiuitatis Babylonis, qui viles escas lautis dapibus, & legumina carnibus, & aquam vino exquisitissimo mensæ regiæ prætulerunt. *Tenta nos*, inquiunt, *diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros.* Quid inde? *Post dies decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus alijs qui vescebantur cibo regio.* O mirabilis virtus Iejunij! ò sacer ambitus placendi Deo! ò potentia Sobrietatis! quid non potes? quando etiam fuci instar & pigmenti oculos depingis, & faciem nouo decore venustas? Sic sancti Iuuenes de casta sobrietate pasti, Deo jejuni, de Abstinentia impinguantur, & condecorantur. Nec verò tantùm corpore tenus hæc in Daniële vim suam virtus exercuit, sed etiam ipsius mentem illustri Prophetiæ dono, & cœlesti sapientia perfudit: inde illi intelligentia somniorum, inde magnarum dona visionum, inde arcani reuelatio Mysterij, quæ virtuti abstinentiæ accepta referre par est, non solùm ipso attestante, sed etiam Angeli testimonio. Sic enim ille: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus; panem desiderabilem non comedi; & caro & vinum non introierunt in os meum; sed neque vnguento vnctus sum.* Quid autem illi Angelus? *Noli metuere, Daniel; quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* Vide quantus sit apud Deum sobrius & abstinens, vt sine sobrietate nec quidquam magni efficere, nec sapientiam assequi quisquam possit.

Dan. 1

Dan. 10

Proptereà dicebat Salomon: *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum transferrem ad Sapientiam, deuitaremque stultitiam.* Et in Leuitico: *Dixit Dominus ad Aaron: Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini.* Quia scilicet ad tractanda aut percipienda Diuina nullus nisi sobrius & abstinens idoneus est.

Ecclesi. 2

Levit. 10

Nec in Euangelio remissior est quàm in Lege, Abstinentiæ disciplina: hæc namque magnos viros consecrat & illustrat, & ad magna quæque

comes

Digitized by Google

comes & assecla est. De eo enim, qui Prophetarum vltimus Christum annuntiare ac precurrere venturum meruit, & primus digito demonstrare presentem, ore Veritatis dictum video; *Venit Ioannes non manducans neque bibens.* Et ipsum Dominum bis lego multiplicasse panes hordaceos, & pisciculos paucos, & non carnes; & ipsum esuriisse, jejunasse, humi cubasse, noctes vigilando orandoque transegisse: item & post Resurrectionem suam Discipulis apparuisse piscantibus, & cum ipsis discubuisse, ac de fauo mellis & pisce asso degustasse, quæ ejus mira dignatio fuit, legimus; sed & in his omnibus Sobrietatem commendasse nulli dubium est. Quid quod Cornelius Centurio orans & jejunans ad fidem venire meruit; & esurienti ac jejuno Petro venit excessus mentis, & mirabilis illa visio, vocationis gentium ad fidem premonstratiua, ipsi facta est: quibus omnibus veritas presentis Moralis indubiè concluditur, VITAM SOBRIAM, VOLVPTVOSA ESSE MELIOREM.

TITVLVS LXXX.

DE VITA LABORIOSA.

FABVLA.

De Culice & Ape.

CVLEX hyberno tempore esuriens, ad Apum Aluearе concessit, hospitium petens & cibum. Eam gratiam large de sua arte, vt promittebat, repensurus. Quænam foret Ars sua, Ostiaria inquirente, respondit Culex, Musica, quam me docturum filios vestros polliceor. Musicam te dicis docturum Apes? inquit, dulcissimi mellis & ceræ operarias, vnde ipsæ viuimus, & opera nostra apud Reges & populos, vbique gentium, summo in pretio esse cernimus? Abi Musice importune, impostor iners, quem omnes horrent, Artem ipse edisce, quæ si te æstate juuat, hyeme nutriat. Hunc Apologum supra retulimus, l. 1. sed quia diuerso vtrobique fine ac mente, ideo hic posse repetere, visum est.

De Musca & Formica.

MVscam inter & Formicam orta de nobilitate quæstio est. Illa, Formicam se in multis superare contendebat, genere, exercitio, alimento, deliciis. Genere & exercitio, quia alis instructa vt Aues, volaret; illa vero inter reptilia, ac Vermes potius reperet, quam graderetur. Alimento, quia exquisitas quasque Regum dapes & vina prima prægustaret. Deliciis, quia super speciosissimas Reginarum facies, & ora insideret. Et his omnibus, non sudore aut labore, sed summo otio vacans perfrueretur. Cui Formica, iisdem vnde te inaniter jactas, nos veraciter Formicæ præcellimus; genere, quia non vt vos ex corruptione sola, sed ex ouo, nobiliori

Digitized by Google

modo nascimur. Exercitio, quia non otiose ut vos tempus terimus, sed continuo labore exercemur. Et ob id in admirationem Mortalibus adducimur, & in exemplum laboris, sapientiæ ac solertiæ. Nobis Reip. ratio, cura, memoria, prouidentia futuri, proximi charitas, usus sepulturæ. Tu vero vile Naturæ retrimentum, animalium dedecus, & horror hominum, omnium viuentium pestis & tormentum, gaude impuro tuo otio ac deliciis, in diem viue, & morere. Nos vero incessanter operari & laborare, gaudemus & gloriamur.

De Mulo & Equo.

MVlus videns Equum Domini optimo fœno & auena quotidie statis horis refectum, insuper bis in die manu stabularij curatum otio sæpius indulgere, & si foras prodeundum esset, specioso ephippio, ac cultu adornari; se vero quotidianis operibus, vilissimorum domus seruorum imperio subigi, ac confici, rumpebatur inuidia, & se infœlicissimum reputabat, sed cum aliquandiu post vidit ipsum è bello redeuntem, multis plagis & vulneribus sauciatum, mutauit sententiam, nec amplius Equo inuidit, sed se longe fœliciorem, licet diurno labore exercitum, prædicauit.

De Vitula & juuenco.

VItula pinguis ac luxurians præ otio, Bouem domesticum irridebat, quod quotidie sub jugo & stimulo vitam miseram duceret, cum ipsa optimis in pascuis soluta deliciaretur. Sed cum immolationis affuit dies, & boue dimisso, ad aram immolanda duceretur, prosperitati suæ priori maledixit, & laboris statum vita inerti ac otio longe potiorem esse lugens confessa est.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

VITA LABORIOSA PRÆSTAT INERTI.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVOMODO non melior vita laboriosa, inerti, quæ vita non est, sed mors, aut morti similis, aut mortui sepultura? Sic enim noster Pædagogus, cujus egregium sensum accipe. *Male mihi esse malo, inquit, quam molliter. Malè sic excipe quemadmodum à populo solet dici, durè, asperè, laboriosè. Audire solemus sic quorumdam vitam laudari quibus inuidetur, molliter vi-*

uit; effœminatur animus atque in similitudinem otij sui & pigritiæ, in qua iacet, soluitur, OTIVM SINE LITERIS MORS EST, ET HOMINIS VIVI SEPVLTVRA. Quod non semel dixisse satis fuit, nec legenti superfuerit; ipse enim alibi in helluones inuehens, sic ait: *Hos itaque ventri obedientes, animalium loco numeremus, non hominum: quosdam verò ne animalium quidem, sed mortuorum.* Quibus verbis, quod otiosos & inertes intelligat, sequentia probant. *Viuit is*, inquit, *qui se vtitur. Qui verò latitant & torpent, sic in domo sunt, quasi in conditiuo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.* Vides vt non solum hoc genus hominum ex animalium numero, sed etiam ex viuentium albo expungat, in sepulchris condat, & inter mortuos transcribat.

Sen. epist 82

Epist. 60

Auget amplius inertis vitæ detestationem alicubi, cum ex sententia Demetrij: *Vitam securam, & sine vllus fortunæ incursionibus*, MARE MORTVVM *vocat. Nihil habere ad quid exciteris*, ait, *ad quod te concites, cujus denuntiatione, & incursu firmitatem animi tui tentes, sed in otio inconcusso jacere, non est tranquillitas, malacia est.* Haud absurda, inertis vitæ & maris mortui, comparatio, vtrobique enim, nihil viuit, mouetur, gignitur.

Epist. 67

Placet huic proposito, vt congruentissimo loco, referre, quod Seneca narrat de quodam Vacia, Prætorio diuite: *Nulla alia re magis quam otio noto.* De quo, quia se temporibus Tiberij difficillibus, Roma subduxerat, & in villam quandam receperat, exclamabat vulgus. *O Vacia, solus scis viuere, multum autem interest vtrum vita otiosa sit, an ignaua. Nunquam aliter hanc villam Vatiæ viuo præteribam, quam vt dicerem. Vatia hic situs est.*

Epist. 55

Sic ille, quàm differenter à vulgi sententia vir Sapiens? Vaciam isti dicebant, solum scire viuere, quia latebat, quia otiabatur, quia deliciabatur; hic eum viuere negabat, pro mortuo habebat, & non solum pro mortuo, sed etiam pro defosso & condito, reputabat. Vacia hic situs est, tantum ignauia distat à vita!

Labor autem rerum omnium est maxime viuax, & vita laboriosa quam maximè molli & inerti antistet, inde probatur, quod est vita Regum, Bonorum, & Sapientum.

Siquidem non oportere Principem totam noctem, aut in vtramque aurem dormire, Regiæ voces sunt, sicut & illa Alexandri magni, qui milites suos subactis Asiæ populis, post multa certamina, videns remissius agere, luxuriæque & ebrietatibus indulgere; dixit: *Dedecere Domitores Orientis deliciis eneruari, & nil magis seruile esse, quam sectari luxuriam, nihil magis Regium, quam laborare.* Et vero de eo proditum est, quod Castra ad Oxum flumen metanti duo fontes prope tabernaculum ejus exorti sunt, alter aquæ, alter olei: consulti vates, affirmarunt olei fontem laborem quidem portendere, sed & victoriam certo polliceri. Aquæ, abundantiam. Sapienter conjectantes, quasi effectum ex causa; sic abundantiam, victoriamque non nisi ex labore comparari.

Plutar. in Alex.

De Pertinace refert Iulius Capitolinus, quod cum capesseret Imperium; pro tessera militari dedit hanc vocem: *Militemus*, quasi pro fausto omine Imperij; sed longe dignior ea fuit Seueri Imperatoris, melioribus factis vitæ suæ summam coronantis, de quo Senatus pronuntiauerat: *Aut non nasci debuisse, aut non mori.* Hujus morientis hæc vltima fuisse verba ferunt. *Turbatam Rempublicam vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, senex & pedibus æger, firmum Imperium Antoninis relinquens, si boni erunt: imbecillum, si*

Digitized by Google

mali. Iussit deinde signum Tribuno dari, *Laboremus.* Et sic os & vitam clausit, documentum insigne posteris, Principi ad extremum vsque spiritum laborandum, quod alius dixit, *Imperatorem stantem mori oportere.*

Egregia est illa Flori Poëtæ, & Hadriani Imperatoris concertatio, in qua cum Florus hos versiculos Imperatori scripsisset.

Æl. Spart in Hadr. 16.

Ego nolo Cæsar esse
Ambulare per Britannos
Scythicas pati pruinas.

Rescripsit Hadrianus.

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Calices pati rotundos.

Vter melius & dignius? Certe pro re nostra, & pro Regia dignitate, ac honore iste longe magnificentius.

Sic Alphonsus Rex seni cuidam ebrioso, suam apud Regem ebrietatem excusare conanti: *Quod lac senū esset vinum,* Respondit, *Sed Regum cibus est honos, quem Deus non otio, aut luxu, sed improbis laboribus, multisque sudoribus vendit.*

Equidem nunquam Respub. Romana legibus, moribus, triumphis, solidiùs resplenduit, quàm cùm duces ejus Agriculturæ operam dare, terram propriis manibus subigere, fodere, versare, non erubuerunt, & ab aratro & ligone ad Dictaturas & Imperia vocati, ad eadem reuersi, iisdem manibus, quibus salutem publicam victores pepererant, agros proprios refoderunt.

Ovid. 3. Fast.

Cùm colerent prisci studiosiùs agros,
Et faceret patrio rure Senator opus,
Et capere fasces à curuo Consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus.

Sic olim illi magni Heroës, quantùm se assiduis laboribus, meritis, operibus commendarunt, tantùm se & Imperium æterno probro ac dedecore fœdarunt, qui otio & luxuriis dissoluti sunt; quos inter, vt alios taceam, Domitianus hîc recensendus, de quo Suetonius refert, quòd *inter initia Principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat, nec quicquam ampliùs quàm muscas captare, ac præacuto stilo configere*; vt cuidam interroganti, Essetne quis intus cum Cęsare, non absurdè à quodam responsum fuerit, *Ne musca quidem.* Quis non exhorreat tempus Principis tantis oneribus & curis destinatum, tam propudiosè consumi?

Sueto. in Domit. c. 3

Habet insuper hoc labor, quòd bonos maximè delectat. Habet enim voluptates suas, easque pulcherrimas, scilicet quæ à bonis actionibus honestisque factis proficiscuntur. Nam pręter vitæ commoditates, quas abundè suppeditat defitæ ætati, ac senectuti effœtæ, vnde Demetrius videns juuenem industrium, strenuè operam suam locantem, dixit: *Optimum, ô fili, senectuti tuæ paras obsonium.* Quale putas gaudium animo redundare ex conscientia vitæ bene impensæ?

l. An seni sit ger. Resp.

Si enim Nicias pictor, inquit Plutarchus, ita artis suæ operibus oblectabatur, vt sępenumero à seruis quęreret vtrùm esset pransus aut lotus; fugiente è memoria corporis etiam necessariæ curationis sollicitudine; & Archimedes à tabula, cui inhęrebat, vi à seruis vt vngeretur auulsus, &

veſtibus exutus, modò in cinere, modò etiam in vncto corpore figuras Geometricas pingebat; & Canus, tibicen inſignis, *dicebat neſcire quantò ſeipſum magis quàm alios cantu deliniret; quod ſi reſciſſent, qui cantantem audire vellent, non daturos, ſed exacturos mercedem.* Quis oratione aut cogitatione aſſequatur, quantas virtus bene operanti delicias ſecum afferat?

Egregiè Muſſonius Philoſophus diſcipulis ſuis apud Gellium: *Cogitate,* aiebat, *cum animis veſtris, ſi quid vos per laborem rectè feceritis; labor ille à vobis citò recedet, benefactum à vobis dum viuetis non abſcedet; ſed ſi qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos ſemper manebit.* Digna Philoſopho ſententia.

Lib. 16

A qua ne metas conſuetæ breuitatis tranſgrediar, venio ad Sapientes, quos maxime labor juuat & exornat. Ita enim actiua & negotioſa eſt ſapientia, vt otioſa eſſe non poſſit, niſi eo otio ſapientibus noto, quod Socrates: *Poſſeſſionem omnium optimam vocitabat.* De quo magnus Scipio, ſi quando à negotiis publicis ſe ſubduceret, & meditationi, ac literis vacaret, dicebat: *Se nunquam minus otioſum fuiſſe, quam cum eſſet in otio.*

De eo igitur, quod præcipua & maxima Philoſophici laboris pars eſt, & de exercitatione corporea, dicimus ad virtutem in tantum conducere, vt ſine ipſis virtus non poſſit eſſe, aut diu conſiſtere. Exemplum à Socrate petit Aulus Gellius, de quo ita refert. *Inter labores voluntarios, inquit, & exercitia corporis ad fortuitas patientiæ vices firmamentum, id quoque accepimus Socratem facere inſueuiſſe; ſtare pertinaci ſtatu perdius, ac pernox dicitur, à ſummo lucis ortu, ad ſolem alterum orientem, inconniuens, immobilis, iiſdem in veſtigiis, & ore atque oculis eumdem in locum directis cogitabundus, tanquam quodam ſeceſſu mentis atque animi facto a corpore.*

L. 2. Noct. attic.

His & aliis exercitiis durabat animum, ad odia & conuitia vulgi toleranda, ac Cicutam ebibendam, ad mortem fortiter ſuſtinendam. *Generoſos animos labor nutrit,* dicebat Seneca, *laborem ſi recuſes, parum eſt, poſce: animi eſt ipſa tolerantia, quæ ſe ad dura & aſpera hortatur. Audiui,* inquit Saluſtius, *ſæpenumero à ſanctis viris, munditias mulieribus, laborem viris conuenire. Iuſtus, ac honeſtus labor,* ait Cicero, *honoribus, præmiis, ſplendore decoratur.*

Sen. epiſt. 31

In Iug.

L. 1. de Or.

Inde Diogenes cernens ciuitatem ad opera certatim incumbere, ob apparatum Philippi Regis Macedonum trepidam, noluit & ipſe ocioſus & laboris expers videri, & cum nil commodius haberet, quod faceret, pallio ſuccinctus cœpit dolium ſuum hinc & inde verſare, & voluere, ac percunctanti cur hoc ageret, Reſpondit, *Ne vnus tot inter operantes ceſſator eſſe videar.* Idem cuidam admonenti, vt jam ſenex à laboribus quieſceret. *Quid,* inquit, *ſi in ſtadio currere, num oporteret metæ vicinum curſum remittere, an magis intendere?* Recte ſentiens Sapientem virum virtutis ſtudium quanto minus vitæ ſupereſt, eo magis intendendum.

Propterea Catonem de tribus pœnitebat in tota vita, quorum vnum erat *Diem otioſe & ſine vllo fructu tranſegiſſe.* Ita eſt, virum ſapientem, ſi quid maxime pudet, & pœnitet, eſt otiari & inertem diem fruſtra conſumere; ſemper enim occupatus eſt ſapientis animus, & nunquam minus in otio, quam cum in otio verſatur. Cultor virtutum & bonarum artium nunquam vacat. *Hoc nempe ab eo exigitur,* inquit Seneca, *vt proſit hominibus, ſi fieri poteſt multis, ſi minus, paucis; ſi minus, proximis; ſi minus, ſibi.*

L. de vit. beat. c. 30

Sic vacantem, ſic feriatum, vitia non tangunt, voluptates non emolliunt, delitiæ non eneruant. Quid enim Muſis cum delitiis & voluptati-

Digitized by Google

bus? hæ enim solis inertibus dominantur.

Quod, antequam manum è tabella subducam, illustro præclaro Apologo Platonis, vbi Venerem inducit Musis comminantem à filio suo. Cui illæ intrepidæ, nequicquam se ab Amore timere respondent, semper alio intentas.

apud Laert.

Hæc Venus ad Musas: Venerem exhorrescite, Nymphæ;
In vos armatus vel Amor insiliet.
Cui contra Musæ: Verba hæc age dicito Matri;
Aliger huc ad nos non volat ille puer.

Idem Græci per Syrenes, quæ Musas cantu prouocare ausæ, facili negotio deuictæ fuerunt, & a Musis explumatæ. Quippe Syrenes, id est, voluptates, otiosis solis dominantur. Quid enim Amori & Veneri cum Musis, id est, studiosis & doctis, laborioso literarum otio occupatis?

Ouid.

Otia si perimas, periere Cupidinis artes;
Contemptæque jacent, & sine luce, faces.

Quod Cicero fusius extendit in Oratione pro Cœlio; quod Lectorem juuabit audire. *Scitote Iudices,* inquit, *eas cupiditates quæ objiciuntur Cœlio, atque hæc studia, de quibus disputo, non facilè in eodem homine esse posse. Fieri enim non potest, vt animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modò agendo, verùm etiam cogitando possit sustinere. An vos aliam causam esse vllam putatis, cur in tantis præmijs Eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam pauci sint, semperque fuerint, qui in hoc labore versentur?* Rationem subjungit. *Omittendæ sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, jocus, conuiuium, sermo etiam penè omnium familiarium deserendus; quæ res in hoc genere, homines à labore studioque dicendi deterret.*

Quod sit satis, ad probationem Moralis assumpti, Vitam laboriosam præstantiorem esse otiosa & inerti, cùm sit propria Regum, Bonorum & Sapientum.

VITA LABORIOSA PRÆSTAT OTIOSA ET INERTI.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

VTra potior & melior sit vita laboriosa, aut iners, non hærendum. Nam quemadmodum Natura odit otium, detestatur, fugit, vt sui perniciem, & vitæ communis inimicum; sic Scriptura illud horret, vituperat, damnat, vt pestem virtutis. Vbique propterea laboranti gratulatur & fauet; otioso improperat & illudit. Illi promittit abundantiam, huic maciem & egestatem. Nam quid est illud quod pigrum ad formicam mandat? *Vade ad Formicam ô piger.* Item, *Vsquequo piger dormies? quando consurges à somno tuo?* Item; *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* Item, in lapide luteo lapidabitur piger, & de stercore boum.

Prover.6
cap.20
Eccl. 22

Contra operosum laudat & beatificat: *Labores manuum tuarum*, inquit, *quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*. Item, *Qui operatur terram suam saturabitur panibus, qui autem sectatur otium stultissimus est.* Vnde sic Apostolus Corinthios suos ad opus hortatur: *Vigilate, state in fide, viriliter agite & confortamini.* Et Timotheum: *Vigila, in omnibus labora; opus fac Euangelistæ.* Non vult segnes Apostolus, & ratio est, quia sicut labor est mors vitiorum, sic otium est mors, & sepultura virtutum.

Psal. 128 — Prov. 12 — 1.Cor. 16 — 2.Tim. 4

Hoc diserte Philo Iudæus, (quo auctore, vt sacro hîc vtor, vt quem D. Hieronimus sacros inter Scriptores ponit.) " Labor, inquit, inter præcipua bona numerandus, bellum cum voluptate gerit perpetuum, hunc enim, vt verum dicam, omnis fœlicitatis, omnisque virtutis principium hominibus Deus declarauit, sine quo nihil honestum, apud mortales esse inuenies. „

L. de sacrif. Abel & Cain

Et paulo post, " Opta tibi bonum quodlibet, inuenies possessionem ejus labore parari, confirmarique; pietas & sanctitas bona sunt, sed nisi Deum colamus, non possunt nobis contingere. Cultus autem hîc cum pertinaci labore conjunctus est, prudentia, fortitudo, justitia, pulchræ omnes, & inter perfecta bona contentæ, non obueniunt, nisi assidua cura & labore. Tandem concludit, " Mortali nemini adipisci bona sine labore datum est. „

Iam quia ex Profanis retro probandum assumpsimus, vitam laboriosam pręstare otiosa, quòd illa sit vita Regum, & Bonorum, & Sapientũ; nunc eadem vestigia retentantes facile est idem summariè ex Scriptura ostendere, Nulli scilicet Regi, aut bono, aut sapienti, fœliciter cessisse, nisi laborioso & strenuè operanti.

Et primò, quod Reges attinet, obseruo primi Regis Israël commendationem non aliunde in Sacris desumi & ascribi, quàm ex ipsius operib' bonis & moribus: ex quo vbi desciuit, eodem momento, regno deturbatus est. *Non erat*, inquit, *in Israël vir melior illo.* Et post transgressionem Diuini mandati, quid dicitur? *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui; quod si non fecisses, præparasset Dominus regnum tuum in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Vnde patet per opera bona Reges consecrari, eorumque regna stabiliri; per mala verò deturbari, & proteri. Vnde de eodem subdit: *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset*: quod vitæ ipsius innocentiam probat; *& duobus annis regnauit super Israël*: quia in illa suæ inaugurationis integritate, in qua cœperat, per duos non ampliùs annos perseuerauit, quamuis multò plures sceptrum Israël tenuerit.

1.Reg. 9

Dauidis autem, qui Saüli successit in regno, vbique laudatur diligentia, & diligentiæ comes Prosperitas. *Dauid proficiscens, & seipso semper robustior; domus autem Saül decrescens quotidie.* Item: *Ingrediebatur proficiens atque succrescens.* Quibus verbis, strenui & minimè desidis Principis virtus describitur. Et quid de seipso dicebat? *In laboribus*, inquit, *à juuentute mea.* Iucundum enim & gloriosum est meminisse laborum. Iucundum Dauidi meminisse à puero se Pastoris partes sedulò exercuisse; Vrsis furentibus occurrisse, & eos lacerasse; suffocasse Leones; dein Militis, Goliath prostrasse ac decollasse; Philisthæorum ducenta pręputia numerasse, & variis occasionibus afflixisse. Postremò, non segnius bella Domini gessisse; vicisse Saülem humilitate, patientia; mansuetudine, tolerasse conuitia, injurias, lapides Semei; denique multa domus & filiorum probra sustinuisse. Vnde jure

2.Reg. 3 & 5 — Psal. 87

meritò dicat: *In laboribus à juuentute mea.* Quod non se pudeat, nec pœniteat: talis est enim vita Regum.

Propheta labores suos in bonis deputans, sic strenuorum laudes decantat: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs ejus.* Item: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* „ Hoc dicitur, inquit Cardinalis Hugo, contra otiosos, qui nihil volunt suis manibus operari. „, q. d. Eos tandem fœlices reputo, beatos existimo, qui fructum laborum suorum comedunt.

Hugo Card.

Audiamus filium post patrem, & videamus quid de labore loquatur & sentiat. *Da mihi*, inquit in Sapientia, *sedium tuarum assistricem Sapientiam.* Optimam rem haud dubiè precatur, sed ad quid? *Vt mecum sit*, inquit, *& mecum laboret.* Non ad otium, & desidiam, ad fruendum diuitiis aut voluptatibus; sed ad opus postulo, ad laborem. Sciebat quippe quòd ipsa est regnorum administratrix & gubernatrix; & tunc tandem Reges bene imperant, cùm ea duce, comite, assistrice imperant. Dicit enim ipsa: *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Hæc enim est fidelis Regum Ministra, quæ non vt Ministri corruptores Regum, iis inspiret & consulat ferum animum & trucem, sed paternum; violenta imperia, sed justa officia; plebem deglubere, sed tondere, curare, pascere.

Propterea concludit: *Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite Sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Ad hoc enim juuat bene regnasse, vt æternùm regnetis.

Quòd Bonorum & Sapientum vita laboriosa sit, non oportet diutiùs immorari. Quis enim vnquam sine operibus aut bonus, aut sapiens fuit? Et verò de bono sic pronunciat Scriptura: *Dicite justo, quoniam bene*; id est, fausta omnia, omnia prospera. Sed vnde illi ista fœlicitas & prosperitas? nisi ab operibus? Sequitur enim: *Quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Id est bonorum operum, seu laborum suorum, vnde addit continuò: *Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei.*

Isaiæ 3

Et de Sapiente: *Qui congregat in Messe filius sapiens est. Qui autem stertit æstate, filius confusionis.* q. d. Qui dum ætas, & tempus, & vires suppetunt impigrè operam nauat, sapiens est, qui vero profunde indulget otio & somno, confusione & probro dignus est.

Consulamus Apostolos Prædicatores veritatis, quos fuisse bonos & sapientes, nullus nisi insipiens ibit inficias; interrogemus ex iis Apostolum Paulum, aut potius scrutemur vitam ipsius, vt videamus quomodo eam transegerit. Sic autem ille scribens ad Corinthios: *In omnibus*, inquit, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis.*

2. Cor. 6

Talis erat vita Apostolica, quam Gigantis instar decurrebat Paulus, & transcendebat, vnde dicebat: *Gratia Dei sum id quod sum, & Gratia ejus in me vacua non fuit: sed abundantius illis omnibus* (scilicet coapostolis) *laboraui.* Item, *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & laboramus, operantes manibus nostris.*

Cap. 11

1. Cor. 4

Quo ex loco, & aliis bene multis, colligimus munia inter Apostolica, quæ strenue obibat Apostolus, vnum fuisse laborem manuum. De quo sic ad Thessalonicenses. *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, nec gratis panem manducauimus ab aliquo,* *sed*

2. Thess. 3

Digitized by Google

sed in labore & fatigatione nocte ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus. non quasi non haberemus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Quod admirationis non leue præstat argumentum, qui is homo tot supernis superfusus irradiationibus, tantis prædicandi Euangelii, & Ecclesiarum distentus curis, sollicitudinibus, negotiis, tot sæculi, ac dæmonum impetitus insidiis, tot periculis & laboribus exhaustus, perdius & pernox potuerit sibi victum labore manuum comparare. *Ne quem vestrum*, inquit, *grauaremus.* Huic rationi addit D. Thomas aliam. " Tum etiam, inquit, vt darent otiosis laborandi exemplum. „ Quia, " qui non habent exercitium vel officij, vel studij, vel lectionis, periculosè viuunt, otiosi. „

in 2. The. 3. & in c. 4

Vnde magnifice soluitur quæstio, vita bonorum & sapientum, est laboriosa, ex quo eadem est vita Apostolica.

Sed quid miramur in seruis, & Apostolis, professionem ac disciplinam laboris, quam in eorum Magistra & Principe, muliere illa forti, Scriptura tam multis commendat & prædicat? Suffecerat dixisse, quod *Panem otiosa non comedit.* Sed addit insuper: *Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum.* Sed quomodo fortia, inquies, tenere fusum, quod Rex Dauid militiæ suæ Principi Ioab, Abner interfectori imprecatus est? *Nec deficiat de domo Ioab tenens fusum.* q. d. Posteri Ioab sint effœminati, vt ad fusum & colum, muliebre exercitium redigantur. Sed quod decori & virtuti mulieri ducitur, fit probrum homini. Addit insuper: *Quæsiuit lanam & linum & operata est consilio manuum suarum.* Et alia bene multa, hujus generis, quæ probant ideo fortem mulierem illam dici, quia operosa & laboriosa sit.

2. Reg. 3

Mulier illa fortis, inquit D. Augustinus, est Ecclesia, seu quilibet ejus filius, seu anima sancta, quæ non otiosè describitur in lino & lana operari. Quî id fiat ex subtili doctore inuestigemus.

Quid est lana? inquit. Quid linum? Lana carnale aliquid, & temporale. Linum spiritale signat, quia in ordine vestimentorum, interiora sunt linea vestimenta, lanea vero exteriora. Lana etiam de commixtione animalium nascitur, linum vero sine carnis voluptate, de terra procreatur, imo castitatis imaginem præferre videtur. Ergo in lana carnale aliquid, in lino vero spiritale significatur. Pro laude etiam ponuntur, inuenis enim hominem porrigentem manu eleemosinas pauperi, nec tamen de Deo ibi cogitantem, sed hominibus placere cupientem: laneam vestem quæ videri potest, habet; interiorem lineam non habet. Inuenis alium dicentem tibi, sufficit mihi conscientia mea, Deum colo, Deum adoro. Quid mihi opus est ad Ecclesiam ire, aut visibiliter Christianis misceri? Lineam vult habere sine tunica. Non nouit neque commendat talia mulier ista, inuenit hæc mulier lanam & linum, & fecit vtile. Multi inueniunt, sed non faciunt vtile manibus suis, cum libenter auditis, inuenitis; cum bene viuitis, facitis. „ Hucusque S. Doctor, subtilissime. Idem fere S. Ambrosius. " Operari carne, & non operari spiritu, quamuis bonum videatur, vtile non est; operari vero spiritu, & non operari carne, pigrorum est, &c. Tenes spiritualia, & carnalia, spiritualiter operare. „

Serm. 219 de temp.

in cap. 31 Prov.

Sed mulier illa fortis, in lana & lino operans potiori jure, est gloriosa Virgo, de qua S. Epiphanius ait: " Erat ipsa docilis & amans doctrinam, & non solùm in sacris Literis, sed etiam in lana & lino, serico & Bysso,

S. Epiph. in vita B. Virg.

Lib. 1. de Virg.

laborabat. „ Audi S. Ambrosium ejus mores describentem. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi studiosior, intenta operi. „ Et D. Anselmus: Opus manuum ejus, inquit, erat lanæ & lini, & serici, quod noster Mantuanus non est oblitus.

in vita B. Virg.

In sua Parthen.

> *Nunc lanam pingebat acu, nunc pensa trahebat*
> *Serica, & immissis per licia pendula filis,*
> *Vela sacerdotum sacros texebat in vsus.*

Euthym. in cap. 27 Math.

Et de facto Tunicam illam inconsutilem interiorem quam gestabat Iesus a S. Virgine propriis ejus manibus fuisse contextam venerabilis Traditio contestatur. Et quid mirum, si Sacra Virgo tam strenua esset operatrix, cum de filio ejus Domino nostro Iustinus Martir referat à puero solitum manibus operari. “ Iesus Ioseph fabri filius, inquit, solebat dum inter homines degeret aratra fabricare, jugaque; vt per has figuras justitiam doceret & reipsa fugam otij. „

in Dial. con. Triphon.

Quæ sancti laboris exempla, non minus exprobrant desidiam nostram, quam strenuè operandum, dum per tempus licet, hortantur. Meminerimus pręcepti illius Dominici, *Negotiamini dum venio.* Quid enim est hæc vita pręsens, nisi Nundinæ cœlestes, quæ nos vt aliquid mercemur & lucremur, inuitant? vt bene S. Gregorius Nazianzenus in sacra sua Poesi.

Luc. 19

> *Hanc esse vitam Nundinas credas velim.*
> *Negotiari si scias, lucrum feres,*
> *Caduca mutans commodis perennibus.*
> *Post tempus istud alterum non suppetet.*

Lucrari omnes volumus, & otiari; negotiari, id est, laborare, pauci. Liceat hîc cujusdam scurræ jocum facetissimum ex S. Augustino mutuari. Qui cùm se promisisset in theatro quid quisque maximè vellet, & in animo haberet, proximis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum, ingenti expectatione major multitudo conflueret, suspensis & silentibus omnibus dixit, VILI VVLTIS EMERE, ET CARO VENDERE. “ Quo dicto, omnes scenico admirabili, inquit, fauore plauserunt. „ omnes probauerunt.

Quod licet S. Doctor, non omnino probet, & alia suggerat, suo judicio omnium votis magis accepta; Liceat illud mihi ad propositum præsens detorquere, quod verius ille dixisset. Beatitudinem omnes velle, laborare neminem velle. Quid enim hoc omnium experimento notius?

Quis multiplices vitæ labores & ærumnas, quibus solis mercibus Cœlum emitur, non exhorrescat, non conqueratur, non doleat? Quis non dicat, carum est? durum est pati, affligi, cruciari? Quis cum illo Prouerbiorum non pronuntiet. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor*, sed expecta, sustine paulisper, & suaue fiet, quod durum fuit. Qui enim cum emeret, dicebat, *Malum est, malum est.* Qui laborando angebatur, & gemebat, *postquam recesserit, gloriatur*, exultat, cantat. Hoc experiebatur & sentiebat, qui dicebat: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Momentaneum nunc vocat & leue quod doluit, quod tribulatus est, quod anxiatus, & jam gloriæ pondus supra modum, quo fruitur, sentit. Non amplius dicit: *Malum est, malum est*; sed *leue*, sed *momentaneum.* Sed jam gloriatur.

2. Cor. 4

Ex dictis propositæ assertionis veritas facile colligitur, vitam laboriosam inerti & otiosa præstare.

Digitized by Google

TITVLVS LXXXI.

DE VITA SOLITARIA.

FABVLA.

De Hirundine & Luſcinia.

HIRVNDO præteruolans syluam, audiuit aliquando Luſciniam cantantem, cujus modulatione delectata conſtitit, & poſtquam cantare deſiit, his verbis compellat, Luſcinia ſoror, quid hic ſolitaria agis in syluis, & tam mirabiles concentus, ac modulationes inter nemora & feras, dignas auribus Regum prodigis, ac projicis? Linque, linque ſolitudines ingratas & mutas, & confer te ad Vrbes & homines. Cui illa. Noli meæ ſoror fœlicitati inuidere, ſcio quid Vrbes & Aulæ Regum, & turbæ hominum pariant moleſtiarum; quas experta ſum. Solitudinem amo innocentiæ cuſtodem & aſſeclam, hîc Deo, hîc Angelis, hîc mihi meas modulationes canto.

De Agricola & Poëta.

COlebat agros cujuſdam hominis literati, Poëtæ aut Philoſophi, quidam Ruſticus, qui cum eum ſolennibus diebus, aut aliis inuiſeret, & ſemper inter libros ſtudiis vacantem ab hominum conſortio ſemotum reperiret, mirabatur, & aliquando auſus eſt interrogare; Quid hîc rerum ſolus ageret? Cui Philoſophus; Solus, inquit, amice tantum eſſe cœpi, cum tu huc conueniſti. Nunquam enim minus ſolus ſum, quam cum ſolus. Oſtendit vitæ priuatæ ac ſolitariæ delicias paucis mortalium eſſe cognitas.

De Cane & Leone.

INuitabat aliquando Leonem Canis ruſticanus inter fabulandum, vt relicta ſolitudine, & syluis ſe in vrbes conferret, hominum conſuetudine ac conuerſatione vſurus, maximas è ciuili conſortio delicias, & gaudia vt promittebat percepturus; cui Leo; Habes quidem in conſuetudine hominum delicias; ſed non dicis vincula & incommoda, & cruces quas experiris; habe eas tu, & cui animus ſeruilis & abjectus eſt, ſolitudinis meæ deliciæ & voluptates expertis, vt longe majores, ſic & nobiliores exiſtunt.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

VITA SOLITARIA ET PRIVATA PRÆSTAT PVBLICA.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

QVI de ciuilibus officiis, & quid quisque Patriæ, ac Reipublicæ debeat, differunt, solent multa, eaque præclara dictu quibus ciuilem vitam publicis distentam & implicatam negotiis, priuatæ antistare probent, congerere, ac in medium proferre; cujusmodi sunt, nos Reip. totos oportere impendere; chariorem nobis esse debere patriam, quam nosmetipsos; de ea bene mereri honorificum, pro ea mori gloriosum, publicæ vtilitati nihil anteponendum, nostra posthabenda, & alia bene multa ac magnifica, quæ in hanc rem dici consueuerunt.

apud Cic. L. 1. Offic

Præcipuè verò illud Platonis in ore habent, *nullum nostrûm sibi natum esse, sed ortus nostri partem sibi Patriam vendicare, partem parentes, partem Amicos.*

L. 5. æthic

Et Aristotelis, dicentis, *eum tandem bonum appellari debere, qui non solùm sibi, sed etiam proximis bonus existat.* Item: *quæ in terris gignuntur, ad vsum hominum omnia creari; homines autem hominum causa esse generatos, vt ipsi inter se, alij alijs prodesse possent.* In quod & illud recidit Chrysippi: *Inter alia, propter quæ nascimur, illud esse, vt alijs prodesse possimus.*

Quibus vt inficias ire non est animus, & officij mei; sic cujuslibet æqui Iudicis fuerit concedere, quòd sicut nobis primùm quàm alteri nascimur, sic & nobis ante vacare & prodesse, quàm Reipublicæ, debemus; cui regendæ aut administrandæ, si conditio aut status est altior; at certè, priuatè degendi & sibipsi viuendi, securior. Ille turbulentior, iste tranquillior. Ille periculis, imò & sceleribus procliuior; iste innocentior. Vno verbo, vera vita, est priuata; quatenus publica, non nostra, sed aliena est. Et quid prodest alteri vixisse, si non licet sibi?

Adde quòd publicam vitam degere non cuilibet, & quouis tempore licet; viuere autem in otio, & sibi, longè à tumultu vrbium, cuilibet Sapienti & semper datur, si vel vnum Senecam consulamus.

L. de vita beat.

Negant nostri, inquit (scilicet Stoici, purior Secta Philosophorum) *Sapientem ad quamlibet Rempublicam accessurum, & semper deerit fastidiosè quærentibus ad quam Sapiens sit accessurus. Ad Atheniensium? in qua Socrates damnatur? Aristoteles, ne damnaretur, fugit? in qua opprimit Inuidia virtutes? Negabis ad hanc Rempublicam accessurum Sapientem. In Carthaginiensium ergo Rempublicam Sapiens accedet? in qua assidua seditio, & optimo cuique infesta libertas est, summa æqui bonique vilitas, aduersùs hostes inhumana crudelitas, etiam aduersùs suos hostilitas? Et hanc fugiet.* Idem dic de Romana, de qua silere, quam loqui maluit, cæteris haud meliore, si non pejore? Addit, *Si percensere singulas voluero, nullam inueniam quæ sapientem, aut quam sapiens pati possit.*

Pulcherrima sane deductio, quam si quis ad nostra tempora conuertat,

Digitized by Google

nunquid non in eadem difficultate versabitur? Quęso enim te, quis est locus, vbi hodie Sapienti se rebus publicis tutò immiscere liceat? quæ vrbs? quæ ciuitas, in qua non periclitetur innocentia? vbi Iustitia non vęneat, Pudor non erubescat, Pietas non exulet, Fides non vacillet? Vnde cum eo ibidem concludendum, *quòd si non inuenitur illa Respublica quam nobis fingimus, incipit omnibus esse otium necessarium: quia quod vnum præferri poterat otio, nusquam est. Vt si quis dicat optimum esse nauigare, deinde negat nauigandum in eo mari, in quo naufragia fieri soleant, & frequenter subitæ tempestates sint, quæ rectorem in contrarium rapiant; hic me vetat nauem soluere, quanquam laudat Nauigationem.* Sic qui vitam ciuilem ac publicam priuatæ longè anteponit, & eodem tempore fatetur infinitis incommodis & periculis illam obnoxiam, huic procul dubio patrocinatur & fauet.

vbi sup.

Tria mala importat vtplurimùm vita negotiosa & publica; Obliuionē Dei; Obliuionem sui; & propriæ vitæ, seu temporis iacturam.

Patet experientia, quoad primum; quia ratio status omnes alias deuorat, & in se transfert, non se Religioni, sed Religionem sibi accommodans. Vnde illi Consiliarij, quos homines Status vocant, cum plus Regem quam Deum timent & colunt, voluntatem Principis pro lege habent, fortunam ejus pro Deo, gratiam & fauorem pro fœlicitate, Deum nesciunt. Ex ignorantia Dei, sequitur & sui, & vitæ propriæ, semper ex alieno pendentis, perditio & jactura. quæ incommoda ac dispendia vita solitaria vitat & nescit. Priuatus enim, seu Solitarius, in primis Deo quàm maximè vacat; secundò, propriæ suiipsius cognitioni; tertiò denique, veræ vitæ. Consulamus Auctores.

Quoad primum, vita solitaria est vita Diuina, si Senecæ credimus. *Amplectendum est otium*, inquit, *quod inter Deos agitur, quod Deos facit. Solitudo*, inquit Plutarchus, *Deo similes reddit, seu participes: Gymnasium est Sapientiæ, bene instituit mores, format & dirigit hominum animos. Hi enim in aëre puro, extra hominum consuetudinem agentes, in rectum surgunt, & pennas producunt limpidissimo & leuissimo liquore tranquillitatis irrigati, in quo diuiniores & puriores mentis disciplinæ conspiciuntur.*

Epist.74

Ap.Stob serm.56

Hanc ob causam Deorum quoque delubra antiquitus consecrata in locis maxime solitariis primi homines constituerunt, vt in primis Musarum, Panis, Nympharum, Apollinis, & aliorum, vtpote separantes disciplinas à nefariis rerum vrbanarum negotiis.

Meum est illud Aristotelis: *Homo Solitarius aut bestia, aut Deus*; id est, Angelus, seu homo Diuinus. Et Chrysippi, qui rogatus cur potestatem omnem in Republica fugeret, respondit: *Quia si quis male rexerit, Diis displicebit, si bene, ciuibus.* Innuens perdifficile esse Remp. administrare, & Deo placere. Quo impedimento vita solitaria & priuata vacat. Adeò Pietas & Religio cum Solitario concordant, vt quantum iste ab humano consortio secedit, tantum Diuino accedat.

1.Polit.

Nam prima solitarij cura est vacare Deo. Secunda sibi, id est sui ipsius cognitioni. Hæc videtur esse otij & secessus primaria intentio, occupatio, finis.

Audiamus Senecam hac de re disserentem cum Lucilio suo. *Cum secesseris*, inquit, *non est agendum hoc vt de te homines loquantur; sed vt ipse tecum loquaris. Quid autem tecum loquaris? Quod homines de aliis libentissime faciunt. De te apud te male existima, assuesce dicere verum & audire. Id autem maxime tracta quod*

Epist.68

Digitized by Google

in te esse infirmissimum senties; nota habet quisque sui corporis vitia, &c. Sic in animo nostro sunt quasi causariæ partes, quibus adhibenda curatio est. Quid in otio facio? Vlcus meum curo. Si ostenderem tibi pedem turgidum, liuidam manum, permitteret mihi vno loco jacere, & fouere morbum meum, majus malum est hoc quod non possum tibi ostendere; in pectore collectio, & vomica est, &c. Quæso te posset Monachi melius solitudo impendi? aut sacri otij Princeps occupatio describi, vt erubescat Christianus ab Ethnico non solum edoceri, sed & superari? *Otium tibi commendo,* addit, *in quo majora agas, & pulchriora quam quæ reliquisti. Et quando inquis tibi proderit istud quod in exitu discis? aut in quam rem? In hanc, vt exeam melior.* Sic ille meditationem mortis sui ipsius contemplationi conuenienti mixtura consocians.

In summa, tanta est solitudinis excellentia, vt vita solitaria sola vera vita sit, quod vnico testimonio quanquam ex mortuis petito libet confirmare.

Inter antiquæ Romæ Epitaphia quæ ex ruderibus euersæ vrbis vsque ad hanc diem eruta visuntur, illud est: *HIC IACET SENEX SIMILIVS, QVI SEPTEM ANNOS SOLVM VIXIT.* Qua in inscriptione non parua difficultas objicitur, quî senex obierit, & idem septem non amplius annos vixerit; cujus extricandæ causa, ex Dione Cassio repetendum in vita Adriani Imperatoris, floruisse sub hoc Principe Similium quemdam, præstantissimum belli Ducem, eumdemque pacis artibus, sapientia & prudentia, non minus clarum, iisque nominibus Adriano in primis charum, qui post multa egregia facinora, & vitam in difficillimis temporibus ac negotiis decursam tædio affectus rerum humanarum, aulæ, & præfecturæ vrbis, qua diu functus erat, & negotiis nuntium remittens in prædium quoddam suum secessit, vbi curis omnibus publicis solutus, in omnium admiratione, paucorum consuetudine, vitæ quod reliquum fuit, septem scilicet annos traduxit, tanta cum animi sui delectatione & tranquillitate, vt hos tantum septem annos vixisse, quod supererat, amisisse sibi videretur; vnde finem vitæ persentiens, jussit hæc Sepulchro verba inscribi: *HIC IACET SIMILIVS SENEX, QVI SEPTEM TANTVM ANNOS VIXIT.* Pulchro documento ex mortuis ad viuos, quod quidquid temporis in turbido & strepitu negotiorum teritur, inter vitæ annos computari non meretur; ea demum est vita, quæ tranquilla est, qua Deo, qua virtuti, qua sibi, viuitur. Iuxta illud Poëtæ

Ovid. 3. Trist. Eleg. 4

> *Vsibus edocto si quidqnam credis amico,*
> *Viue tibi & longe nomina magna fuge*
> *Viue tibi quantumque potes prælustria vita,*
> *Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.*

4. Trist. Eleg. 3

Et alibi.

> *Crede mihi bene qui latuit, bene vixit, & intra*
> *Fortunam debet quisque manere suam.*
> *Viue sine inuidia, mollesque inglorius annos*
> *Exige, amicitias & tibi junge pares.*

Ad hæc solet vulgus objicere, aut aliquis de tinctura Sapientiæ sibi plus justo abblandiens, virum solitarium, & segregem, non modo inglorium degere, sed etiam segnem, & inertem, inutilemque Reipublicæ; quod nego & pernego, & mendacissime astrui, vel nostri Sapientis testimonio comprobo, sic differentis. *Quo animo,* inquit, *Sapiens ad otium secedit? Vt sciat*

Sen. l. de beat. vita

Digitized by Google

secum quoque ea acturum per quæ posteris prosit. Dicimus Zenonem & Chrysippum majora egisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent; quas non Vni ciuitati, sed toti humano generi tulerunt. Atqui nemo illorum Remp. administrauit: non fuit illis, inquis, aut ea fortuna, aut dignitas, quæ admitti ad publicarum rerũ tractationem solet, sed ijdem nihilominus NON SEGNEM EGERE VITAM. Inuenerunt quemadmodum plus quies illorum hominibus prodesset, quàm aliorũ discursus & sudor. Ergo nihilominus hi multum egisse visi sunt, quamuis nihil publice agerent.

Quæ pulcherrima effata certis principiis supra positis nituntur: *Hoc nempe ab homine exigitur vt prosit hominibus, si fieri potest multis, si minus paucis, si minus proximis, si minus sibi. Nam cum se vtilem cæteris efficit, commune agit negotium; quomodo qui se deteriorem facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus, quibus melior factus prodesse potuisset. Sic si quis de se bene meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat.* vbi sup.

Sic ille ad rem præsentem sapientissime, vnde colligas, minime inertem esse, aut iuutilem Reip. qui ea relicta secessit, ac in otium contemplationis causa se condidit; quod ad prædictum Similium extendens affirmo plus Reip. ipsum profuisse, cum ab ea se subtraxit, quam cum rexit, tum quia ei curandæ, alij bene multi non deerant; cum quia ab honoribus & curis publicis secedens, documento fuit optimi gubernatoris esse aliquando vasa colligere, nauem in portum appellere, & magni animi se rebus subducere, ac dignitates quas tenueris posse aspernari & conculcare.

Propterea Poetæ Græci, Latinique vitæ priuatæ otium tam multis extollunt. Ita Euripides apud Stobæum. Ser.

Quisquis multa agit vbi cessare liceret,
Stultus est, cum jucunde posset tranquillius viuere;
Fœlicem, te senex prædico, vt vnumquemque
Qui vitam periculis vacuam
Transegit ignotus, obscurus,
Minus autem laudo in honoribus constitutos:

Heraclidis, perhibentis innocentiam cum negotiis multis, male conuenire.

Bonum est extra negotia pedem habere
Meliori consilio vtentem;
Qui plurima facit, is & plurimum peccat.

Et Menandri.

Quam jucunda res est ei qui malos mores odit
Solitudo; & cogitanti nihil
Mali, satis magna possessio est ager bene nutriens;
Cæterum æmulatio vulgi, & vrbana
Voluptas, splendida quidem est, sed breue tempus durat.

Græcis, Latini non minus venuste accinunt. Horatius Mecoenatem eleganter inuitat ad cœnæ rusticæ delitias. Lib. 3 Ode 29

Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes strepitumque Romæ.
Plerumque gratæ diuitibus vices,
Mundæque paruo sub lare pauperum,
Cœnæ, sine aulæis, & ostro
Sollicitam explicuere frontem.

Digitized by Google

Castos Solitarij mores grauiter exprimit Tragicus in Hippolito:

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Quam quæ relictis mœnibus syluas amat,
Ritusque melius vita quæ priscos colat;
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicauit montium insontem jugis.
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non pestilens inuidia, non fragilis fauor, &c.

Ex quibus habes, quam præstet VITA PRIVATA ET SOLITARIA, PVBLICA SEV OCCVPATA.

VITA SOLITARIA PRÆSTAT PVBLICA SEV OCCVPATA.

Probatur secundò, & illustratur, EX SACRA SCRIPTVRA.

QVONIAM in pręcedenti Commentatione ex Profanis insinuauimus vitam publicam hominis occupati, & Reipublicæ officiis implexi, tria mala inducere, Obliuionem Dei, Obliuionem sui, & propriæ vitæ jacturam: Et contra, oppositis virtutibus vitam priuatam, seu solitariam impensè decorari, nunc eadem ex sacris libris retractare, ac reuincere operæ pretium duco; nec successu operosum aut otiosum.

Ad hoc opportunè se offert Psaltis Regij pium votum, seu cordis suspirium: *Quis mihi dabit*, inquit, *pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam?* (Psal. 54) " Vult ad tempus separari, inquit Glossa, (Glossa) à tot scandalis, ne peccata infirmus augeat: manes inter ea. Optat fugere & manere in deserto, pro turba tribulationum & scandalorum fugienda.,, Et propterea optat pennas Colūbæ, Amoris scilicet & timoris; quæ sunt alæ Solitarij. Vnde dicit, *Volabo*, per contemplationem, *& requiescam*, per fruitionem. Vbi autem requiem capiat, nisi in iis ad quæ à Sponso inuitatur, cui dicitur: (Cant. 2) *Veni Amica mea, Columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna materiæ*, id est, in sacris cicatricibus Corporis Christi? Impetrauit pennas quas petiit; vnde subjungit: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in Solitudine*, meditando & gemendo; quæ duo sunt propria Columbæ, seu Solitarij, juxta illud Isayæ: (Isaiæ 38 & 59) *Meditabor vt Columba.* Item: *Columbæ meditantes gememus.*

Cur autem in Solitudinem auolarit, & manserit, potiùs quàm in Ciuitate, in promptu responsio est: *Quoniam vidi*, inquit, *iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia. Et non defecit de plateis ejus vsura & dolus.*

Et hinc jam patet promissæ delibatio veritatis: nam cui amara est confusio & iniquitas Ciuitatis, quomodo non dulcis esset requies, & tranquillitas Solitudinis?

Cujus prima prærogatiua est, vt ejus cultor Deo vnicè vacet: quod ex verbis Oseæ liquidò colligitur. (Osee 2) *Mei obliuiscitur*, inquit Deus; *ecce ego lactabo eam, & ducam in Solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Vt vides, vnde Deus optimus

Digitized by Google

optimus & sapientissimus animam vagam per laboriosos sæculi an fractus & occupationes distractam ad se reduceret, reuocaret errantem, ignaram sui instrueret, nisi solitudinem non habuit, propterea dicit: *Lactabo eam.* Et sicut per cupedias pueros, sic per multiplices vitæ solitariæ delitias alliciam, deuinciam, & ad me traham, *Loquendo*, scilicet, *ad cor eius.* Verba vitæ, quæ Mundi strepitus, contradictio, & clamor audire non ferret, aut audita auferret. Sic lactauit Paulum primum Eremicolam, quē è sinu sæculi juuenem abstraxit, & duxit in solitudinem; sic è brachiis parentum Anthonium, sic ex aula Imperatorum Arsenium, sic de medio Babilonis, & è corruptelis vitiorum, Augustinum, & innumerabiles alios, & quotquot è vanitate sæculi ad veritatem vocauit, in solitudinem misit; & quotquot jam vocati in qualicumque necessitate aut afflictione positi, Deum in solitudine quæsierunt, inuenerunt.

Quæsiuit Deum Esther Regina in solitudine, & inuenit. *Cum pauens periculum quod imminebat, deposuit vestes Regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit*, & solitariam se exhibuit, dicens: *Domine mi, qui Rex noster es solus, adjuua me solitariam.* Sic Sacer Textus. Esther. 14

Quæsiuit eum in solitudine Sara filia Raguelis, & inuenit cum graui improperio percussa: *Perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus noctibus non manducauit, neque bibit, sed in oratione persistens deprecabatur & Deum, vt ab improperio isto eam liberaret.*

Quæsiuit & Daniel Deum in solitudine mentis, quam cum aliter non posse in superiori parte domus suæ constituerat, ipse namque *Fenestris apertis in Cœnaculo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat.* Non ad Babilonem illam de sæculi vanitate in famem, & tumultuantem, cor & oculos intendens; sed *ad Ierusalem*, inquit S. Hieronimus, quæ est visio pacis. Tob. 3

Non secus fœminarum pulcherrima, juxta & castissima Iudith: *In superioribus domus suæ*, inquit Scriptura, fecerat sibi secretum cubiculum: *in quo cum puellis suis clausa morabatur, habens super lumbos suos Cilicium, jejunans omnibus diebus vitæ suæ.* Et in medio ciuitatis, & suorum, solitaria, Deo seruiebat.

Sed quid hæremus quærendo hujus rei ex hominibus patrocinium & exemplum, cujus in Domino vtrumque tam luculentum habemus, qui dum in terris ageret majoris momenti cum Deo negotia tractaturus; humanisse ad tempus subducebat aspectibus, secessum faciebat, solitudines & deserta frequentabat. Testis triduana illa solitudo, quando primùm latentis in carne Diuinitatis signa explicuit, cum se duodennis è parentum manibus subtraxit, & abeuntibus illis *Remansit in Ierusalem*; quærebant *In comitatu*, erat in secessu, *Inter cognatos & notos*, versabatur inter Angelos; & tandem perditus in sæculo, inuenitur in Templo, *Sedens in medio Doctorum.* Succensenti vero Matri, & pro sua confidentia piè objurganti. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Interest quid responderit, aduertere. *Quid est quod me quærebatis?* Nam quasi hominem aut Filium exuit: *Nesciebatis*, inquit, *quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Hic est fructus solitudinis, homines humanis exuit, sociat Diuinis, & Deos facit. Testis & illa quadraginta dierum jejunio consecrata, qua prædicandi Euangelij fœlicibus proluſit auspiciis, & Sacræ Militiæ cum hoste exercendæ tirocinium posuit. Percurre denique cæteras vitæ Lucæ 2

Digitized by Google

ipsius actiones, & videbis nihil ardui, aut egregij nisi præuia solitudine, modo in montibus, modo in littore maris, orasse, aut prædicasse, aut egisse, quoadusque extremam vitæ Catastrophen in Cruce suspensus, Cœlo & terræ exul, ab hominibus, & à Deo derelictus exegit, vt per Psalmistam dicat. *Similis factus sum Pellicano solitudinis, factus sum sicut Nicticorax in domicilio: vigilaui & factus sum sicut Passer solitarius in tecto.* Tribus his animalibus solitudinis amantibus, Pellicano, Nicticoraci, & Passeri solitario se comparans. Nam re vera illustris iste solitarius Pellicano solitudinis, pullos proprio sanguine excitanti, similis factus est in Sacramento Corporis sui proprio sanguine nos pascens. Passeri solitario, in tecto Crucis pro nobis moriens; & Nicticoraci seu Buboni, noctis aui in Resurrectione, à mortuis resurgens: quæ tria Mysteria nostræ Fidei Sacramenta nemo nisi vere Solitarius, mente & meditatione assequetur.

Psal. 101

Quod spectat obliuionem sui, quam ab occupationibus & negotiis vitæ publicæ impendere astruximus & ingenerari, facili negotio expediemus, si consideremus Turbam habere tria, quæ hominem facile in errorem inducant, & sui ipsius ignorationem, strepitum, contradictionem, & laborem. De primo, Psalmista: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania.* De secundo & tertio, idem: *Quoniam vidi contradictionem in Ciuitate, die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus.*

Psal. 2

Psal. 59

Quis autem in tumultu ac strepitu frementis Turbæ, ac Ciuitatis possit sibi vacare, se intueri, & agnoscere? Propterea dicit: *Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* Aliud impedimentum est contradictio, quam patitur occupatus in turba populorum, & rerum.

Quid est autẽ hęc contradictio Ciuitatis, nisi confusæ multitudinis voces diuersæ, opposita hominum judicia, contradictio linguarum in contraria euntium; hujus approbantis, ac laudantis, quæ feceris, alterius reprobantis, hujus assentantis ore, & corde suo maledicentis, quæ publicum hominem audire & pati necesse est. Vnde merito exclamat: *Quousque irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ? ore suo benedicebant.* Item, *Molliti sunt sermones ejus super oleum* vt videantur vngere, *& ipsi sunt jacula.* Vnde jugulent & interficiant.

Psal. 61

Tertium impedimentum est labor insanus mundanorum, qualis erat Moisis in numerosissimum populum judicaturam exercens, cui dicat socer ipsius Iethro: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, vltra vires tuas est negotium.* Et quæ ab hujusmodi occupationibus feria? quæ vacationis hora, aut tempus? quod otium?

Exod. 18

Secus autem omnino solitarij res; cui tria opposita commoda amica Solitudo suppeditat. Pro strepitu, silentium. Pro contradictione vanitatis, veritatem. Pro labore, quietem. Quæ omnia insignis Ieremiæ locus ordinatissime comprehendit. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se supra se* supra se. Ipse enim sedet in silentio. Tacet in veritate. Leuat se super se in quiete. Sedet in silentio Orationis & contemplationis. Tacet in veritate humilitatis, & propriæ cognitionis sui ipsius. *Et leuauit se super se.* Alis, scilicet, seu pennis Charitatis in Deum.

3 Thren.

Et hæc tandem est vera vita, qua Deo vni vnice viuitur. Vita Regia, vita Diuina, qua solitarius mundo, & sibi mortuus fœliciter Deo viuit;

Digitized by Google

de qua Magnus Paulus ad Colossenses: *Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Fœlices absconditi, qui in fonte vitæ vbi nil moritur, vita viuitis vitalissima. De vobis quippe dixit Propheta: *Abscondes eot in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* In tuto estis & stabili, vbi nil vobis timeatis. Ait enim, *Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.*

ad Coloss. 3

Psal. 30

Hi, scilicet illi sunt, quos præclaro commendat Apostolus elogio, *quibus dignus non eras mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.*

ad Heb. 11

Hæc inquam est vera vita, quam primus Adam quandiu cœlebs fuit & innocens, duxit. Quam secundus Dominus noster adeo deamauit & coluit, vt à duodecimo vitæ suæ anno vsque ad trigesimum, tot & tam pretiosos dies ignotum & solitarium egisse pro certo habeatur. Vt de eo illud Psalmistæ intelligatur: *Singulariter sum ego donec transeam.*

Psal. 140

Nec sine speciali mysterio factum legimus, vt eum in desertum Spiritus sanctus duceret, dicente Matheo: *Ductus est Iesus in desertũ à spiritu*; sed eum Diabolus in Ciuitatem deportaret, & super pinnaculum Templi, & montium cacumina, vnde Regna mundi conspiceret, statueret; vt intelligamus, vocari ad secessus, agi in solitudines, opus esse spiritus Dei, sed exaltari super vrbes, eleuari ad dignitates ciuitatum, & præfecturas templi, vt plurimum opus esse diaboli.

Propterea Mulier illa, Ioanni visa, coronata Sole, Luna, & Stellis, quæ typum gerebat Ecclesiæ Filium paritura, quem Draco rufus vt deuoraret, expectabat, non in vrbes, aut ciuitates fugit, sed *In solitudinem, vbi,* inquit, *habebat locum paratum à Deo.*

Et vt summatim perstringam, Deus se & sua non nisi in desertis, & locis solitariis sponte manifestat. Iacob in domo Paterna quandiu mansit, nil dignum somniauit aut vidit, sed vbi solus in solitudine decubuit, videt *Scalam tangentem Cœlum, & Angelos, & Deum ipsum, scalæ innixum*, sibi loquentem. Nusquam Moisi Deus in Ægypto aut Palatio Pharaonis apparuit, nec apud Iethro Socerum suum; sed *Cum minasset gregem ad interiora deserti apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Ezechieli juxta fluuium Chobar. Eliæ in spelunca abrupti montis; & vt aliquid ex Euangelio delibemus, Petrus non nisi famelicus, orans, solitarius in superiore domus parte consistens, grandi illa visione lincei quatuor initiis de cœlo submissi dignatus est pro conuersione Centurionis & Gentium. Frequentemus solitudinem mentis, si corporis non possumus. Habet illa recessus suos, partem superiorem, & inferiorem, gradus ascensionis, Oratio est. quid enim est illa, nisi ascensus mentis in Deum? Ascendamus ergo illam superiorem partem, deseramus inferiorem. Hæc vera solitudo est.

Gen. 28

Exod. 3

Ezech. 1

3. Reg. 19

Actor. 10

Cujus occasione rem notatu dignam ex Ioanne Mauburno Abbate Liuriacensi non grauabor attexere. Obseruat varios ordines variis de causis, à primæua sanctitate & splendore decidisse. Cluniacẽses, ait, propter otiũ, Cistercienses, ob negotia nimis multa ruralia; Præmonstratenses, ob nimia Missarum & Chori onera. Mendicantes ob nimiam cum sæcularibus familiaritatem. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum est illis in scandalum.* Benedictini, ob nimias opes, juxta illud, Filia amplæ dotationis, suffocauit matrem deuotæ contemplationis. Carthusienses solos in suo nitore, ac vigore perdurasse, ob studium solitudinis &

in Roset. L. 1. c. 3

Digitized by Google

silentii, & Recollectionis. Ita ille. In sũma video in secessũ illo, in superiore parte domus & mentis, Iudith, Esterem, Saram, Danielem, Petrum orantes, & raptos, exauditos. In inferiori, in imo, in locutorio, in confabulatorio, non audio, non lego, non video, nec aliquid magni patratum. Quæ sufficiant in fauorem solitudinis.

TITVLVS LXXXII.

DE VITA RELIGIOSA.

FABVLA.

De Cochlea.

IOVEM ferunt Mundi nascentis initio, cum hunc vniuersum conderet, & jam animantia per species suas produxisset, ea coram se congregasse, vt quid peterent, aut quid ipsis magis conduceret, elargiretur. Iam volatilia, iam Quadrupedes & Pisces maris suis donis munifice instruxerat, cum Cochlea ad eum accessit, enixe postulans vt domum suam circumferre liceret. Miratus Iupiter tam insolens votum, rogauit, cur hoc sibi onus tam graue vellet imponi, cui illa, cum me, Deorum optime, tot inimici circunstent terra, marique, à quibus & gressu tarda, nec fugere, & viribus destituta me tueri non valeam, malo hoc mihi pondus assumere, quo instar valli ac muri secura ipsis obsistam. Laudauit Iupiter Cochleæ prudentiam, eique quod optauerat, concessit. Possunt hoc Apologo non ineptè Religiosi designari, qui vltro & sponte jugo Christi colla submittunt, & graue onus Crucis per votorum obseruantiam portant, vt saluti suæ consulant, & se aduersus hostes suos communiant.

Anseres & Grues.

PAscebant simul in prato, Anseres & Grues turba multa, quo cognito Venatores accurrunt, & retia tendunt, quibus visis Grues auolant, & se propria leuitate expediunt; Anseres vero sagina & corpore grauiores capiuntur. Pratum floribus & herbis vernans est hic Mundus, suis voluptatibus & delitiis blandiens; Venatores sunt diaboli; retia, cupiditates & vitia, quibus incautos homines decipiunt & capiunt; Anseres sunt carnales, vani, auari, gulæ & libidini dediti, qui terrenis cupiditatibus graues, ac depressi in retia facile incidunt & pereunt, dum homines spirituales & Religiosi sursum feruntur & auolant.

De Castore.

CAstor animal in terris & in aqua victitans, quod & fiber nuncupatur, cujus ex testiculis Medicamentum conficitur, quod Casto-

Digitized by Google

reum vocant, fertur cum à Venatoribus inquiritur, præcisa dentibus genitalia ipsis dejicere, & sic eorum manibus se subtrahere. Optime præsentiens ob id se inquiri, & sic eo pretio vitam redimit. Solertia non vulgaris quam imitari videntur qui se propter Regnum Dei castrant.

Mens Fabulæ, seu *Morale.*

VITA RELIGIOSA PRÆSTAT SÆCVLARI.

Probatur primò, & illustratur,

EX PROFANIS.

QVAMVIS vitæ Religiosæ encomia & laudes ex Profanis auctoribus astruere, quib' Christiana Religio, cujus pars haud ignobilis existit, semper ignota, aut exosa fuerit, deridiculum videri possit, non erit tamen absurdum ab ipsis Ethnicis repetere quæ in ejus commendationem præclara edidere, quia licet status Monasticus ipsis fuerit ignotus, ejus tamen essentialia, qualia sunt Paupertas, Obedientia, Castitas non incognita fuere, quæ quasi per medias noctis & lucis Vmbras, cæcutientes licet percepere, & multa, eaque singularia dixere, quæ animus est in parte & summatim colligere, aut delibare.

Paupertatem imprimis quam Religiosi profitentur, omnis sapientum secta summo in honore habuit, laudibus celebrauit, factis coluit, & si non vouit, certe tenuit; eo vt non pauci propriis se abdicarint, cunctis externis renuntiarint, vt melius philosopharentur. Zeno Stoicæ fundator disciplinæ, nuntiato naufragio cum omnia sua audiret submersa: *Iubet*, inquit, *me fortuna expeditius philosophari.* Plus est possessa æquo animo, ac sponte demergere, quam demersa pati, hoc Crates, & multi alij fecerunt, vt sapientiæ vacarent. *Abite*, inquit, *pessum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis.* Socrates Philosophorum pater Archelao Regi, eum vocanti, ac ditare volenti indilate renuntiauit. Paupertatem in delitiis habuit, nudis semper pedibus incedens, sordido palliolo contentus, honores, & omnia terrena contemnens.

Sen. l. de tranquill. an.

Plato beatas ac fœlices dicebat Ciuitates, in quibus hæc duo verba non audirentur, meum ac tuum. Quod cum apud eos legimus, quis in ipsis tenebris non videat adumbratam vitæ Religiosæ imaginem? in qua verba ista, non ore tenus, sed reipsa eliminantur.

Democritus Abderites magnus Naturæ contemplator vsque adeo diuitias contempsit, vt non modo aliunde oblatas non acceperit, quod eas etiam in quibus natus erat amore philosophiæ publicarit, vt nihil præter ingenium possideret. Epicurus paupertatem ad legem Naturæ compositam (qualem scilicet forma Apostolica præscribit) dicebat summas esse diuitias. Aristoteles: *Multis quidem indigere paupertatem, auaritiam verò omnibus.*

1. Tim. 6

Digitized by Google

Var. hist.

Non malè obseruauit Ælianus optimos Græcorum fuisse pauperrimos, Aristidem, Phocionem, Epaminondam, Pelopidam, Lamachum, Socratem, Ephialten, &c.

Qua in serie illustrium pauperum nunquid silentiò prætereundus Diogenes? quo nullus vnquam verius, aut pomposius Paupertatem coluit. Is in omni vita adeo paupertatis amator, & retinens fuit, vt aduersus calorem & frigus dolio pro domo fuerit contentus; Rusticum cauis manibus bibentem intuitus, calicem quo antea vtebatur, fregit, ne quis se pauperior esset. Erat illi seruus vnicus nomine Manes. Is aliquando cum fugisset; eum reducere, cum monstraretur, nihili fecit: *Turpe esse*, dicens, *Manen sine Diogene posse viuere, Diogenem sine Mane non posse.* Vides animum omnibus rebus expeditum & solutum. Sed vide orbis domitore superiorem: *supra eum*, inquit Seneca, *eminere visus est, infra quem omnia jacebant. Multo potentior, multo locupletior fuit, omnia tunc possidente Alexandro. Plus enim erat, quod hic nollet accipere, quam quod ille posset dare.*

Sen. l. de tranquill. animi

Is vir tantus, omnibus rebus vere superior erat, qui spem aut studium habendi vicerat, & metum perdendi. Quod bene expendit Satyricus.

Iuuenal Sat. 14

Non ardent Cynici, si fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem. Quanto fœlicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem?

Stobæus Ser. 93

Propterea dicere solebat: *Paupertatem subsidium esse ad Philosophiam comparandam maximum, nam quæ Philosophia verbis persuadere conatur, ea paupertatem in ipsis rebus cogere.* Et merito quidem, nam pauperi humilitas, temperantia, castitas, patientia paruo constant; eo sensu dicebat eam *Virtutem esse per se doctam*, vel, *Quæ per se discitur*, αὐτοδίδακτον. Quod sola multa doceret, quæ diuiti non sine multis Pædagogis & præceptis veniunt. Sicut Socrates μικρὰν σωφροσύνην, paruam temperantiam. Et cuidam ipsi paupertatem exprobranti, respondit: *Propter Paupertatem nullum vnquam torqueri vidi, propter malitiam vero plures.* Alteri eam vitio danti: *Infœlix*, dixit, *quid ais? Neminem vidi Tyrannidem gerere propter Paupertatem, omnes vero propter diuitias.* Adeo verum est, ad virtutis viam compendio per paupertatem perueniri.

Ibidem

Ita magni illi Græciæ viri in causa paupertatis, quibus priscæ seueritatis Romani proceres non cessere, si non præcessere in cultu Parsimoniæ & frugalitatis. De quibus strictim Claudianus.

in 4. Honor. consul.

Pauper erat Curius, Reges cum vinceret armis,
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.

Epist. 17

Pro cunctis vnus Seneca audiendus sic Lucilio consulens. *Nempe hoc quæris ne tibi Paupertas timenda sit, quid si appetenda est? Multis ad Philosophandum obstitere diuitiæ, Paupertas expedita est, secura est cum classicum cecinit, scit non se peti.* Et paulo post auream hanc sententiam subjungit. *SI VIS VACARE ANIMO AVT PAVPER* SIS, OPORTET, AVT PAVPERI SIMILIS. Et Epist. sequenti NEMO ALIVS EST DEO DIGNVS QVAM QVI OPES CONTEMPSIT. Quam vero Paupertatem velit, explicat. *Quarum possessione*, inquit, *tibi non interdico, sed efficere volo, vt illas intrepide possideas, quod vno consequeris modo, si te etiam sine illis beatè victurum persuaseris, si illas tanquam exitu-*

Digitized by Google

ras semper aspexeris. Sic ille magnus Seneca, magnarum licet possessionum Dominus. Liquido, inquam, apparet, de qua paupertate intelligat, cui tot laudes appingit.

Tres enim species Paupertatis video ab antiquis illis distinctas & cognitas. Vna est Fortunæ aut Naturæ, cum quis casu, aut à natalibus pauper natus, aut factus est. Ad quam non timendam, imo tolerandam, imo amplexandam veniunt illa Philosophiæ præcepta, cujus acquirendæ subsidium sit. Alia est infamiæ, cum quis vitio suo in eam incurrit, hæc enim digna est quam omnes abhorreant. Vnde quidam apud Stobæum: *Paupertas secundum Naturam, non turpis est, illa vero quæ propter turpem causam, accidit, infamiam inurit.* Qualis illa famosissimi helluonis Apicij, ex ditissimo, sibi a gula pauperrimi, qui cum sestertium millies in culinam congessisset, cum tot congiaria principum, & ingens Capitolij vectigal singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primùm coactus inspexit, superfuturum sibi sistertium centies computauit, & velut in vltima fame victurus, si sesterties centies vixisset, veneno vitam finiuit

Ser. 93.

Seneca consol. ad Heluiam.

Hinc Aristides ille Atheniensium justissimus, qui sibi magis ob Paupertatem, gloriandum & gratulandum ducebat, quam Calliæ locupletissimo ob diuitias, quod plures inuenirentur qui male diuitiis vterentur; quam qui fortiter paupertatem ferre possent. Is inquam cum ei exprobraretur paupertas, dixisse fertur: *Paupertatem pudere eos debere, qui inuiti eam ferrent, laudi vero ducendam iis qui vt ipse vltro eam subirent.* Vnde videas quantum discriminis sit inter paupertatem coactam & spontaneam: *Ridiculum enim erat,* inquit Plutarchus, *existimare ob ignauiam Aristidem egestate laborare, cui licebat nihil turpe agenti, spoliato vno barbaro, ac vno tentorio occupato, diuiti esse.*

Plutar. in compar. Arist. & Caton.

Et inde clarescit tertia species Paupertatis, gloriosæ & nobilis, non fortunæ & Naturæ, sed voluntatis; non vitij, sed virtutis; non coactionis, sed electionis, qualis est Religiosorum, quam in illa Philosophica paupertate adumbratam dicimus, potius quam expressam, illi enim quamuis aliqua magnitudine animi bona externa despicerent, id tamen vanæ ostentatione virtutis, aut imaginariæ cujusdam consectatione sapientiæ prosequebantur: quod dum facerent humanis ducti consiliis, quid facturi fuissent satis probatum reliquerunt, si illis lux Euangelij affulsisset si Dominico ad id exemplo, & consilio, & imitamento inducti fuissent?

Quod Obedientiam spectat quam religiose eam antiqui coluerint (quia in Paupertate diutius hæsimus) paucis expedio, dixisse sufficiat, nullam spem adipiscendæ disciplinæ in puero affulgere, nisi Magistro obtemperet; nullam virtutem aut facinus dignum in bello, nisi milites ducibus suis obsequantur; nullam bonæ indolis, aut prouectioris ætatis sperari maturitatem in juuenibus, nisi filij dicto audientes sint parentibus; denique nihil in Ciuitate aut Republica prosperitatis expectandum, nisi ciues Magistratibus, & Magistratus Legibus obediant.

Inde est, quod Pythagoricæ sectatores disciplinæ nihil tam esse malum quam inobedientia existimabant, refert Stobæus; ea propter hoc loco juramenti formam quod Ephebi Athenis præstare solebant, juuat afferre. *Non ignominia afficiam arma sacra, neque socium deseram pugna. Dimicabo pro sacris & profanis, siue solus, siue cum multis. Patriam non relinquam in deteriori sta-*

Ser. 4

Ibidem

Digitized by Google

tu, sed ampliori, meliorique quam acceperim. Semper Magistratui præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis parebo, atque aliis quibuscumque plebis consensu decretis. Quod si quis leges, vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam, sed vlciscar, tam solus, quam cum pluribus. Sacra quoque patria colam. Horum Dij mihi testes & conscij sunto. In hujusmodi verba jurant, qui se per vota Dei obsequio mancipant.

Hæc enim est religiosæ virtus palmaria professionis, Obedientia, qua sicut per Paupertatem homo se propriis externis & temporalibus abdicat, sic per Obedientiam internis renuntiat, & propriæ libertati.

Venió ad Castitatis obseruantiam, quo nomine, non tantum venereorum abstinentiam intelligo, sed corporis & animæ à voluptatibus sensuum continentiam, atque munditiem, vt Deo cui se vouit Castoris instar excisus ac minutus placeat.

Ad hoc enim Sapiens quisque bene de rebus judicans facili negotio sciet se natum, non vt minore sui parte corporis voluptatibus vacet, & se iis immergat, sed vt mente sursum feratur ad Deum, qua parte eum assequi potest. Iuuabit hac de re sapidissimam nostri Senecæ referre sententiam Apostolico ore digniorem. *Nisi ad hæc admitterer* (inquit scilicet ad cognoscendum & diligendum Deum) *Non fuerat operæ pretium nasci. Quid enim erat cur in numero viuentium me positum esse gauderem? Detrahe hoc inæstimabile bonum, non est vita tanti, vt sudē, vt æstuem. O quam contempta res est homo, nisi super humana se erexerit.* Quæso videant hoc, & legant, & pudore suffundantur ventricolæ nostri & helluones, qui non ob aliud se natos putant, quam vt edant & bibant, aut quid aliud spurcitius faciant. Non ita Religiosi cujus tota vita, vt incensum & thymiama, laudes Deo vaporat.

in Præfat. L. 1. nat. qq.

Optime Socrates dicebat: *Oportere eum voluptates præterire tanquam Syrenes oculis clausis & auribus, qui virtutem vt patriam intueri perciperet.* Prudentis Vlissis exemplo, qui ne earum aspectu aut cantu deliniretur, & aures cera obduxit, & se malo nauis alligauit; quisquis mundo renuntiat hoc facit, surdum se & oculis captum, vt sæculi delitias & cantus euitet, præstare necesse est.

Democritus Philosophus oculis propriis, & hac lucis vsura sponte se priuauit, vt animus à sensibus abstractus contemplandis Naturæ mirabilibus vegetior fieret atque lucidior; quid aliud faciunt quotquot sæculi nuntium remiserunt, nisi quod non oculis tantum, sed auribus, sed lingua, aliisque sensibus sibi interdicunt?

Sed nunquid isti pauperes necessitate pereunt, aut isti obedientes libertate carent, & casti voluptate? Minime vero, habent voluptates suas, quibus Sanctè deliciantur. Nam & isti pauperes, abundant; obedientes, imperant; casti generant. Nisi enim paupertas illa abundaret, non diceret aliquis de grege sapientum: *Honesta res est læta paupertas. Illa vero non est paupertas si læta est. Cui enim cum Paupertate bene conuenit, diues est: non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.* Et nisi obedientes imperarent, frustrà pro vero & indubitato illud haberetur: *Seruire Deo regnare est.* Et nisi casti isti generarent, quomodo sobole deficiente, non deficerent?

Epicurus ap Senec. Epist. 22

Audi super hoc magni Naturæ indagatoris stuporem, de Essenis, antiquæ legis Religiosis sic loquentis. *Ab occidente litora Esseni habitant, gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine vlla fœmina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia Palmarum. In diem ex æquo conuenarum turba renascitur, large frequentantibus*

Plin. l. 5. c. 17.

Digitized by Google

quentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agit. Tam fœcunda illis aliorum vitæ Pœnitentia est. Ita ille Ethnicus.

De hujusmodi hominibus dici potest, quod de Apibus Poëta:

Illum adeo placuisse Apibus mirabere morem — Georg. 4
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora Segnes,
In venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt.
At genus immortale manet multosque per annos
Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum.

Addit Poëta.

His quidam signis atque hæc exempla secuti
Esse Apibus partem diuinæ mentis, & haustus
Aethereos dixere.

Tu eadem dic de eo statu hominum castè generantium, de cœlo esse, de cœlo afflari, Deo plenos esse, & immortales

VITA RELIGIOSA PRÆSTAT SÆCVLARI.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

STATVS Monastici à tribus votis, quo ordine retro ex profanis disseruimus, Eminentiam, super vitam sæcularum astruere, & eleuare animus est, tribus maxime argumentis; quod sit à Paupertate, altior; à Castitate, sanctior; ab Obedientia, securior.

Quod Paupertatem attinet, huic veritati patrocinatur clarius diuina auctoritas, quam vt refragari liceat, nam adolescenti illi qui Christo dixerat: *Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam.* Et ille respondisset: *Serua mandata.* Quasi communem hanc viam supergresso, & ad altiora tendenti, dicentique: *Hæc omnia custodiui, quid adhuc mihi deest?* Illico dictum est: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* (Math. 19) Quibus verbis altior ei via quo pauci pertingerent, & ipse si vellet ascenderet, monstrata est, sed cliuus iste nimis arduus visus est. *Cum audisset verbum abiit tristis.* Quæ perfectionis via, non alia est, ab ea quam Abraham ambulauit, & ad quam Religiosi vocantur, Alij enim ex æquo audiunt Deo vocante: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & ambula coram me, & esto perfectus.* (Gen. 12 & 17) Quod explicans Liranus, "Esto perfectus, inquit, id est tendens ad perfectionem, quia Scriptura non loquitur hìc de statu Abrahæ, vt jam perfecti, sed vt proficientis, sicut apud Math. 19. *Si vis perfectus esse, vade, &c.* Non quia ille juuenis hoc faciens statim esset perfectus, sed per hoc tendens ad perfectionem." Et cui non videatur summus honos & maxima gloria cum tanto viro in idem Licæum, concurrere?

Non tantum status Paupertatis voluntariæ altus est, & præcellens in se ratione perfectionis, sed etiam respectu præmij & mercedis; cujus spe & magnitudine inducti Apostoli ausi sunt aliquando ad Dominum ac-

Digitized by Google

cedere, & ab eo inquirere quid pro exhibitis obsequiis ipsis daturus esset. *Ecce*, inquiunt, *reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Expectabant quidem a beneuolentissimo, munificentissimoque Domino, quid magnum audire, sed benignissimus Magister expectationem eorum vicit, & vota. *Amen dico vobis*, inquit, *quod vos qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim tribus Israël.* Quod consequenter ad eos qui Apostolico exemplo Mundo se abdicarent extendens, eos centuplo, & vita æterna promittitse remuneraturum. O vere magna præcellentia Paupertatis, vt quo die Reges terræ & diuites in terra prostrati jacebunt, & plangent, & contremiscent, pauperes sedeant magni Iudicis assessores, judicaturi mundum; hæc est merces paupertatis. Vnde dicit Liranus hîc " Considerandum, inquit, quod licet judiciaria potestas per modum assessoris conueniat Apostolis & viris perfectis, ratione suæ perfectionis super alios eminentis, tamen magis attribuitur voluntariæ Paupertati, quam aliis virtutibus. Et hoc per quandam correspondentiam, quia sicut exaltatio correspondet humilitati, sic judiciaria potestas, paupertati. Vt qui in hoc mundo conculcantur, & peruerse judicantur; ideo e contrario eminentia Sedis Iudiciariæ competit eis in regeneratione. "

Iudic, &c

In math. c. 19.

Ea de causa singulari Epitheto Apostolus Paupertatem cohonestat, cum Corinthiorum pietatem, & promptam in subueniendo fratribus voluntatem commendans, dicit, *Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias.* Viden quod vt potestates terrenæ Altitudines vocitantur, ita Apostolus cum paupertate se habet, Altissimam eam nuncupans? *Altissima Paupertas.* quod adjungit, non minus stupori est? *Abundauit*, inquit, *in diuitias*, non modo non eget, aut habet satis, sed abundat ad sufficientiã & opus, sed *in diuitias.* Hoc est quod in parte retributionis Pauperibus Euangelicis promissum à Domino est, *Vade, vende, & da Pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo.*

2. Cor. 8

Quod euoluentibus Scripturas nulla non pagina ostendit: *Diuites egerunt*, inquit Psalmista, *& esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Vides vt res mundanas spiritus sanctus inuertit, dans egestatem & esuriem Diuiti, abundantiam & saturitatem Pauperi. Et re vera Diues semper eget, famescit, cupit. Pauper autem modico expletur. *Edent pauperes, & saturabuntur*, inquit, *& laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Item, *Dispersit dedit Pauperibus*. Item, *Pauperes ejus saturabo panibus.* Audiamus Apostolum suorum pauperum abundantiam describentem. *Sicut egentes*, inquit, *multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes. & omnia possidentes*, Cui enim non mirabilis sit forma loquendi Apostoli? cum pauperes non dicit absolute egentes, sed similitudinarie; *Sicut egentes, tanquam nihil habentes*.. Eorum vero abundantiam exprimens, absolute pronuntiat: *Multos locupletantes, omnia possidentes.* Sed quo putatis gloriæ & honoris fastigio exaltaturum & collocaturum suos pauperes? Supra verticem nempe omnium rerum humanarum. Vbi enim in Epistola ad Hebræos eorum labores longa inductione descripsit: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii occisi sunt, circuierunt in Melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Claudit sermonem suum nobilis Panegyrista, his verbis, QVIBVS DIGNVS NON ERAT MVNDVS. Quid est, *Quibus dignus non erat mundus*. Nisi, hi afflicti & pauperes mundo altiores sunt? cunctis Regibus & Monarchis superiores.

Psal. 33

Psal. 21. 131.

2. Cor. 6

Digitized by Google

Huic veritati confirmandæ sufficit vnus Helias. Et is Pauper, qualem hic commendamus, de quo S. Chrisostomus. " Quid enim ait Elia pauperius? sed propterea omnes Diuites vincebat, quoniam hic pauper erat, ipsam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit. Sed ita, inquit, vitæ vanitatem condemnauit & tanquam lutum projectum, aurum omne despexit, vt præter amictum & Melotem nihil amplius possideret. Idcirco, subdit, Rex pauperis indigebat, & ad corpus nil amplius quam Melotem possidentis hiabat, qui tantum aurum habebat, (tandem concludit) sic splendidior trabea erat Melote, & regalibus aulis justi spelunca. „ Ecce quo Paupertas sancta hominem euexit! Quæ hominem solitarium supra Regem potentissimum, vilem ejus amictum supra purpuram, speluncam ejus supra aulam Regiam exaltauit. Vnde sufficienter astruitur voluntariæ Paupertatis eminentia, & altitudo supra vitam sæcularem.

Sicut & Sanctitas ob professionem Castitatis ex dicendis. Quæ duo ita connexa sunt, vt in Deo idem sint, cum secundum Dionisium & S. Thomam, " Sanctitas nihil aliud sit quam ab omni corruptione libera & perfecta, & omnino immaculata munditia. „ Vt sanctus idem sit quod purus, græce ἅγιος id est sine terra expers, omnis corruptelæ quod soli Deo competit, vnde Ecclesia canit: TV SOLVS SANCTVS. q. d. Tu solus purus. Nunquid & Angelus? non. Nunquid & homo? minime vero, dicente Iob. *Nunquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce Luna etiam non splendet & Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Quod si Luna, id est B. Virgo, comparata Deo non splendet, & stellæ, id est Angeli, non sunt mundæ, *Quanto magis homo putredo & filius hominis vermis?*

L. de D. N. c. 12. 22. q. 81. a. 8.

Iob. 25.

Sed quia, vt dicit S. Gregorius, " Homo non compositus, aut comparatus Deo, justitiam percipit, quam compositus amittit. „ Ita est de Sanctitate, seu Puritate Creaturæ, quæ licet comparata Deo, sit immunditics, dicente Propheta: *Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniversæ Iustitiæ nostræ.* In se tamen, tam grata Deo est, vt sine puritate non sit Sanctitas, dicente Apostolo: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Et alibi: *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Quæ sententia Dominico respondet eloquio: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quo promittitur visio Diuina mundis, quia munditia corporis seu castitas nulla est, nisi præcedat munditia cordis seu mentis.

Isai. c. 64

1. Thess. 4.

ad Heb. 12

Sed vbi vtraque jungitur, Puritas mentis & corporis, vt abdicatis voluptatibus carnis spiritus liber Deo vacet. Tunc apud Deum speciales laudes & prœmia consequitur.

Præcipue vero cum voto firmata venit Castitas. Quod expresse docet doctor Angelicus, dicens. " Nomen Sanctitatis duo importare ad applicationem mentis ad Deum, munditiam & firmitatem. Munditiam, quia munditia necessaria est ad hoc, quod mens Deo applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus conjungitur, sicut quælibet res ex immixtione pejoris sordescit. Oportet autem, quod mens ab inferioribus abstrahatur, ad hoc quod supremæ rei possit conjungi. Firmitas etiam exigitur ad hoc quod mens Deo applicetur. Vnde apud antiquos sancta dicebantur, que legibus erant munita. Sancta quasi lege san-

22. q. 81 a. 8

Digitized by Google

cita, lege firmata,, congruentissime meo instituto. Nam si Sanctitas ex hac doctrina importat munditiam & firmitatem, hæc Professioni Religiosæ sine dubio conuenit, quæ à Castitate habet munditiam, à voto firmitatem. Vt enim vasa quæ Diuino cultui mancipantur certa dedicatione consecrantur; sic Religiosi votorum professione ita dedicantur, vt quandam stabilitatem & immobilitatem acquirant, à qua illis resilire non liceat, fœlix stabilitas, quæ eos Dei obsequio fœliciter mancipat.

Isaiæ 56

Illi enim sunt, quos Deus præcipuo honore dignatur apud Isaium: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Math. 19

Illi sunt spadones voluntarij a Christo honorati, qui non nati, nec facti, inuiti scilicet & coacti, sed speciali electione, ac voluntate seipsos Deo consecrarunt, de quibus ipse dixit: *Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter Regnum Cœlorum.* Quorum brauium, & præmium à difficultate consequutionis dimetiens, addit: *Qui potest capere capiat.*

1. Cor. 7

Ex dictis statum Religionis habere ex voto Castitatis quod sanctior sit statu sæcularium videtur satis probatum. Hoc vrgeo ex abundanti, ex comparatione conjugij cum statu cœlibum, aut virginum, quam facit Apostolus scribens ad Corinthios. Ibi enim quatuor Epithetis quantum status virginum, aut cœlibum præstet conjugio, perspicue ostendit, cum huic quatuor defectus assignat Sanctitatis acquirendæ, quibus ille vacat. Alligatus, diuisus, sollicitus, non sanctus corpore & spiritu. In conjugio sunt vincula, sunt diuisiones & partialitates, sunt curæ & sollicitudines, sunt sordes, tot impedimenta Conjugatorum, vt perfecte Deo seruiant. Cum enim simul ligantur, minus liberi sunt vt Deo seruiant. Cum mutuo student quomodo sibi inuicem placeant, diuisi sunt. Cum cogitant quæ sunt mundi, solliciti sunt; cum generationi vacant, sordescunt. Contra vero, colligit & concludit Apostolus: *Mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Non alligata, non diuisa, non sollicita, non impura, sed integra corpore & spiritu in id vnum intendit vacat, incumbit vt Deo seruiat. Vnde concludas quod Religiosa vita sit à Castitate sanctior sæculari.

D. Bern. de bonis Relig.

Quod eadem sit ab Obedientia securior duobus verbis fidem meam libero, quia metas jam nostras si non excessimus, attigimus. „Quæ est ista quæso, ait D. Bernardus tam prætiosa margarita, pro qua vniuersa dare debemus? &c. Nonne hæc est Religio sancta, pura, & immaculata, in qua homo viuit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius?,, Aurea certe sententia, digna quam abscissi memoriæ & cordi insigant. Vt verum fatear habet hoc Religiosa professio, quod si pauci in ea viuere volunt, omnes vellent mori, quod Philippus III. Hispaniarum Rex, vltima vitæ suæ periodo testatum reliquit, vt Scriptores ad an. 1621. referunt, cum moriens satius sibi futurum fuisse dixit, Si ignoti potius nominis Monachus, quam tantarum opum & ditionum Rex decederet. Regnum quod tam ardenter appetitur, grauissimum expertus cum deponitur: Ita ille sibi, & nobis satis.

Adolph. Brachel. & Germanicarũ compendiator.

Digitized by Google

TITVLVS LXXXIII.

DE MORTE COMMVNI

FABVLA.

De Sene mortem differre volente.

SENI in lecto jacenti, ac pene animam efflanti apparuit Mors falce armata, qua visa conterritus, rogauit quid vellet, & ad quid venisset? Te, inquit, raptura, & exportatura. Tum ille rogare mortem inducias, & tempus, vt rebus suis consuleret. Quibus, inquit illa? & hoc quodcumque sit, cur hucusque non licuit? vt condam, inquit, testamentum meum, meæ sepulturæ prouideam, & domui, quia hactenus non te videram aut noueram. Tum Mors, ô inueterate mendax, inquit, quomodo non me noueras? non me videras in vrbe tot socios tuos efferentem? ruri, tot notos tibi, & coetaneos? domi tot domesticos, nec me noueras quando vxores tuas, seruos, filios immaturos? & te minores rapiebam? Aut me in membris tuis hospitantem non sensisti? cum cæpere aures obsurdescere? caligare oculi? nutare dentes? pedes vacillare? Vanæ sunt excusationes istæ, veniendum est. Indicat vitium frequens nostræ mortalitatis, sui finis & suarum rerum improuidæ.

De Sene Mortem clamante.

QVidam Senex sibi in sylua fascem lignorum conciderat, quem cum humeris impositum domum deferret, grauiorem sentiens longitudine itineris, ac tædio affectus, onus in terram projecit, & cæpit plangere, accusare fortunam, & Mortem inuocare. Adfuit illico vocata Mors, & toruis quibus solet oculis intuita ejulantem. Ecce me, inquit, quam vocasti, quid quæris? Ad eam Senex, vt me, inquit, hoc onere leues, aut juues portantem. Innuit nimium amorem vitæ nobis ingenitum, à quo nec fortunæ, nec ætatis incommoda nos auocent & Morti excipiendæ præparent.

De Muliere dicente pro Viro, se libenter velle mori.

MVlier quædam honestis moribus ornata, & maxime amore viri commendabilis, si quando male haberet vir suus, inconsolabiliter lugebat ægritudinem suam, optare dicens suos dolores pro eo pati; imo & mori. Contigit igitur aliquando, vt graui morbo correptus decumberet, cumque in dies in tantum ingrauesceret morbus, vt Medici salutem ejus

desperarent, lugebat interea virum suum vxor impotentius, & eandem næniam omni angulo domus recantabat, velle se pro eo pati, optare pro eo mori. Cum ecce tibi ex improuiso Mors eiulanti adfuit, fero aspectu terribilis, postulans quid vellet? Sui causa, & vocatam venisse? Cui illa, non pro me, inquit, ego vocaui te, sed pro meo Marito qui jacet in lecto; & hæc dicens cursu aufugit. Indicans multos esse, qui verbis tenus mortem inuocent, & dicant velle mori, sed de facto raros esse qui mortem non fugiant.

Mens Fabulæ, seu Morale.

MEMORARE NOVISSIMA TVA, ET IN ÆTERNVM NON PECCABIS.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

QVEMADMODVM nihil est magis conforme Naturæ quam vita, nihil tam odiosum quam Mors, quia quam dulce est viuere, tam durum est mori; ita nihil est magis contrarium Philosophiæ, quam inordinatus Amor, aut metus mortis, quia magna stultitia est velle defugere, quò necesse est te peruenire; & fœda ignorantia, vitam hanc miseram, tot periculis & malis scatentem deperire.

Sen. Ep. 29.

Hoc vitium in Mœcenate, (ingenioso alioquin viro, nisi eum fœlicitas & delitiæ eneruassent) non semel irridet Seneca, cujus tantus erat Amor vitæ, & metus mortis, vt vitam etiam ægram deamaret, cujus hoc votum & versus refert,

Epi. 101

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber astrue gibberum,
Lubricos quate dentes,
Vita dum superest, bene est,
Hanc mihi, vel acutam
Si das, sustineo, crucem.

Quid sibi vult, inquit, *ista Carminis effœminati turpitudo? quid timoris dementissimi pactio? quid tam fœda vitæ mendicatio? huic putas vnquam recitasse Virgilium.*

Vsque adeo mori miserum est?

Optat vltima malorum, & quæ pati grauissimum est, extendi ac sustineri cupit, qua mercede? scilicet longioris vitæ. Quid autem hujus viuere est? diu mori.

Non dissimilem dixerim huic Cantilenæ, næniam & luctum Hadriani Imperatoris sibi parentantis & vitæ fugienti blandientis.

Ælius Spar. in hist. Aug.

Animula vagula blandula
Hospes; comesque corporis,

Digitized by Google

Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec vt soles dabis jocos.

Nunquid enim hæ voces sunt effœminati animi, vitæ delitiis plus æquo hærentis & immersi, & vitæ hujus mala nescientis? de qua melius Martialis ad Marcianum.

At nostri bene computentur anni,
Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor grauis aut mali dolores
A vita meliore separentur,
Infantes sumus & senes videmur;
Aetatem Priamique, Nestorisque
Longam qui putat esse, Marciane,
Multum decipiturque, falliturque,
Non est viuere, sed valere, vita.

Lib. 6. Ep. 69.

Huic vni rei Philosophiæ subsidium aduocandum, quam non immerito Plato dicebat nil aliud esse quam *Meditationem Mortis*, vt sapiens tota vita eam meditetur, ad eam se præparet: atque componat: cujus prima lectio, seu præceptio Sapientiæ sit scire se esse mortalem, quocumque in statu sis, juxta illud consilium.

Homo cum sis fortunam memineris communem,
Quamuis Rex natus fueris, audi tamen vt mortalis.
Quid tum quod procul expuis? multa abundas pituita.
Vestem elegantem fers? at hæc Ouicula prius habuit.
Aurum geris? hoc fortunæ fastus est.
Opibus affluis? hæc vis est iniqua temporis.
Superbis? hujusmodi est hinnitus stultitiæ.
Atsi Temperantiam secteris, Diuinum donum est;
Fit autem Temperantia, si teipsum metiaris;
Cum sis Mortalis, operam da vt quæ retro sunt, videas.

Stob. ser. 20.

Hic enim frequens est vitæ abusus quod pauci se Mortales probe sciunt & norunt.

Alexander fortunæ fauoribus ebrius & aulicorum applausu infatuatus pene ignorauerat se esse mortalem, cum in obsidione cujusdam vrbis in India, dum circuit muros, & imbecillima mœnium quærit, sagitta crus transfigitur, sed cum vulneris dolor cresceret, & sanguis abundanter flueret, coactus incœpto absistere: *Omnes*, inquit, *jurant Iouis me esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.*

Sen. Epi. 5.

Xerxes potentissimus ille Persarum Rex, qui montes subuertit, maria constrauit, qui Asiam Europæ ponte conjunxit, cum exercitum pene infinitum vt Græciæ bellum inferret, coegisset, totum Hellespontum nauibus operiret, è loco edito & prominenti totam hanc multitudinem pene innumerabilem oculis lustrans, visus est insolita lætitia prægestire, & se Beatum esse jactauit; paulo post cum in silentio cogitabundus constitisset, lachrimas largiter fudit, quod Artabanus patruus ejus animaduertens, *Quam diuersa inter se ô Rex facis & dicis! qui te beatum dixeras, nunc lachrimas fundis.* Cui Xerxes, cum has copias, & potentiam tantam, quantam nullus Regum qui ante me fuerunt simul composuit, existimaui me fœlicem, & lætitia exultaui; sed cum subiit animum mortis cogitatio, & è tanta mul-

Stob. ser. 96.

Digitized by Google

titudine hominum, ne quidem vnum ad centesimum annum vsque superfuturum recordatus sum, lachrimas continere non potui. Vides hîc, vt mortalitatis consideratio tumentem alioquin animum nostræ infirmitatis admonuit?

L. de Breuit.

Hoc est, quod Seneca sæpius inculcat: *Viuere tota vita*, inquit, *discendum est, & quod magis fortasse miraberis tota vita discendum est mori*. Et ne tibi facile imponas & putes hoc te assecutum. Addit, *Tot maximi viri relictis omnibus impedimentis, cum Diuitiis, Officiis, voluptatibus, renuntiassent, hoc vnum in extremam vsque ætatem egerunt, vt viuere scirent; plures tamen ex his nondum se scire confessi, è vita abierunt*. Cujus rei ratio est, quod magna pars hominũ vitã sine cogitatione mortis transigunt, aut eam quantum possunt, licet vbique occurrentem, abigunt, & expugnant. Quod arguit in certis senibus, quos amor vitæ intemperantius tenet. *Vis scire*, inquit, *quam non diu viuant? Vide quam cupiant diu viuere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant. minores natu seipsos esse fingunt, mendacio sibi blandiuntur, & tam libenter fallunt, quam si fata vnà decipiant. Iam vero cum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum pauentes, moriuntur, non tanquam exeant de vita, sed tanquam extrahantur.*

Ibidem.

Vnum ex istis festiue carpit Martialis.

Epig. l. 5.

Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis,
Tam subito Coruus, qui modo Cygnus eras,
Non omnes fallis, scit te Proserpina canum
Personam capiti detrahet illa tuo.

Hoc fascinum, hic error nostræ Mortalitatis, non aliunde prouenit quam ex insano Amore vitæ, aut metu Mortis. *Mors, licet non mala, tamen habet mali speciem. Sui amor est & permanendi, conseruandique insita voluntas, atque aspernatio dissolutionis, quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac cui assueuimus rerum copia educere. Illa quoque res morti nos alienat, quod hæc jam nouimus, illa ad quæ transituri sumus, nescimus qualia sint, & horremus ignota. Naturalis præterea tenebrarum metus est, in quas adductura mors creditur.* Ita ille, & alibi vno verbo: *Vna est, catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ, qui vt non abjiciendus, ita minuendus est*. Sed tantum abest vt minuamus id vinculum quo tenemur, quod arctius in dies stringimus.

Epist. 82.

Epist. 26.

Quem mihi dabis, inquit, *qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet qui intelligat se quotidie mori?*

Epig. 1r

Aduertis vt hic sapiens & verus Philosophus Mortis, vitam cum Morte conjungat, & bene viuere reputet cogitare se quotidie mori?

Ita est, *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus vita decrescit*. Quemadmodum Clepsidram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit, sic vltima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Hoc proposito laudat Lucilij sui versum qui sequitur.

Epist. 24.

Mors non vna venit, sed quæ rapit, vltima, Mors est.

Non inelegantius Poëta Lyricus describit vitæ fugientis præcipitem cursum.

E heu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.

Lib. 2. Od. 4.

Denique, quatuor sunt sub Mortis Imperio, quæ nos magis sollicitos, cautiores

cautiores, & pauidos efficere debent. Certitudo Mortis. Incertitudo horæ, loci, morbi. Vltimi illius momenti grauitas. Futuri cura, seu euentus. Quæ contra, tot remedia, seu contraria opponenda sunt. Certitudini Mortis, contemptus mortis. *Mihi crede Lucili, adeo Mors timenda non est, vt ejus beneficio nihil anteferendum sit. Contemne Mortem, nihil triste est, cum hujus metum effugimus. Quid fles miser, quid trepidas, omnes hac necessitate ducuntur; eo ibis quo omnia eunt; ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te.* Incertitudini horæ illius decretoriæ, & loci, & generis, opponenda est expectatio continua, quia *Quidquid expectatum est diu, leuius accedit.* Audi sanum Consilium: *Incertum est quo te loco Mors expectet, itaque tu illam omni loco expecta.* Grauitati vltimi illius momenti, quo Mors sententiam de omnibus annis latura est, bona conscientia paranda est, bona conscientia nil timet. Denique sollicitudini seu Curæ de futuro, iterum audiendus Seneca: *Mors*, inquit, *nos consumit, aut emittit. Emissis meliora restant onere detracto. Consumptis nihil restat, bona pariter malaque submota sunt.* Ita Ethnico non nisi vacillanter licuit de æternitatis judicio pronuntiare. Concludamus cum eo: *Egregia res est mortem condiscere. Superuacuum forsitan putas id discere, quo semel vtendum est? Hoc ipsum est, quare meditari debemus. Semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus.* Adjiciamus, quod semel experiri licet; male expertis, iterum experiri non licet. Hoc meditare, hoc cogita, hoc ruminare.

Inter spem, curamque, timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi illuxisse supremum.

Epist. 24. Epist. 78. 78. Ep. 26. Epist. 24. Horat. Lib. 1. Ep. 4.

MEMORARE NOVISSIMA TVA, ET IN ÆTERNVM NON PECCABIS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

NOVISSIMA hæc cuique homini quatuor sunt, Mors, Iudicium particulare, Iudicium vniuersale, Gehenna, vel Gloria. Quorum Mors chorum ducit, & inter alia Principatum tenet. Mors inquam, omnium terribilium terribilissimum. Est enim clauis Æternitatis, Mortalis vitæ confinium & immortalis, cardo rerum, à qua cætera pendent. De qua scriptum intellige: *Si ceciderit lignum.* Id est homo: *Ad austrum* Charitatis & Gratiæ: *Aut ad Aquilonem,* Peccati: *in quocunque loco ceciderit,* Per Mortem: *Ibi*, æternum, *erit.* Ideo forte Iobo, Primogenita, dicta, quia vt Primogenitus fratres dignitate & tempore præcedit, sic Mors, quæ eam sequuntur.

c. 18.

Valde timendum est Iudicium, seu particulare, Animæ cum exit è corpore, & vita; seu vniuersale, cum redit in vitam, & corpus, de quibus scriptum. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Item, *Confige timore tuo carnes meas, à Iudiciis cum tuis timui.* Quia ex vtroque dependet bona vel mala sors hominis. Aut justi Æternitatis in gloria; aut reprobi, Gehennæ in pœna. Sed horum omnium terribilissimum, & omnium timendorum, magis timendum, est Mors, quia aperit æternitatem, & claudit si bona

Digitized by Google

est, in tuto sunt omnia, nihil amplius timendum. Si mala, actum est de nobis. In hoc ergo rerum nostrarum cardo vertitur, vt per bonam vitam, bonam nobis Mortem prouideamus.

Est enim tantus vitæ & mortis nexus, tanta consensio, & affinitas, vt se mutuo juuent, alter alterius ope egeat, adeo vt Mors non possit esse bona, sine bona vita; nec vita bona, sine bona morte. Quia vt dicit S. Augustinus, " Non potest male mori, qui bene vixerit; & vix bene moritur, qui male vixit. „

l. de doct. Chr.

Inde patet nihil tam conferre ad bonam vitam quam Mortis jugem memoriam, ut enim dicit S. Gregorius, Mors ipsa cum venerit vincitur, si priusquam veniat, semper timetur. „Quia nihil sic reuocat à peccato, quam frequens mortis meditatio & cogitatio.

Hunc tamen primo homini injecerat Deus, cum ligno scientiæ boni & mali ipsi interdicens, mortem minitatus est, si comederet. *Quocumque enim die*, inquit, *ex eo comederis, morte morieris.* Et facile crediderim quod si vterque Mortem bene nouisset, non peccasset, sed quia eam non viderant, neque vlla scientia, seu naturali, seu infusa, nec deniq; experimentali bene nouerant, hinc est, quod incautis, facile fuit hoc frænum, seu timorem mortis excutere, & diabolicæ virus perfidiæ exceptare.

Gen. 2

Sed tam quamprimum Adam vidit, cum in Abele dilectissimo filio suo à fratre occiso conspexit, quantum tunc doluit! quantum inhorruit! & peccati pœnam quam hucusque non comprehenderat, intellexit! Ipsum, defuncti filij sui corpus sanie, & tabo fluens è terra recens defossum, intueri mihi videor, & audire. Hiccine est filius meus Abel? inquit, ergo jaces fili mi, corpus exangue, frons liuida, oculi sine luce, os sine voce, cadauer sine sensu ac vita; hic pallor, hæc macies, hic formæ horror Mortis vestigia, & signa sunt, cujus jam præda es, & ego causa! jam intelligo grauitatem offensæ quæ tantam pœnam meruit, cujus in me sentio imperium, quod in te video infausta hæreditate traductum. Quas subinde lachrimas, quos gemitus fudit horrore Mortis, & cogitatione, quam reliquo vitæ tempore præsentissimam habuit? vt scribunt graues auctores.

Inter quos aliqui non vere pœnituisse affirmant, nisi Abele mortuo, quo spectaculo adeo expauit, & Deum timere cœpit, & dolore de peccato, vt scribant spatio centum annorum assidue fleuisse; quæ ratio fuerit cur Deus, qui culpam sua morte deleuit, Mortem è medio tollere noluerit, ne occasionem pœnitentiæ homini subtraxisse videretur.

Santiag. in Quad. Leonar. serm. de Pœnit. Method. in Ioseph

Qua in re, si Adamum Nepotes sui imitati fuissent, haud dubie in tantam carnalium voluptatum corruptelam, & libidinis confusionem prolapsi non fuissent, quæ Deum ad iracundiam concitauit. Vt diceret: *Pœnitet me fecisse hominem. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Item: *Delebo hominem quem creaui à facie terræ.*

Gen. 6

Vnde, cum nihil cogitationi Mortis adeo aduersetur, quam intemperantia carnis, & libidinis, in eam Mortis obliuionem homines illius temporis deuenisse crediderim, vt se fermè immortales putarent, in quem errorem eo facilius induci poterant, quod vita eorum longissima, multa sæcula, quasi paruas æternitates peruaderet, nongentorum & amplius annorum. Quod obseruans Scriptura in longæuis istis ante diluuium Patribus cauit, ne mors eorum celaretur, dicens. *Vixit Adam nongentos triginta annos & mortuus est. Seth nongenos duodecim annos, & mor-*

Gen. 5

Digitized by Google

tuus est. Enos nongentosquinque annos, & mortuus est; & sic de cæteris quorum vita productior, ne quis aliquo priuilegio mortem euasisse putet. Addit, ET MORTVVS EST. Sed post generale Diluuium, vbi illa tantam stragem fecit, confirmato jam Mortis imperio, non addit amplius: ET MORTVVS EST.

Exinde Mors quæ peccati pœna fuerat, beneficij locum accepit, cum nos admonet mortalitatis nostræ, cum in pœnitentiam inducit, & in melioris vitæ possessionem.

Fauet huic proposito locus Genesis, vbi habetur, quod cum Deus hominem mortis pœna mulctasset post peccatum suum, & è Paradiso voluptatis emisisset. Hæc ratio affertur: *Ne forte mittat, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* q. d. Emitto te e Paradiso voluptatis, ne de ligno vitæ comedas, & peccator viuas. Malo te mortalem, sed iustum & pœnitentem; quam æternum, sed peccatorem. Sic Deus vitæ itinera Adamo clausit, vt viam pœnitentiæ illi aperiret, & sterneret: Consentit Theodoreti obseruatio in hæc verba. *Ne forte sumat*, &c. " Non hoc dictum est, ait, quod Deus vitam homini æternam inuiderit, sed vt per Mortem impetum peccati detineret; Itaque Mors tam supplicium quam medicina fuit.,,

Gen. 3

Et vero, quod vita productior in veris bonis censenda non sit, sed melior & innocentior, probatur ex eo quod Caino accidit fratricidæ, qui cum desperatione actus optaret mori, & se Morti addicens dixisset Deo: *Ecce ejicis me à facie tua, omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Quid illi Deus? *Nequaquam*, inquit, *ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum.* Iam peto, cur Deus vetat mori hunc fratricidam? Nonne merebatur mortem? omnino. Cur igitur non modo merenti non infert, sed volenti negat, & vitam ei tuetur, ac prorogat? Glossa respondet, " Cain videns se derelictum à Deo, & in tanta miseria constitutum, desiderauit cito mori, vt sua miseria terminaretur, respondit Deus: *Nequaquam*, non morieris cito, sicut tu vis, sed viues in cruciatu vsque ad septimam generationem, in qua à Lamech occideris.,,

Gen. 4

Ad Hic

Est igitur impijs vitæ prorogatio supplicium, non beneficium, quia dum viuendo vitia sua multiplicant, vltimæ horæ suæ pœnam aggrauant.

Propterea dicit Sapiens: *Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem ejus deducunt ad mortem.* Via hæc est cupiditas, libido, affectus inordinatus, voluptas, ambitio, quæ licet praua, placet tamen ad tempus ambulanti in ea. Sed quid sequitur: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

Pro.14

Ab hoc mortis itinere vt reuocemur, si illud ingressi sumus, aut ne ingrediamur, necessaria est cogitatio Mortis iuxta illud Ecclesiastici *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Eapropter obseruo sanctissimos illos veteris Testamenti Patriarchas cogitationem Mortis, quasi per manus à parentibus accepisse, & diligentissime suis posteris successiue consignasse. Item piissimos fuisse Mortis & mortuorum, & sepulturæ cultores.

Ferunt enim Noe, reparati humani generis Principem, hac religione inductum, ossa primi parentis Adami in Arcam tempore Diluuij transportasse, & inde finito Diluuio quasi justam hæreditatem inter filios suos æquis partibus diuisisse, vt ea in terrarum plagas, quas contingeret inha-

Iacob. Edissẽ Syrus. apud Andræ. Masium in vl. I. Iosue.

Digitized by Google

bitare, seruarent ad Mortis memoriam, & auitam Patrum suorum Religionem ac pietatem conseruandam.

Hac Religione ductus Abraham, cum venisset in terram Chanaan, nihil habuit antiquius, quam vt jus sepulturæ sibi, & suis, acquireret a filiis Heth in spelunca duplici. Vbi ipse cum Sara, & Isaac cum Rebecca & alij sepulti sunt. Quo in nobili monumento, etiam Iacob moriens testamento cauit vt reponeretur. *Ego congregor*, inquit, *ad populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici*, &c.

Gen. 49

Quin & Ioseph prorex Ægypti exequiis Patris sui rite perfunctus, congregatis fratribus suis commendauit, vt quando de terra Ægypti filij Israel egrederentur, ossa sua secum auferrent. *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere faciet in terram quam jurauit Abraham, asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Quo loci Glossa rationem reddens moralem pietatis SS. Patrum, ait, « Ioseph sicut Pater ejus, terram Promissionis tota mente desiderabat, & incolatum Egypti detestabatur. »

Gen. 50

Nos quoque moraliter instruit, vt quandiu sumus in hoc mundo, terram promissionis, id est viuentium, semper desideremus, & ibi requiscere optemus. Quod bene fit, si numerum annorum Ioseph moribus imitemur. Centum enim & decem vitæ annis expletis mortuus est. Nos quoque studeamus per Decalogi obseruantiam ad æternam beatitudinem quam Centenarius significat peruenire. » Hucusque Glossa. Quæ testimonia Pietatis horum SS. Patrum manifestissime testantur, quantum mortem, & ejus meditationem in animo infixam, ac præsentem haberent, ac si dicerent MEMORARE NOVISSIMA TVA, ET IN ÆTERNVM NON PECCABIS.

Ad eamdem sepulturæ & mortis memoriam nos vocat Ecclesiastici insignis locus: *Memor esto quoniam Mors non tardat, & Testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi; Testamentum enim hujus mundi morte morietur.* Quibus verbis obseruandum venit duplicis Testamenti ibi fieri mentionem. Primum est Testamentum inferorum quod idem est, quod humana Natura in primo parente pepigit, cum ei dictum est: *Si comederis, morte morieris.* Cui sententiæ consentiendo, cum culpam incurrit, pœnam subiit. Quæ alia non est, quam necessitas Mortis, de qua Paulus dixit: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Cui necessitati mortis alia annexa est, obligatio descendendi ad inferos, siue justis ad Lymbos quo ante Christum omnes descendebant, siue injustis ad locum pœnarum. Secundum Testamentum est hujus mundi, id est pactum quod cum mundo contraximus, cum vanitate, cum deliciis, cum oblectationibus hujus sæculi nequam, quo pene omnes à juuentute obligamur seruire mundo, & frui ejus delectationibus, sicut ij qui apud Isaiam dicunt: *Percussimus fœdus cum Morte, & cum inferno fecimus pactum.* Istud vero Testamentum posterius vanitatis & amoris sæculi debet morte mori, id est vinci, superari, annihilari, prioris jugi contemplatione, ac meditatione; quisquis enim mortis necessitatem, ac certitudinem serio pendit, ac incertitudinem horæ, morbi, & status quibus superuentura est, fieri non potest, quin mundi decipientis illecebris, ac voluptatibus non se subducat, & ad Deum se conuertat. Hoc est, quod hujus sententiæ priora verba innuunt, & nos monent: *Memor esto quoniam mors non tardat.* Infige hæc verba menti tuæ, versa ea in corde, vespere & mane, & meridie tibi pro salute dicta pensa; imitare antiquos illos Ascetas, qui dum inuicem occurrerent sic se saluta-

Eccle. 14

Digitized by Google

bant, moriendum est, resalutabant, quando? nescimus. Aut illum ex Patribus Ægypti senem, qui dicebat. Tria momenta valde timeo. Primum, illud quo anima mea de corpore egressura est. Secundum, quo in præsentia Iudicis sistendus sum. Tertium, quo ejus sententiam & Iudicium contra me laturus est. Aut denique cum S. doctore Hieronimo imaginare tibi fatalis illius clangorem Buccinæ auribus tuis tonantem audire: *Surgite Mortui, venite ad Iudicium*. Et ne interim otiose ista perpendas, auream illam Ecclesiastæ sententiam rumina: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quæ verba cum illis mirifice coeunt, MEMORARE NOVISSIMA TVA ET IN ÆTERNVM NON PECCABIS.

Eccles. 9

TITVLVS LXXXIV.

DE MORTE MALORVM.

FABVLA.

Coruus & Serpens.

CORVVS esuriens, Serpentem dormientem nactus, cum putat escam ventri suo commodissimam reperisse, Mortem inuenit; nam prædatorem suum Serpens pupugit, & saluus aufugit.

Cancer & Vulpes.

CAncrum è mari egressum prope litus, Vulpes famescens inuenit, rapuit, deuorauit; & hic moriens, dixit, Heu me, morior! & mea culpa morior! qui viuerem, si in meo elemento perstitissem. Hic Apologus & præcedens, inutilia desideria & luctus malorum ostendit, qui sua culpa nocentes, male pereunt.

Monedula.

MOnedulam quis ceperat, & pede filo alligatam ne auolaret domi alebat, at illa libertatis appetens, & captiuitatis impatiens euolauit aliquando, sed malo suo, statim enim ramis arboris implicita, laqueo quo pede tenebatur suspensa, interiit, pœnas impatientia suæ meritas luens, non dissentit à Superioribus.

Columba.

PRemebatur siti Columba, & cum aquam non inueniret naturalem, pictam in tabula vidit, rata elementarem, ardore sitis, non patiente judicium, in tabulam se feruida injecit, & nacta solidum, sibi collum fregit. Quantis, vt ipsi, contingit incautis & male sanis pro exigua voluptate æternum perire!

Digitized by Google

Cassita.

Visco capta Cassita, seu Alauda, cum se extricare non posset, moriens, sic lugebat infortunium suum. Heu me, inquiebat, non aurum cujusquam, aut argentum surripui, non gemmas, aut quid pretiosum rapui, sed modicum granum tritici, & pro tantillo, ecce morior!

Cochleæ.

Qvidam collegerat Cochleas quas cum coqueret, & eas in igne striden- tes audiret, ô maledictæ Cochleæ, dicebat, etiam domibus vestris incensis vos canitis! Si hanc fabulam detorques ad querelas inutiles, & nænias, & luctus damnatorum in pœnis, non absurde dixeris, sic illis perditis ac desperatis dæmones illudere & insultare.

Muscæ.

Qvidam Rusticus cum Aluearia repurgaret & mel colligeret, vas in quo illud condiderat casu confregit; quod cum in terram decidisset, Muscæ turmatim aduolantes illud sugebant, sed damno suo. Nam implicitis alis & pedibus, cum auolare non possent, morientes querebantur. Heu mellis fatalis dulcedo! qua ad momentum vsæ, æternum perimus! Cogita te has querelas miserorum qui in flammis torquentur, audire.

Pisces è sartagine in ignem decidentes.

Pisces in sartagine viui feruenti oleo coquebantur, quorum vnus ignis ardore ebulliens, cœpit saltare, & ad socios dicere, ô Socij, fugiamus hinc! quo dicto ipse saltu se, & omnes pariter proripientes, & exilientes in medias prunas & flammas, adhuc sartagine ardentiores, deciderunt. Talis fortuna & casus damnatorum! quo se vertant, nesciunt, de malo in pejus ruentes.

Mens Fabulæ, seu Morale.

MORS PECCATORVM PESSIMA.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

DVBITATVM olim fuit inter Philosophos, qui de morte disseruerunt, & opinionibus variatum, num Sapienti aliquando liceret mortem oppetere, & violentas sibi manus inferre? Pro negatiua stat secta vniuersa Platonis, in Phædone definientis, homini non esse sua sponte moriendum. Nam licet in eodem Dialogo doceat mortem appetendam philosophantibus, & ipsam Philosophiam Mortis meditationem appellet.

Digitized by Google

non fauet tamen eorum opinioni qui sibi consciscendam eam licere volunt, nam cum duas ibi hominis mortes distinguat, vnam animæ, qua in corpore constituta, corporeis illecebris Philosophia docente moritur, & cupiditatum dulces illecebras ac passiones superat, aut exuit: Animalis alteram, seu Naturæ, cum anima corpus relinquit. Priorem illam vult Plato Sapientibus appetendam. Illam vero quam omnibus Natura constituit, cogi, vel inferri, vel accersiri vetat, docens, expectandam esse Naturam, & quoadusque Mors veniat, non cogendam.

Non secus, ac iis qui Potestatis Imperio truduntur in carcerem, inde diffugere non licet, priusquam ipsa quæ clausit, abire permiserit. Addit esse nos hîc in Dominio Deorum, quorum tutela & Prouidentia gubernamur. Nihil autem inuito Domino, ex iis quæ possidet, auferendum. Et sicut qui vitam alieno extorquet mancipio, crimine non caret; ita eum, qui finem sibi Domino nondum jubente quæsierit, in reatum incurrere.

Accedit huic opinioni testimonium magni Scipionis, qui in libro Tullij Ciceronis, qui somnium Scipionis inscribitur, cum per quietem parentem suum, magnum illum virum Paulum Æmilium, quem extinctum putabat, & superesse & viuere videret, & immortalitatis desiderio actus, cum eo morari optaret, & mortem si liceret accelerare, ac diceret. *Quid moror in terris? Quin huc ad vos venire propero?* Visus est respondere Pater: *Non est ita*, inquit, *nisi enim cum Deus hic, cujus hoc templum est, omneque quod conspicis, istis te corporis custodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, hisque animus datus est, ex illis sempiternis ignibus, quæ sydera & stellas vocatis, &c. Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus animus est in custodia corporis: nec injussu ejus, à quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus assignatum è Deo defugisse videamini.*

Marco l. cap. 13

Videtur & Epicurus à parte istorum stare, qui objurgat non minus eos qui mortem concupiscunt quam qui timent. Quia, *Vir fortis ac sapiens ne fugere debet è vita, sed exire.* His illud Martialis jungendum: *Summum non metuas diem, nec optes.* Quod melius canere, quam facere, ipse potuit, neque enim tam vir bonus, quam bonus Poeta fuisse putatur.

Affirmatiuam mordicus tenent, Cato inprimis, qui cum victo Pompeio, oppressa Republica, eo deductus esset, vt viuere sine Cæsaris gratia, & beneficio non posset, cum vltima illa nocte librum Platonis de immortalitate legisset, quo clam instructus erat pugione, se confodit, quoniam, inquit apud Senecam: *Deploratæ sunt res generis humani, Cato deducatur in tutum. Impressit, deinde mortiferum corpori vulnus, quo obligato à Medicis, jam non tantum Cæsari, sed sibi iratus, nudus in vulnus manus egit, & generosum illum contemptoremque omnis potentiæ spiritum non emisit, sed ejecit.*

Senec. Epist 24

Deinde Scipio ille, Cn. Pompeij socer, qui contrario in Africam vento relatus, cum teneri nauem suam videret ab hostibus ferro se transuerberauit, & quærentibus vbi Imperator esset: *Imperator*, inquit, *bene se habet. Vox hæc illum parem majoribus fecit, &c.*

Idib.

Tenent, quotquot aut vitæ tædio, aut honesta de causa viri alioqui probi & illustres, fortiter agere putauerunt, si se in libertatem, maturato fato assererent.

Tenet Stoicæ Philosophiæ & Romanæ eloquentiæ magnum Decus Seneca, quo nullus fortius, aut frequentius de morte disseruit. Qui Mortem semper cogitandam, nunquam pertimescendam, sæpe etiam expe-

Digitized by Google

tendam, & vltro asciscendam omni pagina suadet & docet.

Tria dogmata, quorum vltimum, pace tanti viri, quod Ethnicum sapiat, omnino rejicimus ac detestamur. Et nulli mortalium quacumque in extremitate posito licere dicimus, è statione hujus vitæ exire, aut horam maturare, sine expressa summi Imperatoris nostri Dei licentia. Primum, totis vlnis amplectimur, mortis meditationem perpetuam, jugemque cogitationem, vt necessariam inter præcipua vitæ spiritualis & Christianæ documenta, ac instrumenta reponentes. Alterum, mortem nunquam pertimescendam, in parte probamus, in parte negamus. Bonis moderate timendam, itaut iis nil fidei decedat, aut spei, omnis scriptura inculcat; timendam, inquam, vt decretoriam horam, in qua de summa salutis agitur, vt anfractum difficilem, vnde se extricare non sit peruium; denique vt portum periculosi accessus, vbi crebra naufragia, exitus dubij, fortuna variabilis.

Quod malos spectat, ita ipsis mortem pertimescendam, & quotidie ante oculos reuocandam assero, vt in eo vltimum dicam situm esse suæ resipiscentiæ remedium; spem Pœnitentiæ vltimam, quæ si nihil in iis operatur, de eorum salute conclamatum sit. Neque enim aliud signum profligatissimi eorum status & situs deplorati animi euidentius dari potest, quam cum animus cogitationi mortis obstupuit, & ita obduruit vt eam nil pertimescat. Hujusmodi enim hominibus Mors licet despecta, non nisi IMPROVISA AC SVBITARIA; & INVISA, ac INIMICA venit.

Venit, inquam, Mors semper improuisa malis. 1. Quia incogitata, quæ enim mala incautis obrepunt, & præter expectationem veniunt, *illa non* longe acerbius feriunt, quam quæ frequenti vsu ac meditatione nobis familiaria reddidimus. 2. Quia subitaria sæpe intempestiua, & immatura.

L. de consl. 1 Met.

Mors hominum fœlix quæ se nec dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpe vocata venit.

Inquit Boetius, fœlicem reputans mortem cum opportune venit, aut ætate, aut fortuna defectis, sed si accedit intempestiue, quanto acerbior existit? Si juuenibus? si lætis ac fœlicibus? si inuitis?

Vnde Neoptolemum Histrionem Tragœdiarum cum quispiam interrogasset, quidnam ab Æschilo, aut Sophocle, aut Euripide dictum admiraretur. Ille, nihil quidem istorum respondit se in admirationem trahere, sed quod ipse vidisset Philippum, Cleopatræ filiæ suæ nuptias magnifice celebrantem in cœna amplissima, cum tertius decimus Deus appellaretur, postridie in theatro jugulatum & projectum.

Stob. ser. 96.

4. Denique venit improuisa malis mala mors, quia properata suis vitiis. Quis non malam mortem Bruti & Cassij, Cæsaris interfectorum dicat, qui eodem sibi gladio quo Cæsarem injuste peremerant, justissime sibi vim intulerunt? Lucretij Poëtæ? qui sumpto amatorio poculo furens se interemit? Marij? qui tot millibus Romanorum ciuium trucidatis, alterius manibus quam suis mori non meruit?

Neronis, monstri generis humani? impurissimi, qui vt majus supplicium quod merebat euaderet, parricida, & matricida semet gladio transegit? Sardanapali alterius portenti, qui in hoc solo se virum ostendit, quod sese interfecit? Apicij famosissimi Helluonis? qui deuoratis amplissimis opibus, hausto veneno, id vnum bene fecit, quod gula qua peccauerat, de se pœnas sumpsit. Sic Milonis Crotoniatis, qui cum senex Athleticam

desiisset

Digitized by Google

desisset, iterque solus faceret, volens temere experiri vires suas, immissis inscissuram arboris digitis mediam diduxit, sed cum manus laxasset, rediit quercus in Naturam; & ille manibus, pedibusque inclusis, ferarum pabulum fuit. Aut Euripidis Poetæ, qui à cœna Archelai Regis cui erat carus, cum rediret, à canibus laceratus est. Et sexcenti alij.

Aul. Gell. l. 15. n. Att. c. 16

Ibid. c. 20

Non solum accidit Mors improuisa sceleratis, sed etiam inuisa; quibus vita plus æquo in deliciis fuit, Mors non potest non esse amara & exosa. Præterea talis est vitæ & mortis nexus, talis inter vtrumque consensio, vt qui non didicit bene viuere, nesciat bene mori. Et quod ignoramus, horremus. Taxabat hoc vitium Seneca Epistola 22. *Quemcumque vis occupa, adolescentem senem medium, inuenies æque timidum mortis, atque inscium vitæ. Nemo quicquam habet facti. Nemo quam bene viuat, sed quam diu, curat, cum omnibus possit contingere vt bene viuant, vt diu, nulli.* Et Epist. sequenti. *Quidam viuere tunc incipiunt, cum desinendum est. Si hoc judicas mirum, adjiciam quod magis mirere, quidam ante viuere desierunt, quàm inciperent.*

Seneca Epist. 22

Epist. 23

Propterea ne in id vitij Seneca quod in aliis carpebat, incurreret, ipse sic torpentem animum Mortis consideratione excitabat: *Clamo mihi quotidie numera annos tuos, & pudebit ea velle quæ volueras puer. Moriantur ante te vitia, dimitte has turbidas voluptates magno luendas.*

Quæ cum ita sint cum nil tam fugiant impij quam Mortem & mortis cogitationem vsque propulsent, cum meditatio mortis sit mors vitiorum valde mihi mirum est quomodo eadem vtantur ad incentium libidinum, & voluptatum suarum adeo illis omnia in malum cedunt, Audiamus Lyricum vnum eorum.

Pallida mors æquo pulsat pedé pauperum tabernas
Regumque turres ô beate Sexti
Vitæ summa breuis spem nos vetat inchoare longam
Iam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia, quo simul mearis
Non regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet juuentus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt.

Hor. l. 1. Od. 4

Vides vt recordatione mortis, ad libidines socios incendat? & alibi.

Quid sit futurum cras fuge quærere,
Quem sors dierum cumque dabit, lucro
Appone, nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas
Donec virenti canities abest.
Moros, nunc & campus & areæ,
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora.

Ode. 9

Iam te quæso, quomodo his Mors aduenire posset, nisi Invisa? Imo & Inimica. Quod spopondimus, & facile soluimus.

Voluptuosis Mors inimica venit, quia eos ab iis omnibus quæ deperibant in vita separat, nunquam in ea redituros.

Secundus Philosophus vir sapientissimus ab Adriano Imperatori interrogatus quid esset Mors? respondit, *Aeternus somnus, dissolutio corporum, diuitum pauor, pauperum desiderium, ineuitabilis euentu, incerta peregrinatio, somni pater, fuga vitæ, viuorum discessio, resolutio omnium, denique latro hominis.*

Digitized by Google

Omnia bene, & ad rem sed præcipue cum Mortem nuncupat latronem hominis. Mors enim inimica furatur, fæuit, prædatur hominem, & omnia bona ejus dilapidat, tam corporis quam animæ. Latro, quia intempestiue venit, quia impræuisa, quia incautos adoritur, & optima quæque hominis sine misericordia rapit.

Siue Reges:
Siue inopes erimus coloni,
Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor: neque harum quas colis arborum,
Te præter inuisas Cupressos
Vlla breuem Dominum sequetur.

Hor. l. 2 Od. 14

MORS PECCATORVM PESSIMA.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVæ est illa Mors Peccatorum pessima? Est Mors secunda. Miserorum Æternitas, & æterna miseria; Libertatis naufragium; Calicis iræ Dei vappa, fæx pura, & puta, & fæces, quas necesse est Peccator bibat, Oriens calamitatis, spei Occidens, vltima linea rerum, porta æternæ noctis, vbi nullus Ordo; cæterà sempiternus horror, & fletus, & stridor dentium.

Hi sunt amari fructus, & maledicta progenies primæ mortis, quæ est MALA MORS, qua anima quæ prius viuebat per Gratiam, peccando moritur; nam, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Item, *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* MORS PEIOR, est consuetudo inueterata peccati. MORS denique PESSIMA, de qua impræsentiarum agimus, est mors Animæ & Corporis in peccato. Dicitur pessima in superlatiuo, quia nil ei potest mali & miseriæ adjici, nil cogitari infœlicius, nil accidere acerbius. MORS PECCATORVM PESSIMA Quià vt retro ex Profanis insinuauimus Peccatori venit IMPROVISA. Venit EXOSA. Venit INIMICA. Quæ paucis rependemus ex Scriptura.

Ezech. 18
Iacob. 1

Cur Deus magna bona quæ facturus erat mundo, similiter & magna mala quæ illaturus erat, voluerit esse occulta, quoad tempus & horam, posset non extra rē quæri, quia suæ sapientiæ videretur conuenientius, omnia suauiter disponenti, & suæ in nostrum bonum Prouidentiæ fortiter attingenti efficacius, si quæ in nos collaturus esset bona, aut quæ illaturus mala, ea quoad tempus & horam nobis nota faceret, vt se homo ad illa recipienda tempestatiue disponeret, aut ista euitanda cautius inuigilaret, sic incarnationem filij sui, quod in remedium peccati prædestinauerat, quod ideo Apostolus vocat, *Mysterium absconditum à sæculis in Deo.* Quoad substantiam reuelauerat, quoad temporis circumstantiam occultauerat. Sic maximum illud Diluuij supplicium quo vniuersum genus humanum aquis immersit & repurgauit: se quidem missurum indicauit, tam per Arcæ fabricam, quæ per centum annos durauit, quam per prædicationem toto eo tempore Noe, & filiorum ejus, sed quo anno, mense,

Colos. 1

Digitized by Google

vel die inciperet, non manifestauit. Sic secundum aduentum suum, seu consummationis sæculi decretorium illum diem prænuntiauit, & signa eum præcessura prædixit; *de die autem illo vel hora nemo scit*, inquit, *sed sicut in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis*, &c. Math. 24

Magnum, & incomparabile bonum erat missio Spiritus sancti, quem Christus Apostolis missurum promisit, sed quo precisè die aut tempore, non declarauit: *Baptisabimini*, inquit, *Spiritu sancto, non post multos hos dies.* Actor. 1 Sic suspensos & incertos temporis voluit; cum tamen ipsis longe optabilius videretur, scire tanti Doni tempus, & horam, vt ad illud recipiendum melius se pararent. Ita dicendum de die vltimo Mortis vniuscujusque nostrum, quo vt nil certius, sic die vel hora, mortis, & morbi genere, aut loco in quibus nos Mors occupatura sit, nil incertius. Et quis nostrum summi beneficij loco non reponeret, scire fatalem illum diem ex quo nostra dependet æternitas? & non dicat cum Psalmista: *Notum fac mihi finem meum, & numerũ dierũ meorũ quis est, vt sciam quid desit mihi.* Hæc & similia inquirentibus respondetur: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.* Act. 1 Respondetur item: *Vigilate quia nescitis diem neque horã, quod vobis dico, omnibus dico vigilate.* Math. 24 Quod omni pagina inculcat. Ps. 38

Cujus rei rationem reddit Beda in hæc verba Lucæ 12. *Estote parati quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* "Horam vltimam nostram voluit Dominus idcirco nobis esse occultam vt semper possit esse suspecta, vt illam dum præuidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus. In Lu. 12 & l. 4 in Math. c. 41. Item, " Vt pendulæ expectationis incerto semper eum credant esse venturum, quem ignorant quando venturus sit. Vno verbo, vult nos Dominus & timidos, & expectantes. Quo nomine ab Ethnicis antiqui Christiani vocabantur *expectantes, sperantes*, nam quia spretis hujus vitæ sollicitudinibus, totam expectationem & spem suam in alia vita, quod timerent aut sperarent; reponerent, ideo, expectantes & sperantes recte vocitabantur.

Et re vera ab hoc differunt Impij a seruis Dei, quod illi pro præsenti ac fluxa hac vita tantum timent, expectant, & sperant, pro futura nihil curant. Quia licet se morituros certo sciant, tamen quidquid sequitur mortẽ, nihil credũt, aut expectant, aut si credũt viuunt quasi non crederẽt.

Vnde illis Mors non potest contingere nisi improuisa, & eo sensu dies Domini aduentui furis comparatur: *Sicut fur*, inquit, *in nocte veniet.* Scilicet incautis, nil sollicitis, & curantibus: absit enim vt tam desideratus Domini aduentus, tam carus & expectatus dies bonis instar furis habeatur. " Non aggreditur vigilantes, (inquit S. Chrisostomus) vt prædo, aut fur. Sed vt Regius nuntius, vt ille qui sapientibus virginibus prænuntiat. *Ecce Sponsus venit, exite obuiam illi.* Aut ille alius. *Parata sunt omnia, venite ad Nuptias.*

Audiamus illos cornicantes in sapientia: *Dixerunt enim cogitantes apud se non recte; exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerum in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus.* Sap. 2 Sic illi; quid autem euersa fide & timore Iudicij, quid illos dicturos putatis? *Venite ergo*, inquiunt, *& fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in juuentute celeriter, vino pretioso & vnguentis nos repleamus, &c.* Videtis vt se mutuo in omnem luxuriæ turpitudinem, & in omnia scelera posita Mortis, & æternitatis cogi-

Digitized by Google

tatione incendant? Vt properent, se in omnia flagitia projicere, sic vita ipsis cum in deliciis diffluit, fugit, eripitur, excurrit, & sentiunt se in senectutem & mortem deuenisse, antequam de morte cogitarint.

Sap. 5 Breuitatem & celeritatem cursus sui agnoscunt ibidem, cum vitam suam vmbræ fugaci, naui in fluctibus excurrenti, & aui volanti, & sagittæ emissæ, & aeri à vento percusso comparant; *Sic & nos nati*, inquiunt, *continuo desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, sed in malignitate consumpti sumus.* Idem Psalmista repræsentat: *Defecerunt in vanitate dies eorum*, inquit, *& anni eorum cum festinatione.* Et Psalmo 89. vrget

Psal. 77 hujusmodi Impiorum vitam, multis imperatiuis, quasi tot veredis, inquit, *sicut herba transeat, manè floreat, & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.* Quod de industria facit, vt significet improuisum eorum finem, & stuporem, cum Mors inopinata aduenerit.

Sap. 9 Quod rursum Sapiens apta comparatione describit, & deplorat: *Nescit homo finem suum*, inquit, *sed sicut pisces capiuntur homo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis ex templo superuenerit.* Nihil poterat sensibilius exponere improuisam mortem Impiorum, ac deceptionem, quam comparatio piscis, qui dum securus putat vitam cum esca capere, capitur; & quanto velocius ad eam currit, tantò arctius illaqueatur & stringitur. Sic Aues dum incautæ pauca grana rostro prendunt ipsæ comprehenduntur; & vbi vitam quærebant, mortem inueniunt; ita improuidi plerumque mortales dulci voluptatum Lenocinio inescati, cum in Creaturis delectationem aliquam degustare putamus, morte superueniente capimur, & sic miseris Mors improuisa aduenit. Et ex quo IMPROVISA.

Tanto magis INVISA, seu EXOSA. Cui enim Mors amarissima non sit, qui mediis in deliciis ab ea intercipitur? aut cui per vim infertur? aut cui accelerata & immatura venit?

Psal. 77 Talis Mors contigit illis ex filiis Israël qui desiderauerant carnes in deserto, & contra Dominum & Moisen murmurauerant. Illi enim non secus atque pisces hamo, aut Aues laqueo comprehenduntur. *Manducauerunt*, inquit Psalmista, *& saturati sunt nimis*, Sed quid sequitur: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Quam amarus morsus, qui saturis mortem infert!

Dan. 5 Quam inuisa & amara Mors fuerit Regi Balthasar medio in conuiuio, Regio apparatu splendido, inter optimates Regni sui, Vxores & Concubinas egregie compotanti, conjectare licet, *Bibebant vinum & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos & ferreos, ligneosque, & lapideos. Cum in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis in pariete.* Mortis scilicet sententiam suam, quæ vltra noctem sequentem non dilata est. Quam inuisa quæso Mors ista, quæ inter Regij conuiuij delicias, inter optimatum manus, ex improuiso superuenit, & vitam & Regnum abstulit?

1. Reg. 15 Aut etiam illa violenta, quæ Regi Amalec, cui Rex Saul & Populus pepercerāt à Samuele Propheta, gladio feriēte illata est. *Oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens*, ait Scriptura, vt hominem adipis & saginæ Mortis timidissimum significet. Quod vltimis his verbis satis prodidit, exclamans; gladio ad jugulum intentato, SICCINE separat amara MORS. Paucis multa, quia non licuit amplius loqui. Siccine MORS amara, improuisa, exosa dispescit hominem à dulcissima hac vita? animam à corpore? Regem à

Regno, & subditis? Diuitem à bonis? mollem à deliciis? virum ab vxore? à filiis? ab omnibus bonis? sic statua illa grandis, auro grauis, argento micans, ære splendens, ferro potens, visa Nabuchodonosori Regi, nihil timebat, ridebat Cœli inclementias, terræ mutationes & vices, sed quia pedum pars erat lutea & fictilis, statua illa aspectu terribilis, paruo lapide de monte sine manibus abscisso in pedes cadente concussa, momento concidit: *Tunc contrita sunt pariter ferrum testa, æs, argentum, aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inuentus est eis.* Sic Mors venit improuisa, rapit exosa, conterit INIMICA.

Dan. 2
1. Cor. 15.

Quo nomine Mortem vocat magnus Apostolus, cum inter trophęa & victorias, quas Christus reportauit resurgens ex mortuis, vltimo de morte triumphasse, dicit. *Nouissima autem*, inquit, *INIMICA destruetur* MORS. Apposite quidem, Mors enim vt vitæ opposita omnes mortales per peccatum, cujus & *stipendium & stimulus* ab eodem Apostolo nominatur, suo subjecerat imperio, & tanquam crudelis exactor, Tyrannice dominabatur, vnde ait, *Regnauit Mors ab Adam*, vsurpato à peccato imperio. Quanquam in justos diminutum valde, & exile haberet imperium, vim suam solum in minorem sui partem, quod est corpus, exercens. Cæterum cum separans bonos à vita hac mortali, animas ad fœlicitatem, & ad Deum qui est vita æterna, transfert, justis magis amica, quam inimica dicenda est. Quia cum pungit, vngit; cum furit, & ferit, fauet, Cum rapit & cædit, extollit; denique cum corpus atterit, spiritum in perfectam libertatem asserit. Alioqui non diceret Paulus: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Aut cupio dissolui & esse cum Christo.* Item: *Mihi viuere Christus est & mori lucrum.* Sed malis, sed reprobis, sed peccatoribus in quos plenum exercet imperium, simul corpus & animam occidit, & vtrumque in gehennam perducit. His Mors non est lucrum, sed vltima calamitas; non optabilis dissolutio, quia vadunt cum diabolo; nec liberatio à morte, sed æternæ captiuitatis consummatio.

Vere inimica Mors Impiis, quia in eos hostiliter sæuit, omnia bona animi & corporis rapit, nullis bonis parcit, sicut per Ieremiam dicit: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua.* Ostendit Deus eidem Prophetæ aptissima comparatione hujus inimicæ mortis sæuitiam & crudelitatem, cum ait: *Vocate lamentatrices, assumant mulieres lamentum. Quia*, inquit, *ascendit Mors per fenestras, ingressa est domos nostras, disperdere paruulos de foris, juuenes de plateis.* Describit meo judicio quod contingit, quando vrbs prius obsessa, facto impetu oppugnatur & capitur. Tunc enim inimicus ferox omnia igne & ferro vastans quoscumque obuios habet in plateis juuenes, senes, diuites, pauperes occidit; irrumpit in domos, & vbi fores occlusas reperit, intrat per fenestras, hoc exprimit Propheta: *Mors ascendit per fenestras; ingressa est domos nostras disperderes paruulos de foris, juuenes de plateis.* MORS scilicet INIMICA *hostili more sæuiens.* Sic facit Mors in Impios sine discrimine, omnia disperdit & discerpit, non audit preces, & gemitus, non curat lachrimas, personas non accipit, status non attendit, omnia falce demetit.

Ierem 30
Cap. 19

Sic Arbor illa magna & fortis Nabuchodonosori visa, cujus proceritas Cœlum contingebat, rami, operiebant terram, folia pulcherrima, fructus nimius, quo volucres cœli, & bestiæ terræ, & homines nutriebantur, non videbatur casura, cum vox auditur, clamans: *Succidite arborem &*

Dan. 4

præcidite ramos ejus. Momento excidit illa proceritas potentiæ, altitudo diuitiarum euanuit amplitudo, ramorum aruit, disparuit abundantia fructuũ, turba famulantium fugit Heu pro summo gaudio, summa infœlicitas! Heu ob momentaneam voluptatem æternum perire. Sic: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt,* Quia ipsos circumuenit MORS IMPROVISA, MORS INVISA, MORS INIMICA.

TITVLVS LXXXV.

DE MORTE IVSTORVM.

FABVLA.

Cygnus.

Cygnus moriens, & moriendo dulcissimos pro more cantus edens, auditus est à Ciconia, quæ cum ad eum diuertisset, sciscitabatur quid causæ esset, quod cum cætera animalia mortem exhorrescerent, & præ ejus horrore, ac tristitia moriendo ejularent potius, quam canerent, ille dulcius & suauius caneret. Cui Cignus, noli mirari soror, inquit, miseriarum quippe vitæ hujus pertæsus cum exeo lætitia gestio, & vitæ curis procurandæ, ac periculis conseruandæ breui soluendus, canto. Innuit Mortem *bonis, ac justis, non formidinis & horroris, sed lætitiæ & exultationis causam esse.*

De Equo & Porco.

Porcus contemplans Equum Domini sui, qui ad pugnam armatus ducebatur, insultabat ei vt stulto, quod tam libens ad bellum preperaret, vbi forte periret, aut saltem grauiter læderetur. Cui Equus, etsi moriar, non inglorius moriar, sed sicut generosos decet, vitam effundam; tu vero impinguatus & saginatus etiam morieris, sed in luto & sordibus, vt ignaui, & tui similes, solent.

De Paupere.

Quidam Vir bonus, sed pauper habebat domunculam minitantem ruinã & cadentem, pauculis palis innixam. Contigit autem vt ex agro rediens, ruentem videret, & cum vbi se reciperet, non haberet, gemens & ejulans, cœpit expurgandis, ac reparandis ejus ruinis, manus admouere: quod cum faceret, inter rudera & ruinas thesaurum inuenit, aurum multum in arca repositum, quo inuento abstersis lachrimis, & posito clamore, cœpit benedicere casum domus suæ, & Deo gratias agere, cujus beneficio thesaurum inuenisset euersa domo, quam stante, longe fœlicior. Ita Mors accidit justis, moriendo ditescunt, & thesaurum inueniunt.

Digitized by Google

Mens Fabulæ, seu Morale.

PRETIOSA IN CONSPECTV DOMINI MORS SANCTORVM EIVS.

Probatur primò, & illustratur, EX PROFANIS.

OPTIME Seneca mihi de vita sensisse videtur, cum totum hoc temporis, quod hic anima in corporis contubernio transigit spatium, comparat nouem mensium termino, quo nos Natura in vtero materno clausos præparat, postea in hanc lucis vsuram emittendos, vt hæc vita mortalis sit quædam prolusio æternitatis. *Per has*, inquit, *mortalis æui moras, illi meliori vitæ longiorique præluditur. Quemadmodum nouem mensibus nos tenet maternus vterus, & præparat, non sibi, sed illi loco, in quem videmur emitti, iam idonei spiritum trahere, & in aperto durare, sic per hoc spatium quod ab infantia patet in senectutem in alium Naturæ sumimur partum. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice. Non est animo suprema, sed corpori. Quidquid circa te iacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta, transeundum est.* Denique clamores & gemitus, & offensiones partus, quos infantes nascendo sentiunt, perinde esse vult ac dolores vitæ & mortis, quibus nostra mortalitas obnoxia est. *Dies iste*, inquit, *quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est, gemis & ploras, & hoc ipsum flere, nascentis est.* Vt ergo partus infantis in vtero clausi, res votorum & lætitiæ est, non materia timoris & mœroris, ita nec Mors quæ nos in meliorem vitam transfert & parturit. Quod intelligendum est tantum de bonis, quibus, vt malis semper improuisa, & exosa, & inimica venit, quod supra ostendimus, sic iustis ex opposito semper expectata, optata, & amica accedit, Quod impræsentiarum agendum.

Senec. Epist. 102

Qui ex antiquis Philosophis Mortem ex sola contemplatione vitæ præsentis, sine iis bonis quæ bonam vitam consequuntur, aut malis, quæ malam, dimetientes, magnum beneficium, & optimum Naturæ inuentum asseruerunt, rem Christianam, non more & ore Christiano dixerunt; quia mortem solum considerauerunt, vt vitæ hujus terminum, vt metam laborum, vt hujus exilij limitem; horum antesignamus Seneca in consolatione ad Marciam filium suum lugentem, postquam eorum quæ mortem sequuntur fidem, & metum expunxit, & tenebras & carcerem, & ignes & tribunalia inferorum, instar fabulæ irrisit, postquam dixit: *Mors omnium dolorum & solutio est, & finis, vltra quam mala nostra non exeunt. Mors, nec bonum, nec malum est.* Exclamat: *O ignaros malorum suorum, quibus non Mors vt optimum inuentum Naturæ laudatur; quæ siue fœlicitatem includit, siue calamitatem repellit, siue satietatem aut lassitudinem senis, siue iuuenile æuum. Omnibus finis, est multis remedium, quibusdam votum. Hæc efficit, vt nasci non sit supplicium, &c.* Idem Epist. 101. *Nega nunc magnum beneficium esse Naturæ quod necesse est mori.* Hic inquam, & qui cum eo sentiunt, non mi-

rum si solum vitam considerantes ita loquuntur. Quid enim est vita hæc mortalis? de qua quidam dicebat: *Optimum esse non nasci, proximum quam ocyssime aboleri.* Alius: *Vitam nemo eligeret, si daretur scientibus illam.* Quod infans ille præsensisse ac præsagiisse videtur, qui vt refert Plinius, statim ac natus: *In vterum protinus reuersus est, Sagunti, quo anno ab Hannibale deleta est.* Quasi ne patriæ videret exitium, de qua denique Socrates interrogatus: *Quis sine molestia vitam ageret?* Respondit, *Nullo modo id fieri posse, vt qui in ciuitate, aut domo habitaret, aut cum hominibus conuersaretur, sine molestiis degeret.* Quis igitur hæc attendens Mortem non libenter aspiciat, & beneficij loco habeat, expectetque vt æger prolixi langoris remedium; vt lassus, metam laborum; vt mari jactatus portum; vt mortalis, ineuitabile tributum, & communem Naturæ legem quam nullus non subiturus est.

Silenus

Seneca

Plin. l. 7 c. 3

Stob. ser. 97

Diuesne, prisco natus ab inacho,
Nil interest, an pauper infima
De gente, sub dio moreris,
Victima nil miserantis Orci;
Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur vrna; serius, ocyus,
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium, Impositura Cymbæ.

Horat. l. 2 Od. 3

Aduersus hanc necessitatem, & alias laboriosæ hujus vitæ ærumnas, sic se muniebat Seneca. *Natura nihil hominibus breuitate vitæ præstitit melius, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum sit frequentius votum, monent vt anima in expedito habenda sit.*

Epist.

Item: *Ego recusem mei finem? cum sciam me non posse esse sine fine?* Imo cum *sciam omnia esse finita? Ego vltimum suspirium timeam? Mors Naturæ lex est, Mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium est.*

Lib. 6 qq. Nat.

Liceat ergo Ethnicis se hujusmodi rationum momentis contra mortis missilia, terroresque communire, qui vltra mortem nihil esse credunt, quod mali timeant, aut boni sperent; satis sit illis eam impallide expectare velut vltimam lineam rerum; sicut vnus eorum dixit. Sed Christianis qui Mortem per fidem certissime norunt esse solum transitum ad meliorem vitam; commigrationem ab exilio ad patriam; a regione longinqua, ad suos; vmbræ mortis, ad veram vitam, quomodo eam exhorrescentibus, aut timide adeuntibus Seneca ille non succenseret? nisi eam summi beneficij loco habeant, & optimi non Naturæ, sed Prouidentiæ, inuenti?

Bonis igitur non modo expectata, sed optata Mors venit, vt requies lasso, vt somnus ægro, vt merces operanti. Ita Menander.

Mortem quid timetis quietis genitricem
Sedantem morbos & paupertatis dolores?
Sola enim semel ad Mortales accedit, nunquam ipsam
Vidit quis Mortalium secundo venientem.

L. 1. Epigr.

Vnde est illud Platonis: *O Symmia, re vera, qui recte philosophantur, mori meditantur, & Mors ipsis inter cæteros minime videtur terribilis.* Hujus rei exemplum videre est in ipso Socrate, qui in morte vt in vita sapientissime se gessit. De quo cum Aristippus interrogaretur: *Quomodo Socrates obiisset diem, vt ego,* inquit, *optarim.* Significans talem viri mortem quauis vita optabiliorem.

Ipse vero audiens se morte mulctatum magna me spes tenet, inquit: *O Iudices*

Digitized by Google

Iudices, bene mihi euenire quod mittar ad Mortem, tempus est jam hinc abire me vt moriar, vos vt vitam agatis. Tum eodem vultu, quo omnia in toto vitæ decursu, nil immutatus, conuersus ad suos, *Mortem*, ait, *metuere nihil est aliud quam falso putare se esse sapientem, qui enim Mortem metuit, videtur ignorare quid sit.* Aderat autem Apollodorus quidam Socratis amantissimus, sed is vir simplex & indoctus, cum Socrates Cicutam bibiturus esset, qui ei flens, dixit: *At istud ô Socrates ægerrime fero, quod te injuste damnatum video.* Cujus capite contrectato Socrates, fertur respondisse: *An tu, amicissime Apollodore malles me juste damnatum?* Simulque risisse dicitur. Item cum Anitum prætereuntem videret, qui erat vnus ex accusatoribus suis, Socratem ferunt dixisse. *Quam stultus est ille, quoniam ignorat vter nostrum in omne æuum vtilior, & melior exiterit. Deterior vero est, qui in tali genere certaminis victor extiterit.* Sic magnus ille vir solabatur vitæ amissionem ab vtilitate factorum, & vitæ bene actæ conscientia. Sic ille Mortem patienter tulit, & quanquam injuste illatam & violentam paratus accepit. Ita Arimnestus interrogatus: *Quid maximum homini bonum esset? bene mori.* Respondit. Et Gorgias Orator, jam senex sciscitanti an libenter moreretur, *maximé*, inquit. *Nam tanquam ex putri & diffluente domuncula non inuitus discedo.*

Cicer. l. 1 Tuscul.

Xenoph. S. Apol. Soc.

Apud Stob. ser. 118

Denique adeo Mors justis optanda est, & in bonis habenda, vt nil melius esse etiam Deorum judicio comprobatum sit, vt refert Plutarchus apud Stobæum, exemplo cujusdam Trophonij & Agamedis, qui cum Delphicum templum construxissent, & mercedem ab Apolline petiissent, quam illis se daturum promiserat septimo post die, eodem ambo mortui sunt, vt pro certo haberetur justi præmij loco Mortem immissam, quæ nisi bona esset, à Deo bono data non fuisset.

Serm. 117

Ejusdem rei alterum exemplum est Cleobis & Biton fratrum, quod ex Cicerone sic accipe, cum Cydippe matrem suam, Iunonis Sacerdotem, curru vehi ad solemne sacrificium Dea jussisset, morarenturque jumenta, tum juuenes ij veste posita, oleo peruncti, ad jugum accesserunt. Ita Sacerdos aduecta in fanum, cum currus ductus esset à filiis, precata à Dea dicitur, vt illis præmium daret pro Pietate, quod maximum homini dari posset à Deo. Post, epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inuentos mortuos. Vnde nulli dubium fuit pietatem filiorum, Morte, vt optimo Deorum dono, præmiatam.

Lib. Tuscul. qq. 1

Probant hæc abunde quam bonis Mors semper expectata, & optata veniat; quæ sequuntur, quam insuper amica & desiderabilis. Homo est æternitatis & nominis amans, nullus non cupit naturaliter sibi nomen facere, quod vt consequantur diuersæ viæ sunt, vnus finis. Ille per literas ad gloriæ iter incedit, iste per belli præclara facinora. Aliter alius. Audi vnum ex istis sibi hinc pene insanientem.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius:
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam, &c.

Horat. l. 3 Ode 30

Vnde iste huic tantus, & tam vehemens nominis pruritus; & appetitus

Digitized by Google

laudis? cum nullus sit sensus mortuis, nisi quia insitus æternitatis amor, & mens naturaliter veri præsaga, suadebat illis immortalitatem animæ, vnde Mortem non modo non timerent, sed optarent intrepidi, & velut amicam reciperent. Quorum in numero meretur ascribi Canius ille a Seneca celebratus, cujus mores & virtutes Caius Cæsar ferre non valens, cum illi dixisset. Duci te jussi, id est, mori, illico magno animo respondit, Gratias ago, optime Princeps, deinde decem dies quos vsque ad supplicium exegit, *Verisimile non est* (inquit Seneca) *quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quam in tranquillo fuerit? Ludebat* latrunculis cum Centurio agmen periturorum trahens,& illum quoque citari jubet; vocatus numerauit calculos, & sodali suo, vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens Centurioni, testis inquit, eris, vno me antecedere. Tristes erant amici talem amissuri virum. *Quid mœsti*, inquit, *estis? Vos quæritis, an immortales animæ sint? Ego jam sciam*; *promisit, si quid explorasset, circumiturum Amicos, & indicaturum quis esset animarum status.* Quis hoc legens non putet constantiam martyris, in tormentis & Morte ipsa ludentis. Vidisti ad æternitatem currentem & anhelantem?

Seneca lib. de tranquil.

Vis concitatiores? Cum Alexander in Indiam penetrasset & Regiones illas armis occupasset, vidit aliquid majus se & victoriis suis, Calanum scilicet Gymnosophistam Philosophum, Mortis ipsius contemptorem, qui præsente Alexandro struem lignorum composuit, & in aurea lectica superimposita immortalitatis securus & cupidus, viuum se incendit. Quod Alexander admiratus, dixit, *Calanum potentiores se hostes debellasse, ac superasse.*

Eodem desiderio incensus Cleombrotus juuenis, lecto Platonis libro de immortalitate animæ, cum ei nil aduersi accidisset, sponte se é muro præcipitem dedit potiundæ immortalitatis causa, ad quam accelerata morte cucurrit.

Hac spe inductus M. Cato vticensis lecto pridie quam decederet, eodem Platonis libro, pugione, quo secrèto armatus erat, se interemit. Qui omnes, etsi rem optimam pessimis Mediis quærerent, probant tamen esse vnum aliquod, quo tendat nostra mortalitas, in quo absorpta tandem conquiescat

PRETIOSA IN CONSPECTV DOMINI MORS SANCTORVM EIVS.

Probatur secundò, & illustratur,

EX SACRA SCRIPTVRA.

QVARE *Mors Sanctorum pretiosa*, dicitur, *in conspectu Domini*? An quia vita eorum oculis Dei semper plena inuenta est, & longa? & operosa? plena annis, sic enim de Patriarca Abraham Scriptura refert: *Mortuus est in senectute bona & plenus dierum.* De Isaac, *Appositus est populo suo senex & plenus dierum.* Ita de Iustis omnibus, nam licet in juuen-

Gen. 25

Digitized by Google

tute quidam assumantur, pleni tamen Deo reputantur, quia ad eum quem ipsis præfixit terminum vitæ, & meritorum voluntas Diuina, perueniunt. Vnde dicitur: *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Est longa meritis, quia, *Aetas senectutis, vita immaculata.* Sap.4

Denique vita Iustorum operosa, aduersitatibus & laboribus exercita probatur, vnde Psalmista: *Qui seminant in lachrimis in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos,* Psal. 125

Mors Impiorum, seu Peccatorum contra, pessima, & execrabilis. Quare? quia vita eorum in oculis Dei semper vacua, & breuis & otiosa inuenitur. Vacua, inquam, dicente Propheta: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Est etiam breuis, quia *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Nam licet aliqui diu sæculo, nihil tamen Deo vixerunt, & quanquam ad senium pertingere videantur, Deo tamen nequaquam senes, sed pueri reputantur; sicut apud Isaiam habetur: *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum, maledictus erit.* Puer, & Peccator, pro eodem habentur, & is licet centum annorum natus, puer vocatur. " Quia, dicit Glossa, Etsi diu, tamen pueriliter vixit, seruiens vitiis. ,, Vis adhuc videre quam breuis sit vita Peccatorum? Audi Psalmistam: *Vidi,* inquit, *impium superexaltatum & eleuatum sicut Cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & non est inuentus locus eius.* Quæso te, quis cursus velocior? Psal.75 Psal. 54. Isaiæ. 65 Psal 36

Est item vita Malorum otiosa, id est infructuosa & inutilis, de quibus Psalmista: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Quia nihil nisi delicias & voluptates vitæ consectantur.

Ita promiscuè in hac vita Iusti & Reprobi simul ambulant, sed quos præsens hæc vita & sæculum conjungit, Mors discriminat? æquat illa Impios, secernit Iustos. Tunc enim apparet in Morte differentia vitæ. Omnium idem exitus, sors longe diuersa. Mali quippe in Morte subeunt vera mala; abeunt fluxa & falsa bona. Iustis, fugiunt falsa mala, & veniunt vera bona. Quia ipsis tandem tamdiu MORS EXPECTATA, & OPTATA, & AMICA, aduenit.

Et hoc est primum discrimen quod Malos inter & Bonos ascribimus, quod illi mortem semper ab oculis & auribus, à memoria & corde propulsant; quod in hoc speculo, (sic mortem vocat Tertullianus) nunquam se vident, quod animam in carne, quam idem auctor, " Afflatus Diuini vaginam, ,, Id est, animæ, nuncupat, quasi ensem rubigine obsitum torpescere sinunt, nunquam mouent, aut euaginare tentant, denique nunquam se ad mortem componunt & præparant; vnde fit, vt Mors illis semper adueniat improuisa, violenta, subitaria, & in eos vim suam omnem imparatos, exerceat. Iusti contra, quia mortem semper præsentem habent, sibi adesse & impendere vbique cogitant, animam in expedito habent, in carne quasi in putri & labascente ædificio semper tenent, paratam exire primo mandato, vnde fit, vt ipsis quasi domestica, & familiaris, expectata adueniat, non attonitis, aut reluctantibus, aut imparatis. Lib. de Resurre. carn.

Vis vtriusque sortis exempla? quibus Mors terribilis & improuisa, & violenta accidit; illi sunt, de quibus dicit Iob: *Quod laus impiorum breuis sit, & gaudium Hypocritæ ad instar puncti.* Addit, *Tenent Tympanum, & Cytharam, & gaudent ad sonitum Organi.* Sic viuunt in deliciis, sic genio indulgent; Iob.20 & 21

Digitized by Google

Quid vero sequitur hanc vitam? *Ducunt*, inquit, *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Quomodo sic viuentibus Mors nō dura, aut nō amara videretur? quorum hæc est vox in Ecclesiastico: *O Mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Quomodo non violenta? quæ incogitantes & in delitiis mersos occupat? Vt propterea de hujusmodi Propheta dicat: *Ascendit Mors per fenestras, ingressa est domos nostras disperdere paruulos de foris, &c.* Vt præcipitatum voluptuosorum finem ostendat. Qualis ad literam accidit crudeli & impiæ Reginæ Iesabel, quæ audito introitu Iehu, cum ipsi instaret hora mortis: *Depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram*, ait Scriptura Et eodem momento nil minus quam Mortem cogitans, per fenestram prospectans, jussa est præcipitari, quam illico Equorum vngulæ conculcauerunt, & canes Regij deuorauerunt. Sic *Mors ascendit per fenestras*, & qui *tenent tympanum & Cytharam, & ducunt in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendunt.*

Eccl. 41
Ieremi. 9

Sic agit & sæuit Mors in incautos, in impios, & incognitos. Sed qui eam sibi frequenti meditatione quasi familiarem effecerunt, qui ad aduentum ejus se præpararunt, venientem non reformidant, aspectum non exhorrescunt. Talis erat qui dicebat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima.* Vides vt justo huic Mors amara, aut inexpectata minime venit, quia ei dulcis est patria, & peregrinatio amara. Nam, quia *Dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino*, boni Suspirant ad Patriam, & gemunt quandiu peregrinantur. « Sermo iste dolentis est, inquit S. Hieronimus, & gementis de prolungatione incolatus. *Secundum Augustinum, iste vnus est ex gemitibus* inenarrabilibus, quos Spiritus sanctus gemere docet, & postulare. « Docet nos, inquit, Spiritus sanctus gemere, insinuat enim nobis quia peregrinamur, & docet nos in patriam suspirare; cui bene est in hoc sæculo, qui lætitia carnalium & abundantia temporalium, & vana fœlicitate exultat, non gemit; habet vocem Corui, quæ clamosa est, non gemebunda. Qui autem nouit in pressura esse hujus mortalitatis, & à Domino peregrinari, & propter hoc gemit, bene gemit, Spiritus illum gemere docuit. „ Ita S. Doctor ad rem nostram optime.

Psal.
Ad Ro. 8. l. Aug. tract. 6. in Io.

Inde collige eos qui Christiani sunt, & spirituales esse, aut dici volunt, spiritui Dei contumeliam facere, qui mortem nimium timent, qui liberari ab hoc exilio reformidant, qui peregrinationem suam plusquam patriam amant.

Huic proposito congruit quod refert S. Cyprianus de quodam Sacerdote, seruo Dei, qui cum morti propinquus esset, & sollicitè liberationem à Morte precaretur, astitit deprecanti, & jam pene morienti juuenis honore & majestate venerabilis, statu excelsus, & clarus aspectu, qui non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit; PATI TIMETIS, EXIRE NON VVLTIS, QVID FACIAM VOBIS? & euanuit. Quæ increpatio ideo præsentibus manifestata fuit, vt ad absentes nos perueniret. Gemamus ergo nos cum S. Propheta voce Columbæ, incolatus nostri prorogationem, cum habitantibus Cedar, id est malis, quibus hæc peregrinatio abundat, nostram conuersationem, saltem expectemus vigilantes, et vigilemus expectantes nostram liberationem.

Lib. de mortalit.

Secundum discrimen Bonorum & Malorum est, quod illis non modo expectata venit Mors vigilantibus, vt peregrinationis laboriosæ hujus

Digitized by Google

vitæ terminus; sed etiam vt nuncia & bajula quietis, quæ enim dicitur Mors, Iustis non est Mors, sed dulcis somnus. Et ideo optandus.

Accedamus ad Regem sanctum qui nos doceat Iusti mortem nequaquam vocandam esse mortem. *Non videbit interitum*, ait, *cum viderit Sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt.* Quando videris Sapientes morientes, inquit, Mortem propterea non videbis, tametsi eamdem sis bene visurus quando insipiens & stultus moriuntur. Magnum Paradoxũ, quí enim fieri potest, vt moriatur sapiens & non videatur Mors? Quid est non videbit interitum? inquit S. Augustinus, cum viderit sapientes morientes? nunquid non est mortuus sapiens? respondet & soluit dubium, "videt illum mori,& non videt quid sit Mors,, Clarius S. Gregorius Papa, "Non videbis interitum, quos enim visibiliter mori conspiciunt, inuisibiliter viuere posse non credunt. Non vident quid sit Mors, non intelligunt quid sit verus interitus. „

Psal. 48

Lib. 18 Mor.

Clare id etiam dixit Salomon: *Iustorum animæ*, inquit, *in manus Dei sunt, & non tanget eos tormentum Mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Visi sunt*, ait, *insipientibus mori*, Non sapientibus, nam re vera, justi non moriuntur, etiamsi mori videantur. Vnde super hæc verba dicit S. Bernardus, " Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed oculis sapientium judicantur potius obdormire, sicut Lazarus dormiebat. „

Sap. 3

Et quia in Lazarum sermo incurrit, expendamus quid de eo refert sacer textus. Visus est enim aliquibus mori, & aliis dormire, non mori. Nuntiant sorores ejus Domino periculum mortis Lazari. En mortuum: accepto nuncio, dicit, *Infirmitas hæc non est ad mortem.* En viuum. Statim dicitur: *Lazarus mortuus est*, En mortuum. Dicit Iesus: *Lazarus amicus noster dormit.* En viuum. Dicunt Sorores: *Quatriduanus est, jam fœtet.* En mortuum, *Sed vado vt à somno excitem eum*, En viuum & dormientem. Ita quæ videbatur mors hominibus in Lazaro, erat somnus in Christo. " Verum est, ait S. Augustinus, hominibus mortuus erat, Domino dormiebat. „ Ita de filia Archisynagogi, de qua Euangelista dicit, quod erat mortua, Christus autem, non esse mortuam. *Discedite*, inquit, *non est mortua puella, sed dormit.*

Ioan. 11

Marci. 5

Quare ergo Iustorum Mors, videtur Mors, & non est Mors, sed somnus? Ratio est, quia: *In Domino moriuntur.* Sed Domino non moriuntur: *Animæ eorum in manu Dei sunt, & non tanget eas tormentum Mortis.* Tormentum Mortis, peccatum est, dicente Apostolo: *Stimulus mortis peccatum est.* Vnde quos peccatum non pungit, illi moriendo dormiunt. Mors illis dulcis est somnus, breui excitandi sunt.

1. Cor. 15

Audiamus adhuc Psalmistam, *Non moriar*, inquit, *sed viuam, & narrabo opera Domini.* S. Basilius respondet. " Ostendit mortem non esse mortem. Quid ergo? Natalis est. „ " O quam beate moritur, (inquit B. Petrus Damianus) qui moriendo oritur, quam fœliciter temporalem vitam finit, qui viuere perpetualiter incipit, &c. „ Inde patet quam optata veniat Mors justis, vt somnus lassis, vt requies laborantibus, vt miseris finis.

Psal. 117

Ser. de S. Vital.

Hoc sensu adimpletur in Iustis, quod Apostolus ad Corinthios dicit. *Inimica destruetur Mors.* Et hoc est tertium discrimen inter bonos & malos; quod in istos, Mors inimica viuit, & sæuit; in bonis vim amisit, stimulum perdidit, vnde ei insultat Apostolus: *Vbi est Mors victoria tua? vbi est Mors*

Digitized by Google

stimulus tuus? Stimulus autem Mortis peccatum est. Quod enim in Apibus contingit, vt cum Apis carnem mortuam pungit, stimulum impune extrahit, cum viuam, stimulum linquit, & vitam ipsa amittit; idem Morti accidit. Cum enim ante Christum homines peccato mortuos stimulabat, impunè feriebat, sed vbi ausa est Christi carnem viuam attingere, & pungere, in ea stimulum & vires reliquit, ac perdidit; propterea dicit Apostolus, *Vbi est Mors victoria tua? vbi est Mors stimulus tuus?*

Rom. 7

Ita Mors quæ prius erat objectum terroris; facta est homini argumentum Amoris; inde illa suspiria animæ amantis. *Infœlix ego homo. Quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Item, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

Ad Phil.

Liceat hîc Apologum, præter meum morem ex Alciato depromere, & his sacris inserere, quod ei præclari Emblematis materiam subministrauit.

Fingit Mortem & Amorem simul aliquando iter & societatem iniisse, eodem in diuersorio imo & lecto decubuisse, positis in mensa Pharetris & Armis. Mane surgentes, mutuo errore, qui cæcis facilis fuit, alterum alterius arma sumpsisse; Mortem aurea Amoris spicula; Amorem, mortis lethifera. Quo factum, vt Mors quæ putabat de more senes ferire ad Mortem, Amoris armis eorum corda incenderet ad Amorem, & non ad tumulum, sed ad thalamum vocaret; Amor contra juuenes, quotquot armis Mortis peteret, mortaliter feriret, tumulo infoderet. Vnde sic Epigramma claudit.

Embl. 154.

Hinc amat ipse senex, hinc perit omnis Amans.

Missa explicatione Auctoris, ad Epimythion præsentis Tituli hunc Apologum detorquens, dico Christum Dominum (qui essentialiter Amor est) & Mortem, aliquando simul societatem, & iter instituisse, scilicet dum in viuis mortalis ageret Dominus noster, in eodem simul diuersorio Caluariæ noctem transegisse, simul cubasse in duro lecto Crucis, de qua summo mane euigilans Christus Amor, Mortem exarmauit, spicula ejus, pharetram, & Arcum eripuit. Dicente Propheta: *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellũ.* Sua supposuit. Vnde mirabili arte & versura factum, vt deinceps Amor, Amicis suis, quos ferit, det Mortem, Mors Amorem; tam dulci vterque plaga, vt justus quisque mortem amplius non timeat, quia scit Amoris armis armatam. Nec Amoris spicula reformidet, quia etsi mortem inferat, scit sibi de manu Amoris illatam, & insuper simul cum morte conferre vitam, & æternam fœlicitatem. Pro qua omnis viuens aspirat, omnis sanctus suspirat, omne cor gemit, omnis vox clamat, omnis lingua jubilat, omnis spiritus exultat.

Ps. 75

Et hîc Bonorum, Malorumque vltimum discrimen clauditur, quod sicut Cygnus, seu Olor in morte hilarescit, & dulcius cantat, Hyena vero horribiliter tristatur, & vlulat, quam differentiam à sanguine deducunt, quod hæc amaro & pestilente nutrita, ægræ ad cor in morte properante, tristis efficitur, Cygno contra morti vicino, purior sanguis quo alitur ad cor concurrens, lætitiam ingenerat, vnde suauius modulatur. Ita Mali Mortis vicinia, quam vt INIMICAM suscipiunt, mirum quantum affliċtantur, inconsolabiliter tristantur, & lugent, percutiente Conscientia cor eorum. Boni vero securi exultant, læti, ridentesque commigrant; AMICAM probaturi.

Arist. in Problem.

Digitized by Google

Digitized by Google